Google

Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

C 649.7.5

Harvard College
Library

VE RI TAS

FROM THE BEQUEST OF
JOHN HARVEY TREAT
OF LAWRENCE, MASS.
CLASS OF 1862

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

TOMUS VII

IN PROVERBIA, ECCLESIASTEN, CANTICUM CANTICORUM, SAPIENTIAM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ SANCTÆ MARIÆ DE PRATIS

MDCCCXCVIII

Digitized by Google

DOCTORIS ECSTATICI


DIONYSII CARTUSIANI

OPERA OMNIA

'T. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google





DOCTORIS ECSTATICI

D. DIONYSII

CARTUSIANI

OPERA OMNIA

IN UNUM CORPUS DIGESTA

AD FIDEM EDITIONUM COLONIENSIUM

CURA ET LABORE

MONACHORUM SACRI ORDINIS CARTUSIENSIS

FAVENTE PONT. MAX. LEONE XIII

7

IN PROVERBIA, ECCLESIASTEN, CANTICUM CANTICORUM, SAPIENTIAM

MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. M. DE PRATIS

MDCCCXCVIII





Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIONES
IN QUINQUE LIBROS
SAPIENTIALES

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

D. DIONYSII

CARTUSIANI

ENARRATIONES PIÆ AC ERUDITÆ

IN QUINQUE LIBROS SAPIENTIALES

HOC EST

PROVERBIA, ECCLESIASTEN, CANTICUM CANTICORUM, SAPIENTIAM, ECCLESIASTICUM

Ecclesiastici LI.

Comparate vobis sine argento sapientiam, et collum vestrum subjicite jugo ejus.

EX EDITIONIBUS COLONIÆ

SOTERIS ET NOVESIANI, MDXXXIII; JASPARIS GENEPII, MDXXXVI;

ITEM MDXXXIX; HEREDUM JOANNIS QUENTEL, MDLV.

Digitized by Google

C649.7.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

Digitized by Google

INCLYTO AC VENERABILI VIRO, M. THOMÆ CROMWELL[1], SERENISSIMO REGI ANGLIÆ A SECRETISSIMIS CONSILIIS, THEODORICUS LOER A STRATIS, CARTUSIÆ COLONIENSIS ET MONACHUS ET VICARIUS, S. P. D.

QUANTUM patriæ tuæ afferas gloriæ, vir omnium ornatissime, quantum sis Angliæ decori, haud parum celebre in omnium ore versatur. Cui enim, qui vel modico tempore in Anglia est moratus, esse ignotus potuit Thomas Cromwell ? quando iis quoque qui extra Angliam vitam agunt, tametsi faciem tuam nunquam viderint, tua virtus ubique te conspicuum, ubique fecerit admirabilem. Fateor, nunquam collocutus sum, nunquam ipse te vidi : si tamen quibus te laudibus quotidie audio prædicari, referrem, vereor ne plus assentari quam laudes enarrare tuas me existimares. Porro quod tuis gratulor laudibus, quod faveo honori, adeo est sane ab omni assentatione alienum, ut prorsus me aut inhumanum, aut stupidum, aut certe belluam putarem, nisi virtus vel in quocumque homine me delectaret, aut si non gratularer virtuti. Inde fit, ut tanto securius ad te eoque liberius scribo, quo præter magnificentiam tuam (quam omnibus adeo humanam, adeo exhibes communem) et reliquas animi tui dotes, in te agnosco, veneror atque suspicio nihil. Nec tu quoque ex me exspectas quidquam : quippe cui post virtutem, qua satis nobiliter satisque excellenter præditus es, nihil deest eorum quæ mundus miratur : tantum abest, ut in te vel gloriæ appetitus, vel in me sit adulatio. Quum igitur abunde satis fortuna tibi arrideat, et propemodum ex sententia eveniant omnia, quippe qui nihil nisi integrum, nihil nisi sanctum desideras, accedat etiam favor meus necesse est, quo splendori, et tuæ (idque potissimum) gratuler virtuti. Hanc a me prædicari commendarive superfluum duco, quandoquidem eatenus jamdudum semetipsam prædicavit, quatenus diffudit. Adde jam, quod est nihilo minus modestiæ tuæ, ut nihil minus appetas quam laudari, quamvis, quod dixi, si omnium ora tacerent, satis abundeque se ipsam laudaret virtus. Videmus præterea, nescio quo pacto, virtutem quando absconditur, fieri clariorem, quantoque esse velit secretior, tanto mox omnibus manifestiorem fieri. Solet nihilo minus laus ipsa fugientem sequi, non aliter quam fugit ambitiosum : adeo ut quo nolis, plus assequaris gloriæ. Nunquam enim fuga seu gloriæ contemptus absque gloria est. Quum itaque, juxta Salvatoris testimonium, non posset civitas supra montem

[1] Iste, ut norunt, infestissimus Ecclesiæ persecutor evasit, et B. Joannem Houghton cum sociis ejus supplicio affecit. Lege *Histor. aliquot martyr. Anglor.*, auctore Mauritio Chauncy. Moguntiæ, 1550. Monstrolii, 1888.

Digitized by Google

posita abscondi, nec quidquid præclari agitur non palam fieri : quomodo tu qui coram Rege et in fastigio proemines honoris, quem fama denique virtutum nusquam non loquitur, posses celari? Siquidem quam sis clarus fama, quamque universæ Angliæ notus, hinc conjici potest, quod non modo civibus tuis, verum eremitis etiam, hoc est Cartusiensibus, virtus te conspicuum fecerit. Jampridem scripserat mihi Venerabilis Pater D. Joannes Houghton, prior Cartusiæ nostræ apud Londonias, vir bonus, pius ac eruditus, favorem et beneficia tua, quum in Ordinem nostrum, tum in omnes; qua polleas item eminentia meritorum, quantave apud Regem auctoritate valeas; postremo, licet in culmine honorum et virtutum, atque adeo in plausu populi constitutus, quam nihilo tamen (quod rarissimum est) sis animo elatior, sed ad omnes qui abs te opem flagitant, benignus et misericors. Eam ob rem, quum Ordo noster merito tibi debeat universus, ego partes meas agam, ut vel infimus omnium, nomine meo tuis beneficiis sive in Ordinem, sive in alium quemcumque studiosum collatis, habeam gratiam : quandoquidem referre non sit opis meæ, quum adeo sim ego tenuis, tu adeo potens, ut quemadmodum nihil ego valeo, ita nulla tu re indigeas. Verum, tametsi nihil quod te dignum foret possim, numquid propterea animi mei erga te benevolentiam non declarabo? Id enim opto, id percupio maxime, aut rem tibi gratam efficere, aut saltem gratificari cupientis ostendere animi affectum. Cujus quantisper nulla datur occasio potior, lucubrationem hanc D. Dionysii nostri, quam in Proverbia scripsit Salomonis, in Ecclesiasten, in Canticum canticorum, in librum Sapientiæ et Ecclesiasticum, Tuæ Excellentiæ a me dedicatam, quæso, suscipe. Cui enim magis æquum foret hos libros nuncupari, quam illi qui tam a Rege quam a populo habetur sapientissimus? qui prudentiæ virtutem quoque conjunxit : quod adeo videtur necessarium, ut nisi prudentiæ adsit virtus, calliditas magis quam prudentia dicenda sit : mors utique animæ, utpote in varia mala præcipitans, et juxta Apostolum haud immerito prudentia carnis appellanda. Atque rursus, nisi virtutem moderetur prudentia, sæpenumero (licet tuto se gradu quispiam putet) impingat oportet, labatur aut ruat. Siquidem animus nihil discernens, fucum mendaciumque virtutis, pro virtute nonnunquam amplectitur. Operæ pretium igitur est, virtuti prudentiam conjunxeris : quandoquidem non tibi uni, sed universo regno vivis. Quare etiam non extra rem agere videor, qui hos quinque libros (ut vocant Sapientiales) tanto dedicem viro, quibus sapienti dem occasionem ut sapientior fiat, habeasque interim ubi animum tuum alienis negotiis occupatum, ad te rediens, fructuosa hac lectione recrees. Quod sane, ut mihi videor, non ignaviter prudentiæ tuæ consulo, quandoquidem hæc recreatio ejusmodi est, ut juxta sit etiam eruditio : nec parum conducet, dum a consiliis negotiisque regni fueris liber, in his ferias agere, a quibus rursus ad regni negotia, ubi opus est, redeas instructior. Spero autem tam gratam tibi fore hujus lectionem, ut per te (quod futurum prævideo) non solum hoc opus, verum reliqua etiam hujus D. Dionysii opera (quæ hactenus ferme innumera latent) doctissima Anglia requirat, ad editionemque juvet. Tot namque vir iste Deo plenus fecit libros, ut nisi eosdem manu etiam sua scripsisset, incredibile foret unum hominem qui vel nulli operi alioqui animum daret, potuisse legere, nedum meditari, componere, scribere atque (quæ omnia solus fecit) corrigere. In quibus

Digitized by Google

adeo plenus est eruditione, adeo copiosus varietate, adeo pietate refertus, ut nihil supra. Cui adest in tractandis rebus mira quædam diligentia et raritas, in eruendis mysteriis sedulitas, in componendis moribus juxta cum severitate lenitas, et in corrigendis vitiis (quod Chrysostomus monet) ζῆλός τε συγγνώμης οὐκ ἀπεστερημένος, καὶ νουθεσία φιλανθρωπίαν ἔχουσα. Quem si cum vetustis illis sacrarum Litterarum illustratoribus comparare voles : ut in orationis structura et dictionis filo inferiorem, ita in sententiarum pondere, in gestorum delineanda ratione, in expositione mysteriorum, in efformandis Christianæ vitæ moribus parem, ne dicam superiorem, invenies. Utitur nonnunquam (ingenue fateor) trivialibus, rudibus, subagrestibus, asperioribus et minus receptis verbis, sed tamen vivis, animatis, flammeis, aculeatis, ad imum spiritum penetrantibus, lectorem ipsum mirabili potestate transformantibus et erudientibus : quibus crediderim citius vehementiusque lectorem rapi in divinum amorem, extra se poni, quam fracta aliorum quorumdam compositione. Solet sæpenumero dura et salebrosa oratio aculeos in animis auditorum relinquere, eo quod virilis sit : ubi mollis et concinna, eo quod effeminato concentu, numeroque lasciviori decurrat, præpropere evanescit. Et inanis est sonitus optimorum et ornatissimorum verborum, si nulla subjecta sit sententia et scientia. Nonne Augustinus ait, eo magis solœcismis et barbarismis offendi homines, quo infirmiores sunt, et eo esse infirmiores, quo doctiores videri volunt ? Non te movebunt verborum furfures, si sententiarum polline delecteris. Nec offendit inæqualitas dictionis, si allubescat integritas præceptorum et eruditionis soliditas. Quid enim orationis modulationem et numerositatem requiris, ubi mysteriorum celsitudinem exspectas ? B. Ambrosius testatur, lenociniis et fuco verborum sententias enervari. Et divus Hieronymus, non in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu : non in superficie, sed in medulla : non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Gregorius quoque in prologo super Job ad Leandrum episcopum ait : Ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolæ tenor denuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque propositionum etiam, casusque servare contemno : quia indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati : neque enim hæc ab ullis interpretibus in Scripturæ sacræ auctoritate servata sunt. Sanctissimos hos Patres pluresque alios imitatus, Auctor noster maluit (quod in primis ecclesiasticum scriptorem decet) plane ac dilucide dicere, ne, quemadmodum B. Augustinus scribit, animo defugerent ea quæ dicere conabatur, dum attenderet ut arte dicerentur : et ne ea quæ mentium religione contineri oportet, ut Hilarii verbis utar, in periculum humani eloquii protraheret. Hunc igitur in Salomonis libros modo lege, et vide quid in reliquos utriusque Testamenti libros, in Sententias quoque (ut vocant) quas prælis paramus, in Dionysium Areopagitam, in omnes partes S. Thomæ, quid denique in omnes ferme disciplinas ac status scripserit, perpende. Sit posthac, vir omnium integerrime, per me tuus, qui hactenus est meus : imo ego per hunc deinceps tuus sim, quandoquidem et tu jam olim cœpisti et Ordinis esse et meus. Vale. Ex Cartusia nostra Coloniensi. Anno a Christo nato MDXXXIII, divi Joannis Baptistæ feriis.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET CLEMENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. JOANNI, EJUS NOMINIS QUINTO, ARCHIPRÆSULI TREVIRENSI, SACRI ROMANI IMPERII PER GALLIAS ARCHICANCELLARIO, PRINCIPI ELECTORI, ETC., DOMINO SUO LONGE COLENDISSIMO.

Rom. xv, 4. QUÆCUMQUE scripta sunt, ait tuba illa Ecclesiæ, vas electionis, Paulus, apostolus Jesu Christi, ad nostram eruditionem scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus. Sumus enim multis cincti periculis, miseriis, calamitatibus, tentationibus, laboribus, difficultatibus : quibus non possemus sane non obrui ac prorsus opprimi, nisi adesset nobis gratia et consolatio Spiritus Sancti, qua inter tot mundi discrimina, angustias et afflictiones, in spem meliorem identidem erigamur. Atque hæc consolatio ut est multiplex, ita mirifice sese offert in Scripturis illis divinis, quas canonicas recepto more appellamus : quæ ut sunt absque ullo dubio summi Spiritus adspiratione confectæ, ita non solum majorem ceteris quibuscumque quantumvis illustrium auctorum scriptis obtinent dignitatem et auctoritatem, sed etiam uberiorem ac efficaciorem habent vim et energiam ad consolandos animos nostros, dum in hoc exsilio con-
II *Cor.* v, 6. stituti, a Domino peregrinamur, et carnis, diaboli, mundi infestissimis ac importunissimis persecutionibus impetimur ac exercemur. Verum, ne quid in ipsis divinitus inspiratis Scripturis ea ex parte displicere minusque satisfacere nobis possit, quod plerisque in locis obscurius editæ ac elaboratæ sint, et propterea, ut bene intelligantur, Œdipo quodam opus habere videantur, atque eo ipso nomine nihil aut parum bonæ frugis, lectori necdum satis exercitato allaturæ existimentur, alios quosdam nec paucos sane viros undequaque eruditissimos atque sanctissimos divina nobis providentia excitavit, suaque implevit gratia, qui Scripturarum involucra et dubias sententias nobis omnino perspicuas suo labore et industria reddiderunt. Quorum studio, Christi gratia efficiente, factum est, ut inter abstrusos ac avios mysticorum sensuum recessus plano et inoffenso pede ambulemus, capiamus quæ non intelligebamus, suspiremus ac inhiemus veris illis bonis, quæ nobis simplex Scripturæ littera proponit quidem, sed minime exponit : imo vero multis ac impenetrabilibus humanæ mentis imbecillitati tegminibus involvit, non temere quidem, sed ut ipsa litteræ planities quoslibet ad legendum invitet, porro interior latens sententia superbos fugiat ac repellat, tanquam indignos qui percipiant ea quæ non nisi parvulis, id est humilibus, revelantur : denique pios exerceat ac illiciat, ut cupiant intelligere ac investigare, non vana ac reprehendenda curiositate, sed religiosa animi pietate, quæ sub cortice litteræ intus manent recondita et occultata. Ita nimirum omnibus consulit Scriptura divina : pascit manifestis, exercet abstrusis; nec semper perspicua est, nec semper obscura, ne

Digitized by Google

vel facilitate vilescat, vel nimia obscuritate tædium pariat. Et licet altissimo Sancti Spiritus consilio factum sit, ut omnis sermonis fastus et humanæ vanitatis tumida sapientia absit a toto sacræ Scripturæ corpore, non tamen abest inde stupenda quædam et suspicienda sapientia, omnibus non plane cæcis quamdam sui venerationem incutiens, et mire intus animos penetrans longe profecto efficacius, quam solent ea quæ hominis cujuscumque ingenio excogitantur. Voluit enim Spiritus Sanctus in illa splendidissima divinorum voluminum mensa omnibus esse sua fercula proposita, unde caperent singuli quod esset e salute et usu singulorum. Quod illi difficile non fuit, utpote omnium corda et conditiones optime perspicienti. Quo fit ut ex illo instructissimo cœlestium eloquiorum convivio abunde omnes reficiantur, et ubertim suppeditet omnibus quidquid illis ad bene beateque vivendum possit esse adminiculo; si tamen non sint animo surdi prorsus et cæci, ut nec audiant nec videant voces et incitamenta Spiritus Sancti. Possunt hæc dilucide vel ex se ipsis intelligere, qui intus per Christi gratiam resuscitati, vivunt in Deo : quibus multa sæpe in Scripturis sacris perspicue aperiuntur, unde illarum virtutem et incomprehensibilem vim ac majestatem suspicere et admirari coguntur. Qui vero sæculi vanitatibus dediti sunt, et vivunt multis sceleribus obligati, legere illi quidem et audire possunt voces Spiritus Sancti et verbum Dei, et passim multa illis occurrunt, quibus merito emolliri deberent ad vitæ emendationem instituendam, sed surda aure pertranseunt, nec internis animi obtutibus adspicere sincere possunt, quid in ipso Dei verbo intus delitescat plenum admirationis ac reverentiæ. Itaque tales fatentur quidem se nosse Deum, et Christi Evangelium buccis crepitantibus prædicant, sed factis et moribus negant. Quibus sane utilius fuerat non nosse Dei voluntatem in ipsius verbo abunde nobis declaratam et expositam, quam cognitam usque adeo contemnere et neglectui habere. Verum iis prætermissis, ut ad institutum revertamur, dubium non est magnam illis viris nos debere gratiam, qui scripta divina plerisque locis omnino tecta et impenetrabilia infirmis ac parum illuminatis mentibus, pro ipsis divinitus collata gratia suis commentariis illustrarunt. In quorum numero non postremum sibi locum vindicat Dionysius noster Cartusianus, vir (sine ulla ambiguitate) multiplici eruditione ac eximia vitæ sanctitate præditus : qui immenso labore ex veterum monumentis, imo etiam ex ipso Sancti Spiritus sincero lumine ac divina irradiatione confecit totius sacræ Scripturæ commentaria nec contemnenda, nec vulgaria quidem. Speciatim vero libros illos quinque, quos Sapientiales vocant, docte ac pie explicavit, adeo ut nemo sit qui illius lectione se non sentiat in iis intelligendis haud mediocriter adjutum. Potest quidem lector curiosus stili elegantiam in eo desiderare, sed eam minime requiret, qui non tam aurium oblectamentis, quam rerum cognitione delectatur. Esto, vim suam habeat sermo ornatus : sed satius est ad pietatem et rerum notitiam institui verbis licet simplicibus, quam lasciva verborum petulantia et dictionis phaleris sine aliquo fructu inanissime detineri. Noster ergo Dionysius, quum totius Scripturæ divinæ explanandæ sibi negotium sumpsisset, etiam hos quinque partim Salomonis, partim aliorum libros exposuit diligenter, copiose et erudite. Qui quum jam rursus novis essent typis excusi, dignumque videretur, ut novo studio, pulchrioribusque characteribus impressi, novum sibi patronum adsciscerent, inter

Tit. I, 16.

Digitized by Google

multos præcipue se nobis obtulit Tua Celsitudo, Pontifex celeberrime, Tuque adeo in primis idoneus nobis occurristi, cujus nomine opus hoc Dionysiacum insigniretur. Quamvis enim jam olim suum habuerit patronum, at nova nunc diligentia, magnaque animi industria castigatum et emendatum, merito debuit præcellentioris viri auspiciis emitti. Est enim revera ab innumeris vindicatum mendis, opera et vigilantia studiosi viri Bartholomæi Laurentis, in ædibus Quentelianis typographici castigatoris : qui sic in eo ad amussim corrigendo laboravit, ut quisquis hanc editionem cum aliis contulerit, manifesto et ipsius vigilantiam, et aliorum incuriam ac oscitantiam sit deprehensurus. Deinde quando opus ipsum Sapientiæ peculiari prænotatur titulo (dicuntur enim libri isti quinque Sapientiales), etiam eo nomine Tuæ potissimum Amplitudini idem oportuit nuncupatum, quum sis Princeps ipse multa prudentia insignite ornatus, qua Tu sapientissime creditum tibi divinitus Pontificale munus administras, constantissimus in fide Catholica, hostis acerrimus vitiorum, Pastor pientissimus ovium Christi Tuæ curæ commissarum, denique sic omnigenis præditus virtutibus, ut Pontificia dignitate omnino dignus habearis. Quæ etsi nos pluribus prosequi juvaret, iis tamen supersedemus, ne non tam veras prædicasse virtutes tuas, quam adulationis detestabili vitio serviisse videamur. Ut ergo jam dicere cœpimus, Tuæ Celsitudini hoc Dionysii opus grande et eruditum dedicamus, hoc obnixe rogantes, ut pro solita benignitate et clementia tua placidus accipias, sapientissime Pontifex, quod nos candide exhibemus. Alii alia, eaque longe præstantiora fortasse munera offerunt : at nos pro nostra virili portione offerimus quod habemus. Nec formidamus ne despiciat Tua Celsitudo munusculum hoc, quamvis exiguum, si pretium spectes : imo vero hoc ipso illi gratissimum fore confidimus, quod sit litterarium, nec qualecumque sane, sed ex medio divinarum Scripturarum corpore extractum. Sic enim persuasum habemus, Tuam Celsitudinem inter diversas sæcularium ac spiritualium negotiorum occupationes, inter medios curarum tumultus, inter tot occurrentium rerum diversitates, libenter subinde ad legendas divinorum Scriptorum paginas, tanquam ad gratissima animarum pascua recurrere, atque inde veram et salutarem haurire sapientiam, qua possis tum propriæ, tum aliorum saluti rectissime consulere. Sed ne fortassis dum longior sum, etiam tædio sim, hic finem faciens, Tuam Celsitudinem Christo Opt. Max. medullitus cupio esse commendatam in annos plurimos, ut per Te Ecclesia Trevirensis non solum ab hæreticorum monstruosis dogmatibus servetur immunis, sed etiam in dies a corruptis moribus, si qui adhuc uspiam resident, prorsus repurgetur, et ad pristinum veteris Ecclesiæ decorem pulcherrime reformetur, ut jampridem summo studio conatus es, nec etiamnum conari desinis, Christi fretus gratia et ope, qui Tuæ Celsitudini et animum suggerit et vires ad aggredienda perficiendaque ea, quæ sint ad ipsius honorem et populi tui salutem. Vale, Pontifex celeberrime. Ex Cartusia Coloniensi, pridie S. Matthiæ apostoli, anno Christi nati MDLV.

Reverentiæ Vestræ Archiepiscop.
Deditissimus Servitor,
F. Bruno Loer a Stratis,
Cartusiæ Coloniensis Procurator.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN PROVERBIA SALOMONIS

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

DIXIT *Dominus Salomoni : Quia postulasti sapientiam, ecce dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* III Reg. III, 11, 12.

In his verbis tria tanguntur : nempe excellentia sapientiæ Salomoni concessæ; et qualiter, seu a quo eam acceperit, scilicet per infusionem a Deo ; et item causa meritoria infusionis tam liberalis, videlicet, quoniam data sibi optione ad postulandum quod vellet, sapientiam petiit magis quam divitias, quam longitudinem vitæ, quam famam, vel triumphum.

Denique data est Salomoni supernaturaliterque infusa, sapientia multiplex. Primo videlicet, sapientia illa quæ est unum et primum inter septem dona Spiritus Sancti : *Is.* XI, 2. et hæc sapientia est habitus supernaturalis infusus; per quam mens creata agnoscit et contemplatur divina cum gustu interno, et bene judicat de summo et incommutabili bono, per connaturalitatem ad illud, et per conformitatem affectus ad ipsam notitiam. Sicque per sapientiam istam agnoscit homo, non jam nuda et informi notitia, sed formata et affectiva cognitione, quod solo Deo fruendum sit, et [ei] summe vacandum atque finaliter inhærendum : et cum sapore interno sic sentit et judicat. Hæc sapientia non potest esse informis, imo caritati inseparabiliter est connexa : ita quod quicumque exsistit in statu salutis, hoc est in caritate et gratia, habet sapientiam istam secundum aliquem gradum ; et quanto quis amplius crescit in caritate, tanto amplius crescit in sapientia ista. Ideo, sicut non est credendum Salomonem fuisse majorem Moyse, Abraham, David, et consimilibus Sanctis in caritate et sanctitate, quibus nec in caritate et sanctitate æqualis fuisse censetur ; sic in sapientia ista nec major, nec æqualis illis creditur exstitisse.

Alia est sapientia supernaturalis, donum ac habitus gratiæ gratis datæ exsistens : per quam homo scit et potest ea quæ fidei sunt, declarare, probare, defendere. De qua loquitur Augustinus : Habes ipsam fidem, non habes ipsam facultatem ac copiam defendendi fidem. Hinc sapientia ista potest esse informis, id est sine caritate et gratia gratum faciente : estque communis virtuosis ac vitiosis hominibus, sicut et cetera gratiæ gratis datæ dona. De qua ait Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo *I Cor.* XII, 8. sapientiæ, alii sermo scientiæ. Hæc sapientia, quamvis gloriosis Apostolis, multisque aliis Sanctis per infusionem sit data, nihilo minus per lectionem, auditionem, ac studium sacræ Scripturæ et theologicorum voluminum potest addisci : imo a studen-

Digitized by Google

tibus ac studiosis quotidie discitur. Hæc quoque sapientia in magna abundantia infusa est Salomoni. Non tamen major fuit in eo, quam in Moyse legislatore Hebræorum : quoniam Moyses magis fuit illuminatus a Deo ad intelligendum rationes et argumenta legis per ipsum datæ, hoc est rationes credendorum, et litterales ac spirituales et mysticas rationes præceptorum moralium, cærimonialium ac judicialium legis desuper datæ per se, quam aliquis alius in veteri Testamento. Nam in omni ordine, primum est maximum.

Tertia est sapientia naturalis et philosophica : quæ lumine naturali ac studio inveniri potest et obtineri; et tamen per infusionem aliquibus est concessa. Hæc autem sapientia quandoque extense accipitur pro omni notitia vera, quæ naturali ratione potest acquiri ac inveniri; sicque scientiam et prudentiam comprehendit. Quandoque strictius sumitur pro cognitione divinarum et immaterialium rerum. Hæc autem sapientia extense accepta, prout scientiam prudentiamque includit, videtur Salomoni infusa in excellentia quadam præcipua, ita quod in ea non fuerit aliquis major eo, nec ante, nec postea, Christo et protoplasto parente exceptis : quanquam de Aristotele dicat Hieronymus, quod procul dubio fuit grande miraculum in toto genere hominum, quoniam quidquid naturaliter sciri potest, videtur ei infusum. Quod dictum, est pie intelligendum.

Porro, quod Salomon in sapientia illa præfata, seu in scientia naturali, morali ac rationali simul sumptis præfulserit, videtur insinuare Scriptura. Legitur enim tertio
III Reg. IV, 29-33. Regum : Dedit Deus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis, et latitudinem cordis quasi arenam quæ est in littore maris. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium orientalium et Ægyptiorum, et erat sapientior cunctis hominibus. Locutusque est Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque millia. Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete ; et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus.
Sap. VII, 17-20. Insuper, in persona Salomonis dictum videtur illud : Deus dedit mihi horum quæ sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, virtutes elementorum, initium, consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, morum mutationes, et stellarum dispositiones, naturas animalium, et iras bestiarum, vim ventorum, et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum. Quum itaque tanta fuerit sapientia Salomonis, certum est in verbis ipsius sapientiam contineri præcipuam : idcirco cum ingenti diligentia sunt pensanda. Quorum decla-
Eccli. I, 5. ratio, prout fons sapientiæ Deus gloriosus et excelsus, cujus incircumscripta essentia est sapientia infinita, concesserit, præsenti opere prosequenda est.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN PROVERBIA SALOMONIS

REGIS ISRAEL

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : PARABOLÆ SALOMONIS.

SALOMON tria nomina est sortitus : A quoniam dictus est Salomon, quod (*I Par.* XXII, 9.) interpretatur pacificus ; dictus est etiam (*Eccle.* I, 1.) Ecclesiastes, quod interpretatur concionator; et iterum appellatus est Ididia, quod (*II Reg.* XII, 25.) interpretatur amabilis Deo. Fecit quoque tria volumina, prætactorum nominum interpretationibus correspondentia. Etenim liber Proverbiorum correspondet nomini ejus, quod est Salomon, sive Pacificus : quia in libro Proverbiorum, de exercendis virtutibus, de vitiis evitandis, de spirituali profectu, de sapientiæ studio specialiter B atque præcipue tractat : per quæ pax vera acquiritur et servatur, et homo Deo pacificatur. Liber autem Ecclesiastæ correspondet nomini ejus, quod est Concionator : quia in libro illo ad utramque partem argumentatur, et instar concionatoris in personis loquitur diversorum. Porro liber Cantici canticorum, nomini ejus, quod est Ididia, correspondet : quia in libro illo, de mutuo illo inter Sponsum et Sponsam ardentissimo purissimoque tractatur amore, per quem rationalis creatura fit Deo C amabilis.

(*Ut tres philosophiæ partes, ita tria Salomonis opera iisdem consonantia.*) Præterea, quum philosophia sit triplex, scilicet ethica, logica et physica : liber Proverbiorum ad ethicam, id est moralem, reducitur, quoniam de virtutibus, præsertim moralibus, tractat; liber vero Ecclesiastæ, ad logicam, quia scholastice et disputative procedit ; liber autem Cantici canticorum, ad physicam seu naturalem, quia ad Creatoris amorem, cœlestisque Sponsi internum amplexum, atque ad summæ et incomparabilis veritatis contemplationem universa natura, totusque ordo creaturæ dirigunt, excitant ac deducunt. Propter quod ait Apostolus : Invisibilia (*Rom.* I, 20.) Dei, per ea quæ facta sunt, cognoscuntur ; sempiterna quoque virtus ejus et divinitas. Et Isaias exhortans : Levate, inquit, (*Is.* XL, 26.) in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit hæc.

Amplius, quum triplex sit status fidelium, puta incipientium, proficientium, et perfectorum : liber Proverbiorum magis coaptatur statui incipientium, quoniam liber hic tractat de vitiorum exstirpatione, de timore Dei, de disciplina, de correptione et correctione æquanimiter suscipiendis, de linguæ custodia, et consimilibus multis. Liber vero Ecclesiastæ magis convenire videtur statui proficientium, quoniam tractat de rerum transitoriarum vanitate, de instabilitate sæculi hujus, de accessu mentis ad unum invariabile bo-

Digitized by Google

num, de supergressione rerum inanium, et profectu virtutum, ac exercitatione in rebus divinis. Porro liber Cantici canticorum evidenter congruit statui perfectorum, quorum est per amorem ecstaticum, per viam unitivam, per limpidissimam contemplationem vacare et inhærere triumphantis ac militantis Ecclesiæ Sponso. Hæc autem per quamdam coaptationem, non per præcisionem sunt intelligenda. Non enim in libro Proverbiorum præcise agitur de pertinentibus ad incipientes : imo et de filiali et sancto timore, de sapientiali contemplatione, de generatione Verbi æterni, de virtutibus purgati animi aliqua interseruntur : quemadmodum et in Ecclesiaste quædam de pertinentibus ad incipientes dicuntur.

Tria Salomonis nomina Christo conveniunt.

Præterea, quum Salomon fuerit Christi figura, præfata tria nomina Salomonis potissime congruunt Christo. Ipse namque est verus ille pacificus Salomon, qui per sanguinem crucis suæ reconciliavit nos Deo; estque pax nostra, qui fecit utraque unum. Ipse quoque est Ecclesiastes seu Concionator, disceptans contra reprobos et pro electis. Ipse est Ididia, de quo Pater æternus : Hic est, inquit, Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Et sicut devotissimus ait Bernardus, Christus in hoc mundo fuit noster Pacificus, in judicio erit Ecclesiastes, in patria vero Ididia erit, ubi Sponsa perfruetur ejus amplexu plenissime in ferventissima caritate.

Coloss. I, 20. *Ephes.* II, 14. *Matth.* III, 17; XVII, 5.

Librum Proverbiorum non ab Auctore, sed ab aliis sapientibus fuisse editum.

Denique liber iste Proverbiorum Salomoni adscribitur, non quod ipse immediate ediderit aut conscripserit librum, sed quoniam verba ab eo prolata, ministri ejus notaverunt et conscripserunt hinc inde in schedulis et membranis, quæ postea ab aliquo sapiente in unum collectæ sunt, non tamen ab uno solo. Et istud conjicitur ex eo potissime, quod infra præmittitur prologus iste atque præfatio, Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda; et item ex eo, quod infra habetur, Parabolæ Salomonis, etc. Sicque ab exordio hujus libri, usque

Prov. XXV, 1. *Ibid.* X, 1.

A ad illud capitulum exclusive, creduntur ab uno sapiente collectæ; atque ab illo loco, usque ad capitulum vicesimum quintum exclusive, ab alio; et ab illo capitulo, usque ad finem libri, a tertio. Verum his objici potest, quod ipsemet Salomon de se ipso protestatur : Quum esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, et investigans composuit parabolas multas; quæsivit verba utilia, et conscripsit sermones rectissimos ac veritate plenos. Si ergo quis vellet tenere istum librum, sic-B ut et alios duos sequentes, esse a Salomone editum et conscriptum, potest adjicere quod idcirco decimo capitulo prologus ille præmittitur, quoniam Salomon longa mora et occupatione alia interveniente, ibi quasi de novo incepit; prologum vero, qui vicesimo quinto præmittitur capitulo, non esse a Salomone, sed ab alio quodam insertum, ad insinuandum quod parabolæ ab illo loco sequentes, fuerunt a sapientibus Ezechiæ regis communicatæ aliquibus aliis gentibus id cupientibus, in alia C lingua : sicque ab illis vere dicuntur translatæ. Nam si eas solummodo, sicut prætactum est, ex membranulis redegissent in unum, aptius diceretur, Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas collegerunt, quam, Quas transtulerunt, viri Ezechiæ. Verumtamen de hoc assertive nil dico. Amplius, qui affirmant librum istum ab aliis esse collectum, asserunt prologum primi hujus capituli, non a Salomone, sed a collectore horum primorum decem capitulorum esse præmissum.

Eccle. XII, 9, 10.

D Attamen ea quæ tetigi, videntur confirmari verbis Hieronymi, protestantis : Tribus nominibus fuisse vocatum Salomonem, Scripturæ manifestissime docent : Pacificum, id est Salomonem, et Ididia, hoc est dilectum Domini, et Coheleth, id est Ecclesiasten. Itaque juxta numerum vocabulorum, tria volumina edidit : In Proverbiis parvulum docens, unde ad filium crebro dirigitur ac repetitur sermo; in Ecclesiaste vero virum maturæ ætatis instruens, ut nequaquam in rebus mundi se

Digitized by Google

putet esse perpetuum, sed caduca et brevia esse universa quæ cernimus; ad extremum vero, jam consummatum virum, et calcato sæculo præparatum, Sponsi jungit amplexibus. Hæc Hieronymus.

Itaque in exordio prologi hujus innuitur, de qua materia in libro isto tractetur.
1 *Parabolæ Salomonis filii David, regis Israel.* Porro parabola vocatur similitudo, quoniam in sermone parabolico intellectus verborum accipitur non immediate juxta verborum seriem, significantiam ac tenorem, sed juxta rem significatam per verba. Dicitur namque parabola, a παρά, quod est juxta, et βουλή, sententia, quia directe non sumitur sensus parabolæ juxta verba, sed juxta significata per ea : sicut infra
Prov. III, 18. per arborem seu per lignum vitæ designatur sapientia ; per ventrem, intelle- *Ibid.* XXII, 15.
ctus ; per rete, deceptio. Sicque liber iste *Ibid.* XXIX, 5.
vocatur liber Parabolarum, seu Parabolæ : non quod omnes ejus sententiæ et doctrinæ, seu verborum complexiones sint tales, imo in multis est simplex et planus, non parabolicus sensus ; sed quia frequenter parabolico utitur modo loquendi. Et quantum ad hoc, verum est quod asserit Glossa libri Proverbiorum : Non, ut simplices arbitrantur, habet patentia (id est manifesta) præcepta ac documenta, sed quasi aurum in terra absconditum, et nucleum in nuce conclusum ; et sicut in hirsutis castanearum operculis inquiritur fructus intus contentus, sic in Proverbiis altius inquirendus est sensus divinus. Denique, sicut ait Hieronymus, Hebræi hunc librum appellant Parabolas; editio autem vulgata vocat eum Proverbia, sicque communiter nominatur et allegatur. Et concordat ac convenit utraque appellatio ista. Quæ enim parabolæ nuncupantur, quia obscura sunt, proverbia quoque recte dicuntur, quia in ore loquentium sæpe versantur, memoriterque tenenda sunt. Demum proverbia interdum ita obscura sunt, ut apte di-
Joann. XVI, 25. cantur parabolæ. Unde Salvator : Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Est autem consuetudo sapientium, suis sermonibus admiscere parabolica verba, juxta illud
Job, Addidit Job assumens parabolam suam ; et secundum illud Numerorum, Assumpta Balaam parabola sua, ait. *Job* XXVII, 1; XXIX, 1. *Num.* XXIII, XXIV.

At vero, ad quid tendant parabolæ istæ, et quis sit finis et fructus earum, subjungitur. *Ad sciendam sapientiam.* Quasi 2
dicat : Parabolæ hæ ordinantur ad obtinendam notitiam divinorum, et veram illuminationem in fide, ad cognoscendum rationes credendorum, quatenus, juxta exhortationem principis Apostolorum, parati *I Petr.* III, 15.
semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, fide et spe. *Et disciplinam,* id est, ad cognoscendum documenta ac præcepta moralia, per quæ dirigenda et gubernanda est vita humana ; vel, Disciplinam, id est morum compositionem, seu debitam peccati correctionem. *Ad intelligenda verba* 3
prudentiæ, id est verba prudentialia, quæ procedunt ex vera interiori prudentia, quatenus ea audiendo addiscant atque proficiant, atque discernere queant quid ex vera, et quid ex ficta ac falsa prudentia proferatur; ut non credamus omni spiritui, sed simus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. Nam quod *I Joann.* IV, 1. *Matth.* X, 16.
veræ discretioni contrariatur, non est verbum prudentiæ.

Et ad *suscipiendam eruditionem doctrinæ,* id est, ad complectendum et exsequendum informationem Scripturæ et eorum qui eam docent ac sermocinantur, quatenus dociles simus, et diligenter intenti ad verba doctrinalia sapientium, juxta illud Job : Qui me audiebant, exspectabant sententiam, et intenti tacebant ad consilium *Job* XXIX, 21, 23.
meum ; exspectabant me sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Quidam per doctrinam intelligit doctrinales scientias, ut grammaticam, logicam, etc. Sed non videtur quod istæ parabolæ ad illarum eruditionem suscipiendam ordinentur ; sed eas tanquam adminiculatorias atque præambulas potius præsupponunt. *Justitiam, et judicium, et æquitatem,* id est, ad suscipiendum ac ob-

Digitized by Google

tinendum virtutem justitiæ, per quam Deo A exhibeamus quod ei tenemur, et judicium discretionis servemus, æquitatem quoque ad proximos custodiamus, habendo nos congruenter ad eos, temperando rigorem justitiæ per dulcorem clementiæ ex circumspecta discretione. Æquitas quippe est proprie quædam relaxata ac temperata justitia : quatenus sicut Deus in omni opere suo circa intellectuales creaturas, justitiam misericordiamque contemperat, juxta quod scriptum est, Universæ viæ Domini, misericordia et veritas (*Ps.* xxiv, 10.); ita et nos vestigia B Creatoris sequentes, justitiam et misericordiam commiscere discrete discamus et enitamur. Hinc oravit vir sanctus ad Dominum : Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me (*Ps.* cxviii, 66.).

4 *Ut detur parvulis,* id est pusillis et imperfectis ; vel, Parvulis, id est humilibus ; *astutia,* id est circumspectio sagax, non vulpina calliditas : ut sint oculati et solertes ad vitandum fraudes, pericula et ruinam, ne sub specie boni fallantur, nec excidant a simplicitate quæ est in Christo, C nec in via Dei remissius agant. Et *adolescenti scientia et intellectus* addatur, id est, in donis Spiritus Sancti quæ scientia et intellectus vocantur, proficiat, de rebus creatis assidue melius ac melius sentiendo, et ea quæ fidei sunt, perspicacius intelligendo. Denique, sicut divinus Dionysius loquitur, idcirco Scriptura frequenter parabolice fatur, quatenus ipsa loquendi obscuritas fiat studiosis fructuosæ exercitationis materia atque occasio : per quam utique mens ipsa in sua considera- D tione acuitur, et proficit inquirendo, subtiliusque intelligit quod quærebat. Itaque bona ista astutia est parvulis necessaria, ut sciant sophismatum vitare versutiam, quum et Apostolus exhortetur, Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam (*Coloss.* ii, 8.) : sicque evitatis erroribus, in veritatis notitia crescant. Hinc sancta animalia Ezechieli in visione monstrata, erant undique oculata (*Ezech.* i, 18; x, 12.).

Hucusque prologus : quem tamen aliqui dicunt paulo post finiri, quum dicitur, Timor Domini principium sapientiæ (vers. 7.). Sed potius hic finiri videtur, quum dicitur :
Audiens sapiens, sapientior erit. Quæ ver- 5
ba præmittuntur, ad insinuandum quam salubre et fructuosum exsistat, verba sapientium audire; et ne quis tam eruditum ac sapientem se arbitretur, ut verba sapientialia auscultare et perpendere dedignetur. Porro, quod tractatus hic inchoetur, Glossa quoque interlinearis fatetur. Et rursus in Glossa habetur : Pulchre Salomon a sapientia incipit, quoniam optione sibi data, sapientiam petiit et accepit (III *Reg.* iii, 5, 9, 12.). Itaque sapiens homo, audiens verba sapientiæ ac doctrinæ, crescit in sapientia, vel addiscendo quod ignoravit, vel id quod scivit clarius cognoscendo, vel ex ejus notitia ad alia consideranda tendendo. Hinc et Philosophus ait, quod auditus est sensus disciplinæ, quia audiendo instruimur. Visus tamen plurium rerum differentias ostendit. Dupliciter equidem acquirimus scientiam, secundum Philosophum : Primo, audiendo ab aliis : et quantum ad hoc, magis deservit auditus. Unde et Apostolus dicit: Fides est ex auditu (*Rom.* x, 17.). Secundo, personaliter inquirendo : et quoad hoc, magis confert visus.

Circa hæc asserit Glossa : Sapiens ostendit, neminem esse tam sapientem in hac vita, qui non possit sapientior esse etiam ex dictis minorum. Audivit regina Saba Salomonem, minor majorem, et sapientior rediit (III *Reg.* x, 6, 7.) ; audivit Moyses socerum multo inferiorem, et sapientior factus est (*Exod.* xviii, 19-24.). Hinc in suis Proverbiis ait Cyrillus : Oportet semper addiscere, et in extremis horis fundum sapientiæ desiderabilius indagare. Sapientia namque est finis prudentis : et ob hoc, quanto huic fini sumus viciniores, tanto majori impetu ad ejus amplexum curramus. Motus enim virtutis, sicut et motus naturalis, in fine est fortior : sed et dum visus exterior senio ingrossatur, interioris oculi visus acuitur. Dignum quippe est, ut dum plus viget mentis judicium, disciplinæ plus operam impendamus.

Digitized by Google

Ex his innotescit, quam reprehendendi A sunt quidam superbi et scioli, qui idcirco prædicatorum aut superiorum suorum documenta aut monita audire contemnunt aut renuunt, quia se ea scire præsumunt.

Et intelligens gubernacula possidebit. Eruditi namque in Scripturis, in lege, in juribus, et qui se ipsos in primis bene intelligunt, emendant ac regunt, digni sunt alios gubernare, quum gubernare non sit nisi ad finem dirigere. Qui autem scit regulas juris divini, præcepta, canones Ecclesiæ, viarum pericula, vitiorum et tentationum remedia, atque veraciter prudens est, alios regere est idoneus. Propter quod Seneca dixit : Multos regere potes, si tu te rexeris ipse; et denuo, Plurimos poteris gubernare, si te gubernet ratio recta. Hinc rector illitteratus rite vocatur asinus coronatus. Quis est intelligens, nisi cujus mentem passiones et vitia non excæcant ?
Matth. xv, 14. Cæcus autem, hoc est homo passionatus, quamvis sit informi scientia plenus, si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt. Ideo ait Glossa : Nemo de sua C se jactet scientia. Qui sapientium verba audire negligit et implere, vitam suam gubernare non novit, multoque minus alienam. Hinc ait Philosophus : Homines ratione et intellectu vigentes, naturaliter aliorum domini sunt et rectores.

6 *Animadvertet parabolam et interpretationem,* id est, parabolicam locutionem diligenter attendet, ejusque expositionem et sensum exquiret, vel ab aliis audiendo, aut in libris legendo, aut propria investigatione scrutando; *verba sapientium:* quo- D niam verba sunt signa et notæ interioris sapientiæ, quæ per verborum audientiam ab audiente acquiritur. Hinc in Ecclesia-
Eccli. vi, 35. stico legitur : In medio presbyterorum sapientium sta, et ex corde verbis illorum conjungere. *Et ænigmata,* id est obscura dicta *eorum.* Tales fuerunt gloriosi Apostoli, quorum primus dixit ad Salvatorem:
Matth. xv, 15. Edissere nobis parabolam istam. Porro sapientes interdum parabolicis ænigmaticisque utuntur sermonibus, quatenus veritas veletur indignis, et studiosi exercitentur utiliter. Hinc Christus ab Apostolis interrogatus, Cur in parabolis loqueris eis? *Matth.* xiii, 10, 13; *Luc.* viii, 10. respondit : Ut audientes non intelligant. Unde in Ecclesiastico habetur : In prover- *Eccli.* viii, 9, 10. biis sapientium conversare, ab ipsis enim disces sapientiam et doctrinam.

Timor Domini est *principium sapientiæ.* 7
Hoc idem in Psalmo jam dictum fuit a patre Salomonis, dicente : Sanctum et terri- *Ps.* cx, 9, 10. bile nomen ejus ; initium sapientiæ timor Domini. Quod potissime verum est de sa- B pientia salutari infusa, quæ est donum *Is.* xi, 2. Spiritus Sancti : quæ sine caritate et gratia non habetur. Itaque, quum sapientia *Sap.* i, 4. ista in malevolam non introeat animam, recte asseritur quod timor Dei sit principium ejus, quoniam timor retrahit a peccatis, sicque ad infusionem sapientiæ præparat mentem. Et istud de timore pure servili est accipiendum. Nam timor filialis, imo et initialis, simul cum caritate et sapientia ista habetur. Timor vero pure servilis, a caritate et sapientia segregatur, quia non amat justitiam, sed pravitatem, quam non amore Dei, sed ex respectu supplicii vitat : et tamen ex ea parte, qua retrahit a peccato, disponit ad bona, et bonus est, quamvis non meritorius.

Ideo ait Glossa : Duo sunt timores Dei : unus servilis, qui initium sapientiæ est ; alius amicitialis seu filialis, qui perfectionem sapientiæ comitatur. Servilis, principium est sapientiæ [ejus] qui post errata sapere incipit, et facit timere ne puniatur; sed hunc perfecta caritas foras mittit. I *Joann.* iv, 18. Succedit huic, timor Domini sanctus, per- *Ps.* xviii, 10. manens in sæculum sæculi : quem caritas non excludit, sed auget ; quo timet filius ne vel in modico oculos amantissimi Patris offendat. His verbis addit Glossa: Uterque in futuro cessabit. Contra quod objici potest, quod et anima Christi fuit et est plena timore hoc filiali, Isaia dicente : Re- *Is.* xi, 3. plebit eum spiritus timoris Domini. Atque, ut alibi legitur, Exercitus cœli cum tremore III *Reg.* xxii, 19. adsistit ei. Propter quod cantatur in Canone : Tremunt Potestates. Et responden-

Digitized by Google

dum, quod timor filialis cessat et evacuatur in patria, quantum ad actum ejus qui est sollicitari ne peccando Deum offendat : quia Beati in gratia confirmati, sciunt se non posse peccare. Et quantum ad hunc actum, nunquam fuit in Christo timor filialis. Verumtamen timor iste manet in futuro, quantum ad actum suum qui est reverentialiter affici circa Altissimum, et ex intuitu infinitæ majestatis ipsius in parvitatem propriam resilire.

Denique ad intelligendum ea quæ infra de timore copiose introducuntur, advertenda sunt quæ in tertia parte Summæ suæ scribit Dominus Antisiodorensis : Timor, inquit, initialis et filialis sunt ejusdem speciei, quamvis differant accidente. Sicut enim homo albus et homo niger sunt ejusdem speciei, tamen nullus homo albus est homo niger ; ita timor filialis et timor initialis sunt speciei ejusdem, tamen nullus timor initialis est filialis. Timor autem filialis quandoque dicitur possessive, ut dicatur timor filialis timor filiorum Dei : et sic non distinguitur timor filialis ab initiali. Quandoque autem dicitur timor filialis per similitudinem, timor quo timetur Deus timore illo quo filii timent patres, quando timent separari a patribus, solo timore vel amore, etiamsi nulla ex hoc eis immineat pœna. Et sic diversificantur isti timores. At vero timor initialis est, quo timemus Deum, partim intuitu pœnæ, partim amore gloriæ : et vocatur initialis, quia est primo incipientium. Perfecta quoque caritas dicitur foras (I Joann. iv, 18.) mittere timorem initialem, quantum ad hoc quod respicit pœnam. His verbis addit hic doctor : Potest etiam dici timor initialis, quia est initium sapientiæ. Fides namque et timor proprie dicuntur sapientiæ initia, quoniam mundant cordis palatum a culpa. De fide etenim in Actibus habetur, (Act. xv, 9.) Fide purificans corda eorum ; et de timore in Ecclesiastico legitur, (Eccli. i, 27.) Timor Domini expellit peccatum. Timor etenim servilis, et fides, mundant ab essentia culpæ; timor vero initialis, a reliquiis vitiorum : quia etsi quis sit a peccato purgatus, adhuc manent in eo reliquiæ peccatorum, scilicet difficultas bene agendi, obscuritas intelligendi, obligatio satisfaciendi : quas expellit timor initialis. Sicque corde purgato per fidem atque timorem, sentit dulcedinem Dei : quemadmodum causa febris cum reliquiis suis expulsa, sentit sanatus dulcedinem cibi. — Insuper, teste Philosopho, timor parit diligentiam, et facit hominem bene consiliativum, sicque disponit ad sapientiam.

Sapientiam, per quam contemplamur divina, *et doctrinam,* id est moralem scientiam, *stulti despiciunt.* In Scripturis, stulti dicuntur omnes homines vitiosi, carnales et imperiti, qui summo et invariabili bono præferunt transitoria, carnalia et caduca : in quibus regnat vitium puerilitatis, dono sapientiæ directe contrarium. Nam sicut pueri poma et pira præferunt auro ac gemmis, sic isti terrena et vana spiritualibus et æternis, ut scribit Guillelmus Parisiensis. Hi ergo sapientiam salutarem et doctrinam salubrem contemnunt : quia etsi verbis dicant se eas diligere, opere (Tit. i, 16.) tamen negant. Et dato, quod pro adipiscenda informi sapientia ac doctrina scholastica studeant ac laborent, ad consequendum commoda et honores vitæ præsentis ; sapientiam tamen formatam, et scientiam actualem, boni approbativam, despiciunt, hoc est, non curant, nec apprehendere moliuntur. Imo quidam eorum sunt ita carnales et vani, quod eas irrident, nec appetunt. Tales fuerunt Scribæ et Pharisæi, qui Christum contra avaritiam prædicantem (Luc. xvi, 13, 14.) deriserunt, dicentes : Insanit ; quid (Joann. x, 20.) eum auditis? Ideo protestatur Apostolus Corinthiis : (I Cor. ii, 14.) Animalis homo non percipit ea quæ sunt Spiritus Dei ; stultitia enim est illi.

Præterea, sapientia, scientia, prudentia, de quibus in his Sapientialibus libris tractatur, sine virtutibus non habentur ; nec nuda notitia efficit sapientem : imo sciens et non faciens, pejor atque stolidior est ignaro. Ideo omnis stultus veram hanc sa-

Digitized by Google

pientiam et doctrinam hanc practicam, cu-
jus finis est bene conversari, contemnit.
Et juxta hunc sensum Seneca in epistola
loquitur : Illud ante omnia vide, utrum in
philosophia, an in ipsa vita, profeceris. Phi-
losophia non est artificium populare, nec
ostentatione paratum; non in verbis, sed
in rebus est. Animum format et fabricat,
vitam disponit, actiones regit, agenda et
omittenda demonstrat; sedet ad guberna-
cula, et per ancipitia fluctuantium dirigit
cursum.

8 *Audi, fili mi,* auribus cordis ac corpo-
ris, *disciplinam,* id est informationem et
correptionem, *patris tui :* primo et ma-
xime Patris cœlestis (cui quotidie in ora-
Matth. vi, 9. tione dicimus, Pater noster, qui es in cœ-
lis : ubi per Patrem tota superbeatissima
Trinitas unus Deus intelligitur) ; deinde
etiam patris carnalis, cui in his quæ ad
ejus auctoritatem ac præsidentiam spe-
ctant, est obediendum, dicente Apostolo :
Ephes. vi, 1; Coloss. iii, 20. Filii, obedite parentibus carnalibus per
omnia. Spirituali quoque patri, id est præ-
lato, parere oportet; maxime autem Patri
æterno, quemadmodum ad Hebræos dicit
Hebr. xii, 9. Apostolus : Patres quidem carnis nostræ
habuimus eruditores, et reverebamur eos:
nonne multo magis obtemperabimus Patri
spirituum, et vivemus? Et rursus ibidem :
Ibid. 7. In disciplina perseverate; tanquam filiis
offert vobis se Deus. *Et ne dimittas legem
matris tuæ,* id est militantis Ecclesiæ ; at-
que ad litteram per matrem videtur Syna-
gogam intellexisse, quæ mater tunc exstitit
Judæorum, sicut modo Ecclesia Christiano-
rum. His verbis jubentur fideles omnem
hæreticam atque schismaticam pravitatem
abjicere, generalium quoque conciliorum
canonibus obedire, et apostolicæ Sedi esse
Ephes. iv, 3. subjecti, ut solliciti sint servare unitatem
spiritus in vinculo pacis.

9 *Ut addatur gratia capiti tuo :* id est, do-
na Spiritus Sancti, gratia gratum faciens,
et virtutes infusæ augeantur in mente
tua : quæ in cordibus obedientium solent
perfici et augeri ; vel, gratia consummata,
id est gloria sempiterna, addatur, ac detur
A cordi tuo in cœlo. Nam, ut ait apostolus
Paulus, Gratia Dei vita æterna ; et item Rom. vi, 23.
apostolus Joannes, De plenitudine ejus, Joann. i, 16.
videlicet Verbi æterni, omnes accepimus,
gratiam pro gratia : quia ex gratia oritur
ac procedit gratiæ incrementum, de habi-
tu actus, de virtute merita, et tandem pro
gratia meritoriæ actionis datur gratia, id
est gloria beatificæ fruitionis. *Et torques
collo tuo.* Torques est circulare et aureum
ornamentum colli, quod capiti continua-
tur. Sicque per torquem potest contempla-
B tio intellectus insinuari, quæ ex Deo con-
ceditur, et in ipsum redit ac terminatur, et
collum mentis pulcherrime ornat. Porro
collum mentis, est vis prolativa verbi in-
terioris. Quod autem contemplatio ista Dei
recte per torquem notetur, constat ex eo,
quod divinus Dionysius quarto capitulo de
Divinis nominibus, contemplationem, quæ
uniformis ac simplex est, comparat mo-
tui circulari.

Consequenter docemur adulatione non
vinci nec allici, nec aliorum instigatione
C ad vitia trahi, nec innocentibus adversa-
ri, sed pravam jugiter societatem vitare.
Fili mi, si te lactaverint, id est, blandis 10
sermonibus mulserint, *peccatores, ne ac-
quiescas eis* in rebus illicitis, nec eorum
adulatione delecteris, aut extollaris. Unde
in Psalmo : Oleum peccatoris non impin- Ps. cxl, 5.
guet caput meum. Seneca quoque in suis
Proverbiis loquitur : Habet suum venenum
blanda oratio. Quæ quam nociva sit ac
repellenda, Dominus pandit, dicens : Po- Is. iii, 12.
pule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te
D decipiunt, et viam gressuum tuorum dis-
sipant.

Si dixerint : Veni nobiscum mentis con- 11
sensu, aut corporis gressu ; *insidiemur
sanguini,* id est hominibus, ad effunden-
dum eorum sanguinem, quatenus bona eo-
rum diripiamus ; *abscondamus,* id est, oc-
culte ponamus, *tendiculas,* id est nocendi
laqueos, *contra insontem frustra,* id est
ad persequendum innocentem ac justum
sine rationabili causa. Quod faciendo ini-
qui imitantur caput suum diabolum, juxta

Digitized by Google

Job xviii, 10. illud beati Job : Abscondita est in terra A crudelissime occiderunt, sed memoriam pedica ejus, et decipula illius super semitam. 12 *Deglutiamus eum sicut infernus viventem*, id est, eum totaliter exstinguamus, et bona ipsius devoremus : sicut Num. xvi, 31-33. infernus deglutivit Dathan et Abiron viventes : *et integrum, quasi descendentem in lacum* : id est, nihil relinquamus de eo residuum, sicut de eo qui in profundam labitur foveam, nil apparet. Unde in Jeremia populus Israel loquitur de rege Babylonis : Absorbuit me quasi draco, replevit (Jer. li, 34. Thren. ii, 16.) teneritudine mea ventrem suum, posuit in B 13 lacum vitam meam. *Omnem pretiosam substantiam reperiemus*, id est, copiam divitiarum acquiremus ab his, quos ita oppresserimus ; *implebimus domos nostras* 14 *spoliis occisorum*. *Sortem mitte nobiscum*, quis quid et quantum de præda accipiat : *marsupium unum sit omnium nostrum*, id est, omnia spolia ponamus in uno communi repositorio, ut postea ea inter nos dividamus.

Istud ad litteram de latronibus ac furibus, atque raptoribus generaliter potest C intelligi, qui vitam naturæ et exteriora Job xxiv, 2-12. auferunt bona : de quibus in Job multa dicuntur. Atque apud Michæam Dominus Mich. iii, 3. ait : Comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt. Porro tropologice accipi potest de hæreticis et seductoribus ceteris : qui vere catholicos ac devotos conantur subvertere, et suis implicare erroribus, per argumentationes ac suggestiones pestiferas ; sicque spirituales eorum divitias, virtutes ac merita, et innocentiæ gratiam ipsis nituntur au- D ferre. De quibus Dominus in Evangelio Joan. x, 8. ait : Quotquot venerunt, fures sunt et latrones. Isti student conventicula sua augere, et domos suas implere personis Catholicorum, et animabus fidelium, quas potuerint fallere : ad quod agendum etiam ab invisibilibus hostibus instigantur. Allegorice vero exponuntur ista de Christo : quem sacerdotes, Scribæ, ac Pharisæi innocentem sunt persecuti ; cui varias posuerunt insidias. Et non solum ejus personam

crudelissime occiderunt, sed memoriam quoque ipsius tollere tentaverunt, juxta illud : Eradamus eum de terra viventium, Jer. xi, 19. et nomen ejus non memoretur ultra. Nec solum Christum, sed et ejus discipulos pariformiter tractaverunt. Hinc Dominus in Psalmo ait de illis : Posuerunt me in lacu Ps. lxxxvii, 7, 5. inferiori : æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Et ad Hebræos conversos scribit Apostolus : Rapinam bonorum ve- Hebr. x, 34. strorum cum gaudio suscepistis.

Hortatur itaque Salomon omnem Synagogæ filium, ne impiissimis illis consentiat. *Fili mi, ne ambules cum eis*, id est, 15 nec corporaliter gradiaris cum talibus ad male agendum, nec spiritualiter, per consensum, aut alio modo eis communicando in vitiis. *Prohibe pedem tuum a semitis eorum*, ut nec corporeo progressu, nec aliquo inordinato affectu eis associeris in crimine. *Pedes enim illorum ad malum* 16 *currunt* : quia ex malignitatis suæ affectu, non solum vadunt, sed etiam currunt ad scelera perpetranda : quod faciendo, currunt quoque ad æterna supplicia, quibus tam graviter excedendo propinquant. *Et festinant ut effundant sanguinem*, non pensantes, nec formidantes quod Dominus ait : Quicumque effuderit sanguinem Gen. ix, 6. humanum, effundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei factus est homo : et quod ait Judex cœlestis, Omnis qui acce- Matth. xxvi, 52. perit gladium, gladio peribit. Propria etenim iniquitate, quam gladio male utens committit, perit in anima et condemnari meretur : magisque nocet sibi quam alteri. Propter quod subditur :

Frustra autem jacitur rete, id est, la- 17 queus circumventionis, prava doctrina, pestifera suggestio, persecutionis molestia inaniter extenditur, *ante oculos pennatorum*, id est coram sapientibus et virtuosis hominibus : qui interioris visionis acumine talia machinamenta faciliter deprehendunt, evadunt et vincunt ; adversa quoque, amore Dei ac futuræ felicitatis intuitu, æquanimiter patiuntur. Quorum corda virtutibus sunt alata, quibus volant in cœlum, deside-

Digitized by Google

rando æterna, quorum appretiatione parvi A
pendunt transitoria cuncta, tam prospera
quam adversa, cum Apostolo protestantes :
II Cor. IV, 17, 18. Id quod in præsenti est momentaneum et
leve tribulationis nostræ, supra modum in
sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis
ea quæ videntur, sed quæ non videntur.
Is. XL, 31. De quibus loquitur Isaias : Qui sperant in
Domino, mutabunt fortitudinem, assument
pennas ut aquilæ, volabunt, et non deficient. Hinc erepti ac triumphantes, grata
Ps. CXXIII, 7. ac hilari voce concinunt : Laqueus con- B
tritus est, et nos liberati sumus.

18 *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur :* id est, insidiæ quas aliis parant, frequenter redundant in ipsos, et
pro suis sceleribus temporali morte ple-
Thren. III, 64. ctuntur, juxta illud in Threnis : Reddes
eis vicem, Domine, juxta opera manuum
suarum. *Et moliuntur fraudes,* id est, alios
student decipere, *contra animas suas,* id
est contra propriarum animarum salutem,
quoniam suis fraudulentiis damnationem
Matth. VII, 2. merentur æternam. Ideo ait Salvator : In C
qua mensura mensi fueritis, remetietur
vobis. Unde per Malachiam loquitur Do-
Malach. I, 14. minus : Maledictus dolosus. Et Isaias :
Is. XXXII, 7. Fraudulenti, inquit, vasa pessima sunt.
Denique tales affligunt se ipsos, et pace
interna ac vera securitate se privant, quia
quod aliis machinantur aut intulerunt, sibi quoque parari et inferri verentur. Sicque iniquus variis suspicionibus, angustiis, atque terroribus intra se premitur
Job XV, 21. ac mordetur, juxta illud : Sonitus terroris
semper in auribus impii, et quum pax sit, D
ille insidias suspicatur. Hinc Seneca in
suis testatur Proverbiis : Res vera est :
qui a multis timetur, multos timet. Itemque : Nequitia ipsa, pœna sui est; nam
mala conscientia nunquam est secura. Cyrillus quoque in libro suorum fatetur Proverbiorum : Si quemquam offenderis, pavesce semper hujusmodi. Nam ubi offensæ
memoria, ibi ira ; ira autem cupit vindictam, vindicta parit fraudulentiam, quæ
serpit ad pœnam.

Sic semitæ omnis avari, id est excogi- 19
tationes et practicæ hominum avarorum,
animas possidentium rapiunt, id est, ipsas
animas cupidorum possidentium aliena sive superflua, pertrahunt ad gehennalia
tormenta. Ideo scriptum est : Dives quum Job XXVII, 19, 20.
dormierit, nihil secum auferet ; apprehendet eum quasi aqua inopia. Ideo Seneca
asserit : Avarus nil rectum facit, nisi dum
moritur. Quia videlicet tunc relinquit quæ
injuste detinuit, et debitam recipit pœnam. De his damnabilibus semitis cupidorum profert Cyrillus : Totum officium
opulentiæ mundialis, in tribus assiduis
vitiis, et in uno continuo tormento consistit, videlicet in insatiabili cupiditate, in
inquieta rapacitate, in incessabili illiberalitate, et in timiditate perpetua. Recte er-
go locutus est Isaias : Væ qui conjungitis Is. V, 8.
domum ad domum, et agrum agro copu-
latis ; atque Apostolus, Qui volunt divites I Tim. VI, 9.
fieri, incidunt in tentationem et laqueum
diaboli, et in desideria multa inutilia, quæ
mergunt hominem in interitum et perditionem. Præterea verbum hoc præinductum aliqui sic exponunt : Semitæ omnis
avari animas possidentium rapiunt, id est,
eos qui rebus terrenis abundant, spoliare
conantur.

Consequenter ostenditur, neminem de
suæ infidelitatis posse ignorantia excusa-
ri. *Sapientia foris prædicat.* Hoc de in- 20
creata Sapientia, quæ est Christus Domi- I Cor. I, 24, 30.
nus, Dei Patris Verbum æternum, accipi
potest : qui foris, id est inter gentiles ac
perfidos, prædicavit. De quibus Aposto-
lus : Quid mihi, inquit, de his qui foris Ibid. V, 12.
sunt, judicare ? Hoc quippe Salvator in
primo suo adventu per se aliqualiter ad-
implevit, in Decapoli, et Tyriis ac Sidoniis Marc. VII, 31; Matth. XV, 21.
evangelizando, ut patet ex Evangelio. Denique ab exordio, per quosdam Patriarchas
et Prophetas, annuntiavit multis gentibus
viam salutis. Atque post suam resurrectionem, per Apostolos aliosque discipulos toti
mundo legem evangelicam patefecit : qui-
bus præcepit, Euntes in mundum univer- Marc. XVI, 15.
sum, prædicate Evangelium omni creatu-

Digitized by Google

Act. I, 8. ræ; et item, Eritis mihi testes in omni A Judæa et Galilæa, et usque ad ultimum terræ. Prædicavit etiam foris, id est manifeste in populo, quemadmodum testatur : Joann. XVIII, 20. Ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt, et in occulto locutus sum nihil. Hinc subditur : *In plateis dat vocem suam :* quia in latitudinibus viarum ac gentium prædicavit per suos Matth. X, 27. ministros : quibus commisit, Quæ auditis in aure, prædicate super tecta. Nempe, ut Joann. III, 21. fassus est, Qui facit veritatem, venit ad B lucem. Nec his obstat, quod de Christo Is. XLII, 2. prædictum est, Non clamabit, nec audietur foris vox ejus : quia per hoc, non nisi irrationabilis et indecens clamor de ipso ne-Ephes. IV, 31. gatur. Unde jubet Apostolus : Omnis amaritudo, et indignatio, et ira, et clamor tollatur a vobis.

21 *In capite,* id est in superiori parte, seu loco, vel principe, *turbarum clamitat.* Prædicatores namque stare solent in loco primo ac eminenti; sed et principibus populorum sermocinari dignatus est Dominus. C *In foribus portarum urbis profert verba sua, dicens.* Urbs ista, est Ecclesia. De Ps. LXXXVI, 3. qua in Psalmo : Gloriosa dicta sunt de te, Apoc. XXI, 2. civitas Dei; et in Apocalypsi, Vidi civitatem sanctam Jerusalem a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Fores portarum urbis istius, sunt virtutes, quibus intratur in regnum ipsius, vel fides atque Baptismus, vel pastores ac prælati, qui alios in Ecclesiam ducunt. In his foribus profert Sapientia verba sua : quibus Matth. X, 20. et dixit, Non vos estis qui loquimini, sed D Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vo-II Cor. XIII, 3. bis. Unde et unus talium scripsit : An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus? Ad litteram quoque sapientes et judices consueverunt antiquitus residere in urbium portis, ad consulendum ac judicandum de causis sibi propositis, quatenus omnibus pateret ad ipsos accessus, et celeriter expedirentur qui ac-Deut. XVI, 18. cessissent. Unde in Deuteronomio jussum est : Judices constitues in portis urbium tuarum. Et sanctus Job : Procedebam, in- Job XXIX, 7. quit, ad portam civitatis, et in platea parabant cathedram mihi.

Usquequo, parvuli, diligitis infantiam? 22 Per parvulos designantur quandoque humiles, in Scripturis (juxta illud Psalmistæ, Testimonium Domini fidele, sapientiam Ps. XVIII, 8. præstans parvulis; et alibi, Absconditi Matth. XI, 25. hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis); quandoque qui corpore parvi sunt (sicut de Christo fertur in Isaia, Parvulus natus est nobis; atque in Evan- Is. IX, 6. gelio, Sumens Jesus parvulum, statuit eum Matth. XVIII, 2. in medio); interdum imperfecti (juxta illud Apostoli, Quum factus sum vir, eva- I Cor. XIII, 11. cuavi quæ erant parvuli); aliquando qui culpæ expertes sunt (prout Paulus hortatur, Nolite pueri effici sensibus, sed ma- Ibid. XIV, 20. litia parvuli estote); nonnunquam qui modicum habent de intellectu, prout Isaias asserit, Puer centum annorum morietur : Is. LXV, 20. et ita hic sumuntur. Infantia quoque primo accipitur pro infantia corporali. Secundo, pro simplicitate et innocentia, ut quum sacratissimus princeps Apostolorum in prima sua monet Canonica : Sicut mo- I Petr. II, 2. do geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite. Tertio, pro carnalitatis mollitie, et insolentia ac imperitia puerili : sicque accipitur hic, ut sit sensus : Quamdiu, o pusilli ac parvuli sensu, amatis carnalia et puerilia mala? Tales namque desuper illuminari non valent, sicut per Isaiam inducitur : Quem docebit Dominus scien- Is. XXVIII, 9. tiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ubere. Unde et scriptum est : Non invenitur sapientia Job XXVIII, 13. in terra suaviter viventium.

Et stulti ea quæ sibi sunt noxia, videlicet delectabilia, vana, illicita, *cupient, et imprudentes,* quibus deest discretio vera, ac virtus prudentiæ, *odibunt scientiam* salutarem, evangelicamque doctrinam, et informationem salubrem? Tales sunt, qui ignorantiam crassam habent, qui nolunt I Cor. XV, 34. doceri, ut sine remorsu liberius peccent. Qui, ut ait Scriptura, quasi de industria Job XXXIV, 27. recedunt a Deo. De quibus loquitur Job :

Digitized by Google

Job xxi, 14. Dixerunt Deo, Recede a nobis, scientiam A
viarum tuarum nolumus. O quam multi
sunt tales, qui veram expositionem arctæ
viæ salutis audire exhorrent, eosque dili-
gunt a quibus complacentia suæ carnali-
tati vanitatique audiunt! De quibus Isaias:
Is. xxx, 10. Dicunt adspicientibus : Nolite adspicere
nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis
placentia, videte nobis errores. Hinc Sene-
ca in quarta ad Lucilium scribit epistola :
Auctoritatem habemus sonum, sed vitia
puerorum, imo et infantium.

23 *Convertimini ad correptionem meam,* B
id est, verbis correptionis et castigationis
meæ obtemperate, et dociles ac dirigibiles
vos præbete. *En proferam vobis spiritum
meum,* id est, animi mei conceptum, spi-
ritualemque intellectum, seu Spiritum San-
ctum vobis infundere sum paratus, dum-
modo quod in vobis est faciatis. Alia littera
habet : Proferam vobis vindictam meam,
id est, æternam damnationem prænuntia-
bo, ut vel ex timore cessetis peccare. Solet
etenim spiritus pro indignatione, ira, seu
ultione accipi in Scripturis, juxta illud in C
Job iv, 8, 9. Job : Vidi iniquos Domino flante periisse,
et spiritu iræ ejus esse consumptos. *Et
ostendam vobis verba mea* ad vestram sa-
lutem spectantia.

24 *Quia vocavi,* id est, variis modis ad
emendationem et pœnitentiam vos invita-
vi ac monui, per instinctum divinum, per
angelicas inspirationes, per Apostolos et
Prophetas, per prælatos et prædicatores,
ac proximos virtuosos, *et renuistis* con-
verti. *Extendi manum meam,* beneficia
largiendo, et per adversa paterne casti- D
gando : hoc est, potestatem meam demon-
stravi in vobis per prospera et adversa :
quatenus per prospera vos ad obsequium
meum allicerem, et mea caritate accende-
rem ; aut per adversa terrerem et illustra-
Is. xxviii, 19. rem, ita quod vexatio vobis intellectum
Jer. xxx, 11. conferret : juxta illud, Castigabo te in ju-
dicio, ut non tibi videaris innoxius. Et
Osee ii, 6. Osee ait : Sepiam viam tuam spinis. *Et
non fuit qui adspiceret,* id est, mentem
suam ad me dirigeret, et visitationes præ-
fatas attenderet : quemadmodum in Je-
remia habetur, Induraverunt faciem su- Jer. v, 3.
am supra petram, et noluerunt reverti.
Despexistis omne consilium meum, id est 25
exhortationes quæ in divinis fiunt Scri-
pturis, et consilia quæ dedi de vitandis
occasionibus transgressionum, ac de ope-
ribus supererogationis, evangelica quoque
consilia Christi. Unde Paulus disseruit :
Non subterfugi, quominus annuntiarem Act. xx, 27.
vobis omne consilium Dei. *Et increpatio-
nes meas,* quibus per verba aut verbera
redargui vitia vestra, *neglexistis,* non at-
tendendo, aut velociter obliviscendo. De
talibus incorrigibilibus et induratis diffu-
se loquitur Dominus : Dedi, inquiens, vobis Amos iv, 6,
stuporem dentium, et indigentiam panum, 7, 9.
et prohibui a vobis imbrem, et percussi
vos vento urente et aurugine; et non re-
distis ad me.

Ego quoque in interitu vestro ridebo, 26
id est, per modum ridentis ac consolati
habebo me in morte vestra, et in vestro
particulari judicio ac condemnatione, exer-
cendo in vobis cum gaudio effectum ju-
stitiæ meæ : juxta illud, Consolabor super Is. i, 24.
hostibus meis, et vindicabor de inimicis
meis. *Et subsannabo :* juxta sensum præ-
tactum ; *quum vobis id quod timebatis,
advenerit,* scilicet debita pœna pro culpis
vestris. Hinc Dominus contestatur : Com- Ezech. v,
plebo furorem meum, et requiescere fa- 13.
ciam indignationem meam, et consolabor.
Hoc jam ante Salomonem pater ejus dixit
in Psalmo : Qui habitat in cœlis, irridebit Ps. ii, 4, 5.
eos, et Dominus subsannabit eos. Tunc
loquetur ad eos in ira sua, et in furore suo
conturbabit eos.

Quum irruerit repentina calamitas, id 27
est improvisum periculum ac tormentum,
et interitus quasi tempestas ingruerit :
juxta illud in Psalmo : Quomodo facti sunt Ps. lxxii,
in desolationem? Subito defecerunt; per- 19.
ierunt propter iniquitatem suam. *Quando
venerit super vos tribulatio, et angustia*
cordis et corporis : quod præcipue fit in
morte, quæ miris et ineffabilibus modis
molestat, premit, ac tribulat morientem.

Digitized by Google

Potest quoque istud referri ad horam ex- A
28 tremi ac generalis judicii. *Tunc invoca-*
bunt me, et non exaudiam. Multi enim in
tempore mortis veniam petunt, nec obti-
nent; confitentur, nec audiuntur : quia
solo servili timore hæc faciunt, non zelo
justitiæ. Post mortem quoque in particu-
lari aut generali judicio, non patet pre-
cum aut veniæ locus, quando status viæ et
tempus merendi sumpserint finem. Hinc
II *Mach.* IX, 13. de Antiocho fertur, quod orabat scelestus
Dominum, a quo non esset misericordiam
consecuturus. Atque de Esau Apostolus B
Hebr. XII, 17. ait : Non invenit pœnitentiæ locum, quan-
quam cum lacrimis inquisisset eam. Unde
Is. I, 15. apud Isaiam Dominus loquitur : Quum ex-
tenderitis manus vestras, avertam oculos
meos ; et quum multiplicaveritis oratio-
nes, non exaudiam. *Mane consurgent,* id
est, acerbitate pœnarum inducti, festina-
bunt me invocare, non amore virtutis;
vel, Mane consurgent, id est in die no-
Dan. XII, 2. vissimo, quando resurgent alii in vitam,
alii in opprobrium sempiternum; *et non*
invenient me sibi propitium, id est, mi- C
sericordiam salvantem non impetrabunt,
Thren. III, 44. juxta illud : Opposuisti nubem tibi, ne
29 transeat oratio. *Eo quod exosam habuerint*
disciplinam, id est caritativam increpati-
onem, justamque correctionem ; *et timo-*
rem Domini initialem aut filialem, *non*
30 *susceperint,* imo nec servilem, *nec acqui-*
everint consilio meo : sicut expositum est;
et detraxerint universæ correptioni meæ,
sentiendo perverse de judiciis meis, aut
corripientibus indignando ac obloquendo,
Amos V, 10. ut scriptum est : Odio habuerunt in porta D
corripientem. De talibus Dominus ait per
Zach. VII, 11, 12. Zachariam : Noluerunt attendere, et aver-
terunt scapulas recedentes, et cor suum
posuerunt ut adamantem, ne audirent le-
gem. De tam perversis hominibus conque-
Num. XIV, 11. ritur Deus in Numeris : Usquequo detrahet
mihi populus iste ?
31 *Comedent igitur fructus viæ suæ,* id
est, justa retributione suæ perversitatis
implebuntur, et quasi reficientur ut cibo,
Ps. XLVIII, 15. quemadmodum ait Psalmista : Sicut oves
in inferno positi sunt, mors depascet eos ;
suisque consiliis saturabuntur, id est, ef-
fectu ac præmiatione miserrima et pœno-
sa suorum perversorum replebuntur con-
siliorum.

Aversio parvulorum sensu : de quibus 32
jam dictum est, Usquequo, parvuli, dili- *Vers.* 22.
gitis infantiam? *Interficiet eos.* Tales et-
enim a Deo aversi sunt corde, præponendo
caritati ipsius affectionem ad transitoria
atque carnalia. Et hæc ipsa aversio, occi-
dit eorum animas spirituali interitu : imo
est mors culpæ, et mortale peccatum, quo
spiritualiter coram Deo sunt mortui. De
qua morte ait Salvator : Dimitte mortuos *Matth.* VIII,
sepelire mortuos suos. Et in Apocalypsi : 22.
Nomen habes quod vivas, sed mortuus es. *Apoc.* III, 1
Hæc quoque aversio, post hanc vitam oc-
cidet eos morte damnationis æternæ, se-
cundum illud : Pars illorum erit in stagno *Ibid.* XXI, 8
ardenti igne et sulfure, quod est mors
secunda. *Et prosperitas stultorum perdet*
illos : id est, terrena prosperatio impio-
rum, qua in præsenti sæculo consequun-
tur divitias, delicias et honores, erit causa
sive occasio perditionis eorum perpetuæ
in futuro : quoniam abutuntur beneficiis
Dei, et extolluntur ex prosperitate præsen-
ti. De quibus ait Psalmographus : Velut *Ps.* LXXII,
somnium surgentium, Domine, in civitate 20.
tua, imaginem ipsorum ad nihilum redi-
ges. De quibus Job : Impii sublevati sunt, *Job* XXI, 7,
confortatique divitiis, et non est virga Dei 9, 13.
super eos; ducunt in bonis dies suos, et
in puncto ad infernum descendunt. — In-
super potest et ita exponi : Aversio parvu-
lorum interficiet eos, scilicet impios, de
quibus prædictum est : qui ex aversione
parvulorum et prosperitate stultorum, qui
in vita hac videntur impune peccare, imo
peccando etiam prosperari, scandalizan-
tur, et sumunt peccandi occasionem atque
audaciam, deserentes viam justitiæ. Quo-
contra ait Propheta : Noli æmulari in mali- *Ps.* XXXVI,
gnantibus, neque zelaveris facientes iniqui- 1, 2.
tatem, quoniam tanquam fœnum velociter
arescent. In Job quoque ait vir istud per-
pendens : Ego vidi impium firma radice, *Job* V, 3.

Digitized by Google

et maledixi pulchritudini ejus. Et de viro
Ps. LIV, 4. justo fertur in Psalmo : Ad nihilum de-
ductus est in conspectu ejus malignus. Sa-
pientes namque et justi, intuentes impi-
orum prosperitatem, pro nihilo reputant
eos, ut tales, et compatiuntur eisdem, cer-
ti hoc periculosissimum esse, peccare, et
nihilo minus prosperari, nec in præsenti
sæculo castigari.

33 *Qui autem me audierit* auribus mentis,
id est, obtemperaverit jussionibus meis,
absque terrore quiescet : id est, pacem pe-
ctoris possidebit, et constans et securus
erit in Deo, omni inordinata exclusa for-
midine, nec turbabitur, sed gloriabitur in
adversis; et demum post vitam hanc, pace
æternitatis feliciter erit plenus. *Et abun-
dantia perfruetur :* quia nunc in donis
gratiæ, deinde in bonis gloriæ abundabit,
Ps. XXVI, 13. et possidebit bona Domini in regione vi-
Is. LXIV, 4; vorum, quæ nec oculus vidit, nec auris
I *Cor.* II, 9. audivit, nec in cor hominis ascenderunt;
malorum terrore sublato, ita quod mala
ultra non formidabit. Nempe, in vita præ-
senti erit paratus ad mala pœnæ propter
Deum et suam salutem æquanimiter tole-
Prov. XXVIII, 1. randa, sicut et infra habetur : Justus quasi
leo confidens, absque terrore erit. In pa-
tria autem, nec mala pœnæ, nec mala cul-
pæ possunt accidere. Hinc in Isaia loquitur
Is. XXXII, 17, 18. Dominus : Erit opus justitiæ, pax ; et cul-
tus justitiæ, silentium, et securitas usque
in sempiternum ; et sedebit populus meus
in pulchritudine pacis, et in tabernaculis
fiduciæ, et in requie opulenta.

Postremo, quidquid hic dictum est de
justo et impiis, referri potest ad Christum
et Judæos persecutores ipsius, discipulo-
rumque ejus : quibus impii perfidique
Judæi inaniter posuerunt insidias, rete at-
que decipulas; imo hoc faciendo, sibimet-
ipsis mercati sunt finalem istam captivi-
tatem, et condemnationem æternam. Quos
A Christus et ejus Apostoli multipliciter do-
cuerunt, pie corripuerunt, et de æterna
eorum calamitate præmonuerunt; exten-
derunt etiam manus suas ad ipsos, facien-
do multa et præclara miracula. Imo et in
cruce extendit Salvator manus pro eis,
sicut per Isaiam testatur : Tota die exten- *Is.* LXV, 2.
di manus meas ad populum non creden-
tem. Ipsi vero parvuli sensu, dilexerunt
infantiam, id est rudimenta et superficiem
legis, quæ fuit pædagogus noster in Chri- *Galat.* III, 24.
sto ; sibique noxia cupierunt, scilicet per-
B petuam cærimonialium observantiam præ-
ceptorum, et oderunt summam evangelicæ
legis scientiam. Ideo Christus tandem fe-
cit Apostolos ab eis induratis recedere, ac *Act.* XIII, 46.
gentibus prædicare ; et in eorum risit in-
teritu, eosque ex zelo justitiæ subsannavit,
ac hostibus tradidit, sicut per Isaiam Do-
minus prædixerat : Calcavi eos in furore *Is.* LXIII, 3.
meo, et conculcavi eos in ira mea. Quum-
que irruisset super eos repentina obsidio
a Romanis, vastitasque gravissima, fames,
pestis, venditio, interfectio millium pluri-
C morum, reliquit eos omnino ; nec eorum
sacrificia, orationes, fletus ac gemitus ex-
audivit Altissimus, eo quod exosam ha-
buerunt Christi disciplinam ac legem :
tuncque perfidiarum et impietatum sua-
rum, ac pravissimorum consiliorum fructus
et demerita invenerunt ac perceperunt. De
hac expositione transeo, quia facillimum
est litteram applicare ad eam.

Nos itaque Christum in omnibus audia-
mus, quatenus omni nostra affectione et
intentione simplificatis ac fixis in Deo,
D omnique nostra occupatione secundum di-
vinam legem directa, atque in Deum fre-
quenter relata, quiescamus in Creatore
absque omni vitioso et infructuoso timo-
re, ac per hoc in divinorum opulentia
charismatum proficiamus et abundemus
assidue.

Digitized by Google

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : FILI MI, SI SUSCEPERIS SERMONES MEOS.

DICUNT nonnulli, quod postquam Salomon præcedenti capitulo docuit vitare avaritiam, hic nunc docet vitare idololatriam : quod non videtur idonee dictum, quia nec in isto capitulo videtur ad litteram de idololatria mentio fieri, ut patebit ; nec in præcedenti capitulo solum aut principaliter contra avaritiam est tractatum, sed ostensum est ibi, quid ad sapientem intelligentemque pertineat. Deinde fit ibi monitio, ne quis peccatorum blanditiis seducatur ad committendum homicidium aut rapinam ; et qualiter transgressores plus noceant sibi ipsis, quam aliis. Deinceps introducitur ibi, qualiter summa et increata Sapientia increpet et præmoneat insipientes atque injustos, et quam fructuosum sit Deo in omnibus obedire.

His igitur ibi peractis, hic rursus hortatur ad sapientiam amplectendam, et quanto affectu sit exquirenda, quanta etiam bona homo ex ejus acquisitione ac possessione consequatur. Quum etenim nemo sit sapientiæ hujus capax, nisi purgatus a vitiis, recte in præcedenti capitulo ad cordis expurgationem hortatus est : et admonitionem de sapientia obtinenda ibi in-
1 choatam, hoc loco prosequitur. *Fili mi, si susceperis sermones meos,* diligenter eos audiendo, considerando, ac recolendo, *et mandata mea absconderis penes te,* id est, in fundo cordis tui sollicite reposueris, ne per oblivionem, aut negligentiam violes
Ps. cxviii, 11. ea. Juxta quem sensum ait Propheta : In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Econtra de quibusdam ait in
Matth. xiii, 4, 19. Evangelio Dominus, quod quum receperint semen verbi cœlestis, volucres cœli, id est aeriæ potestates, devorant illud, id est,

A infructuosum efficiunt. Verumtamen, non sic abscondenda sunt mandata ac verba Dei in corde, ut publice non impleantur nec aliis communicentur, quum dicat Salvator : Luceat lux vestra coram homini- *Matth.* 16.
bus. Princeps quoque Apostolorum : Unusquisque, inquit, sicut accepit gratiam, in *I Petr.* i 10.
alterutrum illam administrantes. Et item Joannes in Apocalypsi : Qui audit, dicat, *Apoc.* xx 17.
Veni : hoc est, qui mandata Dei audierit, proximum suum invitet ad eadem per-
agenda. *Ut audiat sapientiam,* id est sa- 2
B pientialia verba, *auris tua* corporalis ac spiritualis, puta auditus et intellectus.

Inclina cor tuum, id est, intellectum tuum cum humilitate ac diligentia applica, *ad cognoscendam prudentiam,* id est sapientiam, sumendo prudentiæ nomen extense ; vel, Ad cognoscendam prudentiam, quæ est virtus moralis ac cardinalis, rectaque ratio agibilium, id est virtus et habitus, per quem homo cognoscit quid agere, quid omittere debeat in rebus quæ ei occurrunt, prout Ethicorum sexto habe-
C tur. Itaque ait, Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam : quia non sufficit cognitio divinorum, sed humanorum quoque actuum et negotiorum notitia vera ac discreta requiritur ; et ne quis ex divinorum agnitione se erigens, aspernetur etiam inferiora addiscere.

Denique, ad acquirendum tam sapientiam quam prudentiam, cum humilitate et diligentia oportet accedere. Nam sicut in vallibus colliguntur aquarum fluenta, ita in cordibus humilium superna charismata,
D aqua sapientiæ, virtus prudentiæ, lumen scientiæ. Atque, ut in Ecclesiastico scriptum est : Auris bona audiet cum omni *Eccli.* i 31.
concupiscentia sapientiam. Hinc consequen-

Digitized by Google

ter ostenditur, quam instanter ac fervide A
3 sapientia sit quærenda. *Si enim sapien-*
tiam invocaveris, id est, orando vocaveris
eam in te, et increatam Sapientiam sup-
pliciter fueris deprecatus, ut animam tu-
am radio sapientiæ salutaris perfundat ac
impleat, et pro infusione et incremento, ac
conservatione sapientiæ rogaveris Domi-
num incessanter; *et inclinaveris cor tuum*
4 *prudentiæ. Si quæsieris eam quasi pecu-*
niam, id est tam indesinenter et insati-
abiliter, tam laboriose ac fervide, sicut
cupidus quærit argentum et aurum : de B
quibus quanto plus obtinet, tanto plus cu-
pit ac quærit, diligentiusque custodit hæc
acquisita; *et sicut thesauros effoderis il-*
lam, id est, ex fonte sapientiæ studueris
eam haurire tali instantia et ardore, sicut
quis thesaurum in terra absconditum niti-
tur invenire terram effodiendo. Circa hoc
ait Glossa : Qui thesauros effodit, terram
rejicit, et foveam facit profundam, sedulo
insistens, donec quod quærit, inveniat:
sic qui thesauros sapientiæ desiderat in-
venire, omne pondus terrenum a se reji- C
ciat, et foveam humilitatis faciat in se, nec
quiescat, donec inveniat. Denique huic si-
mile est quod Seneca in suis ait Prover-
biis : Ut auri aliquid extrahamus, terram
evertimus : ut summum bonum occupe-
mus, et sapientiam reperiamus, pectus
scrutari piget?
5 *Tunc intelliges timorem Domini,* id est,
vere experimentaliterque cognosces, atque
in te invenies filialem Dei timorem. Quan-
to namque intentius studueris desuper il-
lustrari et dono sapientiæ perfici, tanto D
amplius formidabis summi Dei Patris ad-
spectum offendere, et coram eo intimorate
te gerere; ipsaque infusa sapientia te do-
cebit istum timorem castum et sanctum,
ostendendo tibi quam infinite et incom-
parabiliter Deus altissimus sit sincere ti-
mendus, honorandus, ac diligendus : sicque
ingeret tibi sapientialem pudorem, ut ubi-
que erubescas coram divini vultus præ-
sentia inhoneste, negligenter, aut turpiter
te habere. Ad quod etiam Seneca admo-
nens, ait : Non aliter te habeas in secreto,
aliter in publico. *Et scientiam Dei inve-*
nies, id est, sapientiam ejusque profectum
et perfectionem obtinebis a Domino. De
quo Psalmista : Accedite ad eum, et illu- *Ps. xxxiii, 6.*
minamini; et facies vestræ non confun-
dentur. De qua scientia dicit Dominus in
Osee : Scientiam Dei volo plus quam ho- *Osee vi, 6.*
locausta. Apostolus quoque ad Philippen-
ses : Existimo, inquit, omnia detrimentum *Philipp. iii, 8.*
esse propter eminentem scientiam Domini
nostri Jesu Christi. Per hanc demum infu-
sam seu acquisitam Dei scientiam, aliqua-
liter invenimus, cognoscimus et contem-
plamur increatam Dei scientiam : de qua
in libro de Mirabili scientia Dei sublimiter
tractat Albertus Magnus.
Quia Dominus dat sapientiam his, qui 6
modo prætacto eam exquirunt. Sapientia
autem quæ est donum Spiritus Sancti, a
solo Deo immediate datur, et per creatio-
nem infunditur; sapientia vero quæ est
donum gratiæ gratis datæ, et sapientia
naturalis, quandoque etiam infunduntur
immediate a Deo, quandoque etiam dan-
tur a Deo mediate, videlicet per studium
et laborem, per informationem angelicam
vel humanam. Nam omne bonum a Deo
est, procedit, confertur. *Et ex ore ejus*
prudentia, de qua dictum est, *et scientia*
derivantur ac profluunt : sive scientia ac-
cipiatur pro dono gratiæ gratum facientis,
quod est unum de septem donis Spiritus
Sancti, et a Deo solum immediate infundi-
tur; sive accipiatur prout est donum gra-
tiæ gratis datæ, de qua Paulus, Alii, in- *I Cor. xii, 8.*
quit, datur sermo sapientiæ, alii sermo
scientiæ; sive ut est unus de quinque
habitibus intellectualibus, puta habitus na-
turalis et acquisitus, qui tamen potest a
Deo supernaturaliter dari : de qua scien-
tia sexto Ethicorum tractatur; estque no-
titia eorum quæ aliter nequeunt se ha-
bere, videlicet recta ratio speculandorum.
Porro os Dei est increata sapientia et
æternus intellectus ipsius, quo intra se
profert Verbum æternum. Quandoque tamen
os Domini appellantur Scripturæ sanctæ,

Digitized by Google

seu ipsi Prophetæ : quoniam ex Scriptu-
ris datur nobis instructio atque responsio.
Job XXXIII, 14. Unde scriptum est : Semel loquitur Deus,
et secundo id ipsum non repetit. Per Pro-
phetas quoque et Sanctos suos respondet
quærentibus. Propter quod ipse per Pro-
Is. XXX, 1, 2. phetam ait : Væ, filii desertores, ut face-
retis consilium, et non ex me; et os meum
non interrogastis. Hinc alibi protestatur :
Jer. XV, 19. Si separaveris pretiosum a vili, quasi os
meum eris. Postulanda est ergo semper
divina directio, et sapientia desuper est
quærenda : quæ nihilo minus ex ore do-
ctorum, et libris, quantum fieri potest, est
Jacob. I, 5. accipienda. Ideo scriptum est : Si quis
vestrum indiget sapientia, postulet a Deo,
qui dat omnibus affluenter, et non impro-
perat; et dabitur ei.

7 *Custodiet* Dominus *rectorum salutem,* id
est, justos in eorum salute conservabit.
Habetur enim in hac vita salus seu beati-
tudo in quadam inchoatione, prælibatio-
ne, merito et spe. Unde in Matthæo ponun-
Matth. V, 3-10. tur octo beatitudines, quæ sunt virtutum
excellentium actiones et merita, per quæ
pervenitur ad salutem regni cœlestis com-
Ibid. 3. pletam. Nam dicitur ibi : Beati pauperes
spiritu, etc. Dum ergo Omnipotens justos
conservat in actibus virtuosis, custodit re-
ctorum salutem. Nempe a Deo est ince-
ptio, continuatio et consummatio, prosecu-
tio et custoditio omnis boni. Aliqui tamen
recti interdum ex propria negligentia di-
labuntur in culpam, fiuntque miseri ca-
lamitate peccati : de qua in Apocalypsi
Apoc. III, 17. dicitur, Nescis quia tu es miser et misera-
bilis, pauper, cæcus et nudus? *Et proteget
gradientes simpliciter,* id est eos qui in
columbina simplicitate serviunt ei, exclu-
sa omni duplicitate, simulatione, hypocri-
si. Tales etenim præcipue placent Deo, qui
est simplicissimus in natura, uniformis,
invariabilis, et unicus in operatione, ut in
fine tangitur septimi Ethicorum. Hinc Job
Job I, 1; II, 3. vir simplex et rectus placuit valde Deo.
Matth. X, 16. Ideo Christus : Estote, inquit, simplices
I Par. XXIX, 17. sicut columbæ. Et primo Paralipomenon
fatetur David : Scio, Domine, quod sim-
A plicitatem diligas. Simplices ergo, quorum
intentio est recta, et cor sincerum coram
Altissimo, ita quod ei soli, et aliis non nisi
in ipso cupiunt complacere, proteguntur
a Creatore, ne tentationibus seducantur,
aut adversitatibus opprimantur. Sine hac
simplicitate nullus est justus; nec justus
est qui hac simplicitate caret. Ideo, teste
Glossa, simplicitas et rectitudo insepara-
biliter sunt connexæ. Propter quod asserit
Beda : Simplicitas sine rectitudine, est
dissoluta, laxa et stulta ; rectitudo vero
B sine simplicitate, dura est et austera. Est
autem et alia simplicitas asinina, quæ per
exclusionem prudentiæ sic vocatur, et dis-
plicet Deo.

Servans semitas justitiæ, id est in esse 8
conservans opera justa, *et vias sanctorum,*
id est actiones ac merita perfectorum,
custodiens, ne a regia via discedant. Pos-
sunt quoque per semitam consilia desi-
gnari, per viam, mandata : quæ omnia
Dominus tunc custodit, dum homini gra-
tiam perseverantiæ ac circumspectionis
C tribuit, per quam Deo auxiliante custodit
se ipsum in actibus bonis.

Tunc intelliges justitiam, id est, quid 9
sit virtus justitiæ scies, non nuda et in-
formi notitia, sed cognitione formata : ita
quod justus eris, et per connaturalitatem
gustumque mentis, bene de ipsa justitia
judicabis, pensando et adimplendo quod
spectat ad eam : quemadmodum habens
non solum notitiam ethicæ, sed etiam ip-
sas virtutes morales, multo melius judicat
de virtutibus illis, quam qui solam nudam
D scholasticamque notitiam habet de ipsis.
Simili modo intelliges *et judicium* discre-
tionis : quod est actus prudentiæ, quo in-
ter bonum et malum discernitur; et item
judicium, id est prolationem justæ senten-
tiæ : quod est actus justitiæ spectans ad
judicem, cujus est justam in omni causa
proferre determinationem; *et æquitatem,*
id est justitiam contemperatam clementiæ
ex vera discretione, *et omnem semitam bo-
nam,* id est virtuosam actionem, quæ ad
ultimum finem recte deducit.

Digitized by Google

10 *Si intraverit sapientia cor tuum,* ita
quod intellectum tuum inhabitet ac infor-
Is. xi, 2. met, *et scientia,* quæ est donum unum de
septem donis Spiritus Sancti, *animæ tuæ*
placuerit efficaciter per effectum, ita quod
non quieveris nisi istam scientiam pos-
11 sederis ; *consilium custodiet te :* quia sa-
pientia et scientia instruent te ad consu-
lendum tibi ipsi qualiter debeas te habere,
et pericula præcavere. Facient quoque te
docilem atque benevolum ad obtemperan-
dum sanis aliorum consiliis. Hæc etenim
dona Spiritus Sancti instigant hominem,
ut nequaquam constituat sibi finem in re-
bus creatis, caducis, sed in Deo dumtaxat.
Hinc et Seneca in suis Proverbiis : Ora-
torem, inquit, te putes, si tibi ipsi quod
oportet persuaseris. Cyrillus quoque in
Proverbiorum suorum asserit libro : Pru-
dentia non calliditate, sed consilio vero
tuetur prudentem.

Et prudentia servabit te, id est, a peri-
12 culis præservabit. Ideo subditur, *ut erua-*
ris a via mala, id est actione iniqua, quæ
ad perditionem deducit, et virtuti contra-
riatur : quam prudentia facit cognosci ac
evitari ; *et ab homine qui perversa loqui-*
13 *tur,* id est a seductoribus et mendosis. *Qui*
derelinquunt iter rectum, id est viam ju-
stitiæ, legem divinam, præceptum Dei, *et*
ambulant per vias tenebrosas, id est per
habitus vitiosos, per consuetudines pravas,
14 per hæreses et errores. *Qui lætantur quum*
malefecerint, et exsultant in rebus pessi-
mis. Peccant enim ex habitu vitioso. Habi-
tus autem est quasi altera natura, et facit
hominem delectari in his ad quæ inclinat.
Tales quoque apprehendunt mala ac pes-
sima sub ratione apparenti bonorum ac
optimorum. Ideo delectantur in malis ac
pessimis, quemadmodum virtuosi in bonis
et optimis. Tales etiam sunt adeo excæca-
ti, quod non advertunt sua pericula, pec-
cantque sine remorsu ac freno, imo de
vitiis suis se jactant. De quibus dicitur
Ibid. iii, 9. in Isaia : Peccatum suum quasi Sodoma
I Joann. ii, 11. prædicaverunt, nec absconderunt. Hinc de-
mum in epistola Joannis asseritur : Qui
A odit fratrem suum, in tenebris est, et in
tenebris ambulat, et nescit quo eat : quo-
niam tenebræ occæcaverunt oculos ejus.
Denique Ethicorum tertio ait Philosophus:
Qualis unusquisque est, talis sibi finis
videtur. Ideo vitiosi, in rebus fœdis et vo-
luptuosis, vanis ac pessimis constituunt si-
bi finem, et delectantur in talibus. Atque,
ut rursus docet Aristoteles, Signum habitus
est delectatio conjuncta operationi ex ha-
bitu procedenti. Qui ergo in peccatis est
habituatus, delectatur quum male egerit,
B et exsultat in pessimis. Propterea Seneca
protestatur, gravissimum esse imperium
consuetudinis, quia videlicet sic subjicit
hominem sibi, ut sibi, non rationi obediat.
Quorum viæ perversæ sunt : quia actiones 15
eorum sunt saluti contrariæ ; *et infames,*
id est mali, sunt *gressus,* id est processus
conversationis *eorum.* Nam publice pec-
cant, et alios scandalizant : idcirco a sa-
pientibus contemnuntur ut tales, ac merito
diffamantur.

Ut eruaris a muliere aliena, et ab ex- 16
C *tranea,* id est adultera ac fornicaria, *quæ*
mollit sermones suos, id est, verba blanda,
procatoria, libidinosaque profert, ut alli-
ciat ad peccandum, *et relinquit ducem* 17
pubertatis suæ, id est priorem maritum,
quem sumpsit, ductoremque habuit in ado-
lescentia sua, dum annos habuit puberta-
tis, *et pacti Dei sui oblita est,* id est legis 18
divinæ ac præcepti quo adulterium et for- *Exod. xx, 14.*
nicatio prohibentur. Vel etiam violat pa-
ctum, quod tempore connubii iniit cum
marito, cui fidelitatem promisit : quod
D et Deus ab initio ordinavit, dicendo per
Adam : Relinquet homo patrem suum et *Gen. ii, 24.*
matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt
duo in carne una. Unde et per Prophetam
dicitur : Hæc particeps tua, et uxor fœde- *Malach. ii, 14.*
ris tui. *Inclinata est enim ad mortem do-*
mus ejus, id est cor in quo per pravitatis
suæ consensum moratur, vel caro in qua
turpiter delectatur, seu conversatio prava,
qua regitur ; vel, Domus, id est domestici
ejus, qui ei in peccatis communicant : qui
ad mortem culpæ inclinant se, et secun-

Digitized by Google

Lev. xx, 10. dum legem Moysis corporali morti addi- A
cebantur ac lapidabantur. *Et ad inferos
semitæ ipsius,* id est, actiones nefariæ
appropinquant inferno, et illuc ducunt.
19 *Omnes qui ingrediuntur ad eam,* ad-
ulterando cum ipsa, *non revertentur* ad
Deum per pœnitentiam veram : quoniam
tales vel raro, aut nunquam veraciter pœ-
nitent; vel tam pauci ex eis convertuntur,
quod comparatione non redeuntium, quasi
nulli videntur. *Nec apprehendent semitas
vitæ,* id est actus virtutum, seu habitum
gratiæ, quæ est vita animæ. Hinc, secun- B
dum Philosophum, Qui peccant ex habitu
vitioso, sunt incurabiles, quia difficulter
valde curantur : quamvis ab omnipoten-
ti animarum medico queant curari, apud
Luc. I, 37; Jer. XXXII, 17, 27. quem non est impossibile, imo neque dif-
ficile, omne verbum.

Quidam per mulierem alienam atque
extraneam, ad litteram intelligunt idolo-
latriam, quæ alienat a Deo. Sed expositio
ista spiritualis potius esse censetur. Quam-
Osee I, 2; II, 2, 5; III, 1. vis enim idololatria in Scripturis fornicatio
et adulterium aliquando appelletur, non C
tamen ad litteram solet mulier aliena aut
extranea nuncupari; nec idololatriæ com-
petit relinquere ducem pubertatis suæ, id
est Deum, ut ipsi exponunt, quoniam Deus
nunquam fuit sponsus aut dux idolola-
triæ. Spiritualiter vero potest per mulie-
rem hanc congregatio hæreticorum intelli-
gi : quæ mollit verba eloquentiæ suæ, et
vana promittit, atque carnalia pollicetur;
ad quam qui introierit, vix redibit, quum
Tit. III, 10, 11. dicat Apostolus : Hæreticum hominem post
unam et secundam correptionem devita, D
sciens quia subversus est.
20 Porro, quod sequitur, *ut ambules in via
bona,* id est, conversatione justa tendas ad
gloriam, *et calles,* id est præcepta, docu-
menta, exempla, *justorum custodias,* re-
vers. 11. fertur ad illud quod dictum est : Consi-
21 lium custodiet te, etc. *Qui enim recti sunt*
corde, videlicet justi, quorum corda sunt
linealiter ac directe ad Deum erecta, et
vitiorum obliquitatem devitant, *habitabunt
in terra :* quoniam jam per gratiam, fi-
dem et caritatem requiescunt in militanti
Ecclesia, quæ peregrinatur in terra; dein-
de per gloriam et beatificam fruitionem
æternaliter commorabuntur in Ecclesia tri-
umphanti, in terra et regione vivorum ac
Beatorum. Nunc quoque in terra sui cor-
poris habitant bene, quia illud habent ra-
tioni subjectum, atque in spiritus servi- I Cor. IX, 27.
tutem redactum : juxta quem sensum ait
Salvator, Beati mites, quoniam ipsi here- Matth. v, 4.
ditabunt terram. Ad litteram quoque po-
pulus Israel, quando Deo fideliter deservi-
vit, habitavit in terra promissionis; sed
quando ad idololatriam corruit, expelleba-
tur de ea, vel in servitutem redigebatur in
ea : quod erat quasi ea privari. *Et simpli-
ces* columbina simplicitate, *permanebunt
in ea :* sicut de rectis jam dictum est.
Impii vero de terra perdentur : quia desi- 22
nunt esse membra Christi filiique Eccle-
siæ, per inobedientiam, et incorporantur
diabolo, atque de terra hujus exsilii ad
inferos pertrahuntur; et interdum propter
sua interficiuntur facinora, terraque here-
ditatis cœlestis privantur. *Et qui inique
agunt, auferentur ex ea :* sicut de impiis
expositum est.

Itaque ex isto docemur capitulo, quam
ferventer et indesinenter debeamus quæ-
rere, desiderare, amplecti, et custodire
increatam Sapientiam Dei Patris, Unigeni-
tum Dei, et dona ipsius. Nemo enim, ut
ait Ambrosius, cum desidia quærit Chri-
stum, et pretiosissima Dei dona cum af-
fectu condigno sunt exquirenda ac po-
stulanda : imo cum tepore et negligentia
pro eis rogare, est datorem illum altissi-
mum in suis donis tam caris inhonorare,
ac parvi pendere munera ejus. Ipse certe
in suo obsequio respuit indevotum, evo- Apoc. III, 16.
mit tepidum, negligentem frigidumque ab-
horret, sicut de hoc Eusebius Emisenus
pulchre in suis loquitur Homiliis. Et uti-
que si perpendamus, quam infatigabiliter
multi philosophi pro naturali sapientia ac
scientia laboraverunt, quam laboriose quo-
que et incessanter multi mercatores et alii
pro terrena opulentia enituntur, merito in-

Digitized by Google

tra nos de nostra confundemur ignavia,
A quia pro spiritualibus, supernaturalibus,
ac præstantissimis Dei donis, pro sapientia
infusa, pro salute æterna adipiscendis, tam
modice laboramus, tam frigide depreca-
mur, tam parum accendimur.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI TERTII : FILI MI, NE OBLIVISCARIS LEGIS MEÆ.

AD diversas virtutes actionesque vir-
tuosas in isto admonemur capitulo;
et ne acediosi simus ad obtemperandum,
adjiciuntur fructus præclari et præmia
gloriosa.
1 *Fili mi, ne obliviscaris legis meæ,* id
est legis divinæ. Denique minus dicit, et
majus prætendit : quia non solum debe-
mus legis divinæ non oblivisci, sed et ju-
giter recordari, imo eam opere adimplere,
quemadmodum in primo habetur psalmo
Ps. i, 2. de homine justo : In lege Domini volun-
tas ejus, et in lege ejus meditabitur die
ac nocte. Dupliciter quoque dicitur homo
oblivisci legis Dei : primo, eam oblivio-
ni omnino tradendo; secundo, eam non
adimplendo in factis, sicque multi oblivi-
scuntur ejus, qui tamen docent aut præ-
dicant eam. Insuper multiplex est lex Dei,
quam recordari ac adimplere debemus. Est
etenim lex divina, lex naturalis, lex posi-
tiva. Et lex divina, in legem Mosaicam
evangelicamque dividitur. Similiter lex
positiva, in Jus canonicum, et Jus civile.
Lex autem seu jus naturale, variam habet
divisionem, prout de ista materia in prima
parte Decreti, ex verbis Isidori ac aliorum
Osee viii, 12. diffuse tractatur. Hinc Dominus ait : Scri-
bam ei multiplices leges meas, quæ quasi
alienæ computatæ sunt. Unde et in Job
Job xi, 5, 6. dicitur : Utinam Deus ostenderet tibi se-
creta sapientiæ suæ, et intelligeres quod
multiplex est lex ejus. Est etiam lex æter-
na et increata, quæ est exemplar, fons,
causa, et regula omnis legis creatæ et re-
ctæ. *Et præcepta mea cor tuum custodiat*
B tenaci memoria, et exsecutione idonea; et
quæ opere adimplere non vales, devota
voluntate adimple, ac citius quo poteris,
adimplere propone : sicut de bonis fertur
in Psalmo, Memores sunt mandatorum ip- Ps. cii, 18.
sius ad faciendum ea.
Consequenter pollicitatione mercedis ad
istud inducit. *Longitudinem enim dierum,* 2
et annos vitæ, et pacem apponent tibi : id
est, pro observantia præceptorum conse-
queris hæc bona pro præmio : quod primo
intelligi potest de longa, prospera, atque Exod. xx, 12; Deut. iv, 40; v, 16; vi, 3; vii, 13-16; viii, 1; xi, 8, 9; xxv, 15; xxviii, 1-13; xxx, 16.
C pacifica vita in sæculo isto, quæ in veteri
lege promittebatur sæpissime observatori-
bus legis Mosaicæ. Verumtamen bona illa
terrena ac transitoria, non erant princi-
pale aut sufficiens præmium obedientiæ
Deo exhibitæ ex caritate in actibus virtuo-
sis, qui sunt spiritualia bona. Multi quo-
que Prophetæ et Sancti ac justi fuerunt in
veteri Testamento, qui præfata bona con-
secuti non sunt in hac vita, imo adversa
multa et mortem pro lege ac justitia sunt
perpessi, sicut in libro Machabæorum os- II Mach. vi, 10, 11, 18-31; vii.
D tenditur. Et per Ezechielem Dominus ad
Jerusalem dixit : Occidam in te justum et Ezech. xxi, 3.
impium. Ideo per longitudinem dierum,
æterna duratio felicitatis in cœlo, et per
annos vitæ, diuturnitas gloriæ, et per pa-
cem, pax æternitatis omnem sensum ex- Philipp. iv, 7.
superans, principaliter designantur. Unde
in Psalmo Dominus pollicetur : Longitu- Ps. xc, 16.
dine dierum implebo eum, et ostendam
illi salutare meum; et in Isaia habetur,
Erit mensis ex mense, et sabbatum ex sab- Is. lxvi, 23.
bato : per quæ verba æternitas designatur.

Digitized by Google

Is. LXVI, 12. Et rursus ibidem : Ecce ego declino in eos A ut flumen pacis.

3 *Misericordia et veritas,* id est justitia, *non te deserant :* id est, indesinenter habe in te misericordiam atque justitiam, ita ut opera misericordiæ, tam spiritualia quam corporalia, pro posse exerceas, et justitiam non omittas : quia et sic interdum ignoscendum est animæ peccatoris, ut nihilo minus juxta censuram justitiæ puniatur, aut etiam occidatur in corpore. Imo hoc ipsum misericordiæ est, quod in præsenti punitur, ne æternaliter condemnetur. Nam B et pœnæ præsentis vitæ sunt medicinales. Præterea, triplicem veritatem habere et conservare debemus, videlicet, veritatem vitæ, veritatem doctrinæ, veritatem justitiæ, et esse veraces in verbis, fidelesque *Osee* XII, 6. proximis. Hinc in Osee scriptum est : Misericordiam et judicium custodi ; et in Za- *Zach.* VIII, 19. charia, Veritatem tantum et pacem diligite. Clarius quoque paulo anterius in *Ibid.* VII, 9. Zacharia habetur : Judicium verum judicate, et misericordiam et miserationes facite, unusquisque cum fratre suo. C

Circumda eas gutturi tuo, id est, aliis quoque prædica eas, ut et ipsi nequaquam misericordiam et veritatem relinquant : et *Is.* LVIII, 1. quantum ad hoc, quasi tuba exalta vocem *Osee* VIII, 1. tuam. Et sicut in Osee habetur, In gutture tuo sit tuba, ut cum sancto Job dicere *Job* XXXI, 30. queas : Non dedi ad peccandum guttur meum. *Et describe eas in tabulis cordis tui,* id est in capacitate et latitudine mentis atque memoriæ tuæ. De his tabulis ait II *Cor.* III, 3. Apostolus : Epistola estis Christi, scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi ; non D in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Unde per Ezechielem Dominus *Ezech.* XI, 19 ; XXXVI, 26. dixit : Dabo vobis cor carneum, id est molle, flexibile, et faciliter receptivum gratiæ ac virtutum. Ideo tabulæ cordis sunt essentialiter spirituales, quamvis per proprietatem et similitudinem carnales vocentur, sicut et cor nominatur carnale. Nam et juxta Philosophum, intellectus seu anima in principio sui, est velut tabula rasa.

Et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus : 4 id est, per hæc acceptus et placens eris Deo ac proximis ; incrementumque gratiæ et profectum virtutum consequeris divinitus, et proximis disciplinatus videberis. Imo et bona instructio efficaciaque docendi ac disciplinandi alios, conferentur tibi a Domino. Qui enim dona desuper sibi concessa communicat aliis, meretur majora, et spiritualem opulentiam a Deo sortitur. Unde et Seneca in suis Proverbiis : Eleemosyna, inquit, plus prodest danti, quam accipienti.

Habe fiduciam in Domino ex toto corde 5 *tuo :* quoniam ipse est infinitæ pietatis ad succurrendum, invariabilis veritatis ad faciendum quod sperantibus in se promisit, atque omnipotens ad exsequendum. Qui ait per Isaiam : Ego Dominus, super quo *Is.* XLIX, 23. non confundentur omnes qui exspectant me. Cui ait Psalmista : Sperent in te, qui *Ps.* IX, 11. noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine. Denique, quamvis spes ista in Deo habeat firmitatem ac certitudinem, quantum est ex parte Dei, ex qua parte nequaquam erit defectus optatæ salutis et gratiæ ; tamen ex parte nostri, hoc est ex propriæ fragilitatis, defectuositatis ac culpæ consideratione, debet timor esse admixtus : ne forte indigni simus exaudiri, adjuvari atque salvari a Domino propter nostra demerita, prout in tractatu de Spe Thomas declarat. Imo nec certi sumus de hoc, quod habeamus spem formatam et efficacem in Deo, quum ignoremus an simus in carita- *Eccle.* IX, 1. te. Hinc inter spem et timorem semper spiritualiter moli debemus, ut spes sit mola superior, sublevans in sublime, et desperationem ac pusillanimitatem excludens ; timor vero sit mola inferior, præsumptionem et immoderatam securitatem repellens : sicut in tertia parte Summæ suæ Antisiodorensis inducit.

Et ne innitaris prudentiæ tuæ, id est, propriæ prudentiæ aut naturali industriæ non inhæreas, tanquam tibi sufficiant pro

Digitized by Google

tuæ conversationis directione, atque ad A
evadendum tuæ salutis pericula, dæmo-
num, carnis ac mundi tentamenta : ne im-
Is. XLVII, 10. pleatur in te quod dicitur in Isaia, Sa-
pientia tua et scientia tua decepit te.
Innitendum est ergo divino auxilio atque
angelicæ directioni, et meritis precibus-
que Sanctorum : pro quibus impetrandis,
devote ac jugiter est orandum. Etenim,
Ps. XC, 1. qui habitat in adjutorio Altissimi, in pro-
tectione Dei cœli commorabitur. Ideo per
Is. L, 10. Prophetam scriptum est : Quis ambulat
in tenebris, et non est lumen ei? Spe- B
ret in nomine Domini, et innitatur super
Deum suum. Item protestatur Dominus :
Osee XIII, 9. Perditio tua ex te ; in me tantummodo
auxilium tuum. Nempe ad bene agendum,
indigemus in omni actu meritorio, actuali
motione Spiritus Sancti. Et ut ait Aposto-
II Cor. III, 5. lus : Non sumus sufficientes cogitare ali-
quid ex nobis quasi ex nobis ; sed suffi-
Philipp. II, 13. cientia nostra ex Deo est, qui operatur in
nobis velle atque perficere. Itaque habi-
tus acquisiti et infusi non nobis suffi-
ciunt, sed actualibus motionibus, influxi- C
onibus, directionibus, auxiliis Dei jugiter
indigemus, sicut de hoc Thomas in Sum-
ma contra gentiles, catholice atque subti-
liter scribit.

6 *In omnibus viis,* id est actionibus *tuis*
interioribus et exterioribus, *cogita illum,*
id est, divinæ majestatis præsentiam pen-
sa, et ad Deum intentionem tuam refer ac
dirige, ejusque directionem et opem im-
plora : quod in omni actione faciendum
est actualiter aut habitualiter, sæpeque ac-
tualiter; imo quo sæpius, tanto et melius. D
Tales fuerunt magni illi illuminatissimi
III Reg. XVII, 1; IV Reg. III, 14. viri Elias et Eliseus, dicentes : Vivit Do-
minus ante cujus vultum sto hodie. Ista
assidua consideratio divinæ præsentiæ, ma-
xime confert ad stabiliendum mentem in
Deo. Talis fuit Psalmista, qui loquitur,
Ps. XV, 8. Providebam Dominum in conspectu meo
Job XXXI, 4. semper ; et sanctus Job, dicens, Nonne
Deus considerat viam meam, et omnes
gressus meos dinumerat? *Et ipse diriget*
gressus tuos, id est affectiones tuas et ac-
tus, ad finem beatum, dando tibi lumen
veræ discretionis, et gratiam spiritualis
profectus, ac super semitas justitiæ te du- Ps. XXII, 3.
cendo. Pro qua directione piissima oravit
Propheta : Gressus meos dirige secundum Ps. CXVIII, 133.
eloquium tuum. Quem Deus sic dirigit,
nisi cujus mentem illustrat et movet in
omnibus ad intuendum et exsequendum
quidquid sibi complacitum est? Hanc cer-
te directionem meretur percipere, qui tam
reverenter in cunctis attendit Dei præsen-
tiam.

Ne sis sapiens apud temetipsum, id est 7
propria reputatione. Sed quomodo intelli-
gendum est istud? quum dicat Apostolus,
Ut sapiens architectus fundamentum po- I Cor. III, 10.
sui ; itemque, Spiritum non hujus mundi Ibid. II, 12.
accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est,
ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.
Ergo qui sapientiam a Deo accepit, et in
Scripturis est eruditus, potest sapientem
se reputare. Et respondendum, quod non
debet se in se sapientem putare, sed so-
lum in Deo ; nec sibi, sed Deo sapientiam
suam adscribere ; magis quoque insiste-
re considerationi insipientiæ suæ, et defe-
ctuositatis ac culpæ, quam magnificationi
sapientiæ suæ : potissime quum ignoret
an habeat sapientiam quæ est donum, si-
ne qua vitio puerilitatis impletur homo, et
potius stultus quam sapiens est censen-
dus. Et juxta hunc sensum apud Isaiam
inducitur : Væ qui sapientes estis in ocu- Is. V, 21.
lis vestris, et coram vobismetipsis pruden-
tes. Unde et Paulus Romanis : Nolite, in- Rom. XII, 16.
quit, esse prudentes apud vosmetipsos.

Time Deum casto et filiali timore. Ecce
qui paulo ante locutus est, Habe fiduciam
in Domino ; hic subjungit, Time Deum :
quasi dicat, Non ita confidas in misericor-
dia Dei, quin expavescas ejus justitiam,
quoniam hæc est sapientia vera. *Et recede*
a malo, id est, malum culpæ ex corde ab-
horre et fuge : quia ex hoc apparet quod
timeas Deum, et sapiens sis in eo. Juxta
quod in Job dicitur : Ecce timor Domini Job XXVIII, 28.
ipsa est sapientia ; et recedere a malo, in-
telligentia. Hoc est quod Vas electionis

Digitized by Google

Rom. xi, 20. hortatur : Noli altum sapere, id est magna A de te ex elatione sentire; sed time. Unde et sanctus ait Bernardus : In veritate didici, nihil coram Deo ita prodesse ad gratiam obtinendam, ad culpam vitandam, ad proficiendum in bonis, quam ut semper inveniaris non altum sapere, sed timere.

8 *Sanitas quippe erit umbilico tuo, et irrigatio ossium tuorum.* Posset hoc superficialiter sic exponi, juxta veteris legis promissa : Quod si præhabita feceris bona, corporaliter eris sanus et bene dispositus intus in umbilico et ossibus. Sed B
Ps. xxxiii, 20. quoniam multæ sunt tribulationes ægritudinesque justorum in vita hac, spiritualiter interpretandum est istud, intelligendo per umbilicum, qui mollis et tener est, bona opera adhuc imperfecta ; per ossa vero, quæ solida sunt, opera virtuosa perfecta. Sicque, Sanitas erit umbilico tuo, id est, opera tua imperfecta, a culpis venialibus ac reliquiis vitiorum purgabuntur per confidentiam Dei, humiliationem, ceterasque virtutes et actiones earum prætactas, atque in melius omni die proficient, et C opera tua perfecta, erunt pura, inviolata, illæsa. Possunt quoque per umbilicum intelligi affectiones, motus et actus partis sensitivæ, videlicet appetitus concupiscibilis et irascibilis, in quibus sunt animæ passiones : in quibus est sanitas, dum per virtutes reformantur morales ; per ossa autem, actus partis intellectivæ.

Consequenter fit admonitio ad sacrificia
9 Deo placentia. *Honora Dominum de tua substantia,* id est, de rebus et opibus tibi concessis offer Deo sacrificia in lege præ- D cepta, hostiasque spontaneas ex devotione, pro pace, pro gratiarum actione, pro spiritualibus charismatibus obtinendis, et eorum profectibus. De quibus oblationibus in Levitico, in libro Numerorum, ac Deuteronomio copiosa est mentio : quæ omnia offerebantur Deo in recognitionem universalis dominii sui, et quod ipse sit omnis boni collator. *Et de primitiis omnium frugum tuarum,* id est de melioribus fructibus terræ tuæ potiora, non viliora, offerendo Creatori dignitatis ac excellentiæ infinitæ. Unde et Abel obtulit *Gen.* iv, 4. Deo de primogenitis gregis sui, et adipibus eorum, et placuit Deo; Cain vero de *Ibid.* 3. fructibus terræ, utique de deterioribus, ut legitur in Genesi. Hinc scriptum est : Si *Malach.* i, 8. offeratis claudum aut languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei : hoc est, si talia viliora offerretis seu exhiberetis principi vestro terreno, non ei placeret, sed indignaretur quod talia vilia sibi darentur. Hinc rursus in eodem fertur Propheta : Maledictus dolosus, *Ibid.* 14. qui habet in grege suo masculum, et votum faciens, immolat debile Domino. Spiritualiter autem de omnibus bonis nobis concessis, debemus Deo sacrificium laudis, gratiarum actionem, reverentiamque offerre : imo nos ipsos totaliter et quidquid habemus in ejus cultum obsequiumque convertere. Oblationes quoque et decimas corporales ab Ecclesia institutas, fideliter et libenter persolvere et offerre, nec in Dei conspectu vacui apparere, et quidquid *Exod.* xxiii, 15; xxxiv, 20; *Deut.* xvi, 16. præcipue bonum habemus aut agimus, debemus specialiter Deo adscribere; nec aliquid nobis ipsis, nisi peccata nostra et vitia, deputare. *Da pauperibus :* id est, non solum præfato modo de bonis tuis Deum honora, sed et pauperibus, qui sunt fratres et proximi tui, membraque Dei, communica et succurre.

Et implebuntur horrea tua saturitate, 10
id est fructibus terræ copiosis, qui tibi et tuis domesticis ad refectionem plene sufficient; *et vino torcularia tua redundabunt,* id est, vineæ tuæ tot proferent uvas, quod in torcularibus exprimetur de eis vinum abundans : quod in Deuteronomio quoque promittitur. Spiritualiter *Deut.* xi, 13, 14. autem, qui opera pietatis exercet, et verbo cœlestis doctrinæ reficit audientes, ac poculo spiritualis consolationis recreat eos, meretur ut horrea sua impleantur saturitate, id est, potentiæ animæ suæ, quæ sunt subjecta gratiæ ac virtutum, præsertim intellectus atque voluntas, impleantur a Deo interna refectione ; et torcularia

Digitized by Google

ejus vino redundent, id est, vires præfatæ, in quibus ex littera trahitur spiritualis intelligentia, sicut ex uva per pressuram educitur vinum, repleantur spirituali ac sobria ebrietate, ex divinorum contemplatione et caritatis fervore.

Insuper, juxta Glossam, quemadmodum electi habent thesauros in cœlo (secundum quod ait Salvator, Thesaurizate vobis thesauros in cœlo [*Matth.* vi, 20.]), sic et horrea ac torcularia habent ibidem : in quibus taliter reficientur ac potabuntur, quod ultra non esurient nec sitient [*Is.* xlix, 10; *Apoc.* vii, 16.]. De quibus Filius Dei disseruit : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut, quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula [*Luc.* xvi, 9.]; itemque, In domo Patris mei mansiones multæ sunt [*Joann.* xiv, 2.], hoc est diversi gradus præmiorum, secundum varietatem ac differentiam meritorum.

Amplius, sicut ex verbis sanctorum Patrum Hieronymi et Augustini, imo ex Scripturis colligitur, fidelis persolutio decimarum, primitiarum et oblationum ab Ecclesia statutarum, constructio ecclesiarum, fundatio monasteriorum, exhibitio operum misericordiæ, quatuor mercedes a Domino sortiuntur. Prima est, abundantia opum, ex copiosa fertilitate agrorum et vinearum. Hinc loquitur Deus per Malachiam : Inferte omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea; et probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, et effudero vobis benedictionem meam usque ad abundantiam, et non erit sterilis vinea [*Malach.* iii, 10. 11.]. Et per Aggæum : Quia domus mea deserta est, et vos festinastis unusquisque in domum suam; propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, et terra prohibita est, ne daret germen suum [*Agg.* i, 9. 10.]. Et de hoc plenius alibi. Secunda merces, est prolongatio ac sanitas vitæ. Tertia vero, affluentia gratiæ in præsenti. Quarta autem, copia gloriæ in futuro. Denique in oblationibus quæ Deo fiunt, ipse qui cordium est inspector, magis respicit ad mentis sinceritatem, caritatem ac devotionem, quam ad munerum quantitatem [I *Reg.* xvi, 7; *Prov.* xxiv, 12; *Eccli.* xxiii, 28.]. Ideo scriptum est in Genesi : Respexit [A] Dominus ad Abel, et ad munera ejus [*Gen.* iv, 4.]. Primo enim attendit et approbavit ipsius sancti et innocentis Abel sincerissimam devotionem, et ita deinceps acceptavit sacrificia ejus. Hinc etiam Seneca in suis hortatur Proverbiis : Non adspicias quam plenas, sed quam puras manus quisque Deo admoveat. Nihilo minus Hostia altaris, videlicet sacrificium novæ legis, per se complacet Deo.

Sed quia nonnulli in prosperis Deo obsequuntur, adhærent ac gratias agunt, in [B] adversis autem deficiunt et labuntur (de quibus disseruit Christus, quod ad tempus credunt, et tempore tentationis recedunt [*Luc.* viii, 13.] : unde et in Psalmo dicitur, Confitebitur tibi quum benefeceris ei [*Ps.* xlviii, 19.]); ideo nunc hortatur Sapientia, ne adversis frangamur. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abjicias, neque deficias quum ab eo corriperis.* 11

Disciplina Dei est omnis adversitas, tribulatio, castigatio, increpatio : quæ ex divina providentia accidit nobis, a quocumque infligatur. Et sicut legitur, Deus increpat [C] quandoque per dolorem in lectulo, et omnia ossa hominis marcescere facit [*Job* xxxiii, 19.]. Per prælatos quoque vicarios suos, et per principes ac judices corripit et castigat : qui teste Apostolo ad Romanos, ministri Dei sunt, in hoc ipsum constituti [*Rom.* xiii, 6.]. Omnia igitur ista æquanimiter ferre debemus, tanquam virgam fidelissimi patris : primo, quia per ista purgamur a vitiis; secundo, quia per hæc crescimus in virtutibus; tertio, quoniam per hæc a futuris gravissimis eripimur pœnis; quarto, quia per ista capiti [D] nostro Christo propter nos passo, aliqualiter conformamur; quinto, quia per hæc corona æternæ felicitatis nobis augetur; sexto, quia per hæc efficimur in spirituali conversatione exercitati (Qui enim non est tentatus, quid scit? [*Eccli.* xxxiv, 9.]); septimo, quia ex horum eventu cognoscimus caritatem Patris cœlestis ad nos, qui ob tam multiplicem fructum et commodum nostrum, per præfata nos disciplinat.

Hinc subditur : *Quem enim diligit Dominus, corripit, et quasi pater in filio* 12

complacet sibi, id est, beneplacitum est ei A
in his, sicut pater complacentiam habet in
filio suo dilecto et bono. Ideo ait Glossa :
Tanto minus de flagello quo castigamur,
murmurare debemus, quanto certius in eo
pignus paternæ dilectionis tenemus. Unde
Apoc. III, 19. et ipse in Apocalypsi fatetur : Ego quos
amo, arguo et castigo. Hinc de reprobis
Osee IV, 14. ait : Non visitabo super filias vestras quum
fuerint fornicatæ. Per Ezechielem quoque
Ezech. XVI, 42. ait de reprobo indurato : Auferetur zelus
meus a te, non irascar tibi amplius. Et in
Ps. LXXX, 13. Psalmo de impiis : Dimisi eos secundum B
desideria cordis eorum. Hæc est metuendissima
et gravissima Dei plaga ac ira,
dum justo judicio hominem sic relinquit.
Desideremus ergo in vita præsenti paterne
castigari a Domino, et superiorum nostrorum
correptiones atque correctiones hilariter
amplectamur, quum et Apostolus jubeat :
Hebr. XII, 7, 8. In disciplina perseverate ; tanquam
filiis vobis se offert Deus. Quis enim filius
quem non corripit pater ? Quod si extra
disciplinam estis, ergo adulteri, et non filii
Job V, 17, 18. estis. Hinc etiam in Job habetur : Beatus C
homo qui corripitur a Domino. Increpationem
ergo Domini ne reprobes : quoniam
ipse vulnerat, et medetur ; percutit,
et manus ejus sanabunt.

13 *Beatus homo qui invenit sapientiam,* id
est, qui a Deo suscipit ac retinet eam, præsertim
illam quæ est donum Spiritus Sancti :
in qua potissime crescit, disciplinam
Domini modo prætacto gratanter ferendo,
et in omni adversitate patientiam conservando ;
et qui affluit prudentia, quæ est
virtus moralis dignissima, virtutum auri- D
ga, docens modum in cunctis tenere, ac
ordinate ad finem intentum procedere :
in qua qui affluit seu abundat, aptus est
14 et alios gubernare. *Melior est acquisitio
ejus negotiatione auri et argenti :* quia
incomparabiliter est præstantior corporalibus
ac transitoriis opibus.

Primi et purissimi fructus ejus. Fructus
sapientiæ hujus, sunt actiones, delectationes
et cetera bona quæ oriuntur ex ea :
qui fructus sunt primi, id est principales
atque præcipui, sicut et ipsa sapientia
inter virtutes et dona tenet primatum ;
et item purissimi ex sua natura, quia
versantur circa supermundissimum illud
objectum, quod Deus est, et circa spiritualia
ac divina. Contemplatio quoque, quæ
est actus et fructus sapientiæ hujus, est
affectuosa ac limpida Dei cognitio. Circa
hoc scribit quidam : Purissimi sunt fructus
sapientiæ, quia spiritualia bona non
habent aliquod malum admixtum, sicut
frequenter habent corporalia, ut aurum,
argentum, et consimilia habent annexam
sollicitudinem, impedientem mentis elevationem
in Deum. Quod non videtur congrue
dictum, præsertim quum Isaias affirmet :
Quasi pannus menstruatæ universæ *Is.* LXIV, 6.
justitiæ nostræ. Gregorius quoque in Moralibus
super Job, frequenter effatur, quod
mens nostra in divinorum contemplatione
diu non figitur : quoniam carnis infirmitas
et instabilitas cordis trahunt deorsum.
Nonne indesinenter ac miserabiliter experimur,
quantæ distractiones, venialesque
culpæ orationibus ac meditationibus nostris
assidue misceantur, et in divino obsequio
negligentiæ, pigritiæ, ac somnolentiæ
multæ contingant ?

Pretiosior est sapientia *cunctis opibus* 15
transitoriis ac terrenis ; *et omnia quæ desiderantur,*
ex universitate corporalium
rerum, *huic non valent comparari.* Si autem
prædicta exponantur de Sapientia increata,
quæ in hac vita per fidem, caritatem
et contemplationem aliquo modo
invenitur et habetur, certum est quod illa
incomparabiliter cunctis præmineat rebus
creatis. De hac pretiositate et dignitate sapientiæ,
in libro Sapientiæ multa dicuntur. *Sap.* VII-X.
De qua et in Job asseritur : Nescit *Job* XXVIII, 13, 15, 16.
homo pretium ejus. Non dabitur aurum
obrizum pro ea, nec conferetur lapidi sardonycho
pretiosissimo vel sapphiro. *Lon- 16
gitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra
illius divitiæ et gloria.* Dextera et
sinistra metaphorice adscribitur sapientiæ,
intelligendo per dexteram ejus, potiora
et præclariora sapientiæ bona ; per si-

Digitized by Google

nistram vero, secundaria ejus bona. Itaque
in dextera sapientiæ, est longitudo dierum,
id est dies æternitatis, et beatifica visio
increatæ et incommutabilis veritatis : ad
quæ sapientia habet primum ac principa-
lem respectum. In sinistra vero ipsius,
sunt divitiæ exteriores, et gloria, id est
claritas famæ : quia ad sapientiam duo
hæc consequi solent, sicut in Salomone.
Vel per divitias et gloriam designantur ac-
cidentalia præmia Beatorum, ad quæ sa-
pientia ista perducit.

17 *Viæ ejus, viæ pulchræ*. Viæ sapientiæ,
sunt actiones et processus, seu doctrinæ ac
merita ejus : quæ omnia bene dicuntur
viæ, quoniam sicut via est medium in-
ter duo extrema, et inter terminos duos;
sic actiones et merita vitæ præsentis, sunt
media quædam inter istud exsilium sæcu-
lumque futurum, seu inter mansionem
istam terrenam et patriam Beatorum. Ita-
que viæ, id est actiones, contemplationes,
delectationes, et merita sapientiæ, sunt
viæ pulchræ : quia in ipsis est splendor
veritatis, lux gratiæ ac virtutis sinceritas;
immunditiam etiam peccati depellunt. Et
sicut in corporalibus dicitur pulchrum,
quod oblectat corporeum visum; sic spi-
ritualiter pulchrum censetur, quod in-
teriorem visum, scilicet intellectum, de-
lectat : quod actibus sapientiæ competit
valde, quum et Philosophus dicat quod phi-
losophia, id est naturalis sapientia, admi-
rabiles delectationes habet admixtas. De
Sap. VII-IX. qua re in libro Sapientiæ plurima conti-
nentur. *Et omnes semitæ illius pacificæ*.
Nam contemplationes et actiones, gustus
et profectus sapientiæ hujus, in semetipsis
tranquilla sunt, et mentem quietant, per-
turbationem excludunt, atque ad pacem
æternitatis perducunt.

Insuper viæ increatæ Sapientiæ prorsus
pulcherrimæ sunt, utpote Christi præcepta,
documenta, et exempla seu opera, om-
nem turpitudinem culpæ deformitatem-
que falsitatis excludentia ex se et prohi-
bentia aliis; et semitæ ejus pacificæ, id est
evangelica ejus consilia ad pacem pecto-
A ris ac tranquillissimam vitam disponentia
ac perducentia. Docent enim, inquietudi-
nem passionum, sollicitudinem tempora-
lium, occupationem terrenorum, concupi-
scentias carnis omnino vitare, atque in
solo Deo recolligere ac figere mentem.
Rursus, semitæ Christi pacificæ, quia per
ejus mysteria ac opera reconciliati exsisti-
mus Deo.

Lignum vitæ est his qui apprehende- 18
rint eam : id est, sapientia instar ligni
vitæ, quod est in paradiso, spiritualiter
B reficit, et in vita gratiæ conservat, ac ro-
borat sapientem. Quemadmodum lignum Gen. II, 9.
illud vitæ situm in medio paradisi, con-
servativum fuit et est vitæ corporalis in
suo vigore; sic Christus quoque, qui etiam,
dum iret ut crucifigeretur, nuncupavit se Luc. XXIII, 31.
viride lignum, recte dicitur lignum vitæ
credentibus in se : quia multiplici alimo-
nia reficit ac sustentat fideles, quousque
de vita gratiæ ad vitam gloriæ eleventur,
videlicet pane lacrimarum, vigore opera- Ps. LXXIX, 6.
tionum bonarum, donis gratiæ ac virtu-
C tum, consolatione et spe futurorum, imo
se ipso, suique corporis ac sanguinis Sa-
cramento. Nam ait : Ego sum panis vitæ; Joann. VI, 48.
et, Hic est panis vivus de cœlo descen- Ibid. 50.
dens, ut si quis manducaverit ex ipso, non
moriatur in æternum. *Et qui tenuerit eam*,
id est, qui vitaverit omne peccatum mor-
tale, quo donum sapientiæ perditur, et
gratiosa Christi præsentia tollitur, *beatus
est* jam in spe et merito, ac prælibatione
et dispositione propinqua.

Dominus sapientia fundavit terram, sta- 19
D *bilivit cœlos prudentia*. Sapientia quan-
doque dicitur in Deo absolute, et est ipsa
divina essentia; et toti superbeatissimæ
Trinitati communis est, et una in tribus
supersanctis Personis. Attamen Filio ap-
propriatur, sicut et bonitas Spiritui San-
cto. Filius enim est verbum et emanatio
intellectus Dei Patris; sapientia vero ad
intellectum est pertinens. Quandoque au-
tem sapientia dicitur in divinis notionali-
ter, personaliter seu relative de Filio, qui,
ut ait Apostolus, est virtus et sapientia I Cor. I, 24.

Digitized by Google

Patris. Et utroque modo potest hic accipi. Nam Deus Trinitas sapientia sua, id est per sapientiam suam, tanquam per exemplar et artem operis sui, universa creavit, juxta illud Psalmi : Omnia in sapientia fecisti. *Ps.* CIII, 24. Pater quoque per unigenitum Filium suum condidit cuncta, secundum quod ait Scriptura : Omnia per ipsum facta sunt. *Joann.* I, 3. Dominus ergo sapientia sua fundavit, id est, in medio mundi firmiter et immobiliter fecit ac posuit, terram, sicut cantatur: Etenim firmavit orbem, qui non commovebitur. *Ps.* XCII, 1. Constituit enim eam in medio universi pro centro. Et de hoc loquitur Deus Job subtiliter : Ubi, inquiens, eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis posuit mensuras ejus ? vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases ejus solidatæ sunt? *Job* XXXVIII, 4-6. Præterea, in Deo idem sunt sapientia et prudentia; sed in quantum sapientia Dei, respectu creaturarum, est practica, vocatur prudentia : sicque per suam prudentiam stabilivit orbes cœlestes, quoniam esse incorruptibile atque perpetuum tribuit illis, quamvis alibi scriptum sit, Ipsi peribunt : *Ps.* CI, 27. quod non est de corruptione substantialis esse, sed de variatione cujusdam accidentalis esse intelligendum.

20 *Sapientia illius eruperunt abyssi,* id est venæ ventriculique aquarum exsistentes sub terra, vel particularia maria, seu congregationes aquarum Oceani. Hoc namque est opus infinitæ sapientiæ omnipotentis Opificis, quod in ventriculis terræ aqua sic continetur, et erumpit in fontes ac puteos, atque in flumina magna per terram fluentia, et omnes hæ aquæ ex Oceano originaliter derivantur ac manant : ex quo etiam fons paradisi habet originem, *Gen.* II, 6. qui in quatuor magna flumina erumpit, partitur, ac funditur, ut in Genesi habetur. *Ibid.* 10. Tempore quoque diluvii rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, ut rursus scriptum est in Genesi. *Ibid.* VII, 11. Hinc ait Altissimus : Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens ? *Job* XXXVIII, 8. *Et nubes rore concrescunt,* id est densantur : quia sapientia Dei sic ordinante, pro terræ irrigatione et fructificatione, ex solis calore vapores et exhalationes ex aquis elevantur, ac inspissantur in aere, fiuntque nubes: ex quarum resolutione descendunt imber et ros, quamvis diversimode. Ros namque, secundum Philosophum, est effectus temperati caloris, et ex subtiliori nube descendens, et frequentius generatur in vere. In his ergo sapientia Dei relucet. Propter quod in Scripturis hæc multoties continentur, ut omnipotentiam ac providentiam Creatoris in suis contemplemur, miremur, ac veneremur effectibus. Hinc scriptum est : Si voluerit extendere nubes quasi tentorium suum, et fulgurare lumine suo desuper, cardines quoque maris operiet : per hæc enim judicat populos, et dat escam multis mortalibus. *Job* XXXVI, 29-31. Et rursus ait Scriptura : Frumentum desiderat nubes, et nubes spargunt lumen suum : quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit. *Ibid.* XXXVII, 11, 12.

Spiritualiter, *Dominus sapientia fundavit terram,* id est, Pater per unicum Filium suum instituit et firmavit militantem Ecclesiam in terra peregrinantem, quam in fidei soliditate, spe et caritate fundavit. *Stabilivit* quoque *cælos,* id est sanctos Apostolos et prædicatores ac contemplativos, quorum conversatio est in cœlis, *prudentia,* in qua et ipsos perficit ad regimen aliorum; vel, Cœlos, id est triumphantem Ecclesiam, cujus perpetua et secura mansio est in cœlo empyreo. *Sapientia illius eruperunt abyssi,* id est, fluenta gratiæ et doctrinæ, ex fontibus sacramentorum et sacrorum voluminum profluxerunt. *Et nubes,* id est aliorum prælati et doctores, qui instar nubium elevantur de terra, et stillicidia influunt doctrinarum, *rore concrescunt,* id est, superna irrigatione sapientiæ irrigantur, ac torrente voluptatis divinæ inundantur. Unde Isaias loquitur Deo : Ros tuus, ros dulcis*. *Is.* XXVI, 19. *alias lucis

21 *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis,* id est, præfatæ saluberrimæ instructiones et exhortationes nequaquam recedant ab

intuitu et memoria interiorum oculorum A
tuorum. *Custodi legem,* eam recolendo ac
implendo, *et consilium,* acquiescendo bo-
22 nis consiliis; *et erit vita animæ tuæ :* id
est, hæc faciendo, habebis vitam gratiæ in
præsenti, et vitam gloriæ in futuro. Unde
Matth. XIX, 17. Salvator : Si vis, inquit, intrare ad vi-
tam, serva mandata. Ideo scriptum est :
Baruch IV, 1. Hic liber mandatorum Dei, et lex quæ est
in æternum : omnes qui tenent eam, per-
venient ad vitam; qui autem derelinquunt
eam, ad mortem. *Et gratia faucibus tuis:*
id est, gratia discretionis ad loquendum, B
instruendum, et corripiendum opportune
et fructuose præstabitur tibi ; eruntque
verba legis divinæ interiori tuo palato su-
Ps. CXVIII, 103. avia : juxta illud, Quam dulcia faucibus
meis eloquia tua! Vel, Gratia erit faucibus
tuis, id est, temperantiæ virtus donabitur
gustui tuo, ad reficiendum te moderate.
Job XII, 11. De quibus faucibus fertur in Job : Nonne
auris verba dijudicat, et fauces comeden-
tis, saporem ? Hanc enim temperantiam
sapientia confert, quoniam facit in spi-
ritualibus delectari, et carnalia aspernari C
oblectamenta. Prudentia quoque præfigit
mensuram in cibo et potu.

23 *Tunc ambulabis fiducialiter in via tua:*
id est, bona conversatione proficies confi-
denter, et proficiendo confides in Domi-
no; conscientiam quoque bonam haben-
do, eris vir bonæ spei. Nam et Philosophus
protestatur, quod hi qui in divinis be-
ne se habent, melioris sunt spei. *Et pes
tuus non impinget,* id est, affectus tuus
seu operatio, qua tendis ad finem, non
cespitabit recedendo a via virtutum ac me- D
dio rationis. Prudentia etenim diriget te,
Ps. XXV, 12. ut cum Propheta dicere queas, Pes meus
Job XXIII, 11. stetit in directo; et cum sancto Job, Ve-
stigia ejus secutus est pes meus.

24 *Si dormieris, non timebis ; quiesces, et
suavis erit somnus tuus.* Hoc ad litteram
ita est, quod virtuosus et sapiens, pru-
dens et innocens, justus et perfectus, se-
curior atque tranquillior est in cunctis ;
nec in somno terretur, sed dulciter dor-
mit. Nam sicut animus inordinatus sibi
ipsi pœnalis ac gravis est, sic animus or-
dinatus est jucundus, quietus et dulcis; et
per sapientiam consolari se potest, per
patientiam quoque completam manet in
adversitatibus etiam magnis imperturba-
tus. Propter quod dicitur in Ethicis, quod
studiosi habent phantasmata meliora, dum
a vigilia ad somnum pertranseunt. Nam
quod homo in vigilia tractat, hoc sibi in
somno solet occurrere. Ideo, sicut iniqui
in vigilia frequenter de insidiis et terri-
bilibus eis imminentibus cogitant, sic in
somno terribilia et molesta sæpe somnia
habent. Nihilo minus ex tentatione diaboli
et corporali indispositione, potest et justis
in somno terror occurrere, et inquietudo
absque malitia generari, prout beatus Job
de se ipso testatur : Si dormiero, dicam, *Job* VII, 4.
Quando consurgam ? Et : Terrebis me per *Ibid.* 14.
somnia. Loquitur autem Salomon confor-
mando se legi, quæ observatoribus suis
securum et quietum somnum in Deutero-
nomii libro promisit, transgressoribus vero
prædixit contrarium. Unde ibidem induci-
tur de iniquo : Erit vita tua quasi pendens *Deut.* XXVIII, 66, 67.
ante te; timebis die ac nocte, et non cre-
des vitæ tuæ. Mane dices, Quis mihi det
vesperam ? et vespere, Quis mihi det ma-
ne? propter cordis tui formidinem, qua ter-
reberis. Insuper justus et innocens, quum
dormierit somno mortis, aut non timebit,
aut a suo timore cito eripietur, et erit
securus. Quidam vero ita divini sunt, quod
etiam in somno orant, psallunt, meditan-
tur, et multa intelligunt, quæ vigilando
intelligere non valebant. Quibus dicere
licet : Ego dormio, et cor meum vigilat. *Cant.* V, 2.

Ne paveas repentino terrore, id est, non 25
concutiaris timore, qui inopinate ac subi-
to solet oriri ex aliquo sensibili strepitu,
clamore, phantasia, aut simili quod solet
timeri. Verumtamen primi motus natura-
lium passionum non bene sunt in nostra
potestate; sed quo magis in virtutibus cre-
scimus, eo facilius eos refrenamus ac mo-
deramur. Idcirco quod ait, Ne paveas re-
pentino terrore, sic accipi potest, ut non
immoremur tali formidini, sed ex consi-

Digitized by Google

deratione divinæ præsentiæ, et confidentia protectionis supernæ eam abjiciamus, ac animemur in Deo. Ideo subditur : *et irruentes tibi potentias impiorum* non metuas : quod tam de invisibilibus, quam visibilibus hostibus potest exponi. Nam Matth. x, 28. de visibilibus ait Salvator : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Non enim timendi sunt immoderato seu carnali aut mundano timore, quamvis naturalis timor non exstet illicitus. Perfectius vero et melius est, ut sit homo paratus pati quidquid adversi voluerit aut permiserit Deus ei accidere : et hoc, amore Dei, et pro suis peccatis, et pro exercitatione virtutis, ac incremento salutis. Invisibiles quoque hostes non sunt timendi timore inordinato et immoderato, qui rationem et actum virtutum impediat et conturbet; sed ex consideratione divinæ præsentiæ, et confidentia protectionis supernæ, atque subventionis angelicæ sunt vilipendendi. Ideo subditur :

26 *Dominus enim erit in latere tuo,* id est, gratiose adsistet, si confidas in eo, et ad ipsum sincere confugias, *et custodiet pedem tuum, ne capiaris* ab hostibus, id est, ne vel corporaliter vel spiritualiter noceant tibi. Quod si Dominus permiserit te corporaliter lædi ab eis, hoc erit pro tuo meliori, dummodo patienter sustineas : sicut permisit S. Antonium a dæmonibus flagellari, sanctosque martyres a tyrannis occidi; quotidie quoque permittit justos a pravis infestari hominibus. Ideo viri perfecti excludunt omnem carnalem, mundanum et inordinatum timorem. Unde sanctus Job : Si expavi, inquit, ad multitudinem nimiam. Et Psalmista : Dominus illuminatio mea, et salus mea : quem timebo? Dominus protector vitæ meæ : a quo trepidabo? etc. Itemque : Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Job xxxi, 34. Ps. xxvi, 1. Ps. xv, 8.

Præterea, aliqui sunt ita perfecti, quod nec primos motus repentinæ formidinis sentiant. Unde, ut in Vitis Patrum habetur, quum quidam interrogasset abbatem Theo- A dorum, Si fiat strepitus improvise, aut sonitus magnus, timesne? Qui respondit : Si cœlum terræ adhæreat, Theodorus non formidat. Sanctus quoque abbas Macarius, quum in templo quodam idolorum se posuisset ad dormiendum, et calvariam suo capiti quasi pro pulvinari supposuisset, cœpit diabolus clamare ex illa calvaria. Macarius vero nil metuens, cum capite suo tundebat super calvariam, dicens diabolo : Si aliquid potes, fac. Econtra, quidam sunt tam imperfecti, quod faciliter immo- B deranterque timeant, præsertim nocturno tempore, dum fuerint soli, non pensantes Omnipotentis et sanctorum angelorum præsentiam; nec attendentes pulcherrimum sensum præclarissimi psalmi, qui incipit, Qui habitat in adjutorio Altissimi. Ps. xc. Est autem timor immoderatus valde pœnalis, miser, et detestandus. Propter quod etiam Seneca dixit : Heu, quam miserum est, metuendo fieri senem!

27 *Noli prohibere benefacere eum qui potest,* id est, neminem a bono actu impe- C dias, aut retardes, quin scilicet tempore opportuno faciat illum : alioqui omissio boni illius imputabitur tibi. *Si vales, et ipse fac bonum,* alteri succurrendo, seu opus virtutum quodcumque exercendo.

28 *Ne dicas amico,* id est proximo *tuo,* aliquid a te rationabiliter postulanti : *Vade, et revertere, et cras dabo tibi; quum statim possis dare :* nisi rationabile impedimentum mox dandi occurrat. In tali etenim casu, dilatio nec liberalitati, nec misericordiæ, nec caritati concordat. Imo D sicut, teste Apostolo, hilarem, sic et celerem, datorem diligit Deus. II Cor. ix, 7. Nec nobilis animi est, ut faciat vel permittat proximum suum a se tristem recedere; sed sicut volumus exaudiri a Deo, exaudiamus et proximos. Matth. vii, 12; Tob. iv, 16. Etenim, juxta versiculum, Qui cito dat, bis dat; nescit dare, qui dare tardat. Hinc Seneca in suis scribit Proverbiis : Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter. Et rursus notabiliter protestatur : Beneficiis humana vita constat, et concordia; non terrore, sed mutuo amore in fœdus auxi-

Digitized by Google

29 liumque commune constringitur. *Ne moliaris amico tuo malum,* id est, damnum, aut infestationem non excogites, nec inferre coneris proximo tuo, *quum ille in te habeat fiduciam.* Hoc namque impiissimum esset, et contra legem naturalem, divinam, ac positivam. Imo econtrario opta et procura ei bonum, sicut confidit de te. Gravissimus certe est inimicus occultus et familiaris, qui putatur amicus. Hinc Seneca Tulliusque testantur : Pejora sunt tecta odia, quam aperta. Et iterum Seneca fassus est : Gravior est inimicus qui latet sub pectore. De hoc Cyrillus in suis Proverbiis plenius docet, prout suis locis tangetur.

30 *Ne contendas adversus hominem frustra,* id est inaniter et sine causa idonea, *quum ipse tibi nihil mali fecerit.* Verumtamen judex, qui est publica persona, arguere debet non solum eos qui peccant
Galat. v, 20, 21. in ipsum, sed et injuriosos in alios. Contentio autem proprie sumpta, ab Apostolo inter mortalia computatur peccata : quæ, ut ait Ambrosius, est impugnatio agnitæ veritatis, cum confidentia clamoris. Unde
II Tim. II, 14. rursus ait Apostolus : Noli verbis contendere ; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Hinc Seneca in Proverbiis suis disseruit : Cum pari contendere, anceps est ; cum superiore, furiosum ; cum inferiore, sordidum.

31 *Ne æmuleris hominem injustum,* id est, eum non ames, in quantum talis est, sed in quantum homo viator : nec eum sequaris in vitiis, nec invidentiam contra eum concipias, de ejus prosperitate dolendo ; sed committe hoc occulto judicio Dei, nisi forsan periculosum sit bono communi.
Ps. XXXVI, 1. Ideo scriptum est : Noli æmulari in mali-
32 gnantibus. *Nec imiteris vias ejus : Quia abominatio Domini est omnis illusor,* id est injustus, qui ipso facto illusor est, et Dei præcepta irridet, ac spernit in opere.
Ps. X, 8. Ideo est abominabilis Deo, qui justus est,
Ps. V, 7. et justitias dilexit, oditque omnes qui operantur iniquitatem. *Et cum simplicibus sermocinatio ejus.* Hoc dupliciter potest exponi. Primo, quod sermocinatio illusoris est cum simplicibus, quoniam tales facilius potest decipere. Innocens enim credit omni verbo, quum sit humanarum astutiarum fraudumque ignarus. Prov. XIV, 15. Secundo, quod sermocinatio Dei sit cum simplicibus, qui quum sint sinceri ac innocentes, specialiter sunt capaces illuminationis divinæ. Ideo in ipsis loquitur Deus, et secreta sapientiæ suæ eis revelat. Ps. L, 8.

Egestas a Domino in domo impii. Certum est, quod spiritualium divitiarum seu virtutum inopia sit in corde iniqui et in domesticis ejus, qui ei in vitiis sunt conformes ; quandoque etiam temporalibus rebus propter suos excessus privantur. *Habitacula autem justorum benedicentur,* id est, congregationes seu personæ virtuosæ abundabunt bonis gratiæ in hac vita, et bonis gloriæ æternalis in patria. Benedicuntur quoque, id est laudantur, a multis, et frequenter etiam in temporalibus satis abundant. 33

Ipse Deus *deludet illusores :* in quorum interitu ridet ; et quum debitas incurrerint pœnas, eos subsannat, ut dictum est. Permittet quoque eos a dæmonibus decipi, laqueosque incidere, quos aliis parant ; et in die judicii eorumdem, ostendet eos delusos. Ideo in Isaia præcipitur : Nolite illudere, ut non constringantur vincula vestra. Denique Judæos incredulos, qui Christum illuserunt, permittet ab Antichristo illudi. Atque, ut asserit Glossa, illusor est, qui verba Dei, quæ novit, implere contemnit ; vel ea perverse intelligendo, ac male docendo corrumpit. *Et mansuetis dabit gratiam,* id est virtutum et gratiæ incrementa. Quemadmodum enim ira, sua inquietudine mentem a gratia impedit ; sic mansuetudo, sua quiete efficit eam spiritualium charismatum susceptivam, ejusque precem Deo acceptam, sicut in libro Judith habetur : Mansuetorum et humilium semper tibi placuit oratio. Hinc divinus Dionysius in epistola ad Demophilum monachum protestatur, quod Moyses, David, et Joseph præcipuam apud Dominum gra- 34 Prov. I, 26. Ps. VII, 16. Is. XXVIII, 22. Judith IX, 16.

tiam invenerunt, quoniam mites erant. At vero, pro eo quod hic habetur, Ipse deludet illusores, mansuetis autem dabit gratiam, Septuaginta transtulerunt : Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et juxta hanc litteram beatissimi apostoli Petrus et Jacobus in suis epistolis istam introducunt scripturam, ut tangit Glossa.

Num. xii, 3; *Ps.* cxxxi, 1; *Gen.* xlv, 4-15.

I *Petr.* v, 5; *Jacob.* iv, 6.

35 *Gloriam sapientes possidebunt :* quia sempiternam in cœlis gloriam consequentur, et spirituali jucunditate contemplando divina replentur, sicut in Ethicis ait Philosophus : Homo contemplativus plenus est jucundis theorematibus, in quorum consideratione lætatur. Sapientes etiam in vita sua, et post obitum habent famam laudabilem. Nam et sapientiæ honor debetur. Unde in Ecclesiastico fertur : Collaudabunt multi sapientiam ejus; non recedet memoria ejus. Et in Daniele legitur : Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti. *Stultorum exsultatio, ignominia,* id est detestanda et fatua, quia eorum lætitia est inanis, et lætantur in rebus vanis, stultis, illicitis, sicut præhabitum est : Lætantur quum male fecerint. Porro in Hebræo (ut fertur) habetur : Stultorum exaltatio, ignominia. Sunt enim exaltatione, honore, prælatione indigni; et quanto plus promoventur ac sublimantur, tanto eorum stoliditas magis ostenditur : sicut et nuditas simiæ retro tanto plus ridenda monstratur, quanto amplius ascendendo levatur. Ideo Seneca dixit : Superbi gloria cito fit ignominia.

Eccli. xxxix, 12, 13.

Dan. xii, 3.

Prov. ii, 14.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : AUDITE, FILII, DISCIPLINAM PATRIS.

RURSUS hortatur Salomon ad sapientiæ desiderium ac amorem, et in hoc ponit
1 se in exemplum. *Audite, filii, disciplinam patris* cœlestis, Dei omnipotentis; vel mei, qui sum pater vester per sapientiæ excellentiam. Atque ad litteram, auctoritate regiæ dignitatis potuit se patrem appellare, præsertim subditorum suorum. *Et attendite,* id est, diligenter advertite verba mea, *ut sciatis prudentiam :* quia primo oportet scire, deinde operari. Et quamvis prudentia, quæ est virtus infusa, sit immediate et tota a Deo, tamen ad ejus infusionem ac profectum potest se homo disponere, et per studium ac experientiam
2 proficit in eadem. *Donum bonum tribuam vobis,* utpote sapientiam, ad quam homo hominem potest disponere, excitare, inducere.

3 *Nam et ego* Salomon *filius patris mei,* David regis, *fui tenellus,* id est valde tener et delicatus. Unde David dixit ad populum Israel : Salomonem filium meum elegit Dominus adhuc puerum et tenellum. *Et unigenitus coram matre mea* Bethsabee. Contra hoc est duplex objectio : prima, quia, ut secundo Regum narratur, David genuit ex Bethsabee filium unum ante Salomonis nativitatem ; secunda, quoniam primo Paralipomenon scriptum est, In Jerusalem nati sunt ei, scilicet David regi, filii Sammaa et Sobab, Nathan et Salomon, quatuor de Bethsabee. Ad horum primum respondet Hieronymus, quod primus ille filius ex David et Bethsabee genitus, sine nomine, id est ante circumcisionem, in qua nomen imponebatur, discessit quasi nunquam fuisset. Et etiam, quia in circumcisione fiebat ab originali peccato purgatio, quæ fuit spiritualis regeneratio, sicut modo Baptismus ; sicque puer ille ante hujuscemodi nativitatem videtur obiisse.

I *Par.* xxix, 1.

II *Reg.* xi, 27.

I *Par.* iii, 5.

Digitized by Google

Unde de sacratissimo Joanne Baptista le- A
gitur angelus patri illius prænuntiasse :
Luc. I, 20. Pro eo quod non credidisti verbis meis,
non poteris loqui usque in diem nativitatis
ejus. Nam usque in octavum diem, quo
S. Joannes fuit circumcisus, pater ipsius
Ibid. 59-64. permansit mutus, ut patet in Luca. Ad
secundum communiter respondetur, quod
tres alii jam præfati, fuerunt carnales filii
Uriæ ex Bethsabee, et adoptivi filii David,
qui ipsam Bethsabee ducendo uxorem, fi-
lios ejus adoptavit in suos.
4 *Et docebat me* pater meus, videlicet Da- B
vid, *atque dicebat : Suscipiat verba mea
cor tuum, custodi præcepta mea,* quæ tibi
propono de observanda justitia, de divino
obsequio, de templo ædificando. Qualiter
enim de his David Salomonem instruxerit,
I Par. XXVIII, 9, 10, 20. in primo Paralipomenon libro partim ha-
betur. Vel Salomon per patrem suum in-
telligit Deum, qui per Nathan dixit de
II Reg. VII, 14. ipso, Ego ero illi in patrem; et per ma-
trem, Synagogam, cujus exstitit filius, et
quasi unigenitus ab ea dilectus, sicut nunc
unusquisque fidelis vocatur Ecclesiæ fi- C
lius. Vel Salomon in persona Christi hæc
loquitur, qui fuit unicus naturalisque Fi-
lius Patris æterni, et unigenitus Filius
Virginis : quem secundum naturam as-
sumptam Pater ab incarnationis instanti
instruxit plenissime in momento; et fuit
tenerrimus corpore, tanquam ex purissi-
mis sanctæ Virginis natus sanguinibus, et
nobilissimæ prorsus complexionis, atque
in omni caritate ac pietate in visceribus
misericordiæ omnino tenellus, et tenerri-
mus mente.
5 *Posside sapientiam ; posside pruden-* D
tiam. Ne obliviscaris, neque declines a
6 *verbis oris mei. Ne dimittas eam, et custo-*
7 *diet te; dilige eam, et conservabit te. Prin-
cipium sapientiæ, posside sapientiam :* id
est, admonitio ista, qua te exhortor, di-
cens, Posside, id est, acquire, conserva,
custodi sapientiam, est principium sapi-
entiæ tibi, quia hanc exhortationem sus-
cipiendo, incipis ad sapientiam ascendere
seu disponi. Juxta quem modum Seneca
asserit : Magna pars boni est, velle fieri
bonum. *Et in omni possessione tua acqui-
re prudentiam :* id est, de nulla opulentia
acquisita seu tibi donata sis contentus, ni-
si prudentiam quoque possideas, sine qua
ceteræ virtutes mox degenerarent in vitia.
Arripe illam, puta prudentiam seu sapi- 8
entiam, *et exaltabit te,* id est, spirituali-
ter magnum efficiet, atque idoneum alios
gubernare; *et glorificaberis ab ea, quum
eam fueris amplexatus* in corde, ut spon-
sam carissimam. Nempe in dono sapientiæ
proficiendo, fit homo tandem quasi consi-
liarius ac secretarius Dei, et in regno cœ-
lesti glorificari meretur. In præsenti quo-
que multipliciter honoratur, sicut de hoc
Sapientiæ octavo multa habentur. Hinc ait Sap. VIII, 3-18.
Philosophus, quod sapientia est divina pos-
sessio. *Dabit capiti tuo augmenta grati-* 9
arum : id est, per sapientiam cor tuum
proficiet in omni gratia, virtute, dono et
fructu Spiritus Sancti; *et corona inclyta
proteget te,* id est, aurea illa, quæ est præ-
mium essentiale in patria, faciet te secu-
rum in sempiternum. De qua in Psalmo
dicitur Deo : Posuisti in capite ejus coro- Ps. XX, 4.
nam de lapide pretioso; et in libro Sapi-
entiæ, Accipient regnum decoris, et diade- Sap. V, 17.
ma speciei de manu Domini; et iterum,
Ut darem lugentibus Sion coronam pro Is. LXI, 3.
cinere.
Audi, fili mi, et suscipe verba mea, ut 10
multiplicentur tibi anni vitæ : id est, qua-
tenus in præsenti vivas, quamdiu hic fu-
eris, per gratiam, atque in die æternitatis
per gloriam. *Viam sapientiæ demonstrabo* 11
tibi, id est, docebo te qualiter ad sapien-
tiam veram queas pertingere, et in ea pro-
ficere, et qui sint actus ipsius; *ducam te
per semitas æquitatis,* id est per præcepta
justitiæ; *quas quum ingressus fueris,* ex- 12
sequendo divina mandata, *non arctabun-
tur gressus tui :* id est, libere et jucunde
servies Deo, et actiones tuæ atque affecti-
ones erunt in latitudine caritatis. Et quan-
to plus in via Dei profeceris, tanto facilius
ac delectabilius erit tibi Deo servire : quia
caritas fervens instigabit te ad agendum

Digitized by Google

omne bonum alacriter, ut grata mente Do- A
Ps. cxviii, 32. mino psallas : Viam mandatorum tuorum
cucurri, quum dilatasti, id est, per cari-
tatem extendisti, cor meum, ad diligen-
dum te ferventer ac proximos, et ad con-
siderandum pertinentia ad salutem. Hinc
Matth. xi, 30. ait Salvator : Jugum meum suave est. Apo-
II Cor. vi, 11. stolus quoque : Dilatatum est, inquit, cor
nostrum. Nihilo minus arcta est via salu-
tis, habendo respectum ad humanæ fragi-
litatis conditionem; attamen per caritatem
dulcescit. *Et currens,* id est ea quæ Dei
sunt, fervide exsequens, *non habebis of-* B
fendiculum, id est, non impinges cadendo
per culpam, sed recto perges itinere ad
beatitudinem æternalem.

13 *Tene disciplinam,* id est correptionem,
correctionem et salutarem doctrinam, *quia*
ipsa est vita tua : id est, per eam vives in
gratia, et deinceps beatus eris in gloria.
14 *Ne delecteris in semitis impiorum,* id est,
in actibus vitiosis nullatenus glorieris, nec
aliorum impietati aut vanitati consentias.
In spectaculis, torneamentis, hastiludiis,
choreis et consimilibus vanitatibus non C
habeas complacentiam aut consensum, nec
alienis peccatis communices : quibus pla-
ne communicas, si eorum impietati aut
vanitati consentias aut læteris. Condolen-
dum igitur aliis, dum eos talibus occupari
et delectari videmus aut scimus. Nec cor-
Ps. xxxix, 5. rideamus eis in vanitatibus et insaniis
falsis. Ideo quippe hortatur Apostolus :
Ephes. v, 11. Nolite communicare infructuosis operibus
tenebrarum, magis autem redarguite. Hinc
subditur : *nec tibi placeat via malorum,* id
15 est actio iniquorum. *Fuge ab ea, nec trans-* D
eas per illam ; declina, et desere eam, id
est, ut etiam vites occasionem omnem pec-
candi, incautum adspectum, contactum,
amplexum et oscula, confabulationes fur-
tivas, munuscula. Qui enim non vitat oc-
casiones peccandi, cito incidit in laqueum
inimici, et Dei offensam.

16 *Non enim dormiunt nisi malefecerint,*
id est, iniqui in vitiis assueti, non quie-
scunt nisi procedant in actus illicitos, ad
quos habitus pravus, consuetudoque pes-
sima (quæ est altera quædam natura ma-
ligni) eos inclinant. Nam et Philosophus
protestatur : Qualis quisque est, talia cu-
pit, loquitur, operatur. Hinc Christus in
Evangelio talibus ait : Hypocritæ, quomo- *Matth.* xii, 34.
do potestis bona loqui quum sitis mali ?
Et in Jeremia dicitur vitiosis : Si mutare *Jer.* xiii, 23.
potest Æthiops pellem suam, et pardus
varietates suas, et vos poteritis beneface-
re, quum didiceritis malum. Hinc disseruit
Augustinus : Moles imposita monumen-
to, ipsa est dura vis consuetudinis, qua
premitur anima, ut nec resurgere nec re-
spirare permittatur. Verumtamen, sicut ad
consuetudinem paulatim pertingitur, sic
ipsa paulatim Deo auxiliante eradicatur,
quamvis difficulter id fiat. Attamen qui-
busdam repente tanta infunditur gratiæ
copia, ut celeriter atque faciliter vincant,
abhorreant, vitent quidquid paulo ante ex
prava consuetudine placuit, prout in libro
Confessionum electissimus Augustinus si-
bi contigisse fatetur. *Nec capitur somnus*
ab eis, id est, somnum non capiunt, *nisi*
supplantaverint infirmiores ac simplices.
Comedunt panem impietatis, et vinum ini- 17
quitatis bibunt, id est, cibis ac potibus
injuste acquisitis reficiuntur, in pravisque
actibus et affectibus, quasi in esculento et
poculento, delectantur.

Justorum autem semita quasi lux splen- 18
dens, procedit et crescit usque ad perfectam
diem. Semita justorum est conversatio bo-
norum et contemplatio virtuosorum : in
qua lux gratiæ, splendor sapientiæ, puri-
tas cordis relucent. Hæc crescit spirituali
profectu usque ad perfectam diem, id est,
ad summum gradum doni sapientiæ ac
virtutum, et usque ad diem æternitatis, de
qua cantamus, Quia melior est dies una in *Ps.* lxxxiii, 11.
atriis tuis super millia : hoc est, de fide
transit ad speciem, de spe ad comprehen-
sionem, de caritate ad beatificam fruitio-
nem. De qua via loquitur Isaias : Hæc est *Is.* xxx, 21.
via, ambulate in ea, et non declinetis ne-
que ad dexteram, neque ad sinistram ; et
iterum, Semita justi recta est. Et Psalmi- *Ibid.* xxvi, 7.
sta : Psallam et intelligam in via immacu- *Ps.* c, 1, 2.

Digitized by Google

19 lata. *Via autem impiorum tenebrosa :* quia
eorum vita tenebris ignorantiæ et errorum, caligine vitiorum, enormitate culparum, et immoderantiis passionum est plena,
Ps. xxxiv, 6. na, juxta illud in Psalmo : Fiat via illorum tenebræ et lubricum. Hinc de iniquis loquitur
Ephes. v, 8. quitur Paulus : Fuistis aliquando tenebræ.
Joann. i, 5. Et Joannes : Tenebræ eam non comprehenderunt ;
Ibid. iii, 19. henderunt ; itemque, Lux venit in mundum, et dilexerunt homines tenebras magis quam lucem. *Nesciunt ubi corruunt,* id est, proprium lapsum non advertunt, nec qualiter inferno propinquent, attendunt, nec pensant sua pericula. Et dato quod informi et nuda notitia hoc aliqualiter pensent, non tamen formata et efficaci notitia : quia excæcati sunt corde, et quasi insensibiles ad ea quæ Dei sunt ac suæ salutis.
20 *Fili mi, ausculta sermones meos, et ad elo-*
Ibid. viii, 47. *quia mea inclina aurem tuam.* Qui enim
21 ex Deo est, verba Dei audit. *Ne recedant ab oculis tuis* interioribus, *custodi ea in medio cordis tui.* Huic simile est illud Deu-
Deut. vi, 6-8. teronomii : Erunt verba Domini in corde tuo, et meditaberis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, et dormiens atque consurgens ; eruntque et movebuntur in-
22 ter oculos tuos. *Vita enim sunt invenientibus,* id est recolentibus, ac opere exer-
Joann. vi, 64. centibus *ea.* Ideo ait Salvator : Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. *Et universæ carni sanitas,* id est, salus omnium hominum consistit in audientia et effectu verborum Dei.
23 *Omni custodia custodi cor tuum :* id est, cum summa et jugi diligentia præserva mentem tuam ab omni cogitatione immunda, ab omni affectione iniqua, ab omni omissione culpabili ; et insuper exerce eam assidue in meditationibus et affectionibus sanctis, et verbis actibusque virtutum ; *quia ex ipso vita procedit :* id est, ex cordis puritate vita gratiæ derivatur in actu omni exteriori ; et nisi cor custodiatur, reliqua bona fiunt inaniter. Imo, quemadmodum ex corporeo corde dependet et oritur vita naturæ, ita a corde spirituali,

A quod est mens, pendet ac pullulat vita gratiæ, ac profectus in ea. Ideo ait Salvator : Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum *Matth.* v, 8.
videbunt. Et Deuteronomii quarto : Custo- *Deut.* iv, 9.
di temetipsum et animam tuam sollicite. Invisibiles namque hostes ipsum cor tanquam pretiosissimum obsident castrum. Idcirco intentissima custodia est necessaria homini evadere cupienti. Hinc ait Eusebius Emisenus : Quid est quod nos vigiliis laboribusque conficimus, et ea quæ Deus maxime in nobis esse desiderat ac requi-
B rit (hoc est cor mundum a quotidianis culpis ac negligentiis istis, quas qui non vitat, paulatim deficit, et ad graviora prolabitur), non habemus ? Itemque : Hæc est, inquit, spiritualium bonorum ratio, ut quum ea summo labore constet acquiri, tam facile pereant, ut vix possit intelligi. Et inde est, quod interdum nos sanctos putamus, quoniam lucra de laboribus æstimamus, et detrimenta subsequentia non pensamus. Itaque, juxta doctrinam Climaci, ponamus in janua cordis portarium et
C custodem, ipsum Dei timorem, qui nihil illicitum permittat intrare, aut intus manere ; et sit cor nostrum semper in Domino. Nam quod amat, in eo se figere solet. Propter quod sanctus testatur Hieronymus : Gulosus cor habet in ventre, lascivus in lumbis, superbus in eminentia, avarus in pecunia. Hinc loquitur Isaias : Super *Is.* xxi, 8.
custodiam meam ego sum stans totis noctibus ; Habacuc quoque, Super custodiam *Habac.* ii, 1.
meam stabo, et contemplabor quid respondeam ad arguentem me.
D *Remove a te os pravum,* ita ut tu nec pra- 24
va loquaris, nec ora loquentium mala consentiendo advertas, sed fugias. Sic Salvator docet manum, pedem, oculum scandali- *Matth.* xviii, 8, 9.
zantem abscindere. Atque Apostolus : Mor- *Coloss.* iii, 5.
tificate, ait, membra vestra quæ sunt super terram. Simili modo *detrahentia labia sint procul a te,* ut nec detrahas, nec detrahenti communices. Detractio namque enorme est vitium, et gravius rapina ac furto : quoniam aufert nomen bonum, *Prov.* xxii, 1.
quod divitiis antefertur. De hoc vitio infra

magis dicetur. Unde et Jacobus ait aposto-
Jacob. IV, 11. lus : Nolite alterutrum detrahere, fratres
mei ; qui enim detrahit fratri, detrahit le-
25 gi. *Oculi tui* interiores *recta videant,* id
est, justa ac salubria pensent ac appro-
bent, inter vera et falsa, inter bona et
mala discernant, et qualiter sit agendum,
voluntate ostendant. *Et palpebræ tuæ* in-
tellectuales, id est scientiæ et notitiæ ti-
bi concessæ, *præcedant gressus tuos,* id
est, opera tua præveniant, quatenus sicut
per exteriorem visum consideras quo et
qualiter sit eundum, ita per scientiam et
Scripturam quam scis, perpendas qualiter
sit tibi vivendum : sicque consideratio
præveniat actum, et vitiorum obliquita-
tem ac viarum pericula fugiat ac devitet,
prout in libro de Consideratione plenius
docet Bernardus. Hinc Aggæus propheta
Agg. I, 5. ait : Ponite corda vestra super vias ve-
Ephes. V, 15. stras. Et Apostolus monet : Videte quo-
modo caute ambuletis.
26 *Dirige semitas pedibus tuis,* id est, actio-
nes tuas ordina bonis affectibus, ut pro-
cedant ex caritate et desiderio complacen-
I Cor. XIV, 40. di Deo : sicut hortatur Apostolus, Omnia
autem decenter et secundum ordinem fiant
in vobis. *Et omnes viæ tuæ stabilientur,*
id est, opera tua fient stabiliter bona. Or-
dinatio namque prudentiæ et caritas, valde
stabiliunt mentem in Deo, et opera ex se
procedentia faciunt firma : sicut econtra-
rio passiones, vitia ac imprudentia agitant
hominem, et per diversa instar venti ef-
Ps. LXXXII, 14. fundunt, juxta illud Psalmi : Deus meus,
pone illos ut rotam, et sicut stipulam
ante faciem venti. Propterea per Jeremiam
Jer. IV, 1. loquitur Dominus : Si abstuleris offendi-
cula tua a facie mea, non commoveberis.
Hinc Seneca libro de quatuor Virtutibus,
ait : Si prudentiam amplecteris, ubique
idem eris ; et prout rerum ac temporis
varietas exiget, ita te accommodabis et
applicabis rebus atque temporibus ; nec
te in eis mutabis, sed potius coaptabis,
sicut manus est eadem quum in palmam
extenditur, et dum in pugnum restrin-
gitur.

A *Ne declines ad dextram neque ad sini-* 27
stram : id est, regia via incede, nec ad
aliquod vitiosum extremum divertas, sed
persevera in medio virtutis, prout recta
determinat ratio. Virtus namque, secun-
dum Philosophum, est quædam medietas
inter duo extrema culpabilia : quorum
unum est manifeste malum, ideo per sini-
stram significatur ; aliud bonum, imo val-
de bonum esse putatur, ideo per dextram
designatur. Quemadmodum in virtute abs-
tinentiæ, medium est abstinere prout vi-
B res queunt sufferre ; manifesteque malum
est, omnino abstinere, et jejunare non vel-
le. Sed ultra vires abstinere et jejunare, ap-
paret quandoque valde laudabile, quamvis
ex indiscreto fervore procedat. Porro, se-
cundum Glossam, declinat ad dextram, qui
de justitia sua præsumit ; ad sinistram,
qui palam peccat. Declinat quoque ad dex-
tram, qui prosperis vel promissis ab iti-
nere recto allicitur ; ad sinistram vero, qui
per adversitates aut comminationes deji-
citur. Hinc scriptum est : Hæc est via, am- *Is.* XXX, 21.
C bulate in ea, et non declinetis neque ad
dextram, neque ad sinistram. *Averte pe-
dem tuum a malo,* id est, affectum tuum
compesce ab actu illicito, et omne quod
agis, refrena a vitio.

Totum autem quod subditur in isto ca-
pitulo (ut refert Lyra) non est in Hebræo,
neque de textu ; sed per modum glossæ ab
aliquo creditur fuisse adjunctum, ac postea
ex scriptorum imperitia textui mixtum.

*Vias enim quæ a dextris sunt, novit
Dominus.* Ea quæ virtuosa et bona sunt,
D Deus noscit per approbationem, sicut Do-
minus ad Moysen : Te ipsum, inquit, novi *Exod.*
ex nomine. Vitiosa autem et reproba, scit XXXIII, 17.
nuda et simplici intelligentia, juxta illud :
Cognovi multa scelera vestra. Si ergo per *Amos* V, 12.
vias quæ a dextris sunt, intelligantur viæ
veraciter bonæ, seu actus justitiæ, illas
scit Dominus per approbationem ; si vero
per eas intelligantur viæ quæ multum bo-
næ videntur, et tamen ex indiscretione
procedunt, illas novit per intelligentiam
simplicem et reprobationem. Sed primo

Digitized by Google

modo videntur hic accipi, quum subdatur : *perversæ vero sunt quæ a sinistris sunt,* id est, ad extremum aperte malum declinant. *Ipse autem* Deus *rectos faciet gressus tuos,* dando tibi gratiam conversandi juxta suorum rectitudinem præce-
Osee xiv, 10. ptorum : de quibus dicitur, Rectæ viæ Domini, et justi ambulabunt in eis. Non ergo præsumamus de viribus nostris, sed auxilio gratiæ jugiter innitamur, quoniam sine ipso nihil meritorium possumus facere.
Ps. LXXXV, 11. Ideo cum Psalmista precemur, Deduc me,
Ps. CXVIII, 133. Domine, in via tua; et, Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. Nihilo mi-
Hebr. XII, 13. nus Apostolus monet : Rectos gressus facite pedibus vestris. Oportet enim nos cooperari gratiæ Dei, atque per liberum arbitrium acceptare divinum instinctum, et consentire directioni divinæ. *Itinera autem tua in pace producentur,* id est, opera tua erunt pacifica, et actus tui paci pectoris erunt conjuncti, et ad pacem æternitatis
Ps. CXVIII, 165. perducent. Etenim pax multa diligentibus
Job XXII, 21. legem Dei. Et Job dicitur : Acquiesce Deo, et habeto pacem ; et per hoc habebis fructus optimos.

Ecce in isto capitulo multipliciter, et per verba sæpius repetita, ad desiderium et amorem, ad studium et amplexum sapientiæ admonemur. Nec mirum, quoniam tanta est dignitas ejus, quod in actu ipsius, Unigenitus Dei beatitudinem nostram con-
Joann. XVII, 3. stituit : Hæc est, inquiens, vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Denique, sicut in suis Proverbiis ait Cyrillus : Nihil est homo, si sit sapientia destitutus ; qui se ignorat, nihil est sibi. Et præsertim miser et pauper est, qui suum non novit Creatorem. Propter quod dixit Apostolus :
I Cor. XIV, 38. Qui ignorat, ignorabitur. Atque in Osee
Osee IV, 6. asserit Dominus : Conticuit populus meus, eo quod non habuerit scientiam Dei. Quid prodest rutilantia cæco, eloquentia surdo, prudentia fatuo ?

Præterea, ad vigilantissimam cordis custodiam hic monemur : quam exercere poterimus, si omnipotentis præsentiam Judicis sagaciter ponderemus. Si enim reve-
A rendo aliquo homine præsente ac intuente, erubesceremus nos turpiter, negligenter et inhoneste habere : cur super hoc in Dei vultu non verecundamur ? Hinc S. Bernardus in epistola ad Fratres de Monte Dei, edocuit, quod ad habendum se honeste ac virtuose in solitudine et seorsum, plurimum valet ut homo imaginetur sibi quasi præsentem aliquem venerabilem virum, sub cujus adspectu agat omne quod agit : et quod illo intuente agere vereretur, coram Deo agere vereatur. Idcirco in epistolis
B suis ait et Seneca : Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat ; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant te. Accipe admonitionem salubrem, quam affigere animo tuo volo. Aliquis vir bonus nobis eligendus est, et ante oculos semper habendus, ut sic semper tanquam spectante eo vivamus, et omnia tanquam illo vidente faciamus. Magna pars tollitur vitiorum, si peccanti testis venerandus adsistat.

Præterea, in isto capitulo, ad evitandum
C sollicite omnem detractionem instruimur. Quocirca pensandum quia, ut ait Thomas in secunda secundæ, quæstione 73, Sicut quis nocet alteri facto dupliciter, scilicet manifeste, ut in violentia et rapina, et secrete, sicut in furto ; sic unus nocet alteri verbis duobus modis : primo occulte, ut in detractione ; secundo aperte, sicut in contumelia. Dicitur autem homo detrahere, non quia semper aliquid minuat de veritate, sed quoniam quantum in se est, intendit bonitatem famæ alterius minorare
D directe aut indirecte. Directe, quatuor modis : primo, dum alteri falsum imponit ; secundo, dum culpam ejus exaggerat seu adauget ; tertio, dum revelat occulta ; quarto, dum ea quæ bona sunt, affirmat prava intentione peracta. Indirecte quoque dupliciter : primo, dum negat bonum alterius ; secundo, dum malitiose reticet illud. At vero quam grave sit crimen detractio, constat ex hoc, quod Apostolus ad Romanos, detractores vocat odibiles Deo. Et item ex Rom. I, 30.
hoc, quod, ut refert S. Clemens, beatissi-

Digitized by Google

mus princeps Apostolorum asseruit esse tria homicidii genera. Primum est homicidium corporale. Secundum est odium : nam in prima Canonica sua ait Joannes, (I *Joann.* III, 15.) Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Tertium, detractio : de qua testatur Bernardus, quod sit gladius ex utraque parte acutus, interficiens tam animam detrahentis, quam mentem audientis. Hinc de S. Pacomio legitur, quod quum audiret ali- A quem detrahentem, protinus fugit ab illo tanquam a basilisco.

Postremo hortatur nos scriptura hujus capituli, ut in omnibus simus considerati et circumspecti, et ex prudenti deliberatione procedamus in actum. Nempe, ut ait Bernardus, consideratio mentem purificat, regit affectus, dirigit actus, corrigitque excessus ; mores componit, vitam ordinat et honestat.

ARTICULUS V

EXPLANATIO CAPITULI QUINTI : FILI MI, ATTENDE SAPIENTIAM.

HIC rursus in exordio ad sapientiam amplectendam breviter exhortatur; et quia hanc potissime impedit venereorum voluptas, docet diffuse hanc esse vitandam.
1 *Fili mi, attende sapientiam meam, et*
2 *prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut*
custodias cogitationes, et disciplinam labia
tua conservent. Istud jam frequenter expositum est. *Ne intenderis fallaciæ mulieris.*
Istud dicitur in Hebræo non haberi. Attamen sensus est, quod versutiis mulierum non sit insistendum ad imitandum, sed
3 potius ad præcavendum. *Favus enim distillans labia meretricis,* id est, instar favi guttantis delectant; *et nitidius oleo guttur*
ejus : quod sic polit et ornat, ut magis
4 ametur. *Novissima autem illius amara*
quasi absinthium : quoniam multa mala pœnæ et culpæ, in corpore et in anima, etiam in hac vita comitantur luxuriam, deinde æterna damnatio, juxta illud Apo-
(*Apoc.* XVIII, 7.) calypsis : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum. *Et acuta quasi gladius biceps :* quoniam corpus animamque affligunt, et pœnam damni ac pœnam sensus infligunt.
5 *Pedes ejus descendunt in mortem, et ad*
inferos gressus ejus penetrant : quia affectiones ejus sunt libidinosæ, et opera ejus
B mortaliter vitiosa. *Per semitam vitæ* gra- 6
tiæ, id est per observantiam legis divinæ, *non ambulat,* nec curat prolificare, sed deliciari ; vitam quoque naturæ abbreviat. *Vagi sunt gressus ejus et investigabiles :* quoniam motibus passionum undique circumfertur, et concupiscentiarum inquietudine agitatur plus quam in particulari queat effari.
Nunc autem, fili mi, audi me, et ne 7
recedas a verbis oris mei. Longe fac ab ea 8
viam tuam : quia ad vitandum vitia car-
C nis, maxime confert occasiones eorum vitare, colloquia et adspectum, imo et imaginem venereorum statim repellere, seque ad meditandum salubria, et quæ compunctionem inducunt convertere, videlicet ad intentam dominicæ passionis memoriam, ad considerationem rigoris divini judicii, atque æterni supplicii, et in qualem putredinem et fœtorem caro hæc sordida cito sit resolvenda. *Et ne appropinques foribus domus ejus,* ne contra propositum tuum alliciaris.
D *Ne des alienis honorem tuum :* id est, 9
ingenitam tuam libertatem ac honorabilem mentem atque imaginem, qua Creatori tuo assimilaris, non subdas jugo vitiorum, servituti diaboli, turpitudini carnalitatis,

Digitized by Google

Ps. XLVIII, 13. 21. ne impleatur in te illud in Psalmo : Homo A
quum in honore esset, non intellexit ;
comparatus est jumentis insipientibus. De-
nique admirabilis est honor hominis, quod
per Christi incarnationem, passionem, ad-
Rom. VIII, 16. 17. optionem et gratiam factus est filius Dei,
membrum, miles ac frater Christi, heres
vitæ æternæ, proles Ecclesiæ. Non igitur
vilificet homo se ipsum in tantum, ut vi-
tiis serviendo fiat servus diaboli, adver-
sarius Christi, mancipium iniquitatis, fi-
lius perditionis. Anima quoque per fidem
et caritatem sponsa est Salvatoris, sed per B
immunditiam culpæ fit adultera dæmonis.
Et annos tuos crudeli : id est, actus vitæ
temporis, quo hic vivis, non exhibeas jux-
ta instigationem diaboli, qui adeo ferox
est, ut nihil minus ei de nobis sufficiat,
quam ut æterna felicitate nos privet, ac
secum infernali damnationi involvat.

Tam crudelissimo igitur hosti nequa-
quam te subdas, nec unquam consentias,
10 *ne forte impleantur extranei viribus tuis,*
id est, ne vires naturæ roburque gratiæ
auferant tibi invisibiles hostes, personæ- C
que lubricæ, et meretricum lenones ; *et*
labores tui sint in domo aliena, id est, fa-
cultates et opes tuæ a meretricibus consu-
mantur, et opera meritoria, quibus aliquan-
do Deo servisti, ab hostibus tuæ salutis
11 annihilentur, id est, mercede priventur; *et*
gemas in novissimis, sero pœnitendo, *quan-*
do consumpseris carnes tuas et corpus tu-
um, per luxuriam enervando et exhauri-
endo. Hinc in Proverbiis suis ait Cyrillus
libidinoso : Quid est quod coeundo effun-
dis? Nonne digestissima medulla? nonne D
vitæ admirabiliter sementiva humanæ na-
turæ, radicalis carnis substantia? et divitia-
rum generativæ virtutis thesauraria vena?
Quid ingratus in nihilum projicis? *Et di-*
12 *cas : Cur detestatus sum disciplinam,* per
quam carnales concupiscentiæ refrenan-
tur, *et increpationibus non acquievit cor*
13 *meum, nec audivi vocem docentium me, et*
magistris non inclinavi aurem meam ad
14 caste vivendum? *Pene fui in omni malo,*
id est, fere pollutus sum omni peccato, *in*
medio ecclesiæ, id est ecclesiasticorum, *et*
synagogæ ceterorum sæculariumque cre-
dentium : et hoc damnabilius est, quod
peccavi non ex ignorantia, sed ex certa
scientia, et inter fideles et spirituales per-
sonas, quarum nec documentis nec exem-
plis correctus sum.

Bibe aquam sapientiæ et doctrinæ, *de* 15
cisterna tua, id est de sacra Scriptura, et
voluminibus vere catholicis; vel de gratia
habituali et sapientia infusa vel acquisita
exsistente in te, ut ex habitu procedas in
actum, et de sapientiæ dono in contempla-
tionis exercitium ; *et fluenta putei tui,* id
est, meritis gratiæ tibi collatæ reficiaris.
Hinc in Isaia dictum est : Haurietis aquas Is. XII, 3.
in gaudio de fontibus Salvatoris. Et alio
loco in eodem Propheta : Omnes sitientes, Ibid. LV, 1.
venite ad aquas. In Apocalypsi quoque :
Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam Apoc. XXII, 17.
vitæ gratis. Christus quoque in Evange-
lio : Aqua, inquit, quam ego dabo, fiet in Joann. IV, 14.
eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
Puteus etiam dici potest cor profundum,
desuper illustratum, divinis charismatibus
adimpletum.

Deriventur fontes tui foras : id est, sa- 16
pientiam, scientiam et doctrinam tibi con-
cessas, quibus intus redundas, communica
aliis prædicando, consulendo, docendo,
corripiendo : sicut princeps Apostolorum
hortatur, Unusquisque sicut accepit gra- I Petr. IV, 10.
tiam, in alterutrum illam administrantes;
et sicut in Daniele legitur, Qui multos Dan. XII, 3.
erudiunt ad justitiam, fulgebunt quasi stel-
læ in perpetuas æternitates. *Et in plateis,*
id est in latitudine populi, et in locis pa-
tentibus, *aquas tuas divide,* et charismata
tibi concessa aliis impertire, spiritualia
misericordiæ opera exercendo, ac proxi-
mos ædificando. *Habeto eas solus, nec sint* 17
alieni participes tui. Hoc prima facie vi-
detur jam dictis contrariari. Sic ergo est
exponendum : Habeto eas solus, id est, in
tua sint potestate, et in corde tuo, tan-
quam in subjecto, originaliter ac habitua-
liter solæ remaneant, nec in hoc sint alii
participes tui, ut a tam salubri usu grati-

Digitized by Google

arum istarum possint te impedire. Vel, Alieni, id est infideles atque hæretici, tecum societatem non habeant, nec suas
II Cor. vi, 14. doctrinas commisceant tuis. Quæ enim societas luci ad tenebras?

18 *Sit vena tua,* id est sapientia et doctrina, ex qua aliis potum animæ refectivum, et concupiscentiarum vitiorumque refrigerativum tribuis, *benedicta* a Domino, qui tanto plus eam in se ipsa augeat atque perficiat, quanto liberalius communicatur et aliis. Qui enim spiritualia sua charismata proximis impertitur, nequaquam ex hoc minorationem, sed spiritualem locupletationem sortitur; fitque particeps omnium bonorum quæ ex sua communicatione fiunt ab aliis. *Et lætare* legitime *cum muliere adolescentiæ tuæ,* id est uxo-
19 re, quam in adolescentia accepisti. *Cerva carissima, et gratissimus hinnulus,* id est, hæc sit tibi dilecta ac socia, tanquam cer-
Ephes. v, 23; I Cor. xi, 3. va gratissima et fecunda. Et quoniam vir caput est mulieris, et uxor sub potestate mariti est, sit tibi uxor tua subjecta et acquiescens ut hinnulus : qui cervæ est pullus. *Ubera ejus inebrient te omni tempore* opportuno. Magna enim est delectatio copulæ conjugali admixta. *Et in amore ejus delectare jugiter,* scilicet suo loco et tempore, in quantum delectatio illa est licita, nec limites matrimonii transcendens. Quemadmodum enim ille actus matrimonialis fieri potest sine peccato, dum fit desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, vel ad persolvendum debitum carnis, sive ad vitandum incontinentiæ malum in compare; sic et delectatio actui illi annexa, potest esse sine culpa et licita, prout super quartum Sententiarum doctores declarant.

Loquitur autem Salomon tam extense, non ut ad libidinem carnalitatemque provocet, sed ut pusillos ad vitia pronos, ab omni concubitu adulterino et illicito re-
20 vocet. Ideo subditur : *Quare seduceris, fili mi,* id est, seduci te sinis, vel te ipsum seducis, *ab aliena* uxore aut fornicatrice, *et foveris in sinu alterius?* quasi dicat : Quum possis sine peccato cum propria uxore deliciari, cur cum tanto facinore de-
lectaris cum aliis feminis? *Respicit Domi-* 21
nus viam hominis, id est omne quod agit, sive in die, sive in nocte, *et omnes gressus illius considerat.* Ideo in Jeremia habetur : Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? Jer. xxiii, 24. Et sanctus Job loquitur Deo : Observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Job xiii, 27. Ideo saltem timore altissimi ac metuendissimi Judicis omnia intuentis, debes a tanto scelere revocari, et verecundari de omni turpitudine vitiorum in præsentia supersanctissimi Dei, nec coram facie ejus tam fœde et viliter te habere. Ad quod te quoque debent inducere mala quæ ex peccato sequuntur. De quibus subjungitur :

Iniquitates suæ capiunt impium, id est, 22
faciunt eum diabolo subditum, et in captivitatem infelicem redactum, ita quod perdit gratiæ libertatem ; *et funibus peccatorum suorum quisque constringitur,* id est, arctatur atque ligatur, ita ut nequeat se extendere ad Dei obsequium, nec egredi ad meritorie operandum, quum sit spiritualiter mortuus, et quasi diaboli equus. Peccata etenim rationem excæcant, vires debilitant, et bonum naturæ lædunt. Hinc gloriosissimus princeps Apostolorum in sua secunda ait Canonica : Iniqui sunt servi corruptionis; a quo enim quis superatus est, hujus et servus est. II Petr. ii, 19. Vas quoque electionis, loquens de impiis : Resipiscant, inquit, a laqueis diaboli, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. II Tim. ii, 26. Hoc sensit Propheta, qui pœnitens dixit : Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Ps. xxxvii, 5. Hinc in Isaia asseritur : Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, et quasi vinculum plaustri peccatum. Is. v, 18.

Ipse iniquus *morietur* morte æternæ 23
damnationis, *quia non habuit disciplinam,* id est morum modestiam, et suæ transgressionis castigationem, neque salubrem doctrinam per operis executionem : imo abjecit hæc omnia, juxta illud, Tu vero Ps. xlix, 17.

Digitized by Google

odisti disciplinam, et projecisti sermones A meos retrorsum. Quocontra hortatur Psalmista (Ps. II, 12.) : Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, et pereatis de via justa. *Et in multitudine stultitiæ suæ decipietur,* id est, propriis erroribus, ignorantiis, concupiscentiis, vitiisque falletur, non attendendo quæ suam concernunt salutem, sed vana securitate torpendo, et sine timore peccando. Ideo cadet in rete diaboli et lacum inferni. De talibus Baruch (Baruch III, 27, 28.) ait : Viam disciplinæ non invenerunt, ideo perierunt ; et quia non habuerunt B sapientiam, interierunt propter suam insipientiam. Unde dicitur (Job XXXVI, 12.) : Si non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia.

Præterea, per meretricem quidam intelligunt idololatriam : cujus labia sunt favus distillans, quia carnalia oblectamenta admittit ; et nitidius oleo guttur ejus, quoniam ejus instructio placet idololatris, et pulchra videtur vanis et imperitis hominibus. Ista expositio non videtur litteralis. Catholici autem, per meretricem spiritualiter C intelligunt hæreticam pravitatem, seu hæreticorum collectionem : quæ et ipsa promittit carnalia, et nitore eloquentiæ suæ decipit multos, quos finaliter æternæ acerbitati involvit. Idcirco ab ea cavendum. Atque ad hunc sensum potest littera facillime applicari : quod brevitati studens non prosequor, quia difficultatem non habet.

Porro, per mulierem adolescentiæ, mystice designatur Ecclesia : quæ est cerva carissima, doctrinam conterens serpentinam, et ad bonum agendum celerrima, atque festinans fluenta sapientiæ et doctrinæ sanctæ potare, cornibus divinæ auctoritatis ac prælaticæ potestatis, eminentiaque virtutum armata, ad resistendum rebellibus. Cujus populus est gratissimus hinnulus spiritualiter renovatus, sua varietate delectabilis et amœnus, agilisque ad bona, et matris suæ sequens vestigia, ad fontem sapientiæ properando. Hujus cervæ ac conjugis uberibus debemus inebriari, id est, utriusque Testamenti scripturis ac consolationibus refici et impleri, ita ut repleamur, juxta Scripturæ doctrinam (Rom. XV, 13.), omni gaudio, et spe in credendo ; sicque abundemus in virtute et gratia Spiritus Sancti. Quæ quum ita sint, cur, o fili, seduceris ab aliena, id est hæreticorum collectione, et vanissimis adinventionibus ac novitatibus credis magis, quam solidissimis Ecclesiæ documentis ?

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : FILI MI, SI SPOPONDERIS PRO AMICO TUO.

TRACTAT hic Salomon de diligentia D circa fidejussionem, et de negligentia ei contraria, atque de aliis quibusdam vitiis increatæ Sapientiæ odibilibus. Deinde rursus ad sapientiam obedientiamque hortatur, ut sic vitia carnis vitentur.

1 *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo,*
defixisti apud extraneum manum tuam,
id est, manum protendendo promisisti alieno satisfacere ei pro amico tuo, si ipsemet
amicus tuus non satisfecerit illi. *Illaqueatus es verbis oris tui,* id est, propria sponsione velut laqueo es constrictus, ad observandum quod promisisti, *et captus,* id est obligatus ac tentus, *propriis sermonibus :* sicque incidisti periculum. Idcirco subin- 2
fertur consilium : *Fac ergo quod dico tibi,* 3
fili mi, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, id est, ratiocinando inquire qualiter agere debeas, et ad loca congrua

curre; *festina,* quia dilatio in isto casu est A
periculosa; *suscita amicum tuum,* vel a
somno corporali, aut a cordis ignavia, fac-
que eum sollicitum, ut personaliter satis-
4 faciat. *Ne dederis somnum oculis tuis,*
nec dormitent palpebræ tuæ eo tempore,
5 quo expedit pro causa hac vigilare. *Eruere*
quasi damula de manu : id est, sicut ca-
prea silvestris seu agrestis, quæ est ani-
mal imbecille ac timidum, conatur ma-
num tenentis eam evadere; sic tu stude
periculum tuæ sponsionis effugere; *et qua-*
si avis de insidiis aucupis, id est, sicut B
avis festinat evolare de laqueo seu retia-
culo, quo captor avium eam jam cepit,
aut capere cupit.

Ecce istud ad litteram est sanum consilium, ne quis incaute pro proximo spondeat; aut si spoponderit, indesinenter curet ac studeat proximum suum inducere ad satisfaciendum, alioqui ipsemet satisfacere non omittat. Verum quidam sunt adeo negligentes, quod improvide spondent pro aliis : quo facto, nec illos sollicitant, nec ipsimet satisfacere curant; sicque fidei C violationem, juramenti seu promissi transgressionem, et grande incurrunt damnum. Hi igitur istud Salomonis pensent impleantque consilium. Is vero pro quo quis spopondit, omnibus modis satagere debet ut fidejussorem suum servet a damno immunem, sicut in Ecclesiastico legitur :
Eccli. XXIX, 20. Gratiam fidejussoris tui ne obliviscaris.

Spiritualiter vero pro amico spondet, qui prælationem assumendo, alios accipit gubernandos, sicque adstringit se ad reddendum rationem pro ipsis. Ad quod etiam D specialiter episcopi in sua consecratione solenni voto se obligant, prout Thomas in secunda secundæ, et in libro de Perfectione status spiritualis, declarat. Prælatus ergo curam assumens animarum, incidit grande periculum, et propriis verbis se obligavit implere debitum sui officii, et præsertim ut se exhibeat exemplarem subditis suis, ac primo impleat quod alios do-
Luc. IV, 23. cet, ne ei dicatur : Medice, cura te ipsum;
Rom. II, 21. et illud Apostoli : Qui alium doces, te ipsum non doces? Nempe cujus conversatio est scandalosa, ejus prædicatio irridenda magis quam reverenda censetur. Et sicut ait Gregorius : Cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Hinc et Seneca in suis fatetur Proverbiis : Perturpe est, quod objicitur, in objiciente cognosci. In epistola quoque vicesima : Verba, inquit, rebus proba. Facere docet philosophia, non dicere tantum; et hoc exigit ad suam legem ut quisque legitime vivat, ne sermo a vita dissentiat. Officium namque et indicium sapientiæ est, ut opera verbis concordent.

Fac ergo quod dico tibi, quia incidisti in manum proximi tui, id est subditi tibi commissi, cujus negligentia esset tua damnatio, nisi circa illum diligens esses. Idcirco *discurre,* ex caritatis fervore; *festina,* quia periculum est in mora; *suscita amicum tuum,* exhortando, instruendo, corripiendoque subditum, ut cum metu, *Philipp.* II,
timore et tremore suam operetur salutem. 12.
Ne dederis somnum oculis tuis, id est, nequaquam sis negligens, somnolentus, aut fessus in tui exsecutione officii : sicut de quibusdam in Isaia habetur : Speculatores *Is.* LVI, 10.
cæci omnes, nescierunt universi; canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, et amantes somnia. *Eruere quasi damula de manu,* id est, præfato modo te a damnationis periculo erue. Damula quoque, quamvis sit imbecillis ac timida, nihilo minus velox est cursu atque acerrima visu : sic et tu agilitate actuum virtuosorum, et perspicacissima consideratione, a prætacto periculo te præserva. *Et quasi avis de insidiis aucupis* fugit volando in altum, sic tu consideratione divini judicii, et contemplatione perpetui ac beatissimi præmii, stude evadere tentamenta diaboli pastoribus præparata, et omnem pigritiam supera. Unde subjungitur :

Vade ad formicam, o piger, ut qui Scri- 6
pturis non obedis, nec majorum exhortationi obtemperas, saltem irrationabilium exemplo animalium instruaris, et de tua

Digitized by Google

insipientia atque ignavia erubescas. *Et*
considera vias ejus, id est sollicitudinem,
agilitatem, providentiamque formicæ, *et*
7 *disce sapientiam. Quæ quum non habeat*
ducem a quo dirigatur, *nec præceptorem*
a quo impellatur, *nec principem* cujus
8 jussione inducatur, *parat in æstate cibum*
sibi : quia tunc latibulum suum egreditur,
ad quærendum victualia pro se; *et con-*
gregat in messe quod comedat : quia in
messe colligit grana, et alia quædam quæ
in foveam suam deportat, quatenus inde
sustentetur in hieme, quando non exit
præ frigore, nec tunc taliter inveniret ne-
cessaria sibi : et totum hoc agit naturali
instinctu ex impressione auctoris naturæ,
qui est omnium universalis et summus
dux, præceptor et princeps, extra et supra
omne genus ac ordinem. Nam, ut Com-
mentator post Aristotelem ait : Opus natu-
ræ est opus intelligentiæ, maxime autem
primæ causæ, cujus opus est etiam intelli-
gentiæ opus. Hinc, ut asserit Damascenus,
bruta et inanimata animalia in talibus ma-
gis aguntur, quam agant.

Sic ergo et nos, et præsertim qui præ-
sunt, debemus in æstate, in juventute, in
sanitate et vigore durante exercere opera
bona, et spiritualium alimentorum copiam
nobis ipsis ac proximis congregare; et in
messe, id est tempore isto quo mereri et
crescere, spiritualiterque ditari valemus,
et in quo fervor tentationis, imo et ardor
caritatis ac studii currunt, colligere neces-
saria nostræ saluti, quibus in hieme, hoc
est in hora mortis et in die judicii, valea-
mus refici, adjuvari atque salvari, sicut
Galat. vi, 10. hortatur Apostolus : Dum tempus habe-
mus, operemur bonum ad omnes; et rur-
II Cor. vi, 2. sus, Ecce nunc tempus acceptabile, ecce
nunc dies salutis. Contra istud etiam in
corporalibus agunt improvidi, qui in ju-
ventute sua consumunt et vendunt patri-
monia sua, et postea, dum magis indi-
gent, et minus acquirere possunt, patiuntur
inopiam.

9 *Usquequo, piger, dormies* somno cor-
porali, ad quem pigri sunt inclinati, et
A item somno negligentiæ et peccati? De
quo ait Apostolus : Surge, qui dormis, et Ephes. v, 14.
exsurge a mortuis. Est etiam somnus mor-
tis, de quo dixit Salvator, Lazarus amicus Joann. xi, 11.
noster dormit; et somnus contemplationis,
de quo accipi solet illud Geneseos, Immisit Gen. ii, 21.
Dominus soporem in Adam. Porro somnus
corporalis immoderatus, non solum ani-
mæ, sed corpori quoque est valde noci-
vus, et gravat naturam, hebetat sensum,
malos parit humores, et damna rerum
inducit. Insuper obruit intellectum, tem-
B pus infructuose expendit, et multorum
fomentum est vitiorum. Ideo Cato dixit :

Plus vigila semper, nec somno deditus esto :
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.

Hinc sancti viri maxime deplanxerunt ja-
cturam temporis, quod dormiendo expen-
debant. Verumtamen necessitati naturæ
cum discretione est providendum. *Quando*
consurges de somno tuo? Ironia est, et in-
crepatio justa : quasi dicat, Diutius quam
tibi expediat, dormies. *Paulului dor-* 10
C *mies, paululum dormitabis,* manendo in
vitiis : quia modicum tibi videtur tempus
illud, quod ita consumis, et dicere soles,
Post aliquantulum tempus pœnitentiam
agam. *Paululum conseres,* id est compli-
cabis, *manus tuas, ut dormias :* quia con-
sertio manuum solet esse indicium affe-
ctionis magnæ ad aliquid. *Et veniet tibi* 11
quasi viator egestas, id est defectus tem-
poralium et spiritualium bonorum, vel ad
minus spiritualium, *et pauperies quasi vir*
armatus, id est, tam fortiter, quod nequibis
D evadere : quod fit, dum quis in suo per-
durans torpore, ante veram pœnitentiam
tollitur de hac vita. Propter quod monuit
Dominus : Vigilate, quia nescitis qua hora Matth. xxiv, 42.
Dominus vester venturus sit; et rursus :
Vigilate omni tempore orantes, ut digni Luc. xxi, 36.
habeamini fugere omnia quæ ventura sunt,
et stare ante Filium hominis.

Quod autem subjungitur : *Si vero impi-*
ger, id est fervens et agilis, *fueris* in acti-
bus bonis, *veniet ut fons messis tua,* id
est, copiosus fructus inde proveniet tibi,

Digitized by Google

et retributio gloriosa : sicut alibi scriptum
Sap. III, 15. est, Bonorum laborum gloriosus est fru-
ctus. Unde legitur secundo Paralipome-
II Par. XV, 7. non : Non dissolvantur manus vestræ; erit
enim merces operi vestro. Hinc dixit Apo-
II Cor. IX, 6; Galat. VI, 8. stolus : Qui parce seminat, parce et metet;
et qui seminat in benedictionibus, de be-
nedictionibus et metet vitam æternam. *Et
egestas longe fugiet a te.* Istud in Hebræo
(ut dicitur) non habetur.

Ex his docemur, in Dei obsequio omnem
pigritiam, somnolentiam, acediamque vi-
tare, atque viriliter aggredi opera bona.
Et certe pigris valde est ponderandum ac
formidandum, quod in Apocalypsi ait Al-
Apoc. III, 15, 16. tissimus : Utinam calidus esses aut frigi-
dus; sed nunc quia tepidus es, incipiam
te evomere ex ore meo. Denique pigri in
divinis, in præsenti et in futuro sustinent
detrimentum, quia id ipsum boni quod
agunt, faciunt cum labore et tædio, sine
consolatione et gustu : propter quod aut
parum, aut nihil merentur. Ferventes vero
et agiles, serviunt Deo cum gaudio, et de-
lectabile est eis exercere divina. Ideoque
in præmio crescunt præcipue, et sunt Deo
cari et complacentes. Pigritia ex caritatis
defectu, et inconsideratione divinæ maje-
statis ac novissimorum procedit. Ideo ait
Bernardus : Pigri si diu in suo torpore per-
manserint, aut opprimuntur sub onere et
succumbunt; aut quodammodo in inferno
sunt, ut nunquam ad plenum respirent in
lucem miserationum Domini, nec in liber-
Matth. XI, 30. tatem spiritus, quæ solum facit jugum
suave et onus leve. Inde autem tam perni-
ciosa emanat tepiditas, quia voluntas eo-
rum nondum purgata est, nec sic volunt ac
Jacob. I, 14. diligunt bonum, sicut noverunt, a propria
concupiscentia abstracti et illecti. Amant
enim in carne sua terrenas consolatiuncu-
las, sive in verbo, sive in signo, sive in
facto. Et si hæc aliquando interrumpunt,
non tamen penitus rumpunt. Inde est quod
raro dirigunt affectiones suas in Deum, et
compunctio eorum non continua, sed ho-
raria est.

12 *Homo apostata,* id est recedens a fide,
vel a religione, sive a Deo per mentis
aversionem, *vir inutilis* sibi et aliis, imo
nocivus et scandalizans, ut refuga legis;
graditur ore perverso, id est vitiosa pro-
ferens verba, ut alios suis involvat erro-
ribus; *annuit oculis,* id est, vanos nutus 13
per visum ostendit; *terit pede,* id est, la-
scive, seu composito gressu ex elatione
procedit; *digito loquitur,* id est, loquendo
digitum petulanter extendit et agitat : quod
malum esse, patet ex eo, quod scriptum
est Isaiæ quinquagesimo octavo, Si desieris Is. LVIII, 9.
digitum extendere, et loqui quod tibi non
expedit. Aliquando tamen sapientes lo-
quendo digitum extendunt et manum, ad
excitandam audientium attentionem. Nam
et sacratissimus Joannes digitum exten-
dendo Christum monstravit : Ecce, inqui- Joann. I, 29, 36.
ens, Agnus Dei. Et in Actis fertur : Paulus Act. XXVI, 1.
extenta manu cœpit rationem reddere. *Pra-* 14
vo corde machinatur malum, id est, ex
proposito cogitat qualiter aliis possit no-
cere, *et omni tempore jurgia seminat,* id
est lites atque discordias inter proximos :
quod est peccatum gravissimum, caritati
et paci omnino contrarium.

Huic extemplo, id est statim ac subito, 15
veniet perditio sua, id est damnatio : imo
hæc faciendo, perdit continuo semetip-
sum. *Et subito conteretur* morte improvi-
sa, *nec habebit ultra medicinam,* id est
pœnitentiam salutarem, præsertim post
mortem. Tales quoque raro ac difficulter
pœnitent in hac vita, quum sint vehe-
menter malitiosi. Verumtamen auxilian-
te pietate infinita ac omnipotente Medi-
ci supercœlestis, possunt converti. Idcirco
quamdiu hic vivunt, non est desperandum
de eis. His demum verbis consonat quod
legitur in Isaia : Pro eo quod elevatæ sunt Is. III, 16, 17.
filiæ Sion, et ambulaverunt collo extento,
et nutibus oculorum ibant, et composito
gradu incedebant ; decalvabit Dominus
verticem filiarum Sion.

Sex sunt quæ odit Dominus tanquam 16
enormia crimina, *et septimum* tanquam
gravissimum, *detestatur anima ejus,* id est
mens ejus : non quod Deus in sua natura

habeat animam, sed Scriptura more hu-
mano loquitur de Deo : sicut Amos ait,
Amos vi, 8. Juravit Dominus Deus in anima sua, etc.,
Is. i, 14. Detestor ego superbiam; et Isaias, Solen-
17 nitates vestras odivit anima mea. *Oculos*
sublimes, id est corda superba, quæ ani-
mose efferunt semetipsa. Unde scriptum
Ibid. ii, 11. est :Oculi sublimis hominis humiliati sunt.
Linguam mendacem, id est mendacia per-
niciosa loquentem. Quemadmodum scri-
Ps. v, 7. ptum est : Perdes omnes qui loquuntur
mendacium. Quum enim Deus adorandus
et benedictus, sit essentialiter veritas ipsa,
valde displicet illi tale mendacium, quod
est directe recessus a summa veritate.
Manus effundentes innoxium sanguinem,
18 lædendo, mutilando aut occidendo ; *cor*
machinans cogitationes pessimas, id est,
intra se excogitans, qualiter mala inten-
ta impleat. Ideo apud Jeremiam loquitur
Jer. iv, 14. Dominus : Usquequo morabuntur in te co-
Mich. ii, 1. gitationes noxiæ? Et Michæas ait : Væ qui
cogitatis inutile. *Pedes veloces ad curren-*
dum in malum : qui scilicet ex ferventi
desiderio et habitu vitioso festinant in
19 opera mala procedere. *Proferentem men-*
dacia testem fallacem : qui fraudulenter
et mendose testimonium contra proximum
profert, præsertim in foro judicii : pro-
pter quod tenetur ei restituere famam, et
damnum recompensare. *Et eum qui semi-*
nat inter fratres, id est proximos, cujus-
cumque sint sexus, *discordias* veræ et vir-
tuosæ paci contrarias.

Circa hæc ait Glossa : Enumeravit sex
capitalia crimina, quæ tamen comparatio-
ne seminationis discordiæ, quasi minora
deprompsit : quoniam majus est facinus
illud, quo dissipatur unitas atque frater-
nitas, quæ per Spiritus Sancti gratiam est
connexa. Attamen, sicut Thomas in secun-
da secundæ, et in Summa contra gentiles
declarat, inter omnia peccata quæ fiunt
in proximum, homicidium exstat gravissi-
mum. Tamen, quantum ad aliquid, potest
seminatio discordiæ gravior reputari, quia
directe aufert vitam, caritatem et pacem ;
homicidium vero, vitam naturæ. Hinc con-

A stat, quam vehementissime debeamus se-
minationem discordiæ abhorrere ac evita-
re. Verumtamen quidam inter se habent
pravam concordiam, pacem carnalem, vi-
tiosum amorem : quorum concordiam dis-
sipare est bonum, quemadmodum inter
Pharisæos et Sadducæos in persecutione
B. Pauli concordes, ipse gloriosus Aposto-
lus seminavit discordiam, ut patet in Ac- *Act.* xxiii,
tibus. Denique congregatio fidelium est 6, 7.
exercitus Dei, ad quem pertinet contra in-
visibiles hostes, contra aciem vitiorum,
B contra adversarios Dei salutisque propriæ,
unanimiter præliari. In exercitu autem
optimum est concordia, qua se invicem
juvant ; pessimum autem discordia, qua
sibi invicem adversantur. Qui igitur inter
fideles discordiam seminat,est omnino ini-
micus Dei, cooperator et adjutor diaboli,
proditor proximorum, traditor exercitus
Spiritus Sancti, demolitor castri divini. Id-
circo est summe nocivus, et penitus dete-
standus.

Conserva, fili mi, præcepta patris tui 20
C cœlestis : cui jugiter dicimus, Pater noster *Matth.* vi,
qui es in cœlis; qui jure creationis, con- 9.
servationis, gubernationis, provisionis, li-
berationis et glorificationis, merito dicitur
Pater noster. Cui etiam Isaias dicit : Tu, Do- *Is.* lxiii, 16.
mine, Pater noster, Redemptor noster. *Et ne*
dimittas legem matris tuæ sanctæ Eccle-
siæ. *Liga eam in corde tuo jugiter* vinculo 21
caritatis, et assiduitate recordationis. Vin-
culum autem caritatis est actualis dile-
ctio, quæ dicitur quasi duorum ligatio, id
est connexio; et necessarium est ad sa-
D lutem ex caritate legem Dei corde tenus
conservare. *Et circumda gutturi tuo,* id
est, paratus sis loqui de ea. Istud superius *Prov.* iii, 3.
habitum, pleniusque expositum est, capi-
tulo tertio. *Quum ambulaveris, gradian-* 22
tur tecum, id est, cordi tuo per actualem
considerationem inhæreant. *Quum dormi-*
eris in lecto vel in morte, *custodiant te,*
ut in eorum meditatione obdormias, et
merito adimpletionis eorum desuper cu-
stodiaris a culpa et illusionibus somnio-
rum, et a condemnatione æterna; *et evi-*

Digitized by Google

gilans, post somnum corporalem, vel in
resurrectione futura, *loquere cum eis,* id
est, ea mox ad memoriam revoces, ac
mercedem pro eorum custodia præstole-
ris. Juxta hunc modum in Deuteronomio
Deut. vi, 6-9. scriptum est : Erunt verba Domini in cor-
de tuo ; et narrabis ea filiis tuis, et medi-
taberis sedens in domo tua, et ambulans
in itinere, et dormiens atque consurgens ;
et ligabis ea quasi signum in manu tua,
eruntque et movebuntur inter oculos tu-
os, scribesque ea in limine et in ostiis
domus tuæ.

Ex quibus elicitur, cum quam summa
diligentia et frequentia recolenda sint et
implenda divina præcepta, tum præcipi-
entis intuitu et amore, tum propter enor-
mitatem transgressionis eorum vitandam,
tum propter ineffabile præmium observa-
tionis ipsorum, tum propter intolerabilia
Ps. cxviii, 21. supplicia prævaricantium ea. Etenim ma-
ledicti qui declinant a mandatis Dei. Qui
Ps. cxxxix, 11. et in ignem dejicientur tartareum, et in
miseriis non subsistent. De quibus satis
terribiliter atque verissime ait Psalmista
Ps xx, 10. ad Dominum : Pones eos ut clibanum ignis
in tempore vultus tui. Dominus in ira sua
conturbabit eos, et devorabit eos ignis.

23 *Quia mandatum lucerna est, et lex
lux.* Lucerna per testam, et minus clare
illuminat ; lux per semetipsam, et cla-
rius. Mandatum ergo dicitur lucerna im-
perfectioribus, qui nondum clare divina
intelligunt ; lex vero dicitur lux perfectio-
ribus, quibus lex Dei clarius fulget, et qui
limpide contemplantur quæ Dei sunt. Sic
communiter exponitur istud. Nihilo mi-
nus utrumque ad eosdem potest referri,
Ps. cxviii, 105. præsertim quum dicat Propheta : Lucerna
pedibus meis verbum tuum, Domine, et
lumen semitis meis. Mandatum ergo lu-
cernæ comparatur, quia illustrat ac dirigit
ad bene vivendum ; et lex, quoniam intus
illuminat mentem, similiter luci. *Et via
vitæ, increpatio disciplinæ,* id est, corre-
ptio disciplinaris et ex interiori disciplina
procedens, est via pertingendi ad vitam
gratiæ in isto exsilio, deinde ad gloriæ

A vitam in regno : quia per increpationem
hanc peccans reducitur, quemadmodum
apud Job legitur : Deus instruit disciplina, *Job* xxxiii, 16, 17.
ut avertat hominem ab his quæ fecit, et
liberet eum de superbia. Et alibi dicitur :
Etenim multo tempore non sinere pec- II *Mach.* vi, 13.
catoribus ex sententia agere, sed statim
ultiones adhibere, magni beneficii est in-
dicium.

Ut custodiant te a muliere mala, et blanda 24
lingua extraneæ, id est ab omni fornica-
ria atque adultera : a quibus se custodit,
B qui mandata Dei prætacto modo attendit.
Non concupiscat pulchritudinem ejus cor 25
tuum ad usum illicitum, *ne capiaris nu-
tibus illius,* id est, ne per signa lasciviæ
oculorum ipsius alliciaris ad culpam ; sed
ora cum Propheta : Averte oculos meos, *Ps.* cxviii, 37.
ne videant vanitatem ; in via tua vivifica
me. Unde et in Ecclesiastico legitur, Aver- *Eccli.* ix, 8.
te oculos tuos a muliere compta ; et, Vir- *Ibid.* 5.
ginem ne inspicias, ne scandalizeris in
pulchritudine ejus. Præterea, qualiter per
mulierem blandam atque extraneam, spi-
C ritualiter intelligatur idololatria pravitas-
que hæretica, tactum est præcedenti ca-
pitulo. *Pretium enim scorti,* id est, quod 26
meretrici datur pro ejus amplexu, *vix est
unius panis :* quia modici est valoris, præ-
sertim quod datur scorto cunctis se expo-
nenti. Atque, ut asserit Glossa, brevis est
voluptas fornicationis, et perpetua pœna
ipsius : et sicut unus panis solum fugat
unius diei esuriem, et paulo post fame-
scit qui fuerat saturatus ; sic qui intrat
ad scortum, ad horam quidem evaporat
D libidinem, sed post paululum redit arden-
tior. *Mulier autem viri pretiosam ani-
mam rapit,* id est, nobilem viri animam
et personam æternæ felicitatis capacem,
Christi sanguine liberatam, ad summæ Tri-
nitatis similitudinem factam, donis gratiæ *Gen.* i, 26.
decoratam decipit, et damnationi exponit.
Quum ergo tam vile sit pretium scorti,
tantumque damnum fornicationis, patet
quantum sit contemnenda.

Numquid potest homo abscondere ignem 27
in sinu suo, ut vestimenta illius non ar-

Digitized by Google

deant, dum ignis immediate tangit pan- A
28 num ? *aut ambulare super prunas,* id est
carbones ardentes, nudis plantis, *ut non
comburantur plantæ ejus?* quasi dicat, Hoc
per naturam est impossibile : quod tamen
miraculose gestum est sæpe in evangelica
29 lege. *Sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui,* ad cognoscendum eam, *non erit
mundus* mente, *quum tetigerit eam :* imo
immundissimus fit ita peccando, quamvis
corporalis natura a sua superfluitate purgetur, quemadmodum fertur de Bethsa-
II Reg. xi, 4. bee : Dormivit David cum ea, statimque B
sanctificata est ab immunditia sua.

30 *Non grandis est culpa* respectu adulterii, *quum quis furatus fuerit,* potissime
ex quadam necessitate, et non res ecclesiasticas, quia hoc sacrilegium esset, nec
ab egeno. Ideo subditur : *Furatur enim ut
esurientem impleat animam,* id est, vitam
suam aliunde non habentem sustentaculum vitæ, reficiat. Nihilo minus jura civilia nunc acriter puniunt furtum suspendio, quoniam bonum rei publicæ, securam
et pacificam hominum conversationem ad C
invicem præcipue impedit. Sed in lege
31 Moysis ita non fuit. Ideo subjungitur : *Deprehensus quoque, reddet septuplum,* si
habuerit; *et omnem substantiam domus
suæ tradet* ei a quo furtim aliquid subtraxit, quousque satisfaciat illi, *et liberabit
se* a pœna furti. Si enim non habuisset
Exod. xxii, 3. unde satisfaceret, jussit lex ut venderetur
in servum, et de pretio illo satisfieret
damnum passo.

Porro de diversa ac differenti restitu-
Ibid. 1-4, 7-13. tione facienda pro furto, diffuse habetur D
in Exodo. Nullibi tamen habetur in lege,
ut pro ablato septuplum restituatur; sed
pro uno bove furato, et apud furem non
Ibid. 1. invento, redderentur quinque boves, atque
pro una ove quatuor. Propter quod Da-
II Reg. xii, 6. vid, audita parabola Nathan, dixit : Ovem
Exod. xxii, 7-9. reddat in quadruplum. Pro inanimatis vero rebus jussit lex duplum restitui. Cur
ergo Salomon ait, Deprehensus reddet septuplum? Ad hoc Thomas in prima secundæ respondet, quod præceptis legis judicialibus poterat a regibus additio fieri
secundum exigentiam temporis. Unde apparet, quod furto apud Judæos invalescente,
ut magis reprimeretur, pœna præfata fuerit aucta tempore Salomonis. Judæi enim
semper fuerunt, sicut adhuc sunt, avari et
fraudulenti, sicut et Petrus de Alliaco in
libro contra superstitiones astronomorum,
enarrat. Vel, quum dicitur *septuplum,* sumitur numerus determinatus pro indeterminato, ut sit sensus : Septuplum restituet, id est, plenarie satisfaciet : sicut in
Psalmo dicitur, Redde vicinis nostris sep- Ps. lxxviii, 12.
tuplum in sinu eorum. Etenim septenario
totalitas ac perfectio designantur : quoniam septem dierum circulo totum tempus evolvitur et computatur. Unde et Raphael : Ego sum unus, inquit, de septem, Tob. xii, 15.
qui adstamus ante Deum. — At vero, de
litteralibus rationibus diversimodæ restitutionis pro furto, dictum est plene super
Exodum, ex dictis Thomæ, Alexandri de Exod. xxii.
Hales, et Guillelmi Parisiensis.

Itaque, quamvis furtum sit mortale peccatum, tamen comparative parvum vocatur: quemadmodum in Ezechiele ad Jerusalem dicitur, Justificata est Sodoma ex te. Ezech. xvi, 52.
Qui autem adulter est propter cordis 32
inopiam : nam ex defectu sapientiæ et virtutum contingit, quod a tanto scelere non
revocatur, nec anima sensualitatem refrenat; *perdet animam suam :* quia peccando æternam meretur damnationem, et ita
non solum perdit sua, sed et se ipsum.
Adulterium quoque in lege puniebatur cor- Deut. xxii, 22-25.
porea morte : sicque adulter perdidit vitam suam animalem ac corporalem. *Turpitudinem et ignominiam congregat sibi* 33
adulter : quia vitia carnis potissime turpia
sunt, diffamativa et probrosa; *et opprobrium illius non delebitur :* quia in inferno æterna erit ejus confusio. In præsenti
quoque malam post se famam relinquit.
Quia zelus justitiæ, id est amor justæ 34
vindictæ, *et furor,* id est rigor justitiæ,
viri, id est Dei omnipotentis, judicis summi, qui fuit sponsus et vir Synagogæ, sicut
ait per Isaiam : Quis est iste liber repudii, Is. l, 1.

Digitized by Google

quem dedi matri vestræ? De qua re per A
Jer. III, 1-13; Ezech. XVI, 15-34; Osee IV, 12, 13. prophetas Jeremiam, Ezechielem, et Osee multa dicuntur. Deus quoque incarnatus, qui vere est vir, judicabit in forma humana; et Deus frequenter in forma viri apparuit, sicque vir appellatur. Nam et in
Exod. XV, 3. Exodo, ubi habemus, Dominus quasi vir pugnator; in Hebræo habetur, Dominus vir pugnator. Itaque vir iste *non parcet* adultero *in die vindictæ*, id est particularis ac universalis judicii. De quo in Job
Job XXI, 30. etiam dicitur, Impius ad diem furoris ducetur; et alibi, Ego autem in die ultionis B
Exod. XXXII, 34. 35 vindicabo et hoc peccatum eorum. *Nec acquiescet cujusquam precibus,* ad ignoscendum iniquis: quia tunc est hora retributionis atque justitiæ, non veniæ aut misericordiæ. *Nec suscipiet pro redemptione* iniqui *dona plurima,* sicut in lege per dona et sacrificia placabatur. Unde in Psal-
Ps. XLVIII, 8, 9. mo: Non dabit Deo placationem suam, et pretium redemptionis animæ suæ. Hinc ait sanctus doctor Hieronymus: Judex ille nec gratia prævenitur, nec misericordia flectitur, nec pecunia corrumpitur, nec pœni- C tentia mitigatur. Imo judicaturo Domino, lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora ferient; potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt, adducetur cum suis Plato discipulis. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quando veniet ille filius pauperculæ quæstuariæ judicaturus orbem terræ.

Præterea, ut apparet, posset forsan hoc loco per virum intelligi proprius maritus adulteræ: qui indignans adultero, ei non pepercit a pœna secundum legem infligenda, in die vindictæ, id est lapidationis, seu legalis punitionis adulteri; nec precibus neque muneribus flectebatur.

Ecce rursus hic innotescit, quantum adulteria et cetera carnis vitia sint vitanda. Propter quod in suis Proverbiis ait Cyrillus: Scio quod furibunda luxuria oculos non habet, ideo nequit intueri quo ruit. Nimirum ad occasum amantissimæ vitæ tendit, ad amarissimæ mortis proficiscitur barathrum, ad morsum cruentæ libidinis, duce furore, cæca minatur. Quid namque est coitus, nisi deliciosa pernicies mortis, latens venenositas, blandiens dulcis effusio vitam perdens, amplexus destructionem emolliens, atque suavitas dire fallens?

ARTICULUS VII

EXPLANATIO CAPITULI SEPTIMI: FILI MI, CUSTODI SERMONES MEOS.

SCIENS Salomon animam hominis incomparabiliter esse corpore præstantiorem, et ad spiritualia bona obtinenda creatam, assidue nos hortatur ad vitandum carnalitatem, atque ut spirituales efficiamur per sapientiam et virtutes.

1 *Fili mi, custodi sermones meos, et præcepta mea reconde tibi* in corde, ad tuam
Jacob. IV, 17. utilitatem, ut impleas ea. Scienti enim bonum, et non facienti, peccatum est illi. *Fili, honora Dominum* cultu latriæ, adorando, sacrificia offerendo, laudando, con- D templando, et eum super omnia diligendo, *et valebis; præter eum vero ne timueris alienum,* id est, nullum alium quam Deum formides, ita ut Deum summe et principaliter verearis, et ejus vicarios ac ceteros non nisi in Deo, et propter Deum, seu propter rationabilem causam. Nam qui aliter timet hominem, cito corruet. Propter Prov. XXIX, 25. quod Seneca: Tutissima, ait, res est, nil timere præter Deum. Hinc in Isaia monetur: Dominum exercituum sanctificate; Is. VIII, 13. ipse pavor vester, et ipse terror vester. Et

Digitized by Google

Is. LI, 12. iterum loquitur Isaias : Quis tu, ut timeas A
ab homine mortali, et a filio hominis, qui
quasi fœnum arescet? Denique, quum Deus
sit majestatis immensæ, a quo finaliter se-
parari est incomparabile malum, et cui
placere est via salutis æternæ ; idcirco in-
comparabiliter est timendus etiam filiali
Hebr. X, 31. timore. Propter quod dixit Apostolus : Hor-
rendum est incidere in manus Dei viven-
Job XXXI, 23. tis. Et sanctus Job fassus est : Semper
quasi tumentes super me fluctus, timui
Deum, et pondus ejus ferre non potui ;
Ibid. XXIII, 13, 15. itemque : Deus solus est, et cogitationem B
ejus nemo avertere potest. Idcirco a facie
ejus turbatus sum, et considerans eum, ti-
more sollicitor. Verumtamen versus iste in
Hebræo dicitur non contineri. Itaque, Ho-
nora Dominum, et valebis, id est, per gra-
tiam confortaberis, ac hostibus animarum
fortior eris. Siquidem Dominus alibi con-
I Reg. II, 30. testatur : Quicumque glorificaverit me,
glorificabo eum ; qui autem contemnunt
me, erunt ignobiles. Unde in libris Macha-
II Mach. XV, 2. bæorum scriptum est : Honora eum qui
universa conspicit. Nempe ad hoc conditi C
sumus, ut Creatorem nostrum toto affectu
totisque viribus honoremus.

2 *Serva mandata mea, et vives* per gra-
tiam ; *et legem meam quasi pupillam oculi
tui,* id est cum diligentia summa, sicut
pupilla, id est medium oculi, in quo me-
dio vis visiva consistit, a læsione diligen-
3 tissime custoditur. *Liga eam in digitis
tuis,* id est, operibus eam cum discretione
associa. Quemadmodum enim in manibus
vis operativa, ita in digitis vis discretiva
mystice designatur. Unde Psalmista fate- D
Ps. CXLIII, 1. tur : Benedictus Dominus Deus meus, qui
docet manus meas ad prælium, et digitos
meos ad bellum. *Scribe illam in tabulis*
Prov. III, 3. *cordis tui.* Hoc supra scriptum est atque
4 expositum. *Dic sapientiæ, Soror mea es,* id
est, cordialiter dilige et amplectere eam ; *et
prudentiam voca amicam tuam,* ita ut nil
caritati ejus contrarium agas : quemadmo-
Sap. VIII, 2. dum Sapiens asserit : Hanc amavi, et ex-
quisivi a juventute mea ; et quæsivi spon-
sam eam mihi assumere, et amator factus
sum formæ illius. *Ut custodiat te a mulie-* 5
re extranea. Judæi autem ad adulteria erant
proni, sicut Jeremias testatur : Unusquis- Jer. V, 8.
que ad uxorem proximi sui hinniebat.

De fenestra enim domus meæ per can- 6
cellos prospexi juvenem, et video parvulos. 7
Potest hoc accipi de corporali fenestra,
corporeoque prospectu ; et item spirituali
fenestra et ejus cancellis, id est de lumine
rationis et industriis ejus ac spirituali in-
tuitu. *Considero vecordem juvenem,* id est
insensatum, et concupiscentiis subditum,
quasi sine corde exsistentem. Fornicatio Osee IV, 11.
enim, et ebrietas, et vinum auferunt cor.
Qui transit per plateas : quia arctam viam 8
salutis abjecit, et latam perditionis viam
incedit ; *juxta angulum,* de quo hinc inde
respiciat ; *et prope viam domus illius,* sci-
licet extraneæ, *graditur in obscuro, ad-* 9
*vesperascente die, in noctis tenebris et
caligine.* Oculus enim adulteri, teste Job, Job XXIV, 15.
observat caliginem. Talis quoque in ob-
scuritate est rationis, in excæcatione et
nubilo passionis.

Et ecce occurrit illi mulier ornatu me- 10
retricio, præparata ad capiendas, id est
decipiendas, *animas :* talis namque mulier
recte vocatur rete diaboli. *Garrula et va-
ga, quietis impatiens, nec valens in domo* 11
consistere pedibus suis ; nunc foris, nunc 12
in plateis, nunc juxta angulos insidians,
id est versute exquirens, qualiter sibi ama-
tores alliciat. Sic et Apostolus de inconti-
nentibus viduis loquitur : Otiosæ discunt I Tim. V, 13.
circuire domos ; non solum otiosæ, sed et
verbosæ et curiosæ, loquentes quæ non
oportet. *Apprehensumque deosculatur ju-* 13
venem, et procaci, id est impudenti, lasci-
vo, *vultu blanditur, dicens : Victimas pro* 14
salute devovi, id est, hostias pacificas ac
salutares pro obtinenda salute Deo offerre
tenebar. *Hodie reddidi vota mea,* id est,
desideria et promissa sacrificia Deo exsol-
vi. Quasi dicat : Bene mihi convenit cum
Deo, ideo non est periculum mihi conjun-
gi. *Idcirco egressa sum in occursum tuum,* 15
desiderans te videre, et reperi. Intexui fu- 16
nibus, id est, chordis composui, *lectulum*

Digitized by Google

meum : quia lectus sic præparatus, est A
mollior; *stravi tapetibus pictis ex Ægy-*
pto, id est, per tapeta curiose in Ægypto
17 depicta lectum meum ornavi. *Adspersi cu-*
bile meum myrrha, et aloe, et cinnamomo,
id est speciebus seu herbis istis aromaticis, ut earum delectati odore, delectabilius misceamur. Porro aloe est suavissima arbor, cujus lignum vice seu loco thymiamatis altaribus adoletur. Est quoque herba amarissimi succi : qui succus instar picis constringit, et valde est medicinalis. Cinnamomum etiam est aromatica arbor, cu- B
18 jus cortex instar cannæ protenditur. *Veni,*
inebriemur uberibus, et fruamur cupitis
19 *amplexibus, donec illucescat dies. Non est*
enim vir in domo sua, via abiit longis-
20 *sima. Sacculum pecuniæ secum tulit. In*
die plenæ lunæ reversurus est in domum
suam.

Circa hoc scribit Lyra : In Hebræo habetur, In termino constituto. Et addit : Nescio cur translator noster posuit, In die plenæ lunæ : nisi quia antiquitus gentiles et alii eos in hoc sequentes, qui credebant C omnia ista inferiora provenire ad corporum cœlestium dispositionem, redeuntes a mercationibus suis, libentius intrabant domos suas in plenilunio, ut sic plenitudo lucri sequeretur. Unde adhuc in aliquibus terris Christiani volentes encæniare domum novam, aut mutare domicilium, non libenter faciunt hoc in defectu lunæ, ne sequatur temporalium bonorum defectus; sed faciunt hoc in augmento aut plenitudine lunæ, ut sequatur bonorum temporalium plenitudo. Et hoc est de gentilitatis D reliquiis, ideo potius est cavendum. Hæc Lyra. Ego autem magis credo, sermonem Hebraicum esse æquivocum ad utrumque istorum, et ita translator noster transtulit, sicut in Hebræo habetur. Sæpissime etenim ait Lyra, aliter in Hebræo, quam in nostra translatione haberi. Et tamen ex verbis B. Hieronymi, fratris Raymundi, et Pauli, certissime constat quod verba illa Hebraica sunt æquivoca, et Hieronymus ea juxta suam aptiorem significantiam transtulit. Quamvis interdum sensum e sensu magis, quam verbum e verbo transtulerit, nihil tamen de veritate mutavit Hebraica. Estque credendum, quod propter commune bonum Ecclesiæ, Spiritus Sanctus Hieronymum in transferendo direxerit.

Irretivit eum multis sermonibus, id est, 21
illaqueavit juvenem libidinosum amatoriis verbis, *et blanditiis labiorum protra-*
xit illum. Statim eam sequitur, quasi bos 22
ductus ad victimandum,* id est ad occi- *victimam
dendum, ut immoletur, *et quasi agnus lasciviens,* id est discurrens ac ludens, quum ducitur ad macellum. Hic itaque agnus in malo accipitur pro adolescente indomito, sicut et ovis in Psalmo : Sicut oves in inferno positi sunt. *Et ignorans,* id est, juvenis est non advertens et nescit *quod ad vincula* vitiorum æternaliumque pœnarum, et ad diversa incommoda atque pericula in hac vita, *stultus,* utpote spirituali
et infusa sapientia carens, *trahatur, donec* 23
transfigat sagitta jecur ejus, id est, jaculum carnalis amoris ac voluptas venerea interiora ejus spiritualiter lædat ac perimat. Vel Sagitta, est divinæ ultionis acerbitas, ei jam imminens. Unde Dominus comminatur : Sagittas meas complebo in eis. *Velut si avis festinet ad laqueum* desiderio cibi, nesciens laquei fraudem; sic ipse desiderio voluptatis ad mortem præfatam accelerat; *et nescit quia de periculo animæ illius agitur :* id est, juvenis non considerat quod in omnibus his invisibilis hostis non aliud machinetur, nisi ut eum trahat ad tam enormia scelera, deinde ad inferni tormenta.

Ps. xlviii, 15.

Deut. xxxii, 23.

Nunc ergo, fili mi, audi me, et attende 24
verba oris mei. Ne abstrahatur in viis il- 25
lius mens tua, neque decipiaris semitis ejus : id est, cor tuum nequaquam a Deo recedat, acquiescendo, seque immiscendo concupiscentiis ac operibus talis adulte-
ræ. *Multos enim vulneratos* vulnere iniqui 26
consensus et concupiscentiæ, *dejecit,* trahendo in opus nefarium, *et fortissimi quique :* qui fortissimi erant corpore et anima, hoc est sancti et sapientes, ac validi

Digitized by Google

Gen. vi, 2. corpore, ut primus parens, et filii Dei, de A
Judic. xvi; quibus in Genesi; Samson quoque et Da-
II Reg. xi, 2-4; III Reg. xi, 1-8. vid, ac Salomon iste; *interfecti,* id est,
spiritualiter occisi *sunt ab ea,* id est ad
venerea tracti, aut a rectitudine justitiæ
emolliti ab ea, id est a mulieribus, sumen-
27 do singulare pro plurali. *Viæ inferi domus*
ejus, id est, ea quæ ipsa agit in domo sua
ac sui domestici, sunt viæ inferni, id est
scelera ad infernum trahentia. De quibus
Matth. xvi, 18. Christus in Evangelio : Portæ, inquit, in-
feri non prævalebunt adversus eam. Vitia
namque contra Ecclesiam electorum ne- B
queunt finaliter prævalere. *Penetrantes in*
interiora mortis, id est ad obscurissima ac
profundissima infernalis calamitatis sup-
plicia.

Ecce ex his docemur et avisamur, ne quis in pulchritudine et abundantia sermocinationum suarum ac doctrinarum incaute confidat: quoniam Salomon iste, qui tot et tanta tam sapienter et pulchre contra vitia carnis, contra scorta et adulteria ac idololatrias prædicavit ac docuit, ab eisdem præ cunctis hominibus stolidissime ac immoderatissime est devictus. Cum grandi igitur timore et cautela ac humilitate evangelizandum est ac instruendum, hortandum et increpandum, ita ut prædicator ac doctor sic instruat, increpet, exhorteturque proximos, quatenus jugiter memor sit propriæ fragilitatis, ac Dominum deprecetur ne relinquatur ab eo, et quæ loquitur aliis, applicet sibi; et potissime a vitiis abstineat carnis, quum et Innocentius dicat : O extrema libidinis turpitudo, quæ non solum mentem effeminat, sed et corpus enervat; non solum maculat animam, sed etiam fœdat personam! Omne enim peccatum quodcumque I Cor. vi, 18.
fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, peccat in corpus suum. Semper illam præcedit concupiscentiæ ardor, petulantia comitatur, fœtor et immunditia semper sequuntur. Hoc vitium efficit hominem ad ea quæ Dei sunt, insensibilem, acediosum, frontosum, inquietum, inverecundum.

ARTICULUS VIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVI : NUMQUID NON SAPIENTIA CLAMITAT, ET PRUDENTIA DAT VOCEM SUAM ?

HIC Salomon sapientiam multipliciter C
laudat, actus et fructus ejus explanat,
et tandem ad increatæ Sapientiæ, quæ est
Verbum Patris, æternam generationem ac
1 contemplationem ascendit. *Numquid non*
sapientia clamitat, et prudentia dat vo-
cem suam? Hoc est quod scriptum est et
Prov. i, 20. expositum supra ubi dicitur : Sapientia
foris prædicat, et in plateis dat vocem su-
2 am. Sic quoque quod subditur, *In summis*
excelsisque verticibus supra viam, in me-
3 *diis semitis stans, juxta portas civitatis in*
ipsis foribus loquitur, dicens, concordat D
Ibid. 21. cum eo quod scriptum est supra : In capite turbarum clamitat, in foribus portarum urbis profert verba sua. Ibi igitur horum expositio requiratur; tamen paululum tangam eam. Nempe excelsi vertices, sunt Patriarchæ, Vates, Apostoli ac ceteri sancti prædicatores ac doctores: per quos Sapientia ab exordio clamitavit ac docuit alios.

O viri, ad vos clamito, et vox mea ad 4
filios hominum, ut convertamini et salve-
mini. *Intelligite, parvuli,* id est imperfecti, 5
astutiam, id est prudentiam. Sicque astu-
tia sumitur hic in bono. *Et insipientes,*
animadvertite. Audite, quoniam de rebus 6
magnis, id est de sublimi materia et gene-

Digitized by Google

ratione æternæ Sapientiæ increatæ ac ge-
nitæ, de proprietatibus sapientiæ creatæ
infusæ, *locutura sum, et aperientur labia
mea, ut recta,* id est justa documenta præ-
7 ceptaque, *prædicent. Veritatem meditabi-
tur guttur meum* internum, scilicet cor,
quo verbum intellectuale profertur, guttur
quoque corporale, in quantum verba per
illud enuntiantur; *et labia mea detesta-*
8 *buntur impium. Justi sunt omnes sermo-
nes mei, et non est in eis pravum quid,
neque perversum.* Pertinent enim verba
hæc Salomonis ad Scripturam canonicam,
in qua nunquam a veritate et æquitate
receditur, quantum ad ea quæ ipsa Scri-
9 ptura asserit vera esse et æqua. *Recti sunt
intelligentibus* eos, per fidem et illumina-
tionem divinam, aut informationem ca-
II *Cor.* x, 5. tholicam : qui in captivitatem redigunt
proprium intellectum, et divinæ auctori-
tati humiliter se subdunt; *et æqui inve-
nientibus scientiam,* quæ est donum Dei,
per quam veritas noscitur Scripturarum :
imo etiam scientiam quæ est donum gratiæ
gratis datæ, per quam ea quæ fidei sunt et
Scripturæ, agnoscuntur diffuse ac limpi-
de, et contra perfidos defenduntur. Porro
non intelligentibus et perversi sensus ho-
minibus, qui ea quæ fidei sunt, volunt
suo intellectu metiri ac penetrare, atque
tantumdem credere quantum ipsis appa-
ret credendum, non videntur sermones hi
esse veri et justi.
10 *Accipite disciplinam meam,* id est cor-
rectionem, informationem, modestiam me-
am, *et non pecuniam* meam. Quasi dicat :
Spiritualia, non corporalia, bona præbeo
vobis. *Doctrinam magis quam aurum eli-
gite,* id est thesaurum exteriorem : quia
quo anima est præstantior corpore, eo do-
ctrina thesauro est incomparabiliter plus
11 optanda. Hinc subditur : *melior est enim
sapientia cunctis pretiosissimis opibus,* vi-
delicet auro, gemmis, et consimilibus re-
bus ac corporalibus speciebus in suo ge-
nere valde pretiosis, ut ea quæ regina
III *Reg.* x, 2, 10. Saba legitur tertio Regum detulisse ad
Salomonem; *et omne desiderabile, ei non*
A *potest comparari,* id est nullum bonum
seu appetibile sensitivum, quum diverso-
rum sint generum : quemadmodum do-
na naturæ comparari, id est in dignitate
æquari, nequeunt donis gratiæ, nec sensi-
tivum intellectivo. Quod si ista de increata
Sapientia exponantur, constat quod illa
infinite emineat cunctis creatis. Possunt
tamen de sapientia creata, ea præsertim,
quæ donum est, accipi. De qua scriptum
est : Quæ desursum est sapientia, primum *Jacob.* III, 17.
quidem pudica est, deinde pacifica, mode-
B sta, suasibilis, bonis consentiens, plena
misericordia et fructibus bonis.
Ego sapientia habito in consilio, et eru- 12
ditis intersum cogitationibus. Increata Sa-
pientia per gratiam adest et commoratur
in consilio, id est inter eos qui ad inqui-
rendum vel dandum salubria consilia ac
decreta, sunt congregati. Sic specialiter
est in synodo generali, quam credendum
est a Spiritu Sancto gubernari ac dirigi ad
definiendum ac bene sentiendum de his
quæ necessaria sunt saluti, et propter quæ
C ipsa synodus principaliter est collecta,
quum in Evangelio dicat Salvator : Ubi *Matth.*
duo vel tres congregati fuerint in nomine XVIII, 20.
meo, ibi in medio eorum sum. Habitat
quoque in consilio, id est in salubri et pia
inquisitione de agendis, in qua libenter
dirigit consulentem, quoniam placet ei ta-
lis consultatio. Sapientia quoque creata
habitat in consilio, quia formaliter dirigit
in eodem; et sapientia illa quæ est donum
gratiæ gratis datæ, est utique in generali
concilio. Similiter sapientia quæ est do-
D num, est in eis qui in caritate exsistunt.
Denique de utraque hac sapientia accipi
potest quod ait Apostolus : Sapientiam lo- I *Cor.* II, 6, 7.
quimur inter perfectos : sapientiam autem
non hujus mundi, nec principum sæculi
hujus; sed loquimur Dei sapientiam in
mysterio, quæ abscondita est. Insuper sa-
pientia tam increata quam creata, eruditis,
id est prudentibus et sensatis, atque salu-
bribus cogitationibus adest et interest, quia
procedunt ex sapientia, et placent super-
sapientissimo Deo ; cogitationibus vero

Digitized by Google

stultis, vanis, phantasticis et malignis, et A
imaginationibus frivolis ac insensatis non
adest, nec placent ei, sed despicit eas,
Sap. I, 5. quemadmodum scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet
se a cogitationibus quæ sunt sine intel-
II Cor. III, 5. lectu. Ideo dixit Apostolus : Non sumus
sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi
ex nobis : quoniam ad cogitandum salubriter ac meritorie, requiritur gratia Dei,
imo et actualis motio Spiritus Sancti. Itaque cogitationes eruditæ, sunt, quæ secundum sacræ Scripturæ doctrinam regulantur B
ac diriguntur, et ex sapientia salutari nascuntur. Qui igitur cupit Deo placere, imo
et ipsum suo cordi gratiose præsentem habere, satagat omni exclusa cogitatione inutili, inani, phantastica, perturbativa, perversa, eruditas intra se cogitationes habere, revolvere, possidere, quibus cor coram
Deo honeste occupatur, pulchre depingitur, præcipue decoratur.

13 *Timor Domini odit malum.* Nam timor
filialis odit et vitat malum culpæ, eo quod
inhonorativum et offensivum sit Dei: sic- C
que ad cogitationes eruditas inducit, et
cogitationes abjicit insensatas. Timor vero
servilis odit malum pœnæ, quoniam pœnam abhorret, nec amat justitiam. Idcirco,
in quantum servilis, dicitur vulnerare. *Arrogantiam* cordis, *et superbiam* in verbis
et factis, *et viam pravam,* id est falsam
doctrinam, actionem iniquam, et quidquid
publice alios scandalizat, *et os bilingue
detestor :* quoniam veræ sapientiæ atque
justitiæ contrariantur. Dicitur autem Os
bilingue, quasi duabus utens linguis, id D
est duplici modo loquendi sibi invicem
repugnanti : quoniam in præsentia loquitur blande ac placite, aliter vero in absentia. Imo ubique vult loquendo placere :
propter quod juxta audientium libitum
variat verba. Non enim stabilit se in vero,
Soph. I, 9. nec justi est tenax. Hinc Dominus ait : Visitabo super omnem qui arroganter ingre-
Job XX, 6, 7. ditur. Et alibi legitur : Si ascenderit usque
ad cœlum superbia ejus, et caput ejus
nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Vitemus itaque universa hæc
vitia, ne detestabiles simus Deo ; simus
quoque in verbis constantes, veri ac justi,
nec quæramus loqui placentia, sed magis
expedientia.

Meum est consilium, id est, consilium 14
rectum de quo dixi, Ego sapientia habito
in consilio, est donum meum. Porro consilium proprie sumptum, non est in Deo,
quum in eo non sit inquisitio de agendis,
sed æterna et incommutabilis certitudo.
Propter quod asserit Damascenus, quod
consilium est ignorantis naturæ. Scriptura
tamen frequenter attribuit Deo consilium,
quantum ad id quod perfectionis est in
ratione consilii, quoniam omnia provide
agit. Hinc Dominus apud Isaiam ait : Con- *Is.* XLVI, 10.
silium meum stabit. Et in Psalmo asseritur : Consilium Domini in æternum manet. *Ps.* XXXII, 11.
Et Apostolus ait : Deus operatur omnia *Ephes.* I, 11.
secundum consilium voluntatis suæ. *Et
æquitas ; mea est prudentia, mea est fortitudo :* id est, ista omnia plene et cum infinita perfectione consistunt in me, et quidquid veritatis et perfectionis invenitur de
his in creaturis, a me fontaliter fluxit.
Hinc habetur apud Danielem : Sapientia et *Dan.* II, 20.
fortitudo ejus sunt. Nemo ergo superbiat,
aut inaniter glorietur ; sed quidquid boni
in se aut in toto fuerit universo, Deo cum
omni humilitate et gratiarum actione adscribat.

Per me, id est ex dono ac providentia 15
mea, *reges regnant.* Non est enim potestas *Rom.* XIII, 1.
nisi a Deo, cui cura est de omnibus, potis- *Sap.* XII, 13.
sime de hominibus. Idcirco ex ejus pro- *I Petr.* V, 7.
videntia dependet regimen universi : et
palam quod virtuosi præsidentes ex Deo
regnent ac præsint ; vitiosi autem superiores saltem permissive regnant ex Deo, qui *Job* XXXIV, 30.
regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Qui et ait : Dabo tibi *Osee* XIII, 11.
regem in furore meo, et principes in indignatione mea. Hinc etiam in Daniele dicitur : Ipse transfert regna, atque constituit ; *Dan.* II, 21.
et rursum, Dominatur Excelsus in regno *Ibid.* IV, 14.
hominum, et cuicumque voluerit, dat illud.
Iterum, reges regnant per Sapientiam in-

Digitized by Google

creatam, quia ut bene et salubriter regnent, ex directione illius procedit, qui etiam per angelos sanctos dirigit præsidentes. Insuper, sancti Apostoli et omnes virtuosi prælati ac præsules, super fideles sibi commissos regnaverunt ex Deo et per
Ps. xliv, 17. Deum : cui ait Propheta, Constitues eos principes super omnem terram. *Et legum conditores justa decernunt :* id est, ex mea illustratione originaliter manat quod legislatores instituunt justa decreta, et vera
Rom. xiii, 1. dictant judicia. Sicut enim non est potestas nisi a Deo, sic non est sapientia nec justitia, nisi a Deo.

17 *Ego diligentes me diligo.* Universos electos et prædestinatos diligit Deus ab æterno in lumine providentiæ suæ; eos autem qui diligunt Deum per caritatem, ipse etiam diligit secundum præsentem justitiam, non autem secundum æternam prædestinationem, nisi sint electi. Unde ait :
Joann. xiv, 21. Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum. Et rursum Sapientia in-
Ibid. xvi, 27. creata asserit : Pater amat vos, quia vos me amastis. Verumtamen dilectio nostra, non est causa aut ratio prima, quod Deus nos diligit : imo econtra, quoniam ipse dilexit nos, et nos diligimus eum, quia dilectio nostra ad eum, est donum ex sua dilectione ad nos habens ortum. Ideo scri-
I Joann. iv, 10. ptum est : In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. Eos vero qui diligunt Deum solum naturali dilectione, et ceteros, imo et cuncta creata diligit Deus, quantum ad id quod sunt et quod habent ab
Sap. xi, 25. ipso, prout in libro Sapientiæ legitur : Diligis omnia quæ sunt. *Et qui mane vigilaverint ad me,* id est, celeriter et statim quum gratia eis infunditur, seu divinitus inspirantur, mentem suam direxerint ad me diligenter, *invenient me,* id est, exaudientur a me, et incrementum gratiæ sortientur, ac contemplari me poterunt. Hora quoque diluculi specialiter apta est ad vacandum Altissimo, sicut Ecclesiasticus ait:
Eccli. xxxix, 6. Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum. Qui ergo mane, id est protinus in aurora, antequam ad alia agenda processerit, vigilanter ad Deum suam elevaverit mentem, sicut docuit Christus, Primum (inquiens) quærite regnum Dei et justitiam ejus; cito inveniet eum. Ideo loquitur Isaias : De mane vigilabo ad te. Matth. vi, 33. Is. xxvi, 9.

18 *Mecum sunt divitiæ et gloria.* Omnes namque divitiæ corporales ac spirituales profluxerunt a Deo. Et ipse quos vult glorificat et honorat, et in se ipso dives est divitiis infinitis, quæ sunt absoluta et infinita perfectio ejus. Atque, ut asserit Augustinus in libro de Civitate Dei, Deus dives non pecunia, sed omnipotentia; Apostolus vero ait, Deus dives est in misericordia : sicque de attributis aliis dici potest. *Opes superbæ,* id est opulentiæ eminentes, scilicet supernaturalia dona ac bona cœlestia. Ideo Glossa ait : Opes superbas vocat opes excelsas, ut cœlestia dona significet. Græce enim superbus, hyperphanus (id est superapparens) dicitur. Sic ergo superbia accipitur hic in bono, sicut et in Isaia legitur : Ponam te in superbiam sæculorum. Ephes. ii, 4. Is. lx, 15. *Et justitia :* quia essentialiter justus est, causa, fons ac regula totius creatæ justitiæ.

19 *Melior est fructus meus auro et lapide pretioso.* Fructus sapientiæ, sunt actus et contemplatio ac delectatio contemplationi annexa, meritum quoque et præmium actibus sapientiæ correspondens : de quibus certum est, quod incomparabiliter rebus corporalibus eminentiora exsistant. *Et genimina mea argento electo,* id est, opera exteriora ex me procedentia, meliora sunt auro obrizo.

20 *In viis justitiæ ambulo,* id est, cum eis sum et procedo, qui juste vivunt, et gratiam ambulandi in viis justitiæ tribuo. Unde Moyses ait : In quo scire poterimus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum? Apostolus quoque allegat quod in Levitico legitur, Ambulabo in eis : non quod incircumscriptibilis et invariabilis Deus mutet locum, sed ratione suorum effectuum hæc et consimilia de ipso dicuntur. Nam subditur : *in medio semitarum judicii.* Semitæ judicii, Exod. xxxiii, 16. II Cor. vi, 16; Lev. xxvi, 12.

Digitized by Google

sunt præcepta et instituta, jura ac regulæ A ex quibus proferuntur justa judicia, vel actus judiciorum in quibus Deo complacitum est : ideo in eis se esse, ambulare-
21 que perhibet modo prætacto. *Ut ditem diligentes me,* per abundantiam gratiæ ac virtutum in vita hac, et per copiam gloriæ in paradiso cœlesti, *et thesauros eorum repleam,* id est, merita eorum augeam in hoc mundo, et ea plenissime remunerem in futuro. Quamvis autem in veteri lege temporalium abundantia promittebatur justis ac diligentibus Deum, quod tamen illa B non fuerit plena principalisque merces illorum, et quod de illa non loquatur hic Salomon, constat ex eo quod modo præmisit, Accipite disciplinam, et non pecuniam : quasi dicat, Temporalia principaliter non promitto : sicut expositum est. Præterea, de istis thesauris loquitur Filius
Matth. vi, 20. Dei : Thesaurizate vobis thesauros in cœ-
I Tim. vi, 17, 19. lo ; Apostolus quoque : Divitibus hujus sæculi præcipe thesaurizare sibi thesaurum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam, id est vitam gloriæ, in qua C nulla est corruptio.

Consequenter agit Salomon de generatione increatæ Sapientiæ, id est Verbi æterni, a Deo Patre : et tam evidenter super hoc loquitur, ut miranda, imo miseranda ac deploranda sit cæcitas atque perversitas negantium veram deitatem esse in Fi-
22 lio unico Dei Patris æterni. *Dominus possedit me,* id est, Pater æternus in corde et intellectu suo stabiliter et immobiliter ha-
Joann. i, 18. buit me : juxta illud, Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ; *in initio viarum* D *suarum,* id est ab exordio et in principio creaturarum operumque et mandatorum
Ibid. 1. suorum : juxta illud, In principio erat Verbum. Porro creaturæ et mandata ac opera Dei, sunt viæ, quia sunt media pertingendi ad Creatoris notitiam, sicut scribit Aposto-
Rom. i, 20. lus : Invisibilia Dei, id est incomprehensibiles proprietates Dei, ejus videlicet omnipotentia, sapientia, benignitas, per ea quæ facta sunt, conspiciuntur. Unde et apud
Job xl, 14. Job legitur, Ipse est principium viarum Dei : quod tamen ad litteram dicitur ibi de primo illo apostata angelo. Sicut enim effectus inducit ad suæ causæ cognitionem, sic creatura ad Creatoris notitiam. Similiter illuminationes ac jussiones, quas Deus ab initio impressit angelicis mentibus ac primis parentibus, fuerunt viæ ad Creatoris contemplationem, amorem et cultum.

Ne autem dicere quis auderet, Filium Dei fuisse quidem ab exordio mundi, sed non ante, imo cum aliis et inter alia esse creatum, subjungitur : *Antequam quidquam faceret a principio.* Verumtamen antiqua translatio habet, Dominus creavit me initio viarum suarum ; et ita allegat Ambrosius super psalmum, Beati immaculati. *Ps.* cxviii.
Dicuntque aliqui, quod creatio sumitur ibi extense, prout generationem includit. Alii dicunt, quod Sapientia dicitur ab initio esse creata, propter futurum tunc Incarnationis mysterium, in qua Verbum æter- *Joann.* i, 14.
num factum est caro et homo, et quantum ad humanitatem, creatum. Unde et alio loco testatur : Ab initio et ante sæcula *Eccli.* xxiv, 14.
creata sum.

Insuper, ne impiissimus Arius et ejus sequaces affirmare ore blasphemo præsumant, Filium Dei esse creaturam, et tamen ante angelos ac mundum sensibilem esse creatum, non autem ab æterno, nec eum esse Patri coæternum, subjungitur : *Ab* 23
æterno ordinata sum, id est æternaliter producta ac generata a Patre, ad producendum cum eo Spiritum Sanctum, manente ordine inter Patrem et me : ordine, inquam, naturæ et personalis distinctionis, non dignitatis aut temporis. Pater enim natura, id est naturali origine, prior est Filio, personaliterque distinctus ab eo ; non autem dignitate aut tempore. Imo tres superbenedictæ et supergloriosæ ac adorandæ Personæ, sunt consubstantiales, coæquales et coæternæ. *Et ex antiquis,* scilicet exordiis temporum, imo et ante ea, et a diebus æternitatis. Unde Daniel Patrem æternum vocat, Antiquum dierum. Apo- *Dan.* vii, 9, 13, 22.
stolus quoque ad Titum : Vitam, inquit, *Tit.* i, 2.
æternam promisit Deus ante tempora sæ-

cularia. Hinc subditur : *antequam terra* A
Gen. i, 1. *fieret:* de qua legitur, In principio creavit
Deus cœlum et terram; atque in Psalmo,
Ps. ci, 26. Initio tu, Domine, terram fundasti. Vel
spiritualiter, Antequam terra fieret, id est,
priusquam Ecclesia formaretur.
24 *Nondum erant abyssi,* id est maria, *et
ego jam concepta eram,* id est genita. In
simplicissimo enim Deo, idem est conci-
pere et gignere, quia non aliunde concipit
Pater, sicut in carnali generatione mater
concipit a patre seu viro. Pater autem
æternus se ipsum æternaliter ac super- B
plenissime et invariabiliter intuendo ac
intelligendo, id quod in se intuetur atque
intelligit, hoc in se concipit, profert seu
gignit : et hoc est Verbum ejus æternum,
perfecta et plena ac naturalis imago Patris
I Cor. i, 24. genita, et infinita sapientia ejus : in quo
Verbo æterno plenissime, quidquid Patris
est, resplendet. *Necdum fontes aquarum
eruperant* originaliter de Oceano per sub-
terranea loca, et de occultis receptaculis
ac ventriculis suis sub terra latentibus.
25 *Necdum montes gravi mole,* id est magni- C
tudine, *constiterant* elevati super plani-
tiem terræ. *Ante colles ego parturiebar.*
26 *Adhuc terram non fecerat, et flumina, et
cardines orbis terræ.* Per cardines, pos-
sunt extremitates terræ intelligi, vel duæ
extremitates axis, circa quas circumfertur
cœlum, sicut janua ad cardines suos : quæ
extremitates sunt polus arcticus atque an-
tarcticus. Vel, cardines orbis terræ, sunt
quatuor principales terræ partes, oriens,
occidens, auster et aquilo.
27 *Quando præparabat cœlos, aderam :* id D
est, quando cœlestes orbes creavit, et cre-
ando ad commoda hominum ordinavit, ad-
fui. *Quando certa lege et gyro vallabat
abyssos,* id est, aquis Oceani per circuitum
præfixit quousque extenderent se, et mo-
verentur versus terram. Unde loquitur Deus
Job xxxviii, 8, 10, 11. beato Job : Quis conclusit ostiis mare, quan-
do erumpebat quasi de vulva procedens?
Circumdedi illud terminis meis, et posui
vectem et ostia, et dixi : Hucusque venies,
et non procedes amplius, et hic confrin-
ges tumentes fluctus tuos. Ideo ait Psal-
mista de Deo : Congregans sicut in utre Ps. xxxii, 7.
aquas maris, ponens in thesauris abyssos.
Quando æthera, id est sphæram ignis pro- 28
ximam lunæ, vel superiorem aeris regio-
nem, *firmabat sursum,* id est, firmiter
collocavit in apice elementorum ; *et libra-
bat,* id est, in pondere et in mensura sua
constituit, *fontes aquarum.* Hæc enim et
consimilia sunt opera Creatoris : de quo
legitur in Isaia, Quis libravit in pondere Is. xl, 12.
montes, et colles in statera?
Quando circumdabat mari terminum 29
suum : qui terminus communiter est terra
mollis et arenosa : sicque in hoc declara-
tur omnipotentia summi opificis, ex cujus
præcepto mare frenatur, ne tam debilem
exeat terminum. Ex quo possumus con-
templari quam metuendus sit Deus. Pro-
pter quod nos per Jeremiam hortatur : Au- Jer. v, 21, 22.
di, populi stulte, qui non habes cor : Me
non timebitis, qui posui arenam termi-
num mari, præceptum sempiternum, quod
non præteribit? Intumescent fluctus ejus,
et non transibunt illud. Hinc subditur : *et
legem,* id est præceptum seu ordinatio-
nem, *ponebat aquis, ne transirent fines
suos.* Voluit enim Omnipotens partem ter-
ræ esse discoopertam ab aquis, propter
hominum et animalium habitationem ac
sustentationem. Aqua autem ex sua natu-
ra, quum sit subtilior ac levior terra, in-
clinaretur terram ascendere, nisi Creato-
ris restringeretur præcepto : quod tamen
naturale atque conveniens est respectu
universalis naturæ, quemadmodum et de-
scensus ignis in generatione mixtorum.
Quando appendebat fundamenta terræ, id
est, in medio universi creavit ac statuit
elementum terræ, et partes ejus inferiores
ac interiores circa centrum, quæ funda-
mentum videntur partium aliarum. Unde
Dominus ait ad Job : Ubi eras, quando po- Job xxxviii, 4, 6.
nebam fundamenta terræ? Super quo ba-
ses ejus solidatæ sunt?
Cum eo eram cuncta componens, id est 30
producens et ordinans : nam sicut super-
essentialis et superfelicissimæ Trinitatis

Digitized by Google

est una natura et una potestas, ita operatio A
una ad extra, ejusque opera sunt indivisa.
Joann. v, 19. Ideo scriptum est : Quæcumque facit Pa-
ter, hæc et Filius similiter facit. *Et dele-
ctabar per singulos dies.* Infinita est enim
beatitudo et gaudium uniuscujusque in-
creatæ et adorandæ Personæ, et cum ju-
cunditate intensive immensa intuentur, di-
ligunt et fruuntur se invicem. *Ludens,* id
est delectabiliter agens ac operans, *coram
eo omni tempore :* juxta illud in Psalmo,
Ps. CIII, 31. Lætabitur Dominus in operibus suis. Unde
Joann. v, 17. Unigenitus ait : Pater meus usque modo B
31 operatur, et ego operor. *Ludens in orbe
terrarum,* id est deliciose disponens quæ
fiunt in eo ex fonte providentiæ meæ. Vel
ideo ait, Ludens in orbe terrarum, quo-
niam ea quæ operatur in terra, sunt quasi
ludus respectu supernaturalium, divino-
rum, cœlestiumque suorum effectuum ;
vel, quoniam sicut is qui ludit cum pila,
percutit eam de loco ad locum, sic increata
Sapientia variat mundi statum, et trans-
fert regna de gente in gentem, et excutit
iniquos de loco suo ad alium, prout indu- C
Job XXXIV, 19, 20, 24, 26. citur : Opus manuum ejus sunt univer-
si ; subito morientur. Conteret multos et
innumerabiles, et stare faciet alios pro
eis; quasi impios percussit eos in loco vi-
dentium.

*Et deliciæ meæ, esse cum filiis homi-
num.* Ecce quam dulce verbum est hoc.
Ps. CXLIX, 4. Etenim beneplacitum est Domino in popu-
Jer. XXXII, 41. lo suo : de quo ait per Jeremiam, Lætabor
super eis quum benefecero ipsis. Itaque,
Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum, id
est, valde delectabile mihi est, inter ju- D
stos et virtuosos per gratiam commorari,
et in eorum amore quiescere, ac laudabi-
lia eorum exercitia intueri. Nempe quo
fragiliores sunt per naturam, eo in eorum
conatu ad perficiendum, et in pugna eo-
rum contra invisibiles hostes ac aciem
vitiorum, magis delector. Videtur quoque
increata Sapientia istud dixisse, propter
Incarnationis mysterium, quo assumptura
Baruch III, 38. erat naturam humanam, et inter homines
conversatura ex nimia sua caritate ad ge-
nus humanum. Denique in rebus et crea-
turis irrationabilibus ac animatis, est Deus
per essentiam, præsentiam et potentiam,
non autem per caritatem et gratiam. Ideo
respectu exsistentiæ qua in illis est, deli-
ciosum sibi est esse cum filiis hominum,
in quibus per gratiam et caritatem exsi-
stit. Verumtamen non est putandum, quod
aliquid delectationis accrescat Deo ex cre-
aturis, vel ex consistentia ejus cum homi-
nibus; sed quoniam in se ipso tam bonus,
amorosus et pius est, ideo deliciosum sibi
est tam dignanter ad homines se habere.
Sint ergo et nostræ deliciæ esse cum ipso,
adhæreamusque ei indesinenter, amando,
contemplando, laudando, orando, omnique
modo nobis possibili vicem suæ dignatio-
ni piissimæ exhibendo. Et certe væ eis qui
ei ingrati sunt, et mentem suam ab eo
avertunt, qui in tantum nos diligit, quod
etiam in Sacramento semper nobiscum est,
et in illo se præstat nobis.

Hinc increata Sapientia consequenter
hortatur. *Nunc ergo, filii, audite me : Be-* 32
ati nunc in spe et merito, *qui custodiunt
vias meas,* id est divina præcepta. *Audite* 33
*disciplinam, et estote sapientes, et nolite
abjicere eam :* quoniam sine dono sapien-
tiæ nemo potest salvari, sicut nec sine
caritate; et neminem diligit Deus, nisi qui Sap. VII, 28.
cum sapientia inhabitat. *Beatus homo qui* 34
audit me aure obeditionis, *qui vigilat ad
fores meas quotidie,* id est, sacra loca di-
vini cultus ac prædicationis assidue visi-
tat cum vigilantia mentis devotæ; *et ob-
servat ad postes ostii mei,* id est, attendit
verba doctorum ac Scripturarum, per quæ
intratur in domum Dei, in Ecclesiam mili-
tantem, ac triumphantem.

Qui me invenerit, id est, cor suum mihi 35
unierit per fidem et obedientiam, *inveniet
vitam* vere virtuosam, ac gloriam æterna-
lem : ego enim sum via, veritas et vita; *et* Joann. XIV, 6.
hauriet salutem a Domino, id est, felicita-
tem æternam a fonte totius beatitudinis
sortietur. *Qui autem peccaverit in me,* per 36
transgressionem præcepti, *lædet animam
suam,* id est, sibi ipsi, non mihi, noce-

Digitized by Google

bit : et ipsum peccatum, est læsio atque A
interitus animæ. Sed et veniale peccatum
animam peccantis aliqualiter lædit, non
tamen letaliter, sed ad letalem læsionem
disponit, imo et cito ad eam perducet, nisi
quotidie refrenetur ac castigetur: quia hoc
facit sentina neglecta, quod fluctus irru-
ens. *Omnes qui me oderunt :* vel ipsam
Sapientiam increatam in se ipsa detestan-
do ac odiendo : quod est formaliter ac
proprie Deum odire, et non nisi impiis-
simis convenit ; vel ejus præcepta parvi
pendendo, et mentem avertendo a summo
bono : quod plurimi faciunt : *diligunt
mortem,* id est, ita se habent, ac si mor-
tem animæ miseriamque gehennæ ama-
rent, faciendo ea per quæ quotidie propin-
quant ad mortem. Diligunt quoque mortem,
id est opera vitiosa et peccata, quæ sunt
mors animæ. Unde scriptum est : Injusti- *Sap.* I, 1
tia mortis est acquisitio; impii autem ma-
nibus et verbis arcessierunt illam.

ARTICULUS IX

DECLARATIO CAPITULI NONI : SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMUM.

CAPITULO præcedenti egit Salomon de B
æterna generatione, veraque deitate
unigeniti Filii Dei. Hic agit de ejus incar-
natione, ejusque humanitatis mysteriis.
1 *Sapientia* increata, de qua in præcedenti
capitulo dictum est, *ædificavit sibi do-
mum,* id est corpus, quod formavit et as-
sumpsit ex purissimis Virginis sacræ san-
guinibus. Vel, Domum, id est assumptam
humanitatem, in qua tanquam in domo
Joann. II, 19. habitavit : de qua dixit Judæis, Solvite
templum hoc. Rursus domus hæc, potest
dici Ecclesia : de qua ad Hebræos ait Apo- C
Hebr. III, 6. stolus, Christus tanquam Filius in domo
I *Tim.* III, 15. sua ; atque ad Timotheum, Scias quomodo
oporteat te conversari in domo Dei, quæ
est Ecclesia Dei vivi : quam ædificavit Sal-
vator, legem evangelicam cum suis sacra-
mentis instituendo, et homines ad fidem
catholicam convertendo. Unde dixit ad be-
Matth. XVI, 18. atissimum Petrum : Tu es Petrus, et super
hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.
Ædificavit eam verbo instructionis, et con-
versatione exemplari ac sancta, quemad-
Act. I, 1. modum scriptum est : Cœpit Jesus facere D
et docere.

Excidit columnas septem. Columnæ sep-
tem sustentantes domum prætactam, sunt
septem sacramenta, vel septem dona :
quæ etiam in Christi anima plenissime
erant et sunt, et ejus Ecclesiam stabiliunt
ac decorant. Rursus, quia, ut dictum est,
septenario designatur totalitas atque per-
fectio, possunt per septem columnas in-
telligi universæ particulares Ecclesiæ per
orbem diffusæ, quæ significatæ sunt per
septem Ecclesias Asiæ, quibus in Apoca- *Apoc.* I, 4; II, III.
lypsi scripsit S. Joannes. Nam et ipsam
Ecclesiam vocat Apostolus columnam et I *Tim.* III, 15.
firmamentum veritatis. Similiter univer-
sitas Apostolorum et apostolicorum viro-
rum, qui sua sanctitate et doctrina et ex-
emplaritate instituerunt ac fundaverunt
Ecclesiam, possunt per septem columnas
signari : sicut de Petro, Jacobo et Joanne *Galat.* II, 9.
scribit Paulus, quod videbantur columnæ
esse. Has Salvator excidit, id est, de mun-
do per gratiam suam abstraxit, spirituali-
terque ornavit.

Immolavit victimas suas. Christus nam- 2
que spirituales hostias, scilicet sacrificium
laudis, orationem et gratiarum actionem,
promptissimamque obedientiam secundum
assumptam humanitatem obtulit Deo Pa-
tri, imo toti superexcellentissimæ Trini-
tati; et tandem obtulit se ipsum in cruce *Ephes.* V, 2.

Digitized by Google

A oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Sicque obtulit victimas, id est corpus suum et sanguinem. Unde fuit prædi-
Is. LIII, 7. ctum : Oblatus est, quia voluit. *Miscuit*
Matth. XXVI, 27. *vinum :* nam in Cœna novissima vinum convertit in sanguinem suum ; et ut Thomas ac alii multi testantur, probabile est quod vinum illud fuit lymphatum, id est aqua mixtum, quia in terra promissionis sunt fortia vina. Miscuit quoque vinum spirituale, id est arduam et exhilarativam, imo et spiritualiter inebriativam doctrinam, in sermone quem fecit post Cœnam.
B *Et proposuit mensam suam,* id est evangelicam legem, in qua omnium internorum ferculorum copia continetur, et Eucharistiæ communionem, quam dedit in Cœna. Jussit etiam mensam corporalem parari,
Luc. XXII, 8. dicendo discipulis : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. Promisit quoque tunc mensam cœlestis convivii, dicens :
Ibid. 29, 30. Ego dispono vobis regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.

3 C *Misit ancillas suas,* id est prædicatorum suorum collectiones, præsertim gloriosos Apostolos, qui ob sui obsequii promptissimi assiduitatem humillimam, recte vocantur ancillæ. Sunt et quidam Hebræi doctores, qui per domum sapientiæ, intelligunt Synagogam ; per ancillas, intelligunt Moysen et Aaron. *Ut vocarent ad arcem,* id est, ut ipsos quibus prædicare missi erant, invitarent ad altitudinem evangelicæ legis ac fidei, ad apicem regni cœlestis, ad verticem virtuosæ perfectionis ; *et ad mœnia civitatis.* Civitas ista est Ecclesia mili- D
Ps. LXXXVI, 3. tans : de qua in Psalmo prædicatur, Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei ; et rur-
Apoc. XI, 2. sum alibi, Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. De qua al-
Hebr. XII, 22. ibi fertur : Accessistis ad montem Sion, et civitatem Dei viventis. Mœnia civitatis istius, sunt divina subsidia, angelicæ quoque custodiæ, virtuosi prælati, et ea quibus fides catholica roboratur : quibus omnibus munitur et circumvallatur Ecclesia tanquam fortissimis muris. Imo de Christo

et ejus Ecclesia scriptum est : Urbs forti- Is. XXVI, 1.
tudinis nostræ Sion ; Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Ad hæc mœnia vocantur fideles, ut intra ea confugiant, protegantur atque salventur, innitendo divinis subsidiis, et angelorum custodiis ac prælatorum doctrinis. A quibus non exeant, quemadmodum de quibusdam asseri-
tur : Ex nobis prodierunt, sed non erant I Joann. II, 19.
ex nobis : nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.

Si quis est parvulus, id est pauper, vilis 4
et modicus in oculis suis, hoc est humilis, *veniat ad me.* Humiles quippe, ad divinæ sapientiæ susceptionem ac alia gratiarum charismata magis dispositi sunt, juxta il-
lud Psalmi : Testimonium Domini fidele, Ps. XVIII, 8.
sapientiam præstans parvulis ; itemque, De- Ps. CXVIII, 130.
claratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. Super hoc gavisus est Christus, Sapientia æternalis, se-
cundum quod dicit Evangelista : Exsultavit Luc. X, 21.
Jesus Spiritu Sancto, et dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quoniam absconditi hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Sed quia Salvator non solum vocavit humiles, imo etiam universos errantes, sicut in Evange-
lio protestatur, Venit Filius hominis quæ- Ibid. XIX, 10.
rere et salvare quod perierat ; recte subjungitur :

Et insipientibus locuta est : insipientes namque sunt, universi qui carnalia et caduca præferunt summo et incommutabi-
li bono. *Venite* per mentis conversionem, 5
comedite panem meum, id est corpus me-
um in Sacramento, de quo dixi, Caro mea Joann. VI, 56.
vere est cibus ; panem quoque lacrimarum, per veram contritionem ; panem vitæ et intellectus, per contemplationem ; panem obedientiæ, per præceptorum imple-
tionem. Unde ait Salvator : Meus cibus est, Ibid. IV, 34.
ut faciam voluntatem Patris mei. Et certe omnia ista optime mentem reficiunt, roborant, impinguant. *Et bibite vinum quod miscui vobis,* hoc est sanguinem, seu præ-
fatam doctrinam. Unde testatus sum : San- Ibid. VI, 56.
guis meus vere est potus. De hoc pane et

Digitized by Google

Zach. ix, 17. vino Zacharias ait : Quid bonum Domini,
et quid pulchrum ejus, nisi frumentum
electorum, et vinum germinans virgines?
6 *Relinquite infantiam,* id est puerilitatis
vitium et carnalitatem; *et vivite* per vir-
tutes, *et ambulate per vias,* id est per præ-
cepta, *prudentiæ,* ut sit rationabile obse-
quium vestrum, et omnia ordinate agatis,
atque sollicite vigiletis contra adversarios
vestræ salutis : sicut in prima sua Cano-
nica hortatur primus et summus Christi
I Petr. iv, 7. Vicarius : Estote prudentes, et vigilate
Ibid. v, 8, 9. in orationibus. Et denuo : Sobrii, inquit,
estote, et vigilate, quia adversarius vester
diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quæ-
rens quem devoret : cui resistite, fortes in
fide.
7 *Qui erudit derisorem,* quem scit esse
talem, et in sua perversitate obduratum
ac incorrigibilem, *ipse sibi injuriam fa-
cit,* id est, se ipsum inhonorat, impruden-
ter agendo atque inaniter laborando, et
derisorem provocando ad injuriandum si-
bi. Quid ergo aget prælatus habens subdi-
tos derisores, nisi ut quos verbis nequit
instruere, verberibus et per viam rigoris,
quantum potest, reprimat et castiget, si
Is. xxviii, 19. forsan vexatio illis tribuat intellectum?
Sunt etenim refrenandi, ne inficiant alios.
Et qui arguit impium, qui, ut dictum est,
incorrigibilis et induratus esse cognosci-
tur, *sibi maculam generat,* quum agat
insipienter, et provocet impium ad detra-
Prov. iii, 11. hendum sibi. Talis ergo arguendus est di-
8 sciplinis justitiæ, sicut jam tetigi. *Noli
arguere derisorem, ne oderit te,* ne scili-
cet ad pejora incitetur, et reddat tibi ma-
lum pro bono. Hinc loquitur Dominus :
Matth. vii, 6. Nolite sanctum dare canibus, neque mit-
tatis margaritas vestras ante porcos, ne
forte conculcent eas pedibus suis, et con-
versi dirumpant vos.

Ideo, teste Hieronymo, perversum ac in-
duratum ad majorem insaniam provocare,
et non aliud quam odium quærere, ex-
tremæ dementiæ est. Dum ergo non est
spes de alterius correctione, cessare aut
differri debet correptio et exhiberi ora-
tio. Nempe, ut Petrus Ravennensis fatetur,
perversum corripere, nil aliud est quam
stimulare insanum, et camino oleum adhi-
bere, ac ventis incendia velle exstinguere.
Nihilo minus, si alicujus perversitas sit
nociva bono communi, non est ejus casti-
gatio omittenda ex causa præhabita, vide-
licet ne odiat corrigentem, et ne ad dete-
riora labatur; sed tunc per pœnas est
coercendus. Et in hoc casu loquitur Orige-
nes : Dum sacerdotes uni parcunt, toti Ec-
clesiæ moliuntur interitum. Quæ est pietas
ista, uni parcere, et omnes mittere in dis-
crimen? Polluitur enim ex uno impio po-
pulus, sicut ex una morbida ove grex infi-
citur universus. Et Augustinus : Molestus
est, inquit, medicus furenti phrenetico,
eum ligando, et pater indisciplinato filio,
eum redarguendo; si autem negligant eos
et perire permittant, falsa est mansuetudo
hæc et crudelis. Hinc ait Bernardus : Dum
increpantur vitia, et scandala inde nascun-
tur, ipse sibi scandali causa est, qui fecit
id quod argui debuit, non ille qui arguit.
Ne ergo timeas veritatem esse contra cari-
tatem, si unius scandalum, multorum re-
compensaveris pace.

Argue sapientem, et diliget te : quia
considerat se esse culpabilem, quum dicat
apostolus Jacobus : In multis offendimus Jacob. iii,
omnes. Ideo suam reprehensionem repu-
tat medicinam, et eleemosynam spiritua-
lem, ac beneficium esse magnum : ideo
gratias agit, et diligit arguentem, quem
etiam ex caritatis radice et zelo justitiæ
confidit esse locutum.

Da sapienti occasionem considerandi se 9
ipsum atque salubria, *et addetur ei sapi-
entia :* quia proficiet inde. *Doce justum,
et festinabit accipere* salutarem doctrinam,
nec erit tam improbus ut reputet se tantæ
sapientiæ esse, ut eum nequeas de aliquo
informare, quemadmodum Scribæ et Pha-
risæi, qui dixerunt cæco nato illuminato
a Christo : In peccatis natus es totus, et tu Joann. i
doces nos? Itaque, sicut ait Gregorius, viri 34.
vere sapientes ac timorati gratias agunt,
non indignantur, eis a quibus errata sua

Digitized by Google

eis panduntur, sicut præclarissimus Archi-
Galat. II, 11-21. apostolus in epistola ad Galatas a Paulo
II *Petr.* III, 15, 16. notatus, in sua epistola econtrario Paulum
magnifice commendavit.
10 *Principium sapientiæ, timor Domini.*
Prov. I, 7. Hoc jam supra expositum est. *Et scientia*
sanctorum, prudentia. Vera namque pru-
dentia, non nisi in virtuosis habetur ho-
minibus, ut probat Philosophus. In malis
autem et passionatis hominibus, non est
vera prudentia, sed calliditas quædam vul-
pina et humana versutia. Passiones quippe
et vitia corrumpunt in eis rectum rationis
judicium, magisque propria commoda quæ-
runt, quam bonum commune. Verumta-
men scientia capitur hic extense pro pra-
ctica notitia, boni efficaciter approbativa:
sicque prudentiam comprehendit, quamvis
proprie loquendo ab invicem distinguan-
tur. De hac scientia salubri Dominus per
Is. V, 13. Isaiam testatur : Captivus ductus est po-
pulus meus, eo quod non habuit scien-
11 tiam. *Per me enim multiplicabuntur dies*
tui : id est, mihi Sapientiæ obtemperando,
obtinebis vitam diuturniorem ac melio-
rem, moderate et sobrie te habendo, ac di-
versa vitando pericula. Possunt quoque per
dies intelligi ipsæ virtutes, atque internæ
illuminationes, quibus anima intus clare-
scit: quæ crescunt et perficiuntur in homi-
ne sapientiam amplectente. *Et addentur*
tibi anni vitæ, id est dies æternitatis in
Ps. XC, 16. gloria, juxta illud : Longitudine dierum
adimplebo eum, et ostendam illi salutare
meum.
12 *Si sapiens fueris, tibimetipsi eris,* id
est, in propriam mercedem et gloriam tibi
proficiet ac redundabit. Ex consequenti
vero, sapientia alicujus est proximis suis
proficua : quibus succurrit docendo, cor-
ripiendo, hortando, orando, exemplariter
conversando, aut simili modo. Unde in
aliquibus libris subjungitur, Et proximis
tuis. Et ita allegat in suis Homiliis Euse-
bius, dicens : Nullius sapientis sapientia
sibi soli amica est. Hoc tamen non est de
textu, sed ab aliquo expositore annexum.
Si autem illusor sis, *solus portabis ma-*

A *lum,* id est culpam et debitam pœnam
pro ea, sicut ait Apostolus : Unusquisque *Galat.* VI, 5.
proprium onus portabit. Interdum tamen
illusor scandalizat, perturbat ac decipit
alios, sicque sua perversitas est aliis occa-
sio culpæ et pœnæ : qui nisi libere con-
sentirent in culpam, non eis noceret alte-
rius pravitas, sed esset eis exercitatio ad
profectum.
Porro, quod subditur, *Mulier stulta et* 13
clamosa, plenaque illecebris, et nihil om-
nino sciens, quamvis ad litteram possit
B exponi de muliere adultera, libidinosa, seu
fornicatrice, communiter tamen exponitur
de insipientia seu falsa doctrina, et peste
hæretica, quæ mentem ad spirituale adul-
terium, hoc est ad recedendum a Deo, a
fidei veritate, a tenore justitiæ, trahit :
quæ et clamorosa est et inverecunda, sicut
asserit Augustinus : Sileat hæreticorum lo-
quacitas, nullam habens verecundiam, et
plena illecebris, quoniam turpiter delecta-
tur, et ad fœda corporis delectamenta in-
ducit. *Sedet in foribus domus suæ,* id est 14
C in locis patentibus congregationis hæreti-
cæ, seu insanæ ac fatuæ, *super sellam,* id
est sedem, *in excelso urbis loco,* id est in
principibus et prælatis suæ societatis atque
communitatis, quia per illos allicit alios ;
ut vocaret transeuntes per viam, et per- 15
gentes in itinere suo, id est, fideles, per
viam salutis ac fidei catholicæ tendentes
ad patriam, incorporaret suæ congregatio-
ni iniquæ, involvendo ipsos suis errori-
bus ; *dicens : Quis est parvulus ? Declinet* 16
ad me. Simili modo Sapientia increata,
D sicut jam patuit, ad se vocat et exhorta- vers. 4.
tur. Sicque insipientia et pravitas hæretica
conformant se partim in verbis, veræ fidei
ac Sapientiæ sanctæ, quatenus sub specie
boni magis decipiant. Ait itaque, Si quis
est parvulus : quasi dicat, Ego quoque
humiles quæro et approbo.
Et vecordi, id est stulto, *locuta est :*
Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis abs- 17
conditus suavior. Per aquas furtivas, in-
telliguntur doctrinæ hæreticæ et perversæ,
quæ primo in secreto docentur quousque

Digitized by Google

prævaleant. Hæ autem doctrinæ sunt multis tanto delectabiliores, quanto minus transcendunt capacitatem et ratiocinationem intellectus humani, quem difficile est in captivitatem redigere ad credendum ea quæ omnem rationem, experientiam et sensum excedunt : sicut quod Arius docuit, Deum non esse trinum in Personis ; et Photinus, quod Christus sit purus homo ; et alii quidam, quod in Sacramento non sit Christus, nisi ut in signo. Tales quoque doctrinæ recedunt ab arcta via salutis, et delectabilia multa licentiant, a quibus sapientia vera refrenat : ideo dulciores videntur. Panis autem absconditus, est sacrificium superstitiosum talium perversorum, vel in se, vel quantum ad modum sacrilegum, quo illud sacrificant et frequentant. Vel, Panis absconditus, est error occultus, latens perfidia, lex iniqua : quibus reficitur homo vecors ac perfidus. Denique, ad litteram, multis dulcius sapiunt cibus et potus, quem occulte et furtive accipiunt, in quantum in tali refectione propria libertas plus aliquid habet, vel proprium separatumque commodum magis sentitur, vel diabolus magis instigat, prout in libro Confessionum in simili tangit Augustinus, et in Collationibus Patrum abbas Serapion sibi in sua juventute A contigisse fatetur de paxemade [1], quam comedit quotidie in secreto. Sed istud in virtuosis locum non habet. Conformiter de spiritualibus aquis furtivis ac pane abscondito, in perversis perfidisque hominibus accidit.

Et ignoravit insipientia seu hæresis detestanda, *quod gigantes ibi sint,* id est, 18
spiritus maligni et superbissimi hæresiarchæ, in suis doctrinis dominentur ac regnent, non Deus nec sapientia salutaris. Istud enim despicit credere, et putat B pertinaci animo se bene sentire : imo incorrigibiliter suis adhæret erroribus usque ad ignem. *Et in profundis inferni convivæ ejus,* id est, quod hi qui participant, et adhærent suis doctrinis, in profundo inferni demergantur, sicut scriptum est : Qui non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. (*Joann.* III, 18.) Unde rursus in prima sua epistola ait idem Evangelista : Qui non credit in Filium, mendacem facit Patrem, quia non credit in testimonium quo testificatus est C Pater de Filio suo. (I *Joann.* v, 10.) Ideo subditur : *qui enim applicabitur illi,* id est, insipientiæ aut hæreticæ pravitati consentit, *descendet ad inferos : nam qui abscesserit ab ea, salvabitur,* nisi aliunde sit reus. Verumtamen versus iste non est de textu.

ARTICULUS X

ELUCIDATIO CAPITULI DECIMI : PARABOLÆ SALOMONIS FILII DAVID REGIS JERUSALEM.

QUEMADMODUM in exordio dictum est, hic inchoatur secunda pars atque collectio Parabolarum Salomonis : in quibus non est longa connexio de eadem materia, sed quilibet versus communiter habet suam materiam compendiose ; et laudi D virtutis frequenter conjungitur vituperium peccati contrarii. Itaque pro titulo præmittitur : *Parabolæ Salomonis filii David regis Jerusalem.* Quem titulum præmiserunt, qui ex ore Salomonis istas collegerunt parabolas.

[1] Paxemas tertiæ declinationis, seu paxemadion secundæ, significat panem bis coctum. (Nota 4ª editionis Coloniensis.) — Cf. Cangii *Glossar.* Vº Paximatium.

Digitized by Google

Itaque parabolæ Salomonis sunt quæ A
1 sequuntur. *Filius sapiens lætificat patrem,*
filius vero stultus mœstitia est matris suæ.
Istud totum recte vocatur parabola, quia
sub litterali significatione, qua de carna-
libus filiis et carnalibus eorum parentibus
intelligitur, aptiorem ac spiritualem habet
intelligentiam, ut tangetur. Itaque, Filius
sapiens, id est prudens proles, ut nomine
filii, etiam filia designetur, ita ut filius
notet relationem, non sexum : sicut quum
dicitur, Filius est res nata ex substantia
patris : quod competit filiæ, sicut et filio. B
Filius ergo sapiens lætificat patrem, qui
ex dilectione præcipua qua filium amat,
de ejus sapientia gratulatur, et a filio sa-
piente in multis juvatur, ac per filium
talem confidit honorari, et tempore sene-
ctutis foveri. Gloriatur quoque se talem
relinquere posterum ac heredem : sicut et
Jacob de sapientia filii sui Joseph exsul-
Gen. xlvi, 30. tans, ait : Jam lætus moriar, quia super-
stitem te relinquo. De hac re multa in
Ecclesiastico conscribuntur, quæ suo loco
sunt exponenda, et his colliganda : ideo C
non oportet prævolare, aut ea hic allegare.
Filius vero stultus mœstitia est matris, id
est causa et materia doloris suæ carnalis
matris. Nec dubium quin et patris. Sed
ideo specialiter dicitur matris mœstitia,
quoniam stulti quum sint inepti ad expe-
dienda foris negotia, solent domi manere
cum matre : sicque mater ex assiduo stul-
tæ prolis adspectu, habet dolorem præci-
puum. Matres quoque sunt specialiter com-
passivæ ac piæ et pronæ ad dolorem ac
lacrimas, et multum intense diligunt so- D
bolem suam.

Juxta intelligentiam altiorem, *filius sa-*
piens, id est bonus Catholicus, *lætificat*
Is. lxiv, 8. *patrem* cœlestem, cui dicitur : Pater no-
ster es tu, nos vero lutum. Cui, quasi pa-
tri in filio, complacet in homine virtuoso,
II Esdr. viii, 10. juxta quod scriptum est : Gaudium Domini
est fortitudo vestra. *Filius vero stultus*
mœstitia est matris suæ æternæ Sapien-
tiæ, quæ per modum mœrentis se habet
ob hominum vitia. Rursus, per patrem po-
test intelligi bonus prælatus ac prædica-
tor, cujus lætitia est filius sapiens, id est
obediens subditus. Unde in tertia sua Ca-
nonica fatetur S. Joannes : Majorem ho- III Joann. 4.
rum gratiam non habeo, quam ut audiam
filios meos in veritate ambulantes. Ve-
rumtamen sunt quidam parentes, non satis
spiritualiter, sed sensualiter suam sobo-
lem diligentes, qui super filiis et filiabus
suis vere sapientibus, mundana et car-
nalia cuncta spernentibus, religionemque
ingredientibus, interdum graviter contri-
stantur, et de fatua sobole carnalem pru-
dentiam amplectente, et quæ mundi ac
carnis sunt exquirente, lætantur. Et hoc
ideo, quoniam veram sapientiam reputant
insipientiam, et econtra.

Nihil proderunt thesauri impietatis, id 2
est divitiæ male adeptæ : quæ non solum
non prosunt ad salutem, sed plurimum
obsunt, quia non dimittitur peccatum, nisi
restituatur ablatum. Vel, Thesauri iniqui-
tatis, sunt temporalia bona collecta, quam-
vis non male acquisita : quæ dicuntur
thesauri iniquitatis propter adjunctum ef-
fectum, quoniam sunt materia atque oc-
casio vitiorum multorum. Dives enim cur-
rit ad libitum, corruit ad illicitum ; ad
superbiam, indignationem, iram, impati-
entiam pronus est; in vitia gulæ atque lu-
xuriæ solet corruere ; otiositati loquaci-
tatique vacat. Ideo Christus in Evangelio
divitias vocat mammonam iniquitatis. Ita- Luc. xvi, 9.
que thesauri terreni per se non prosunt,
imo nec per se obsunt saluti : sed sicut
justis ac prudentibus, qui eis bene uti no-
verunt, sunt materia exercitiumque virtu-
tum, quia ex ipsis opera pietatis exercent ;
sic avaris et insipientibus sunt vitiorum
occasio, ac medium damnationis æternæ.
Idcirco in suis Proverbiis Seneca loqui-
tur : Pecuniæ imperare oportet, non ser-
vire. Pecunia si uti scias, ancilla est ; si
nescis, domina. Spiritualiter, thesauri ini-
quitatis sunt, abundantia demeritorum. De
quibus ait Apostolus : Secundum duri- Rom. ii, 5.
tiam tuam et impœnitens cor tuum, thesau-
rizas tibi iram in die justi judicii Dei. Et

Digitized by Google

Amos III, 10. rursus alibi : Nescierunt agere rectum, A thesaurizantes impietatem *. Qui thesauri maxime nocent animæ, quamvis quidam per eos in terrenis ditentur. *Justitia vero liberabit a morte.* Interdum namque liberat a morte corporali, semper autem a morte mortalis peccati et infernalis supplicii, dummodo perseveretur in ea usque in finem.

* iniquitatem

3 *Non affliget Dominus fame animam justi.* In lege namque communiter dabatur temporalium copia justis. Unde Moyses fatur (Deut. XV, 4.) : Omnino indigens et mendicus non B erit inter vos. (Interdum tamen dispensatione divina evenit oppositum.) Hinc ait Psalmista (Ps. XXXVI, 25.) : Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Et tamen ipsemet David (I Reg. XXV, 4-9.) inopia ductus, petivit panem et cibos a Nabal. Pensandum ergo quod ait, Non affliget Dominus fame animam justi : quasi dicat, Etsi corpus justi affligatur esurie, animæ tamen patientiam tribuit et gaudium in adversis. Nam et aliqui martyres sancti, fame in carcere obierunt, sed animæ eorum desuper conso- C labantur. Est quoque spiritualis fames, id est defectus internæ refectionis : qua Dominus justorum animas non affligit. Ideo ait Propheta de Domino (Ps. XXXII, 19.) : Ut alat eos in fame. *Et insidias impiorum subvertet :* quia frequenter impedit eas ab intento malignitatis effectu, juxta illud (Job V, 12.) : Deus dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Interdum etiam Deus retorquet impiorum insidias in caput ipsorum, juxta illud Psalmi (Ps. IX, 16.) : In laqueo isto quem absconderunt, D comprehensus est pes eorum. Sic Saul aliquoties (I Reg. XXIV, 4, 5; XXVI, 7, 8.) cecidit in manus David. Finaliter autem impii propter suas peribunt insidias, secundum illud (Ps. I, 6.), Iter impiorum peribit. Juxta præhabita, subvertit Deus insidias Judæorum, qui voluerunt nomen ac fidem Christi omnino exstinguere, et tamen in captivitatem redacti sunt Romanorum, et Christianis subjecti.

4 *Egestatem operata est manus remissa :* quia corporalis inopia sequitur operarium pigrum. Qui vero tardus et frigidus est ad exercitia virtuosa, interiorem incurrit inopiam. *Manus autem,* id est virtus operativa, *fortium,* qui otia abhorrentes, agiles sunt ad bona, *divitias parat,* id est acquirit, tam corporales frequenter, quam spirituales semper. — *Qui nititur,* id est inhæret, *mendaciis, hic pascit ventos,* id est, vanus atque instabilis est, et verba ventosa roborare et verificare conatur. *Idem autem ipse sequitur aves volantes :* id est, propria inconstantia circumfertur, et instar avium undique agitatur, nec certum est ubi se figet, quia in veritate non stabilitur. De hoc in Ezechiele multa dicuntur ænigmatice et valde subtiliter, de falsis prophetis Israel, qui liniebant parietem luto sine paleis, et fecerunt pulvillos (Ezech. XIII, 10, 18, 20.) sub omni cubito, et cervicalia sub omni capite, ad capiendum animas volantes : quia per vaticinia falsa, et promissa mendosa ac blanda, plurimos assecuraverunt ac deceperunt.

Qui congregat in messe, id est tempore 5
prosperitatis, juventutis ac sanitatis, et congruis horis quibus adest facultas meritorie operandi, ac spirituales divitias congregandi : qui, inquam, tunc fortiter agit, spiritualiter proficit, et eos qui sibi commissi sunt, seu proximos suos, Christo lucrifacit, *filius sapiens est; qui autem stertit æstate,* id est, tali tempore admittit torporem, et negligenter tempus suum expendit, est *filius confusionis :* quia in se ipso est deordinatus, confusioneque dignus, atque in die judicii sui æternæ confusioni tradetur, sicut de talibus fertur in Psalmo (Ps. LXXXII, 18.) : Erubescant, et conturbentur in sæculum sæculi; et confundantur, et pereant. Non enim dormientibus, et torpori otioque vacantibus, beatitudo æternitatis ingeritur, sed custoditis corde, et sollicitis coram Deo, indefessis ac strenuis in omni observantia præceptorum, ut juxta suæ exigentiam vocationis ambulent (Ephes. IV, 1.) digne Deo.

Benedictio Domini super caput justi : 6
id est, super justum et in mentem ipsius

Digitized by Google

diffundit Deus atque multiplicat gratiarum
Ps. x, 8. suarum charismata. Justus enim Dominus,
et justitias diligit : ideo justis tanquam
amicis et pro divino honore zelantibus, dat
copiam spiritualium munerum, quandoque
etiam temporalium rerum. Hinc scriptum
Job xxxvi, 7. est : Non aufert a justo oculos suos. *Os
autem impiorum operit iniquitas.* Nam tot
et tanta peccata ore suo committunt, quod
propriis iniquitatibus os eorum operiri as-
seritur. Inquinant enim ora sua, verba
scurrilia, mendosa, detractoria, pungitiva,
injuriatoria proferendo; item per testimo-
nia falsa, per comessationes et potus su-
perfluos. Econtra, sicut sanctus vir ab-
bas Pambo asseruit, ora monachorum sunt
sancta per observantiam discreti silentii,
et jugem collocutionem cum Deo, quem
orando, laudando, psallendo, assidue occu-
pantur.
7 *Memoria justi cum laudibus :* id est,
homines, recordando justos vivos seu mor-
tuos, laudant eos, et habent eorum nomen
honestum; *et nomen impiorum putrescet,*
id est, fama et memoria iniquorum sor-
descunt et pereunt, et vituperationes ha-
bent annexas, præsertim apud sapientes et
virtuosos. Aliqui vero sunt ita corrupti
mente, quod impios laudant, et justos vitu-
Ps. x, 3, sec. Hebr. perant, juxta illud Psalmi : Laudatur pec-
cator in desideriis animæ suæ, et iniquus
benedicitur. Sed de talium judicio non est
Ps. xxi, 27. curandum. Hinc scriptum est : Nomina*
* Corda eorum vivent in sæculum sæculi; et alibi,
Eccli. xxxix, 13. Non recedet memoria ejus, videlicet sa-
pientis et justi.
8 *Sapiens corde præcepta suscipiet,* ut
unicuique superiorum suorum obediat, ad
minus in his quæ ad illius cathedram per-
tinent, et Deo absolute in omnibus; *stul-
tus cæditur labiis,* id est, iniquus et in-
corrigibilis affligitur verbis corripientium
et exhortantium eum quasi flagellis, quia
ex habitibus vitiosis inclinatur ad prava.
De hoc infra in libris Sapientialibus multa
9 habentur. — *Qui ambulat simpliciter,* id
est per tritas vias Sanctorum, et eorum ex-
empla documentaque sequitur, qui sinceri-
A ter Deo vixerunt, et ea quæ evidenter bona
sunt elegerunt, relinquentes dubiosa et pe-
riculosa, in quibus potest esse discrimen;
et qui in omni conversatione sua colum-
binam tenet simplicitatem, vitans omnem
duplicitatem, simulationem, hypocrisim;
ambulat confidenter, id est secure, vitans
singularitatem, et sequens communem ju-
storum viam. Verumtamen Spiritus San-
ctus variis modis in suis operatur electis,
nec gratia ejus generali restringitur re-
gula. *Qui autem depravat vias suas,* id
B est, actiones suas non dirigit secundum
legem justitiæ ac divina præcepta, *mani-
festus erit.* Aliquando enim in præsenti in-
terior ejus malitia, per exteriorem manife-
statur effectum. Porro in judicio ejus, tam
particulari quam generali, Judex cœlestis
declarabit vitia ejus. Unde ait Salvator :
Nihil occultum quod non manifestetur. Luc. viii, 17.
Apostolus quoque : Deus, inquit, revela- I Cor. iv, 5.
bit abscondita tenebrarum, et manifestabit
consilia cordium.
Qui annuit oculo, id est, signa impudici- 10
C tiæ per viam demonstrat, aut nutibus ocu-
lorum quemquam deridet, *dabit dolorem,*
id est, dolorosam pœnam pro suo sustinebit
peccato. Juxta hunc modum loquendi ait
ad Thessalonicenses Apostolus, loquens de
impiis : Qui pœnas dabunt in interitu æter- II Thess. i, 9.
nas. Talis quoque nutibus suis quandoque
ingerit dolorem homini quem irridet, seu
viro cujus conjugem provocat. De talibus
ait in Psalmo Christus : Qui oderunt me Ps. xxxiv, 19.
gratis, et annuunt oculis. *Et stultus labiis
verberabitur.* Hoc est quod jam dixit :
D Stultus cæditur labiis.
Vena vitæ, os justi : quia ex ore sapien- 11
tium ac justorum procedunt verba salutis
ac gratiæ, salubria documenta, recta con-
silia : qui etiam propria humiliter confi-
tentur peccata. Unde de Christo scriptum
est : Mirabantur omnes in verbis gratiæ, Luc. iv, 22.
quæ procedebant de ore ejus. *Os autem
impiorum operit iniquitatem :* id est, pro-
pria vitia negat, palliat seu excusat, non
confitetur : imo magis tuetur. Pro cujus
mali evitatione orat Propheta : Non decli- Ps. cxl, 4.

Digitized by Google

nes cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Hinc fertur alio loco : Quum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua ; parcet illi, et non derelinquet illud, et celabit in gutture suo. (*Job* xx, 12. 13.) Quocontra sanctus Job de se ipso testatur : Si abscondi quasi homo peccatum meum, et celavi in sinu meo iniquitatem meam. (*Ibid.* xxxi, 33.) Et Seneca ait : Relinque excusationem, quia nemo peccat invitus ; itemque, Proximum innocentiæ tenet locum verecunda peccati confessio.

12 *Odium suscitat rixas :* quia ex odio quo quis alium odit, faciliter prorumpit in verba rixosa adversus eum, quoniam appetit ei malum ac læsionem ; *et universa delicta operit caritas.* Jam dictum est, quod os impiorum operit iniquitatem : quomodo ergo caritas operit universa delicta ? Respondendum est, quod caritas dicitur peccata operire, id est auferre, ita quod nec Deus imputat ea, quoniam ex caritatis fervore consumuntur peccata, sicut ex igne stipula. Juxta hunc sensum ait Psalmista : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. (*Ps.* xxxi, 1.) Et Jacobus dicit : Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, operit multitudinem peccatorum. (*Jacob.* v, 20.) Denique, sicut impius operit et occultat propriam culpam, sic caritas culpam alterius, ita quod proximum non increpat statim in publico, nec eum diffamat, sed primitus in secreto, ut famæ ejus provideat.

13 *In labiis sapientis invenitur sapientia,* id est, sapientialia verba procedunt de lingua hominis sapientis. Nam ea quæ sunt in voce, sunt signa interioris notitiæ ; et qualis quisque est, talia loquitur. Unde ait Salvator : Ex abundantia cordis os loquitur. (*Matth.* xii, 34.) *Et virga in dorso ejus qui indiget corde,* id est, justa afflictio ei debetur ac imminet, qui excæcatus est corde, propter quod indiget corde, id est usu rationis atque prudentia : sicut incredulis contigit Judæis, de quibus Isaias prædixit, Excæcatum est cor* populi hujus. (*Is.* vi, 10.) (* Excæca cor) Hinc Philistæi propter insipientiam suam in natibus sunt percussi, ut legitur primo Regum. (I *Reg.* v, 6.) — 14 *Sapientes abscondunt scientiam* tempore opportuno, nec sapientiam suam jactant : est enim tempus tacendi ; nec illusoribus et incapacibus eam proponunt. (*Eccle.* iii, 7.) Ex humilitate ergo eam abscondunt. Nihilo minus tempore apto, ex caritate ostendunt, communicant, et prædicant eam. Sapientia enim abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque ? (*Eccli.* xx, 17.) *Os autem stulti, confusioni proximum est :* quia a reprehensibilibus verbis diu non abstinet, et inordinate in loquendo se habet.

15 *Substantia divitis, urbs fortitudinis ejus :* id est, dives in suis confidit divitiis, quasi in civitate munita, et sicut is qui in urbe est, in murorum fortitudine sperat. Porro qui spiritualiter dives est, in meritis suis confidit, id est, per ea sperat in Domino. Spes namque est certa exspectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei meritisque procedens. *Pavor pauperum, egestas eorum :* id est, ideo timent opprimi atque deficere, quia sciunt se inopes esse. Spiritualiter quoque, qui pauper est, id est virtutibus carens ac meritis, timet inordinato, carnali, mundano timore ; et merito formidaret damnari. Multi etiam pauperes propriam paupertatem abhorrent. — 16 *Opus justi,* id est justa actio ejus, tendit *ad vitam* gloriæ, et vitam gratiæ perficit ; *fructus autem impii,* id est delectatio ejus seu actus interior, est *ad peccatum.* Concupiscentia enim quum conceperit, parit peccatum, ut Jacobus ait apostolus. (*Jacob.* i, 15.) Et ex interiori culpa ad exteriorem proceditur.

17 *Via vitæ* est *custodienti disciplinam :* quoniam disciplinæ acquiescendo, vivit per gratiam, estque in via ad patriam ; *qui autem increpationes relinquit,* id est, increpari de suis peccatis non vult, vel facta increpatione, ad solita vitia redit, *errat :* quia superbus et fatuus est. — 18 *Abscondunt odium labia mendacia :* id est, mendosi rancorem suum occultant, dum dicunt se diligere eum quem odiunt. Odium namque quærit occulte nocere, idcirco abscondi-

Digitized by Google

tur. Ira vero aperta est, et publice appetit A
lædere, ut ait Philosophus. Hinc in Pro-
verbiis suis Seneca loquitur : Odia multo-
rum sub osculo latent. Et rursus : Pejora
sunt, inquit, tecta odia quam aperta. Pro-
pterea loquax inimicus te minus offen-
II Reg. III, 27; Matth. XXVI, 48, 49. dit, quam taciturnus. Istud in Joab et Juda
patuit proditore. *Qui profert contumeli-
am,* id est, alteri convitiatur, *insipiens est,*
id est impatiens, passionatus et improbus,
non attendens se ipsum, et proximum læ-
dere non formidans : quod caritati atque
justitiæ est contrarium.
19 *In multiloquio non deerit peccatum :*
quia aliquid mali se miscet, et indiscretio-
nis est plus loqui quam expedit. Multilo-
quium autem dicitur, non quia multa, sed
quia superflua verba promuntur. Nam et
Act. XX, 7. Paulus in Actibus legitur usque in mediam
noctem protraxisse sermonem. Similiter
Matth. V-VII; Joann. XIII-XVII. Christus in monte et post Cœnam, longum
fecit sermonem. *Qui autem moderatur
labia sua,* loquendo vera, salubria, justa,
cum discretione, circumstantiisque virtu-
tum, videlicet loco et tempore opportu-
no, recta intentione, et taliter ut oportet ;
prudentissimus est : quia hoc signum est
et effectus magnæ prudentiæ ac virtutis.
20 — *Argentum electum, lingua justi,* id est
pretiosa et instar optimi argenti, a macula
verborum pravorum immunis, ac splen-
dens per pulchram doctrinam, atque sono-
ra loquendo salubriter; *cor [autem] impio-
rum pro nihilo* est habendum, in quantum
hujusmodi. Nam et peccatum nihil est, et
nihil fiunt homines peccando. Unde de ju-
Ps. XIV, 4. sto cantatur : Ad nihilum deductus est in
conspectu ejus malignus. Etiam de iniquo
Job XVIII, 15. inducitur apud Job : Habitent in tabernacu-
21 lo illius socii ejus, qui non est. — *Labia
justi erudiunt plurimos,* corripiendo, hor-
tando, consulendo seu prædicando. Aliqui
tamen sunt justi, quibus non suppetit gra-
tia eruditionis ad prædicandum. *Qui au-
tem indocti sunt, in cordis egestate mo-
rientur,* id est, ex defectu informationis
internæ morientur modo per culpam, de-
inde per pœnam æternam. Necesse est
enim scire ea quæ sunt necessaria ad sa-
lutem, nec præcepta queunt impleri, nisi
sciantur. Necesse est quoque donum scien-
tiæ a Spiritu Sancto habere. Hinc ait Apo-
stolus : Qui ignorat, ignorabitur. Et de I Cor. XIV, 38.
electis ait Salvator : Erunt omnes docibi-
les Dei. Omnis qui audivit a Patre et didi- Joann. VI, 45.
cit, venit ad me.
Benedictio Domini divites facit homi- 22
nes in virtutibus : quia benedictio Domini
est collatio munerum ejus, et multiplica-
tio eorumdem ; *nec sociabitur eis affli-
B ctio,* id est pœna inordinata, aut damnatio
sempiterna : imo cum gaudio serviunt
Deo. Attamen de peccatis suis ac aliorum
tristantur. Nam et alibi scriptum est : Qui Eccle. I, 18.
addit scientiam, addit et dolorem. De tali-
bus ait Apostolus : Divites facti estis in I Cor. I, 5.
illo, in omni verbo et in omni scientia.
Quasi per risum stultus operatur scelus, 23
id est, impie agit cum gaudio vano, sicut
præhabitum est : Lætantur quum malefe- Prov. II, 14.
cerint. Imo quidam sunt ita obtenebrati ac
habituati in vitiis, quod etiam peccata mor-
C talia facere, reputant quasi ludum, nec
ponderant plus quam risum. Potest et ita
exponi : Quasi per risum stultus operatur
scelus, id est, proximum graviter lædit,
idque faciendo risum quemdam et jucun-
dum vultum assumit, ne malignandi ani-
mo hoc egisse putetur, sed potius im-
provise, aut ludendi intentione, ita quod
commisso facinore, dicit : Ludens feci. Ibid. XXVI, 19.
Sapientia autem est viro prudentia, id est
causa discretionis et provisionis. Quamvis
enim sapientia et prudentia distinguantur,
D tamen in divinorum cognitione illuminati,
ex ipsa contemplatione æternorum inci-
tantur ad habendum se prudenter et ordi-
nate in rebus actibusque humanis. Nam et
teste Apostolo, Spiritualis homo omnia ju- I Cor. II, 15.
dicat. Philosophus quoque testatur, quod
sapientia tanquam capitanea judicare ha-
bet de inferioribus intellectualibus habi-
tibus.
Quod timet impius, veniet super eum, 24
videlicet debita pœna, quam vel in præ-
senti, aut in futuro sustinebit : præsertim

Digitized by Google

qui peccat cum servili timore, et scit se A
peccare, ille nisi pœniteat, damnationem
incurret perpetuam. Verumtamen, sicut in
Eccle. VIII, 11. Ecclesiaste asseritur, multi sine ullo timo-
re perpetrant mala : quibus tamen tandem
supervenit hora, in qua vel in extremis
concutientur horrore, atque peribunt. *De-
siderium suum justis dabitur,* id est rem
desideratam, videlicet æternam consequen-
tur salutem, donaque gratiæ in præsenti.
Ps. XXXIII, 16. Etenim oculi Domini super justos, et aures
ejus in preces eorum.

25 *Quasi tempestas transiens non erit im-* B
pius, id est, cito tolletur de medio, juxta il-
Ps. LXXII, 19. lud : Quomodo facti sunt in desolationem?
Subito defecerunt. Unde dicitur in Job :
Job IV, 7-9. Recordare, obsecro, quis unquam innocens
periit? Quin potius vidi iniquos Domino
Is. XL, 24. flante perisse. Hinc loquitur Isaias : Et
quidem neque satus, neque radicatus in
terra truncus eorum; repente flavit in eos,
et aruerunt. Et dato quod in vita hac us-
que ad debitam subsistant ætatem, tamen
omne hoc respectu futuræ æternitatis, vix
est momentum. *Justus* [*autem*] *quasi fun-* C
damentum sempiternum : quia in omni
eventu constans manet in Domino, et sta-
bilitur in Creatore, modo per gratiam, de-
Matth. VII, 24, 25. inde per gloriam. Hinc ait Salvator : Omnis
qui audit verba mea, et facit ea, assimila-
bitur viro sapienti, qui ædificavit domum
suam supra petram; et descendit pluvia,
et venerunt flumina, et flaverunt venti,
et irruerunt in domum illam, et non ceci-
dit : fundata enim erat supra petram.

26 *Sicut acetum dentibus* molestiam ingerit,
quos acidos facit, *et fumus oculis,* quos D
affligit, obscurat, amaricat; *sic piger his
qui miserunt eum* in via. Nam sua tarditate
ac negligentia ipsos affligit, dum nec cau-
sas propter quas missus est, expedit, nec
27 statuto revertitur tempore. — *Timor Domi-
ni apponet dies :* id est, homo Deum filiali-
ter timens, vitæ prolongationem meretur,
et ad annos æternitatis perducitur : de
Ps. LXXVI, 6. quibus in Psalmo habetur, Annos æternos
in mente habui. Vitamque gratiæ et ipsas
virtutes, quæ sunt dies cordis, timor Dei
adducit ac auget. *Et anni impiorum bre-
viabuntur :* quoniam sæpe propter sua
scelera occiduntur, et gulose turpiterque
vivendo suam abbreviant vitam.

Exspectatio justorum, lætitia, id est, 28
æternam præstolantur jucunditatem a Do-
mino : et ipsa eorum exspectatio est con-
solatoria et jucunda, sicut ait Apostolus :
Spe gaudentes. *Spes autem impiorum per-* Rom. XII, 12.
ibit, id est, privabitur effectu seu bono
sperato. Nam et sine virtuosis actibus sal-
vari confidunt; et frequenter sperant in
vita hac diu subsistere, prosperari, et suis
concupiscentiis deservire, tandemque ante
finem vitæ pœnitentiam agere : et tamen
subito auferuntur, quemadmodum fertur
de divite quodam, dicente : Anima, habes Luc. XII, 19, 20.
multa bona reposita in annos plurimos;
requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit au-
tem illi Deus : Stulte, hac nocte animam
tuam repetunt a te; quæ autem parasti,
cujus erunt?

Fortitudo simplicis, via Domini, id est, 29
observantia viæ seu legis Dei, est spiritualis
confortatio simplicis hominis, simplicitate
columbina micantis : qui etsi altiora ne-
quit scrutari, nec magnæ exsistit scientiæ,
hoc tamen ei sufficit, quod in sua manens
simplicitate, servet præcepta. *Et pavor his
qui operantur malum,* id est, horrenda
formido imminet eis, et inordinati timores
sunt in ipsis frequenter, dum metuunt de-
prehendi, sicut de furibus, adulteris et
consimilibus constat. — *Justus in æter-* 30
num non commovebitur a via justitiæ, sic-
ut Job dicit : Donec deficiam, non rece- Job XXVII, 5, 6.
dam ab innocentia mea; justificationem
quam cœpi tenere, non deseram. Atque
Apostolus ad Romanos : Quis, inquit, nos Rom. VIII, 35.
separabit a caritate Dei? Verumtamen istud
non est intelligendum quasi justus non
possit peccare; sed quod justus, in quan-
tum talis, magis vult vitam quam justitiam
perdere, et quod viri perfecte justi, parati
sint pro justitia mori. *Impii autem non
habitabunt super terram* cœlestis patriæ :
de qua fertur in Psalmo, Credo videre bo- Ps. XXVI, 13.
na Domini in terra viventium.

Digitized by Google

31 *Os justi parturiet sapientiam,* id est, justa ac sapientialia proferet verba; *lingua pravorum peribit :* quia propter vitia sua damnabitur : sicut et epulo in inferno petiit linguam suam refrigerari, insinuans se in ea gravius cruciari. (Luc. xvi, 24.) — 32 *Labia justi considerant placita :* id est, justus sua discretione perpendit, ut labia sua loquantur ea quæ Deo et proximis merito debent placere, ut non nisi ædificatoria atque salubria A proferant. Unde monet Apostolus : Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed qui utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. (Ephes. iv, 29.) *Et os impiorum perversa,* id est, considerant impii qualiter possint vana, frivola et nociva effari : et ex industria evomunt talia, quia in sua loquacitate ac perversitate delectantur; et sæpe libentius proferunt ea quæ audientibus displicent, quam quæ placent.

ARTICULUS XI

EXPOSITIO CAPITULI UNDECIMI : STATERA DOLOSA ABOMINATIO EST APUD DOMINUM.

JUSTITIA cum actibus suis hic specialiter commendatur, et vitia eis opposita
1 reprobantur. *Statera dolosa abominatio est apud Dominum,* id est, divino judicio multum est abominanda statera fraudulenter formata, qua proximi clam falluntur. Talis namque statera, id est usus seu mensuratio facta per eam, est Deo odibilis, quum sit directe contra legem naturalem atque divinam, et contra caritatem et æquitatem. (Lev. xix, 35, 36.) Spiritualiter quoque dolosa statera, hoc est ponderatio seu judicium rationis, quæ vel ex personarum acceptione, vel C affectione sinistra seu aversione perversa, judicat male de se ipsa et aliis, propria vitia non ponderando, ut requirit justitia, et facta aliorum bona, judicando non bona, vel mala, nimis mala : hæc statera est abominabilis Deo. Similiter statera utuntur dolosa, qui onera gravia et importabilia aliis portanda imponunt, quæ digito suo nolunt movere. (Matth. xxiii, 4.) Hinc Dominus jussit : Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in mensura. (Lev. xix, 35.) Nihilo minus multi intimorati et cupidi dolosis D utuntur ponderibus, stateris, mensuris, sicut ait Psalmista : Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in id ipsum. (Ps. lxi, 10.) Hæc mensuratio fraudulenta est B furtum, specie seu apparentia justitiæ coloratum : qua qui utuntur, ad restitutionem tenentur. *Et pondus æquum,* id est justa mensura, *voluntas ejus,* id est, Deo essentialiter justo placet, qui jussit : Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis. (Ezech. xlv, 10.) Itaque qui in cunctis juste ac sinceriter agit ac judicat, qui causam ac causam æqua lance discernit, summi Judicis voluntati concordat.

Ubi fuerit superbia, ibi erit et contumelia. 2
Superbi namque, quum sint magni in oculis suis, faciliter arbitrantur sibi factam injuriam, quamvis quandoque non sit; et injuriam sibi factam, reputant nimis magnam : sicque in contumeliosa verba prorumpunt. Alios quoque non humiliter, sed contumeliose solent corripere, sicut Eliu sanctum Job. (Job xxxii-xxxvii.) Talis fuit Rabsaces, qui a servis Ezechiæ humiliter rogatus, respondit : Numquid ad dominum tuum misit me dominus meus, et non potius ad viros qui sedent super murum, ut comedant stercora sua, et bibant urinam suam vobiscum? (IV Reg. xviii, 26, 27.) Denique valde vitandum est vitium istud : quia, ut Thomas in secunda secundæ, quæstione 72, declarat, contumelia ex suo genere est peccatum mortale; et quamvis superbia disponat ad con-

Digitized by Google

tumeliam, propria tamen origo contumeliæ
dicitur esse ira. Nam finis iræ est vindi-
cta. Contumeliosus autem, per verba con-
tumeliæ communiter intendit se vindicare,
alteriusque honorem auferre. Hinc Seneca
in suis ait Proverbiis : Contumelia a con-
temptu dicta est, quoniam nemo, nisi
quem contempsit, tali notat injuria. Solent
etiam verba contumeliosa citius proferri
in eos, qui minus timentur. Unde et Sene-
ca : Ingenuitas, inquit, contumeliam non
suscipit; in vita miseri, contumelia est.
Ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Hu-
militas namque ad illuminationem divi-
nam specialiter præparat mentem, ut di-
Matth. XI, 25. ctum est sæpe. Ideo scriptum est : Revelasti
Ps. XVIII, 8. ea parvulis; itemque, Testimonium Domi-
ni fidele, sapientiam præstans parvulis.
Imo per Isaiam Dominus loquitur fons
Cf. *Is.* LXVI, 1, 2. sapientiæ adorandus : Super quem requie-
scet spiritus meus, nisi super quietum et
humilem?

3 *Simplicitas* columbina *justorum diriget
eos,* id est, recte faciet incedere ad finem
salutis æternæ. Nam facit deverticula du-
plicitatis, simulationis, hypocrisisque vi-
tare, et per suam simplicitatem merentur
justi desuper dirigi. Semper quoque con-
nexæ sunt simplicitas ista et vera justitia :
Job I, 1, 8; II, 3. sicut Job fuit vir simplex et rectus; ideir-
co in omnibus direxit eum Altissimus. *Et
supplantatio perversorum vastabit eos.* Sæ-
pe enim contingit, quod qui impotentiores
se supplantant, a potentioribus se sup-
plantentur, et in judicio Dei debita puni-
tione vastentur. Ideo Tullius dixit : Quod
alteri feceris, scito ac præstolare tibi ab
alio fieri.

4 *Non proderunt divitiæ* temporales *in
die ultionis* divini judicii, in quo solum
merita prosunt; *justitia autem liberabit a
morte* culpæ atque gehennæ, et etiam sæ-
5 pe a corporali occisione. — *Justitia sim-
plicis diriget viam,* id est actum et con-
versationem *ejus,* ut perseveret in medio,
non divertens ad vitiosa extrema; *et in
impietate sua corruet impius.* Nam ipsa
impietas, spiritualiter ruina est, qua ab

A altitudine gratiæ et dignitate virtutis, et a
statu salutis, ad profunditatem excæcatio-
nis, vilitatem culpæ et statum damnatio-
nis corruitur; deinde a vita hac in ima
inferni, per impietatem suam peccator di-
labitur. — *Justitia rectorum liberabit eos,* 6
perducendo ad vitam felicem, in qua nul-
lum potest esse periculum, nulla adversi-
tas; *et in insidiis suis capientur iniqui,* id
est, quod aliis moliuntur, ipsimet inci-
dent, et eorum versutia redundat in eos,
et maxime nocet eis : quod si in vita ista
B evaserint, ab Omnipotente comprehenden-
tur, et manifesti omnibus fient in die furo-
ris Dei adversus insidiatores. Ideo scriptum
est : In laqueo isto quem absconderunt, *Ps.* IX, 16.
comprehensus est pes eorum. Isaias quo-
que ait : Qui explicuerit pedes suos de Cf. *Is.* XXIV, 18.
laqueo, cadet in foveam.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra 7
spes de sua salvatione, quia in mortali de-
cessit, et tempus merendi in eo finitum
est. Hoc non attenderunt, qui damnatis
finem promiserunt pœnarum. Verumta-
C men ex gratia speciali, quidam in mortali
culpa defuncti, ad vitam istam reducti
sunt, pœnitentiamque egerunt. Sunt autem
quasi innumerabilia testimonia Scriptura-
rum, quibus monstratur æternitas infer-
nalis supplicii.

Et exspectatio sollicitorum peribit. Quæ-
dam est sollicitudo spiritualis, id est dili-
gentia custodiendi se coram Deo, vitandi
pericula animæ, proficiendi in gratia at-
que virtutibus. De qua dicit Michæas : In- *Mich.* VI, 8.
dicabo tibi, homo, quid sit bonum : utique
D facere justitiam, et sollicitum ambulare
cum Deo tuo. Alia est sollicitudo de cor-
poralibus rebus : et illa est duplex, vide-
licet moderata, et immoderata. Moderata
est, qua temporalia quæruntur et conser-
vantur, quantum necessaria aut utilia sunt
per respectum ad spiritualia bona. Unde
et princeps Apostolorum in prima sua epi-
stola : Omnem, inquit, sollicitudinem ve- I *Petr.* V, 7.
stram projicientes in Deum, quoniam ipsi
cura est de vobis. Immoderata est, qua
quæruntur superflua, aut cum nimia an-

Digitized by Google

xietate occupationeque cordis quæruntur
aut conservantur temporalia, sive sint necessaria vel utilia, sive non. De qua ait
Matth. VI, 34. Salvator : Nolite solliciti esse in crastinum. Vult etenim Deus, ut in eo tanquam
in piissimo ac providissimo patre, filialem
habeamus fiduciam, sic tamen, ut id quod
in nobis est, moderate agamus. Itaque de
immoderata et carnali sollicitudine dicitur : Exspectatio sollicitorum peribit, id
est, tanquam vitiosa damnabitur, et frequenter in vita hac suo privatur effectu.
Immoderate namque solliciti pro terrenis,
exspectant ditari, diuque vivere : quorum
utroque sæpe privantur. Ideo loquitur Pau-
Philipp. IV, 6. lus : Nihil solliciti sitis.

8 *Justus de angustia liberatus est,* id est
de inordinata tristitia atque formidine, aut
etiam de corporali persecutione, sicut in
Ps. XXXIII, 20. Psalmo habetur : Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberabit eos
Job XXXVI, 16. Dominus. Hinc in Job dicitur : Salvabit te
de ore angusto latissime. David quoque
II Reg. IV, 9. fatetur : Vivit Dominus qui eripuit me de
omni angustia. Sicut et sacratissimus Pe-
Act. XII, 3, 4, 7-11. trus ab Herode incarceratus ac vinctus, ab
angelo est eductus. *Et tradetur impius pro
eo,* id est, iniquus in angustias cadet, et pro
malis quæ intulit justo, damnabitur : sic-
Ibid. 23. ut Herodes ab angelo est percussus, vermibusque consumptus, qui summum in-
Ibid. 3, 4, 2. carceravit Apostolum, decollavitque Jaco-
Is. LVII, 1. bum. Hinc scriptum est : A facie malitiæ
collectus est justus.

9 *Simulator,* qui aliud gerit in corde, et
aliud prætendit in ore, *ore decipit amicum suum,* id est verbis aut factis, dicendo
aut fingendo in opere quod diligat illum
et quærat profectum ipsius, quum tamen
quærat propria commoda cum proximi
Jer. IX, 8. damno. De talibus asseritur : Sagitta vulnerans lingua eorum; in ore suo pacem
cum amico suo loquitur, et occulte ponit
ei insidias. Sic et falsi doctores et hæretici
fallunt Catholicos, asserendo se esse vere
fideles. Tales sunt Deo valde odibiles, jux-
Job XXXVI, 13. ta illud : Simulatores et callidi provocant
iram Dei. *Justi autem liberabuntur scien-*
A *tia,* id est, per veram discretionem catholicamque doctrinam evadent simulatorum
deceptiones et fraudes.

In bonis justorum exaltabitur civitas,* 10
id est, per prudentiam et facultates virtu- * exsultabit
osorum civium oppida prosperabuntur :
quoniam justi consilio et auxilio laborant
pro bono politiæ communi, prout de Catone recitat Cicero. *Et in perditione impiorum erit laudatio :* id est, justi laudant
jura, justumque judicem, imo et Deum
omnipotentem, dum impii secundum leges
B puniuntur ac tolluntur de medio, ne amplius perturbent rem publicam : et talis
laudatio procedit ex zelo justitiæ et amore
boni communis. Nam et impiis expedit hic
puniri. Unde in Psalmo : Lætabitur justus Ps. LVII, 11.
quum viderit vindictam. — *Benedictione* 11
justorum, id est per dona et merita justis collata, *exaltabitur civitas :* quoniam
politia juvatur civium meritis, in tantum
quod Dominus dixit se parcere Sodomæ, si Gen. XVIII, 32.
essent in ea decem justi. Vel : Benedictione, id est imprecatione et oratione, qua
C justi imprecantur civibus pacem et prosperitatem, exaltabitur civitas : sicut in
libris Regum ac Paralipomenon leguntur
habitatores Jerusalem bona plurima consecuti precibus et meritis David, Asa, Josaphat, Ezechiæ, Josiæ, ac Prophetarum
contemporaneorum regibus illis. *Et ore
impiorum subvertetur.* Impii enim seditiosi et fraudulenti, variis modis pacem
communitatis impediunt, urbem tradunt.
Sic quoque Ecclesia per hæreticos inquietatur.

D *Qui despicit amicum suum* ex elatio- 12
ne : quem deberet diligere ex caritate, et
propter communionem naturæ, Religionis
quoque ac fidei unitatem; *indigens corde
est,* id est defectuosus, carens sapientia
atque virtutibus : quibus si perficeretur,
proximis suis etiam peccantibus compateretur, non elate aspernaretur, sicut ait
Apostolus : Debemus nos firmiores, im- Rom. XV, 1.
becillitates infirmorum sustinere, et non
nobis placere. *Vir autem prudens tacebit,*
considerando propriam defectuositatem, et

Digitized by Google

aliorum peccata non publicando, dummodo corrigibiles se exhibeant in secreto.

13 *Qui ambulat fraudulenter,* simulans se fidelem ac probum, quum sit loquax et improbus, *revelat arcana,* quæ sibi in secreto sunt patefacta cum obligatione celandi, seu alia proximorum peccata sibi soli cognita. Secretorum autem revelatio, præsertim quæ alicui in fide sunt patefacta, est ex suo genere mortale peccatum, repugnans caritati atque justitiæ, quum sit contra fidelitatem quam quis alteri servare tenetur : nisi forsan talium secretorum celatio redundaret aperte in detrimentum ac periculum boni communitatis. Idcirco incautum est, aliquid sine causa prægnanti in secreto accipere. Similiter viri prudentis est, secreta sua non faciliter alteri pandere : quia si ipsemet ea celare non valet, quomodo alius ea celabit ? Ideo Seneca in Proverbiis suis dixit : Quod tacitum esse vis, nemini dixeris : quia non poteris ab alio exigere silentium, si tibi ipse non præstas. Nihilo minus interdum ratione obtinendi consilium, aut ex alia causa urgente, potest quis alteri viro probo ac sapienti, cujus fidelitatem expertus est, secretum suum insinuare. Nam subditur : *qui autem fidelis est animi,* fidelitate
Galat. v, 6. quæ est pars justitiæ, vel fide quæ per dilectionem cum discretione notabili operatur, *celat amici commissum,* id est secretum sui amici sibi in fide ab alio notificatum.

14 *Ubi non est gubernator, populus corruet :* quia non habet ducem et correctorem ac instructorem, et est sicut oves sine pastore. Ideo dicit in regula sua Hieronymus, quod nec congregatio, nec politia, nec domus diu potest subsistere, si desit cujus voluntati obediatur. *Salus autem,* id est periculorum evasio ac regimen bonum, est *ubi* sunt *multa consilia,* id est inter homines assidue inter se inquirentes, vel a prudentioribus investigantes quid sit agendum, quid evitandum. Ideo Tobias
Tob. iv, 19. docetur : Consilium semper a sapiente perquire.

A *Affligetur malo,* id est, curam, timorem 15
seu tristitiam in se patietur, *qui fidem facit pro extraneo,* id est, qui fidejubet pro alio : quia veretur ne ille satisfacere nequeat, aut non velit, sicque ipse pro illo satisfacere compellatur. De hoc, et qualiter caute habere se debeat homo fidejubendo pro proximo, dictum est plenius supra, capitulo sexto. *Qui autem cavet* Prov. v 1-5.
laqueos, id est dispositiones propinquas et occasiones periculorum, deceptionum, damnorum, *securus erit* ab ipsis periculis.
B Laqueos ergo invisibilium ac visibilium hostium fugiamus, similiter fidejussiones incautas, societates perversas, fallaces divitias, oscula et amplexus, tactus et respectus morosos, ad concupiscentiam provocantes.

Mulier gratiosa, id est pia, proba, acce- 16
pta, *inveniet gloriam,* id est, delectationem bonam habebit, et erit famosa, ac tandem gloriam obtinebit cœlestem ; *et robusti* in gratia et virtutibus, *habebunt divitias* spirituales, interdum etiam corporales. — *Be-* 17
C *nefacit animæ suæ vir misericors,* id est, aliis miserendo ac succurrendo, meretur sibi ipsi misericordiam desuper fieri, juxta illud : Beati misericordes, quoniam ipsi Matth. v, 7.
misericordiam consequentur. Sic qui aliis ignoscit, meretur sibi ignosci. Rursus, qui misericors est, opera misericordiæ spiritualia ac corporalia exercendo pro posse, in primis miseretur propriæ animæ, dolendo de ejus peccatis : sicque properat pœnitere, confiteri, et a vitiorum miseriis liber exsistere, prout in Ecclesiastico scri-
D ptum est : Miserere animæ tuæ placens Eccli. xxx, 24.
Deo. Nempe sicut caritas, sic et misericordia ista incipit a se ipsa. *Qui autem crudelis est, propinquos abjicit,* negando eis consilium atque auxilium : quod est specialiter contra legem naturæ et naturalem amorem.

Impius facit opus instabile, id est a fir- 18
mitate virtutum, et a rationis constantia alienum. Nam impius, quum passionibus sit subjectus, secundum diversitatem alterationis passionum suarum et diversi-

Digitized by Google

mode et instabiliter agit, de uno vitio ru- A
ens in aliud. *Seminanti autem justitiam,*
id est opera justa exercenti, *merces* erit
Jacob. I, 12; II, 5. *fidelis,* id est salus æterna, sicut a Deo
19 promissum est. — *Clementia,* per quam
quis dimittit reo debitam pœnam in parte
aut in toto, *præparat vitam :* quia per
hanc meretur clemens sibi conferri aut
augeri vitam gratiæ in hoc mundo, et glo-
riæ vitam in cœlo. Reo quoque quandoque
relaxat mortis sententiam. Ideo hortatur
Coloss. III, 13. Apostolus : Donantes invicem, si quis ad-
versus aliquem habet querelam, sicut et B
Deus in Christo donavit vobis. Interdum
tamen, imo et sæpe, servare oportet, pro-
pter bonum commune, rigorem justitiæ.
Hinc Seneca loquitur : Quam magnarum
virium est, lædentem negligere, id est non
advertere! *[Et] sectatio malorum, mortem,*
id est, frequens imitatio pravitatum parit
gehennalem interitum.

20 *Abominabile Domino cor pravum,* quum
Deus sit naturaliter et incircumscriptibi-
liter bonus; *et voluntas ejus in his qui*
simpliciter, id est columbina simplicitate, C
21 *ambulant.* — *Manus in manu non erit inno-*
cens malus : id est, homo pravus, exsistens
manus in manu, id est cessans ab opere
exteriori, sicut qui unam manum tenet in
alia, nullam extendens in opus : talis non
erit innocens, quoniam corde peccabit co-
gitando et appetendo, bonaque omittendo.
Semen autem, id est operatio bona, seu
virtuosa posteritas, *justorum salvabitur.*

22 *Circulus aureus in naribus suis, mulier*
pulchra et fatua : id est, femina inconti-
nens et formosa, ita se habet, ut aureus D
circulus in naribus porcæ : quoniam porca
seu sus circulum aureum naso suo inne-
xum, luto et sordibus mox infigit. Sic mu-
lier stulta ac speciosa, pulchritudinem et
ornatum sibi concessum convertit ad cœ-
num libidinis. Spiritualiter, mulier pul-
chra et stulta, est hæreticorum collectio,
quæ venustate gaudet eloquii, et eam cum
notitia veritatis sibi concessa, vertit ad
suorum fœditates errorum, tanquam spur-
cissima porca.

Desiderium justorum, omne bonum est, 23
id est, bonitatem et æquitatem in omnibus
cupiunt observari, atque in omni gratia
et virtute optant proficere; Deum quoque,
in quo est omnium bonorum et pulchro-
rum superplena possessio, desiderant fina-
liter obtinere. *Præstolatio impiorum, fu-*
ror, id est, cum immoderantia iræ cupiunt
et exspectant mala inferre, et vitiosæ eo-
rum exspectationi furoris flamma sæpe
miscetur, ac pro eorum excessibus immi-
net eis furor Dei, id est rigor ultionis di-
vinæ. — *Alii dividunt propria,* id est, 24
bona spiritualia ac temporalia eis concessa,
communicant proximis; *et ditiores fiunt :*
quia pro hac eorum caritativa communi-
catione, piaque liberalitate, Deus auget in
eis spiritualia ac temporalia bona. *Alii*
rapiunt non sua, scilicet temporalia alio-
rum, seu virtutes quibus carent, sibi ad-
scribunt; *et semper in egestate sunt :* nam
veris divitiis mentis privantur, et tempo-
ralia male consumunt. Nihilo minus, sicut
in Job legitur, abundant interdum taber- Job XII, 6.
nacula prædonum.

Anima quæ benedicit, id est, Deum lau- 25
dat, et proximis prædicat bona, *impin-*
guabitur donis Spiritus Sancti, prout orat
Psalmista : Sicut adipe et pinguedine re- Ps. LXII, 6.
pleatur anima mea. Unde in Jeremia lo-
quitur Dominus : Inebriabo animas sacer- Jer. XXXI,
dotum pinguedine, eritque anima eorum 14, 12.
quasi hortus irriguus. *Et qui inebriat* au-
ditores verbo sacræ doctrinæ seu gaudio
spirituali, *ipse quoque inebriabitur* chari-
smatibus Dei, qui tanto liberalius gratiam
inserit et refundit, quanto quis proximis
suis magis caritative ac pie communicat
dona sibi concessa. Porro nonnulli ex in-
dustria inebriant socios suos poculo cor-
porali : quod faciendo, vanitate et im-
pietate inebriantur, et postea suppliciis
replebuntur.

Qui abscondunt frumenta, id est, ea non 26
exponunt venalia tempore opportuno, sed
ex immoderata sollicitudine ea in pro-
prium usum reservant, aut ex cupiditate
apud se retinent, ut postea carius ven-

Digitized by Google

dant; *maledicentur in populis* indigenti- A bus. *Benedictio autem super caput vendentium*, id est, vendentibus populi bona imprecabuntur, præsertim si pro competenti dent pretio. Sicque abscondentes frumenta tempore quo sunt venditioni exponenda, peccant non solum ex cupiditate et immoderata sollicitudine, sed etiam alios
Tob. IV, 16; Matth. VII, 12. graviter scandalizando; nec faciunt proximis quemadmodum sibi in casu simili cuperent fieri: quod est legi contrarium naturali; imo periculosum est valde, quia si pauperes aliqui ex inopia morerentur, B timendum quod imputaretur divitibus illis a Deo. Nempe, ut sancti patres Ambrosius Basiliusque testantur, qui periclitantibus et indigentibus non succurrit, occidit. Seneca quoque: Qui perituro, inquit, succurrere potest, quum non succurrit, occidit. Spiritualiter frumenta abscondit, qui dona gratiæ sibi collata non communicat proximis, nec verbum Dei prædicat sibi commissis, nec fructuose utitur creditis sibi talentis. Talis maledictionem meretur.
Ibid. XXV, 26. Cui et judex in Evangelio loquitur: Serve C malo et piger. Benedictio autem super caput vendentium, id est fructuose exponentium, atque implentium quod jubet Sal-
Luc. XIX, 13. Matth. XXV, 21, 23. vator: Negotiamini dum venio. Quorum unicuique dicitur: Euge, serve bone et fidelis, etc.

27 *Bene consurgit diluculo, qui quærit bona*, id est, feliciter mane surgit, qui cupit et nititur tempus fructuose expendere, proximis subvenire, et semper boni aliquid operari. *Qui autem investigator malorum est*, id est, facta et defectus proximorum D malitiose aut curiose inquirit, ad accusandum seu persequendum vel diffamandum, aut simili intentione perversa, *opprimetur ab eis*, id est, illorum pondere a propria impedietur salute. Grave enim, ut ait Gregorius, est vitium curiositatis: quod dum mentem circa aliorum defectus investigandos occupat, eam sibi ipsi abscondit, ut tanto minus propria cernat peccata, quanto curiosius discutit aliena: sicque in superbia fovet miseram animam, atque ad temeraria judicia efficit eam pronam. Vel: Qui investigator malorum est, id est, excogitat quæ mala dicat aut faciat, opprimetur ab eis, id est, eorum demeritis in supplicia demergetur. Rursus, qui investigat mala, id est illicita, ut faciat ea, aut instruatur ex eis, sicut qui artibus magicis quærunt juvari, quemadmodum Saul qui I Reg. XXVIII, 7-12
pythonissam consuluit; opprimetur ab eis, quia suæ adversantur saluti, et sæpe decipitur. Verumtamen qui præsunt, præsertim episcopi, ex caritate et zelo justitiæ debent subditorum mala per se ipsos, et per condignos ministros inquirere.

Qui confidit in divitiis suis temporalibus et terrenis, *corruet* in culpam et pœ- 28
nam. Idcirco ad Timotheum scribit Apostolus: Divitibus præcipe non sperare in I Tim. VI, 17.
incerto divitiarum. Similiter qui in spiritualibus suis divitiis, id est meritis, magis quam in pietate et gratia Dei confidit, corruet et peribit. Et ad utrumque istorum spectat quod fertur in Psalmo: Ecce homo Ps. LI, 9.
qui non posuit Deum adjutorem suum, sed speravit in multitudine divitiarum suarum. *Justi autem quasi virens folium germinabunt*, id est, fructum virtutum producent ex interiori mentis virore, et crescent in melius, quemadmodum folium virens extenditur ad congruam quantitatem. Est etenim tanquam lignum quod Ps. I, 3.
plantatum est secus decursus aquarum, et folium ejus non defluet.

Qui conturbat domum suam, id est, suos 29
domesticos seu cognatos, aut plebem seu congregationem sibi commissam irrationabiliter inquietat, et impatientia, ira seu inquietudine sua molestat, quos debuit tranquillos reddere, pacare atque dirigere; *possidebit ventos*, id est, fructum non consequetur ex hoc, sed impietatem, inquietudinem et rancorem, aut etiam expulsionem a statione mansioneque sua. Hinc in Ecclesiastico scriptum est: Noli esse Eccli. IV, 35.
quasi leo in domo tua, evertens domesticos tuos. Spiritualiter qui conturbat domum suam, et habitaculum cordis sui pravis cogitationibus, passionum tumultibus, desi-

Digitized by Google

deriis inordinatis, apprehensionibus phantasmaticis implet; possidet ventos, id est, flatus diabolicarum suggestionum intra se suscipit ac reservat. De talibus Dominus *Osee* VIII, 7. loquitur per Osee: Ventum seminabunt, et turbinem metent. *Et qui stultus est, serviet sapienti.* Hoc equidem est de jure naturali, ut sapiens præsit, et insipiens sit subjectus, sicut et primo Politicorum docet Philosophus. Frequenter tamen in rebus humanis contingit contrarium. Sapientes autem, qui sciunt qualiter sit jubendum, et quomodo homines sint regendi, atque in virtutibus sunt fundati, passionibus dominantes, digni sunt præcipere et præesse.

30 *Fructus justi, lignum vitæ :* id est, operatio virtuosa reficit operantem, sicut lignum vitæ edentem. Unde ait Salvator : *Joann.* IV, 34. Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei. Iterum, fructus justi est justo pro ligno vitæ, atque ad beatificam fruitionem Christi, qui est lignum vitæ, perducit. Hinc *Apoc.* II, 7. fatetur: Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei. [*Et*] *qui suscipit animas, sapiens est,* id est, qui animas proximorum spiritualiter diligit, et eis pro posse succurrit, atque in sinu caritatis amplectitur eas, ut nutrix infantulum, unicuique subveniendo secundum quod indiget, sapiens est. Talis namque est vere illuminatus a Deo; et quo animæ præstantiores sunt corporibus, eo ferventior est ad exhibendum spiritualia misericordiæ opera animabus, quam corporalia misericordiæ opera corporibus, implens illud I *Thess.* V, 14. Apostoli : Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Talis sequitur Deum, *Sap.* XI, 27. cui in libro Sapientiæ dicitur : Qui amas animas.

A *Si,* pro quia, *justus in terra recipit* persecutiones, tentationes et debitas pro suis culpis correptiones et pœnas, aut etiam absque suis demeritis, ut patet de sanctis martyribus, et de Job, Tobia, ac aliis multis; *quanto magis impius,* qui peccat directe in Deum, *et peccator* peccans in proximum, recipiet justam punitionem, vel in præsenti sæculo, aut futuro? Unde per Jeremiam Dominus ait : Ecce domum in qua invocatum est nomen meum, ego incipio affligere, et vos eritis immunes? Non eri- B tis immunes. Et per Ezechielem ad Jerusalem dixit : Pro eo quod occidi in te justum et impium, egredietur gladius meus ad omnem carnem. Hinc et princeps Apostolorum dignissimus, in prima sua ait Canonica : Tempus est ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt? Quod, secundum Glossam, ex hoc loco acceptum est secundum translationem antiquam. Postremo, C ex his sumitur evidens argumentum divinæ providentiæ ac futuri judicii, et quod post vitam præsentem sit alia vita, in qua finalis est retributio malorum atque bonorum. Apertissime namque videmus, multos perfectos ac justos in sæculo isto variis adversitatibus persecutionibusque affligi omni tempore vitæ hujus, impios vero et sceleratissimos assidue prosperari : quo constat, quod in sæculo isto non sit retributio ultimata, sed alia restet secundum forum divini judicii. Propter quod habe- D tur : Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod bene erit timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. 31

Job I, 1, 8, 13-20; *Tob.* I, 2, 12, 13, 15, 19, 20; II, 3-12.
Jer. XXV, 29.
Ezech. XXI, 4.
I *Petr.* IV, 17, 18.
Eccle. VIII, 12.

Digitized by Google

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI DUODECIMI : QUI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM.

1 QUI *diligit disciplinam,* id est infor- A
mationem magistrorum ac sapientio-
rum, *diligit scientiam,* quæ per informa-
tionem magistrorum acquiritur, quamvis
interdum propria adinventione aut studio
obtineatur. Vel : Qui diligit disciplinam,
id est correptionem et castigationem pro
Is. xi, 2. suis peccatis, diligit scientiam quæ est
donum Spiritus Sancti, quæ purgatis a vi-
tiis infunditur et augetur. Diligit quoque
talis scientiam, id est veritatis notitiam, et
profectum in ea. *Qui autem odit increpa-*
tiones, insipiens est : quoniam amat vitia B
sua, et curationem animæ suæ ab eis ab-
horret, nec acquiescit Scripturis ; et sapi-
entiam veram quæ est donum, non habet,
Jacob. III, 17. quoniam illa suasibilis est, et bonis con-
sentiens, ut Jacobus ait apostolus. Sicque
quasi incomparabiliter insipientior est cor-
poraliter vulnerato atque letaliter læso, et
tamen corporalem medelam refugienti.
2 *Qui bonus est, hauriet gratiam a Domi-*
no, id est, Deo acceptabilis est, et gratiæ
incrementum sortietur ab eo ; *qui autem*
confidit in cogitationibus suis, id est in C
propriis industriis et conceptionibus, am-
plius quam in directione ac ope Spiritus
Sancti, *impie agit :* quia meretur a Deo
relinqui, sicque errat et peccat. Unde de
Rom. I, 21. quibusdam ait Apostolus : Evanuerunt in
cogitationibus suis. Et per Isaiam Dominus
Is. LVII, 17. contestatur : Averti faciem meam ab eo, et
3 abiit vagus in cogitationibus suis. — *Non*
roborabitur homo ex impietate. Peccatum
enim naturalia vulnerat, et lædit naturam.
Et radix justorum, id est fides seu cari-
tas, vel stabilitas bonorum, *non commo-* D
vebitur, sed tentationibus et peccatis resi-
stit, ac Deo stabiliter innititur : et ita nec
ex parte Dei, nec ex parte virtutis, sed ex
fragilitate conditionis humanæ contingit
ruina peccati, et commotio a virtutum con-
stantia.

Mulier diligens, id est in factis bonis et 4
domus suæ regimine vigilans, et virum
suum sinceriter amans, *corona est viro*
suo, id est causa lætitiæ et honoris. Talis
quoque mulier sæpe trahit ad gratiam et
salutem suum maritum, sicut ait Aposto-
lus : Salvatus est vir infidelis per mulie- I *Cor.* VII, 14.
rem fidelem. Unde in Ecclesiastico scri-
ptum est : Mulieris bonæ beatus vir. *Et* *Eccli.* XXVI, 1.
putredo in ossibus ejus, quæ confusione
res dignas gerit, id est, putrefactio inte-
rior atque exterior debetur mulieri incon-
tinenti, præsertim adulteræ : quemadmo-
dum etiam in Numeris narratur de pœnis
adulteræ, aquas in quas maledicta erant *Num.* V, 19, 22, 21.
congesta potantis, ut putrescat femur ejus,
et tumens uterus dirumpatur.

Cogitationes justorum, judicia, id est 5
judicialiter examinatæ, et cum discretione
directæ. Justi enim et sapientes, cogitatio-
nes suas discutiunt et refrenant, ne Deo
displiceant : quia, ut ait Apostolus, Si nos I *Cor.* XI, 31.
ipsos dijudicaremus, non utique judicare-
mur. Sic cogitationes suas discrevit, qui
dixit : Meditatio cordis mei in conspectu *Ps.* XVIII, 15.
tuo semper. Rursus, Cogitationes justorum,
judicia, id est, ad hoc tendunt cogitationes
eorum, ut judicium justitiamque conser-
vent. *Et consilia impiorum fraudulenta :*
quoniam quærunt propria commoda, ideo
consulunt quod eorum utilitati plus con-
gruit, et perverso eorum fini magis con-
cordat. Nec habent veram prudentiam, sed
vulpinam versutiam : imo sæpe fingunt se
scire quod nesciunt, quatenus consulendo,
aliquid utilitatis ab eo cui præstant con-
silium, consequantur.

Digitized by Google

6 *Verba impiorum insidiantur sanguini :*
quia ad læsiones et homicidia provocant,
et pro temporali commodo falsa testimonia
dicunt, falsam quoque et injustam senten-
tiam proferunt. *Os justorum liberabit eos,*
id est, sanguinem innocentem excusando
eruet justos, et pro eorum ereptione faci-
endo quidquid potuerit. Vel, Os justorum
liberabit eos, id est, impios convertet ad
Deum : sicque ab eorum iniquitatibus eru-
7 et eos. — *Verte impios,* id est, ab iniquita-
te eorum eos averte orando aut exhortan-
Jacob. v, 20. do. Qui enim converti fecerit peccatorem
ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus
a morte, ut dicit Jacobus. *Et non erunt*
impii sicut ante. Hinc Paulus de persecu-
Galat. ii, 20. tore in Apostolum versus : Vivo, inquit,
jam non ego. Vel : Verte impios, id est,
statum et prosperitatem eorum immuta;
et non erunt, id est, cito deficient. Anti-
qua translatio habet : Quocumque se vertit
impius, exterminabitur. Nam et cito perit
ac putrescit eorum memoria, juxta illud
Job xiii, 12. Job : Memoria vestra comparabitur cineri.
Ideo ait Glossa : Multa impietas in diis
gentium, in sectis hæreticorum, in præsti-
giis magorum, in persecutionibus pagano-
rum; sed his a Deo subversis, subversa
est et memoria impietatis istorum. *Do-
mus autem justorum,* id est congrega-
tiones justæ, Ecclesiæ Christi, personæ
fideles, *permanebunt* in gratia, et salva-
buntur.
8 *Doctrina sua noscitur vir :* quia ex viri
doctrina ostenditur an sit vere catholi-
cus; et si ea quæ docet salubriter, implet
viriliter, constat quod bonus sit. Doctrina
quoque ostendit an sit multum subtilis
ac eruditus. *Qui autem vanus,* id est so-
liditate virtutis carens, nec ad ultimum
finem per iter salutis tendens, *et excors
est,* id est sine prudentia, *patebit contem-
ptui,* id est, per verba et opera sua con-
temptibilem se esse monstrabit. Itaque va-
nus est, qui summum et incommutabile
bonum non quærit sed ea quæ avertunt
ab illo, et levis est corde, atque inanis
9 gloriæ cupidus. — *Melior est pauper,* id
A est de temporalibus aut spiritualibus gra-
tiæ donis aliquantulum habens, *et suffi-
ciens sibi,* ita quod satis habet pro neces-
sitate corporis, et de necessariis animæ
ad salutem, *quam gloriosus,* id est insi-
gnis in divitiis ac scientiis, *et indigens
pane,* eo quod bona sua consumat super-
flue, vel humilitatem et caritatem non ha-
beat scientiis suis annexas. Propter quod
corporali vel spirituali eget refectione.
Itaque melior et incomparabiliter deside-
rabilior est scientia parva cum humilitate
B et vità bona, quam grandis scientia cum
vanitate et detestabili vita.
Novit justus animas jumentorum, id 10
est servorum ac subditorum *suorum,* qui
instar jumenti pergunt quo pastor et do-
minus eorum dirigit illos. Unde ait obe-
diens : Ut jumentum factus sum apud *Ps. lxxii, 23.*
te. Justus ergo hebetudini et simplicitati
crediti sibi gregis ac familiæ condolet et
succurrit; capacitatem et mores et labores
singulorum considerat servorum, quate-
nus unicuique, prout capax seu indigens
C est, aut meretur, auxilietur vel præmium
largiatur. *Viscera autem impiorum crude-
lia :* quia subditis indignari, irasci, mole-
stiasque inferre noverunt; non condole-
re, indulgere, auxiliari. Talibus Dominus
ait : Cum austeritate imperabatis eis, et *Ezech. xxxiv, 4.*
cum potentia. Quod valde vitandum est, ut
in suis epistolis copiose docet Apostolus,
inter cetera loquens : Vos, domini, eadem *Ephes. vi, 9.*
facite illis (quæ vobis fieri vultis), remit-
tentes minas; scientes quia et illorum et
vester Dominus est in cœlis. Nam et Sene-
D ca in suis fatetur Proverbiis : Qui servis
crudelis est, ostendit sibi in aliis volunta-
tem non deesse, sed potestatem. Et rursus:
Fulmen est, ubi cum potestate habitat ira-
cundia.
Qui operatur terram suam, satiabitur 11
panibus. Hoc in corporalibus communiter
sic contingit, quod qui per se ipsum aut
suos ministros congrue colit agros suos,
colligit inde fructus sufficientes, et pani-
bus, id est cibis, sufficienter se potest re-
ficere, quamvis interdum ex intemperie

Digitized by Google

auræ, seu hostium devastatione, infirmitate aut morte, inde impediatur. Porro spiritualiter, qui operatur terram suam, id est, plebem seu Ecclesiam sibi commissam, aut proprium corpus, sensitivamque partem exercet spiritualibus disciplinis, virtuosis directionibus, assiduis curis paternis; satiabitur panibus : quia de illorum profectu gaudebit, et jam per merita, deinde per præmia feliciter reficietur. Imo pro cunctis quos ad salutem adduxerit, coronam gloriæ sortietur.

Qui autem sectatur otium, stultissimus est, præsertim si præsit aliis. Quum enim possemus omni hora in spiritualibus donis tam vehementer proficere, ac tantum nobis in cœlis thesaurum reponere, futura tormenta redimere, atque per opera virtuosa non modo nobis ipsis ac proximis, sed etiam in purgatorio exsistentibus subvenire : nonne stultissimum est otium sequi, præsertim quum ignoremus diem et horam? Nam et qui otio præstat locum, non solum non crescit in divitiis animæ, sed et valde decrescit in eis, quum in Ecclesiastico scriptum sit : Multa mala docuit otiositas. Ex ea namque sequuntur distractio cordis, concupiscentiæ motus, inordinata affectio, loquacitas, tædium boni, torpor, lascivia. Vide si mercator otio vacet, dum multum auri valet lucrari, nonne insipiens putabitur? Quanto magis stulti et fatui sumus censendi, qui dum in pretiosissimis donis gratiæ et gloriæ possemus valde proficere, hoc ipsum otiando negligimus, et insuper multa mala committimus?

Matth. xxv, 13.

Eccli. xxxiii, 29.

Qui suavis est in moderationibus, in suis monitionibus, relinquit contumeliam. Iste versiculus non est in Hebræo. Sed sensus est, quod homo per moderamen discretionis ac mansuetudinem dulcis, non per verba contumeliosa, sed pia atque humilia, admonet alios, juxta illud Apostoli : Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Nempe, ut

Galat. vi, 1.

A asserit Augustinus, objurgationes raro, et
pro magna necessitate sunt faciendæ : in
quibus etiam insistendum est, non ut nobis, sed ut Domino serviatur.

Desiderium impii monumentum * *est* 12
pessimorum : id est, de impiis factis eorum
qui præcesserunt, et in sepulcro sunt positi, impius appetit loqui : quæ et cupit sectari. Prava quoque desideria impii, ad mortem et monumentum propinquant. Vel, Monumenta pessimorum, sunt memorialia eorumdem opera vitiosa, circa quæ desi-
B derium versatur iniqui. *Radix autem,* id est fides vel caritas, *justorum proficiet.* Etenim tanto plus crescit caritas, quanto plus decrescit cupiditas, id est amor privatus, cujus minoratio, est caritatis augmentatio, et cujus mera exstirpatio, est caritatis perfectio.

* alias *monimentum*

Propter peccata labiorum : quæ sunt 13
mendacium, falsum testimonium, detractio, susurratio, contentio, seminatio discordiæ, et consimilia; *ruina proximat malo,* id est, æterna damnatio imminet
C peccatori. Non ergo parva quis reputet vitia linguæ. *Effugiet autem justus de angustia :* quia meritis suis æternam consequetur securitatem, et virtuose conversando, conscientiæ vitat remorsum, et mille
evadit pericula. — *De fructu oris sui unus-* 14
quisque replebitur bonis : id est, pro verbis bonis salutaribusque doctrinis, pro oratione et laudibus Dei, habebit homo profectum gratiæ ac meritorum in via, incrementumque gloriæ in futuro. Nam et prædicatoribus atque doctoribus datur au-
D reola, et subditorum profectus in superiores redundat. Hinc et in Evangelio loquitur Christus : Ex verbis tuis justificaberis. Non tamen sufficiunt sola verba, sed oportet ut consonent opera, et ut ipsemet loquens faciat bona quæ docet proximos. Ideo subditur : *et juxta opera manuum suarum,* id est virium practicarum, *retribuetur ei.* Unde apud Job dicitur : Absit a Deo impietas, et ab Omnipotente iniquitas; opus enim hominis reddet ei, et juxta vias singulorum restituet.

Matth. xii, 37.

Job xxxiv, 10, 11.

15 *Via stulti, recta in oculis ejus,* id est, actio seu locutio vel conversatio sua sibi bona videtur : quoniam ratio ejus passionibus victa, et vitiis atque erroribus obscurata, judicat valde perverse, sicut febricitans omnem cibum judicat quasi
Amos vi, 13. amarum. Talibus dicitur : Væ qui convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium. Quod enim quis amat, hoc judicat bonum. Nam amor privatus et odium pervertunt judicium.
Mich. iii, 1, 2. Idcirco Dominus protestatur : Numquid vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum? *Qui autem sapiens est, audit consilia,* id est, diligenter ea advertit, considerat, et, si expedientia sunt, adimplet. Nemo ergo tam sapiens sit in suis oculis, ut aspernetur audire consilia. Non enim unus homo potest omnia considerare; nec homo in propria causa semper bonus est judex. Deus quoque frequenter suggerit et revelat uni, imo et inferiori, quod non inspirat alteri, nec superiori; et facilius invenitur, quod a pluribus quæritur.

16 *Fatuus statim indicat iram suam,* id est, foris erumpit per iracundiæ signa, et flammam suæ commotionis evaporat per verba et gestus distortos, non attendens quam inhonestum sit hoc. Nam passioni subjectus est, nec per mansuetudinem refrenare se didicit : idcirco per iram totaliter excæcatur ejus ratio, propter quod recte stultus vocatur. Nec advertit quam nociva sit ira. De qua ait Hieronymus : Fuge, o homo, iram, quæ est hostis naturæ, confundit justitiam, amicitiam rumpit, concordiam dissipat, aufert pacem pectoris, et tollit gaudium æternitatis. Janua quædam est ira omnium vitiorum : qua janua clausa, datur cordi tranquillitas et quies virtutibus; et qua aperta, ad omne facinus firmabitur animus. Ideo recte disseruit Seneca : Iracundiam qui vincit, maximum superat hostem.

Qui autem dissimulat injuriam sibi factam, *callidus est.* Callidus communiter in malo accipitur, scilicet pro versuto, juxta illud : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Job xxxvi, 13. Sicque loquendo de callido, iste est sensus : Qui dissimulat injuriam, id est, fingit se non advertere nec curare injuriam sibi illatam, quatenus postea improvise gravius vindicet eam, est callidus: qualis præcipue fuit Joab, qui injuriosum sibi reputans quod Amasa fieret princeps II Reg. xvii, 25. militiæ loco ipsius, dissimulavit se inde dolere, et paulo post proditorie Amasam Ibid. xx, 10. magis strenuum se, occidit. Talis quoque fuit et Absalon, qui violata sua sorore ab Ibid. xiii, 14, 22, 23, 28, 29. Amnon, nihil locutus est ei; sed expleto biennio, ipsum peremit. Interdum vero accipitur callidus pro astuto seu sagace. Sicque, Qui dissimulat injuriam suam, habendo se ac si eam nesciret, atque ut penitus eam obliviscatur, callidus est, id est astutus et sagax. Unde antiqua translatio continet : Stultus pronuntiat eadem hora iram suam; occultat autem ignominiam suam astutus. Circa quod ait Glossa : Callidus non vult occultare iram seu injuriam suam ut duret, sed ut omnino deleatur. Est enim natura iræ, ut prolata plus ferveat, occultata languescat. Hoc modo Saul adhuc bonus, in principio regni sui dissimulavit se audire verba injuriantium sibi : I Reg. x, 27. quæ nec postea voluit vindicare, data Ibid. xi, 12, 13. opportunitate, ut primo Regum habetur. Hinc Seneca loquitur : Res magnæ gloriæ est, indulgendo peccata corrigere, magis quam vindicando.

Qui quod novit loquitur, id est, quod 17
verum esse scit, suo tempore profert ac attestatur, *index justitiæ est,* id est, indicat justum se esse, et ipsam veritatem justitiæ pandit; *qui autem mentitur* in foro judicii, quo testimonium perhibet, *testis est fraudulentus.* Similiter qui libenter faciliterque mentitur, cito ad hoc inducitur
ut testimonium proferat falsum. — *Est* 18
qui promittit se aliquid dare aut facere, *et quasi gladio pungitur conscientiæ,* id est, remorsum conscientiæ patitur, dum quod promisit, renuit adimplere; vel quia promisit indiscrete atque illicite. Quemadmodum enim, juxta Hieronymum, tres

sunt comites juramenti, ita et promissio-
nis seu voti, videlicet judicium (id est dis-
cretio), justitia, veritas. Et quidquid con-
tra hæc aut horum aliquid promittitur aut
juratur, non tenet; peccatque homo ita
illicite jurando aut promittendo, non au-
tem juramentum seu promissum non adim-
Jer. IV, 2. plendo. Idcirco in Jeremia habetur : Jura-
bis, Vivit Dominus, in veritate et judicio
et justitia. *Lingua autem sapientium sa-
nitas est :* quia per verba sapientialia curat
audientes a vulnere vitiorum et læsione
errorum, et a morte perfidiæ ; et quod
jurat, promittit, vel asserit, verificare co-
natur. Sicque in ea inter verba et facta
est proportio, quemadmodum sanitas adæ-
quatio seu proportio est humorum. Hinc
Sap. VI, 26. scriptum est : Multitudo sapientium sa-
nitas est orbis terrarum. Et in Isaia fer-
Is. L, 4. tur : Dominus dedit mihi linguam erudi-
tam, ut sciam sustentare eum qui lapsus
est, verbo.

19 *Labium veritatis firmum erit in perpe-
tuum,* id est, veritati stabiliter inhærebit,
et pro hoc perpetuam consequetur merce-
dem; *qui autem testis est repentinus,* id est,
sine debita deliberatione aut pro propria
commoditate ex aliorum persuasione pro-
fert testimonium, *concinnat linguam men-
dacii,* id est, linguam suam componit ad
mentiendum, et ad colorandum pro pos-
se falsum testimonium suum, sicut apud
Ibid. XXXII, 7. Isaiam habetur : Fraudulenti vasa pessima
sunt; ipse enim cogitationes concinnabit
ad perdendos mites in sermone mendacii.
Tales fuerunt, qui tertio Regum leguntur
III *Reg.* XXI, 13. contra Naboth testimonium falsum dixis-
20 se. — *Dolus in corde cogitantium mala :* id
est, qui excogitant qualiter noceant aliis,
sæpe confingunt in se vias quibus dolose
implere id valeant. *Qui autem pacis ineunt
consilia, sequitur eos gaudium :* id est, qui
inter se conferunt et inquirunt qualiter
invicem pacificentur, et pactum super hoc
statuunt, ac fœderi pacis consentiunt, ex
hoc deinceps jucunditatem, quietem et se-
curitatem adipiscuntur. Unde et Christus :
Matth. V, 9. Beati, inquit, pacifici. Zachariæ quoque
A dicitur de electis : Consilium pacis erit *Zach.* VI, 13.
inter illos.

Non contristabit justum quidquid ei 21
acciderit, id est, quidquid adversitatis seu
mali pœnæ ei evenerit. In adversis enim
patientiam habet, et omne gaudium æsti- *Jacob.* I.
mat quum in varias inciderit tentationes;
ac certus de providentia Patris æterni, quid-
quid sibi adversi contigerit, quasi donum
de manu capit Omnipotentis. Verumtamen
de malo culpæ tristatur, et sua quotidia-
na quotidie deflet peccata. De adversitate
B quoque et turbatione rei publicæ, et detri-
mento boni communis, mœrore afficitur.
Attamen tristitiam dejicientem, carnalem,
inordinatam et sæcularem, evitat, de qua
ait Apostolus : Sæculi tristitia mortem II *Cor.* VII, 10.
operatur; et de qua in Ecclesiastico edo-
cetur : Tristitiam longe expelle a te, mul- *Eccli.* XXX, 24, 25.
tos enim occidit tristitia. Itaque in omni
eventu stemus firmi in Domino, et nec
prosperis inaniter gloriemur, neque adver-
sis dejiciamur, quum et Seneca dicat : Fe-
ras quod lædit, ut prosit; et rursus : Inju-
C riæ et honores vulgi, in promiscuo sunt
habendi; nec his gaudendum, nec illis do-
lendum. Hinc ait gloriosus Hieronymus :
Per bonam et malam famam a dextris et II *Cor.* VI, 8, 7.
a sinistris, Christi miles progreditur. Nec
laude extollitur, nec vituperiis frangitur;
non ex divitiis tumet, nec paupertate con-
funditur; et læta contemnit, et tristia. His
concordat illud Tullii : Vir est, qui contra
biformes fortunæ eventus, uniformi men-
tis constantia militat præmunitus. De hoc
super illud Job, Vir erat in terra Hus, ple- *Job* I, 1.
D nius scribit Gregorius. *Impii autem re-
plebuntur malo :* quia variis passionibus,
inordinato timore, pravo mœrore, ac con-
similibus affliguntur; et de malis culpæ,
ruunt in mala infernalis miseriæ. Ideo ait
Apostolus : Impii proficient in pejus, er- II *Tim.* III, 13.
rantes, et in errorem mittentes.

Abominatio est Domino labia mendacia, 22
id est, mendaces Deo sunt abominabiles,
quum ipse sit fons, causa, finis, mensura
ac regula omnis veritatis creatæ, qui in se
ipso essentialiter verus, et verax est, ac

Digitized by Google

veritas ipsa. *Qui autem fideliter agunt,* ex fide, quæ est virtus theologica, et fidelitate, quæ ad justitiam pertinet, *placent ei :* quia ei sunt similes : de quo ait Psalmista, (Ps. CXLIV, 13.) Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. Similitudo autem per se est ratio complacentiæ et amoris.

23 *Homo versutus celat scientiam.* Alibi legitur : (Prov. XIV, 17.) Vir versutus odiosus est. Si ergo versutus in malo accipiatur, pro callido et vulpino, talis celat scientiam suam, quando deberet eam caritative proximis communicare, et constitutos in periculo avisare. Unde, secundum Augustinum, qui negat se scire quod scit, ingratus est; et qui non vult communicare quod accepit, invidus est. Porro, si versutus sumatur in bono, pro astuto seu sagace, talis interdum ex humilitate, quandoque ex discretione, celat scientiam suam, ne eam videatur jactare, (Eccli. XXXII, 6.) aut ubi non est auditus, effundere, ne sanctum det canibus. (Matth. VII, 6.) Idcirco Corinthiis scribit Apostolus : (I Cor. II, 2.) Non judicavi me aliquid scire inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Hinc namque Ezechieli (Ezech. III, 26.) locutus est Dominus : Linguam tuam adhærere faciam palato tuo. *Et cor insipientium provocat stultitiam,* id est, ad inanem lætitiam, risum, cachinnum et vanitatem excitat alios. Frequenter etiam decipit, et erronee instruit proximos, ac sua improbitate provocat eos ad vitia sapientiæ veræ contraria.

24 *Manus fortium dominabitur.* Nam principes fortes ac strenui solent prævalere in bellis, ac latius præsidere. Similiter qui virtutibus fortes sunt, solent fratribus præfici et præesse, sensitivo quoque appetitui et ejus passionibus imperare. Unde Seneca dixit : Vis habere honorem ? Dabo tibi magnum imperium : impera tibi. *Quæ autem remissa est, tributis serviet.* Principes quippe ignavi ac desides, solent adversariis suis sub tributo servire. Spiritualiter vero, qui dissoluti et negligentes consistunt, implentur peccatis, et principi serviunt tenebrarum, cujus exactioni seu tentationi dant assidue pro tributo consensum in malo. Propter quod tandem cum illo mittentur in (Matth. V, 25, 26.) carcerem infernalem, non egressuri quousque reddiderint novissimum quadrantem : quod nunquam fiet.

25 *Mœror in corde viri humiliabit eum.* Justus enim de suis ac proximorum mœret peccatis, et ex pœnitentiali mœrore valde humiliat se coram Deo, fragilitatem et vilitatem ac culpam suam et alienam ex totis præcordiis recognoscens, et veniam postulans. Quum etenim in peccato sit quædam inordinata sui ipsius erectio, oportet ut in contritione sit ordinata et humilis sui dejectio. Unde scriptum est : (Baruch II, 18.) Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, dant gloriam et justitiam tibi, Domine. *Et sermone bono lætificabitur,* id est, ex promissione et spe veniæ, ex consolatione Scripturæ, ex confessoris instructione, et sacramentali absolutione, jucunditatem et consolationem accipiet, ita ut dicat : (Ps. CXVIII, 103.) Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ! Idcirco Apostolus : (I Thess. IV, 17.) Consolamini, inquit, invicem in verbis istis.

26 *Qui negligit,* id est, parvi pendit et æquanimiter sustinet, *damnum* temporale *propter amicum,* id est ad subveniendum proximo suo in necessitate, præsertim ut eum liberet a morte corporali aut spirituali ; *justus est.* Hoc namque requirunt caritas atque justitia, ut amor, vita et salus proximi, præferatur temporalium rerum amori. Propter quod in prima sua Canonica ait Joannes : (I Joann. III, 17.) Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo ? At vero qui propter Deum et Christi amorem, temporalia damna et rapinam bonorum suorum æquanimiter ferunt, imo se ipsos et omnia sua morti exponunt, vere sunt justi : quoniam quidquid a Creatore sortiti sunt, in ejus amorem, cultum et confessionem rependunt. *Iter autem impiorum decipiet eos :* quoniam sua delectatione iniqua allicit eos ad perseverandum in vitiis, et ad diligendum ea quæ

Digitized by Google

adversantur saluti, sicque in tartarum detrahit ipsos.

27 *Non inveniet fraudulentus lucrum :* quia etsi ex verbis suis dolosis aut mendosis obtineat temporale lucrum ad tempus, ut patet secundo Regum de Siba (II Reg. xvi, 3, 4; xix, 27.) accusatore doloso ac impio virtuosi Miphiboseth ; postea tamen experietur incomparabile detrimentum et damnum perpetuum. Hoc attendant mercatores ac ceteri venditores. *Et substantia hominis erit auri pretium,* id est, ipsum aurum est facultas seu possessio hominis, non id quod dolose acquirit, et restituere obligatur. Vel : Substantia, id est vita seu anima hominis, est auri pretium, id est pretiosior auro, et id pro cujus ereptione expenditur aurum, sicut apud Job (Job ii, 4.) inducitur : Pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Spiritualius autem loquendo, Substantia hominis, id est interior opulentia ejus in actibus virtuosis, erit auri pretium, quia pro illa exponendum est aurum in operibus pietatis et æquitatis; vel, Erit auri pretium, id est id per quod mercatur et obtinet homo claritatem regni cœlestis, de quo in Apocalypsi asseritur : Civitas erat ex auro mundo, simili vitro mundo. (Apoc. xxi, 18.)

In semita, id est observatione seu præcepto et lege, *justitiæ,* id est cujuscumque virtutis, secundum quod justitia est virtus communis, et quodammodo omnis virtus : nam unaquæque virtus est quædam justitia, quia per eam habet se homo ut debet; *vita* consistit, id est vita gratiæ in præsenti, et vita gloriæ in futuro. *Iter autem devium,* id est error a veritate discedens, actio vitiosa a rectitudine æquitatis deflectens, et omne peccatum, quod est transgressio rectissimæ legis Dei, *ducit ad mortem* æternæ damnationis, quæ omni morte, naturali et corporali ac temporali ineffabiliter exstat amarior : imo minima pœna inferni pro mortali peccato inflicta, creditur esse major ipsis puncturis atque angustiis diræ ac transitoriæ mortis, quæ tamen inæstimabiliter premit ac torquet. 28

ARTICULUS XIII

EXPLANATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : FILIUS SAPIENS, DOCTRINA PATRIS.

1 F*ILIUS sapiens, doctrina patris.* Filius sapiens dicitur esse doctrina sui patris sive doctoris : primo, quia paulatim proficiendo ad hoc potest pertingere, ut sapientior fiat patre, et sic doceat eum ; secundo, quia in filio sapiente relucet sui patris doctrina. Spiritualiter autem, Filius in divinis est sapientia et doctrina Patris æterni, quia Pater per Filium nos informat. *Qui autem illusor est,* id est, sapientiam et virtutes irridet, nec se docilem ac dirigibilem exhibet, *non audit* auditu mentis, *quum arguitur.* Sæpe quoque exteriorem auditum a verbis increpatoriis salubribusque avertit. Tales fuerunt filii Israel, de quibus ad Ezechielem Dominus dixit : Audiunt verba mea ex te, et non faciunt, quia in canticum oris sui vertunt illa; et factus es eis quasi carmen musicum, quod suavi dulcique sono canitur. (Ezech. xxxiii, 31, 32.) Horum vestigia multi sequuntur, qui quidquid exhortationis correptionisque audiunt, in risum et jocum vertunt.

De fructu oris sui homo satiabitur bonis. Hoc est quod in præcedenti capitulo legitur, De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. (Prov. xii, 14.) *Anima autem impiorum,* id est in Deum peccantium, est *iniqua,* id est injusta, quia a Deo, qui est mensura ac regula omnis rectitudinis, est aversa. 2

Hinc in prima sua epistola scribit Joan- A nes : Omnis qui peccatum facit, et iniqui- (I *Joann.* III, 4.) tatem facit; et peccatum iniquitas est.

3 *Qui custodit os suum* corporale ab omni culpabili locutione, et multo plus qui custodit os suum mentale, videlicet intellectum, quo verbum cordis profertur, ab omni prava cogitatione, providendo ne oriatur in se, vel ortam mox reprimendo et expellendo; *custodit animam suam* a multis vulneribus vitiorum, ab insidiis hostium, et a gravaminibus, damnis, periculis, quæ homines solent incidere ex in- B custodia oris. (*Jacob.* III, 2.) Ideo scriptum est : Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Hinc in Proverbiis suis ait Cyrillus : Doctus sis loqui, et avarus verbi. Clausura namque quæ raro aperitur, est fortior; et lingua minus frequentata, solidior. Nam quod diu rectum tenetur, difficilius obliquatur : sed dum lingua non loquitur, recta tenetur. Revera mentis conceptus est verbum. Ubi ergo verbum nimis effunditur, internum rationis est vinculum dissolutum. *Qui autem inconsideratus est ad* C *loquendum,* non præmeditando qualiter sit loquendum, nec providendo ne Deum offendat loquendo, *sentiet mala.* Nam sæpe incurrit ex hoc aliorum offensam, et inquietudinem propriæ mentis, conscientiæ quoque remorsum; et si fuit in eo devotio et recollectio aliqua mentis in Deo, mox perdit eas, læditque animam suam, ac debitas luet pœnas. Ideo ait Cyrillus : Pro certo qui vento loquacitatis effunditur, indigestis verbis prolatis conturbat alios, aut turbatur. Quamobrem antiquis Prophetis D semper placuit parce loqui. Nempe qui multum loquitur, modicum ruminat, ideoque verbum otiosum eructat. Et ideo secundum legem immundum est animal. (*Lev.* XI, 26.)

4 *Vult, et non vult piger,* id est, remisse cupit bonum agere et sortiri, non autem vult hoc efficaciter et intense : sicque habet voluntatem optativam, non imperativam. Itaque vult finem, sed media ad finis adeptionem necessaria non vult amplecti : vult perfectionem et beatitudinem obtinere; sed non vult jejunare, abstinere, in vigiliis, disciplinis, orationibus perdurare, cunctas vanitates et delectationes pravas relinquere, injurias, persecutiones et contemptus propter Deum gaudenter perferre : vult regnare cum Christo; sed non vult se profunde in omnibus humiliare, et pati cum ipso. In quo impletur illud apostoli Jacobi : Vir duplex animo, (*Jacob.* I, 8.) inconstans est in omnibus viis suis. Talis pigra voluntas, non acceptatur a Deo pro opere bono; sed voluntas plena et imperativa, quæ statim quum facultas aut opportunitas adest, procedit in opus, a quo si impediatur aliunde, acceptatur pro opere. *Anima autem operantium,* id est exsequentium divina præcepta, *impinguabitur* spirituali profectu et suavitate interna, quemadmodum scriptum est : In custodi- (*Ps.* XVIII, 12.) endis illis retributio multa; itemque, Sic- (*Ps.* LXII, 6.) ut adipe et pinguedine repleatur anima mea.

Verbum mendax justus detestabitur : 5 quoniam odit quidquid justitiæ contrariatur. *Impius autem confundit, et confundetur.* Alios enim mentiendo, irridendo, demonstrando confundit : ideo confundetur a Domino, et sæpe confunditur in præsenti. Unde beato Job dicitur : Quum ceteros (*Job* XI, 3.) irriseris, a nullo confutaberis? quasi dicat, Ita non erit. — *Justitia custodit in-* 6 *nocentis viam :* id est, innocens merito suæ justitiæ custoditur a Domino, et ipse per justitiam, suam custodit conversationem, ne Deum offendat. Ideo scriptum est : Junior fui, etenim senui; et non vidi (*Ps.* XXXVI, 25.) justum derelictum. Hinc Daniel ait : Misit (*Dan.* VI, 22.) Dominus angelum suum, et conclusit ora leonum, quia justitia coram eo inventa est in me. *Impietas vero peccatorem supplantat.*

Est quasi dives, quum nihil habeat : id 7 est, quidam parum de temporalibus rebus habentes, sunt quasi divites, quia hoc ipsum modicum quod habent, sufficit eis, nec quærunt superflua. Unde dixit Apostolus : Quasi nihil habentes, et omnia (II *Cor.* VI, 10.) possidentes. *Et est quasi pauper, quum in*

Digitized by Google

multis divitiis sit. Avari enim qui multa habent, sunt quasi pauperes, quia non contentantur habitis, et vix audent uti eisdem, et quærunt plura. Hinc Seneca in suis deprompsit Proverbiis : Quæ sunt maximæ divitiæ? non desiderare divitias. Quis plurimum habet? is qui minimum cupit. Quidam exponunt sic : Est quasi dives, quum nihil habeat : id est, qui temporalibus rebus abundat, dives putatur, quum meritis vacuus sit coram Deo, quemadmodum dives epulo. (*Luc.* xvi, 19.) Et est quasi pauper, quum in multis divitiis sit : sicut Lazarus, (*Ibid.* 20, 21.) qui fuit meritis opulentus, et pauper in rebus terrenis. Unde ait Scriptura : (*Job* xxvii, 19, 20.) Dives quum dormierit, nil secum auferet; apprehendet eum quasi aqua, inopia, etc. Hieronymus quoque : Diviti, inquit, deest tam quod habet, quam quod non habet.

8 *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ,* id est, spiritualis opulentia meritorum, valet homini pro redemptione animæ suæ a pœnis gehennæ, et ad evadendum rigorem divini judicii. Opera enim eorum sequuntur illos. (*Apoc.* xiv, 13.) Exteriores quoque divitiæ, si in opera misericordiæ expendantur, valent ad expiationem animæ a peccatis, sicut ad Nabuchodonosor Daniel ait : (*Dan.* iv, 24.) Consilium meum placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum. Unde legitur in Tobia : (*Tob.* iv, 12, 11.) Fiducia magna apud Deum est eleemosyna, et non patietur animam ire in tenebras. *Qui autem pauper est,* id est virtutibus inops et imperfectus, *increpationem non sustinet :* quod ex defectu sapientiæ ac patientiæ provenit. Nam increpationem considerat non quasi animæ suæ medelam, sed quasi suæ personæ injuriam et contemptum : et in hoc graviter errat. Vel sic : Qui pauper est, id est pauper spiritu, seu humilis aut voluntarie terrena despiciens, ac Domino in tali paupertate deserviens, increpationem non sustinet, id est, a Deo in futuro judicio non redarguetur, neque damnabitur, sed consequetur quod Judex promisit : (*Matth.* v, 3.) Beati, inquiens, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlo-

A rum. Insuper sæpe contingit, quod pauperes et mendici increpationem patienter non ferunt, quum sint pusillanimes et afflicti. Ideo non sunt durius increpandi, nisi forsan magnitudo excessus aliud exigat. Nam, ut Seneca testatur, Dura est in afflictione increpatio. Atque communiter dicitur, quod afflicto non est addenda afflictio.

9 *Lux justorum lætificat.* Lux justorum, est sapientia, gratia, virtus, spes, contemplatio et moderata prosperitas eorumdem :
B quæ tam eos, quam alios qui diligunt justos, exhilarat, quia congaudent justis. *Lucerna autem impiorum,* id est temporalis eorum prosperitas, fama et ornatus exterior, *exstinguetur :* juxta illud Job, Nonne lux impii exstinguetur? (*Job* xviii, 5.) Et rursus, Exstinguetur in mediis tenebris lucerna illius. (*Prov.* xx, 20.)

10 *Inter superbos semper jurgia sunt :* quoniam unusquisque eorum vult suam fieri voluntatem, aliumque excedere. Itaque, sicut humilitas parit pacem, ita superbia li-
C tes. Interdum tamen superbi et ambitiosi concordes sunt, quia eosdem habent inimicos, contra quos interim concorditer præliantur. Sed quum ab extraneis cessaverint, bellis intestinis, pugnis ac jurgiis se invicem lacerabunt : ut patuit in Romanis, qui semper ambitiosi fuerunt. *Qui autem omnia agunt cum consilio, reguntur sapientia.* Hoc enim consilii est, nil magni sine prævio consilio operari. Ideo in Proverbiis suis ait Cyrillus : Diligentiori ruminatione omnia digeras, antequam
D agas. Summa enim et increata ars, sapientem docuit ruminare in mente : quæ ars animalia munda docuit ruminare in corpore. Cuncta namque subtili meditatione ruminat prudens, quæ dicit aut facit : ideo digesta loquitur, et examinata purgataque operatur. Ad quid enim communicatum est homini clarum rationis consilium, tanquam carissimum meditationis bonum? Nonne ut his salubriter in agendis utatur? Unde præmeditationis atque consilii masticatio præponenda est sem-

Digitized by Google

per actibus cunctis humanis, si sapientia gubernentur, ut digestiora ac puriora opera subsequantur.

11 *Substantia festinata,* id est cito ac faciliter acquisita, *minuetur,* id est, a suo possessore inutiliter consumetur. Sæpe quippe contingit, quod hi qui divitias celeriter et faciliter adipiscuntur, eas parum appretiantur, prodigaliterque expendunt; et sicut eis accesserunt, sic ab ipsis recedunt. Filii etiam, quorum parentes temporalia cupide collegerunt, emerunt, auxerunt, solent ea dilapidare. *Quæ autem paulatim colligitur manu,* id est, studio et labore successive acquiritur, *multiplicabitur:* quia a suo possessore diligenter custoditur et augmentatur, sicut videmus in his qui ex paupertate ad opulentiam per officia sua creverunt. Istud quoque Aristoteles ait. In spiritualibus item conspicimus, quod hi qui grandi exercitatione, abstinentia et labore ad virtutum incrementa, seu perfectionem perducti sunt, timorati exsistunt, ne per negligentiam suis priventur profectibus; qui vero gratiose præventi, ad spiritualem alacritatem, sensibilem devotionem, ac lacrimas, celeriter atque faciliter devenerunt, sæpe per incautelam et incustodiam dilabuntur, nec data sibi charismata debite appretiantur. Hinc etiam pius ac supersapientissimus Deus, desideratam gratiæ affluentiam multis non statim largitur, sed paulatim eos exaudit, ne repente evacuentur, sed diutius orando ac laborando magis promereantur, et firmiores cautioresque fiant.

12 *Spes quæ differtur,* id est, a desiderati boni adeptione retardatur, *affligit animam* cupientis, quam facit avide et anxie adspirare ad bonum speratum, præsertim ad beatificam Altissimi fruitionem : ipsaque dilatio tanti boni affligit. Unde dixit Propheta : Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est. (Ps. CXIX, 5.) Itemque : Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie : Ubi est Deus tuus? (Ps. XLI, 4.) Ex tali dolore clamavit Apostolus : Infelix ego homo ! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? (Rom. VII, 24.) Verumtamen, sicut spes dilata, et boni cupiti dilatio, mentem affligunt sperantis; sic consideratio præmii, et confidentia pertingendi ad illud, exhilarant animam anhelantis. Propter quod admonet Paulus : Spe gaudentes. (Rom. XII, 12.) Porro prædictis consonat Seneca, dicens : Etiam celeritas in desiderio mora est; et rursus, Mora molesta est, sed parit sapientiam. *Lignum vitæ, desiderium veniens :* id est, desiderati et sperati boni impletio, præsentia ac possessio, dulciter reficit appetentem, ut lignum vitæ : et in fruitione Christi, qui est lignum vitæ, consistit delectatio ista; qui amatori suo repromisit : Ego ostendam ei me ipsum. (Joann. XIV, 21.) De quo in prima sua Canonica ait sacratissimus apostolici chori vertex : In Christum non videntes creditis, videntes autem, exsultabitis lætitia inenarrabili et glorificata. (I Petr. I, 8.)

13 *Qui detrahit alicui rei,* obloquendo alicui, *ipse se in futurum obligat,* id est, ad luendum debitam pœnam pro suæ detractionis culpa adstringit se. Obligat quoque se ad vitandum in se ipso quod vituperavit in alio, dicente Apostolo : Qui prædicas non furandum, furaris? (Rom. II, 21.) Quidam exponunt sic : Qui detrahit alicui rei, eam vituperando, ipse in futurum se obligat ad non commendandum eam, quia sic inhoneste veniret contra proprium verbum : quæ expositio videtur inepta, quoniam qui alterius famam detrahendo denigrat, ad famæ illius restitutionem tenetur. Ideo si mendaciter vituperavit, tenetur suum revocare ac fateri mendacium; si autem vere, nihilo minus, quia inordinate et detractorie alium vituperare præsumpsit, tenetur dicere inordinate ac male se esse locutum. *Qui autem timet præceptum,* id est, præcepta Dei et vicariorum ejus prævaricari veretur ex caritate et zelo justitiæ, *in pace versabitur :* quia habebit in se pacem internam, secundum illud, Pax multa diligentibus legem tuam. (Ps. CXVIII, 165.) Cum superioribus quoque suis et proximis habebit pacem fraternam, deinde in regno cœlesti pacem supernam cum Deo.

Digitized by Google

14 *Lex sapientis,* id est lex divina a sapi-
entissimo Deo collata, vel lex cujuscumque
legislatoris prudentis; vel, Lex sapientis,
id est lex Dei, quam sapiens homo custo-
dit, est *fons vitæ :* quia ex lege accipitur
forma bene vivendi, et ipsa lex dirigit in
agendis; *ut declinet a ruina mortis,* id
est, ut per legem homo recedat a casu
peccati et morte æterna, ad quod lex ipsa
15 instigat. — *Doctrina bona dabit gratiam :*
quia ex ea crescit in gratia, tam docens
quam audiens. *In itinere contemptorum,*
id est in verbis et factis eorum qui despi- B
ciunt alios et documenta salubria, est *vo-
rago,* id est præcipitium periculosum, quia
usque in foveam infernalem præcipitari
merentur. Hinc ait in Proverbiis suis Cy-
rillus : In rebus etiam minimis vim quam-
dam natura distribuit : quamobrem nihil
est a sapiente spernendum, quoniam ha-
bet unaquæque res suo loco et tempore
suum juvamentum et commodum.

16 *Astutus omnia agit cum consilio :* quia
in omni re potest occurrere aut latere pe-
riculum, cui per consilium obviatur; nec C
quidquam præcipitanter agendum. *Qui au-
tem fatuus est, aperiet stultitiam,* id est,
irrationabiliter aget, et impetum passionis
17 sequetur. — *Nuntius impii cadet in ma-
lum.* Dum enim pro causa prava scienter
egreditur, peccat, et interdum ab adver-
sariis sui domini capitur. Nuntii impii,
id est diaboli, fuerunt hæresiarchæ male-
dicti, qui corruerunt, et secum traxerunt
quamplures in malum perfidiæ et tormen-
ta gehennæ. *Legatus autem fidelis* est *sa-
nitas :* quia commissam sibi causam bene D
exsequitur, atque bonam inter homines
dispositionem procurat, quemadmodum sa-
nitas est bona dispositio corporis.

18 *Egestas,* id est spiritualium divitiarum
seu virtutum carentia ac defectus, *et igno-
minia* debentur *ei qui deserit disciplinam,*
id est, correctionem et informationem de-
dignatur suscipere, aut susceptas non re-
tinet. Talis enim est incorrigibilis, et omni
carens prudentia, cujus prima pars est
docilitas. *Qui autem acquiescit arguenti,*

A id est rationabiliter increpanti, *glorifica-
bitur,* id est, coram Deo et Sanctis ejus
erit gloriosus et laude dignus, tanquam
vere virtuosus ac sapiens, defectuositates
suas perpendens, curarique cupiens. —
Desiderium si compleatur, id est, ad effe- 19
ctum perducatur, *delectat animam.* Dele-
ctabile enim est, bono desiderato uniri, et
cupitam perfectionem sortiri. *Detestantur
stulti eos qui fugiunt mala,* id est pericu-
losa eorum consortia atque carnalia oble-
ctamenta, quæ ipsi stulti appretiantur ac
diligunt. Hinc beatissimus Petrus in prima
sua ait Canonica de iniquis : Qui miran- 1 *Petr.* IV,
tur, non concurrentibus vobis in eamdem 4.
luxuriæ confusionem.

Qui cum sapientibus graditur, id est, con- 20
versatur per vitæ conformitatem, *sapiens
erit :* juxta quod scriptum est, Cum sancto *Ps.* XVII, 26.
sanctus eris. Ideo dicit Cyrillus : Cum ele-
cto socio proficiscaris ac converseris; fu-
ge luminis hostem. Cum amatore sapien-
tiæ, zelatore justitiæ, atque amicitiæ fideli
cultore vive. Seneca quoque : Optimum,
inquit, est majorum sequi vestigia, si re-
cte præcesserint. *Amicus stultorum,* qui
scilicet vanos et impios amat, non quia
homines sunt felicitatis capaces, ac pro-
pter Deum, sed quoniam vani et stulti,
jocosi et ludicres sunt; *similis* illis *effi-
cietur :* quia communicat eis in vitiis per
consensum; nec juste redarguit, sed arri-
det. Contra quod jubet Apostolus : Nolite *Ephes.* V,
communicare infructuosis operibus tene- 11.
brarum; magis autem redarguite. Nequa-
quam ergo spectacula cum complacentia,
risu aut delectatione sunt intuenda, sed
magis deflenda.

Peccatores persequitur malum, id est, 21
propria eorum malitia undique sequitur
eos, et remordens conscientia ipsos non
deserit, pœna quoque justæ ultionis ipsos
vastabit. Ideo Seneca dixit : Nullum con-
scium peccatorum tuorum magis timue-
ris, quam te ipsum : alium namque effu-
gere poteris; te, nunquam. Et Leo Papa :
Rea, inquit, conscientia patitur quidquid
Dei pietate differtur. Atque, ut asserit

Digitized by Google

Augustinus, Animus inordinatus sibi ipsi A
pœnalis est. *Et justis retribuentur bona,*
id est præmia gloriosa. In præsenti etiam
infunduntur eis gratiosa charismata, consolatio spiritualis, conscientiæ quies, alacritas cordis, prælibatio futuræ salutis.
Unde, ut Antisiodorensis in Summa sua, et
Eusebius Emisenus in homilia testantur,
virtuosi in hac vita magnam suæ remunerationis portionem desuper sortiuntur. Magna quippe justitiæ merces est, tempus
fructuose expendere, sanctæ puritati operam dare, Deo in tranquillitate ac sinceri- B
tate vacare, vilissimum jugum vitare peccati, et servitutem evadere hostis maligni.

22 *Bonus* homo *relinquet heredes* suos *filios et nepotes.* In veteri Testamento inter
Deut. vii, 14. cetera, justis promittebatur fecunditas prolis, et semen copiosum relinquere post se.
Istud tamen non fuit omnibus justis concessum. Melius ergo spiritualiter sumitur,
quod scilicet homo virtuosus, idoneusque
prælatus relinquet post se bonos discipulos, suarum virtutum imitatores : sicut et
Christus reliquit gloriosos Apostolos gra- C
tiæ suæ participes. Unde fuit prædictum :
Is. liii, 10. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum. *Et custoditur justo substantia peccatoris.* Interdum contingit,
quod temporalia impiis juste ablata, justis
præstantur. Christo autem Sancto Sanctorum incorporati sunt gentiles, qui olim
fuerunt servi diaboli. De quo Dominus ait
Ibid. 12. per Isaiam : Dispertiam ei plurimos, et
fortium dividet spolia, pro eo quod in
mortem tradidit animam suam. Unde ipse-
Luc. xi, 21, 22; Matth. xii, 29. met in Evangelio loquitur : Quum fortis D
armatus custodit atrium suum, in pace
sunt ea quæ possidet; si autem fortior eo
supervenerit, vasa ejus diripiet. Ipse enim
Ephes. iv, 8; Ps. lxvii, 19. Salvator ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. Denique substantia peccatoris custoditur justo, quia opera meritoria a reprobis quandoque in caritate
exsistentibus facta, non ipsis finaliter, sed
electis justis communicantur ac proficiunt
ad salutem.

23 *Multi cibi* sunt *in novalibus patrum,* id
est novis agris seu campis noviter cultis a
patribus ; *et aliis congregantur absque judicio,* id est sine ratione. Hoc corporaliter
sæpe sic accidit, quod novalia patrum copiosum proferunt fructum, quem alii interdum irrationabiliter occupant. Spiritualiter autem, in novalibus, id est libris,
doctrinis, exemplisque patrum, sunt multæ
alimoniæ spirituales, quæ aliis sine judicio congregantur, dum quis talia prædicat
proximis, nec tamen proficit inde, neque
reficitur mente.

Qui parcit virgæ, odit filium suum, id 24
est, spiritualiter eum non amat, quem incorrectum et indisciplinatum relinquit. Similiter qui subditum suum non corripit
nec castigat, eum odire magis quam diligere comprobatur. *Qui autem diligit illum*
vero et spirituali amore, *instanter erudit*
eum verbis, exemplis, flagellis : intelligendo per filium sobolem totam. Quum enim
amare, sit alicui bonum velle atque impendere, qui sobolem suam non erudit
nec castigat, non diligit eam, sed odit,
quam immorigeratam indomitamque relinquit. De hoc in Ecclesiastico multa conscripta sunt. Qui diligit, inquit, filium Eccli. xxx, 1.
suum, assiduat illi flagella. Non des filio Ibid. 11, 12.
potestatem in juventute sua, sed curva
cervicem illius, et tunde latera ejus. Hinc
ait et Apostolus : Patres, educate filios Ephes. vi, 4.
vestros in disciplina et correptione Domini. Parentes quippe filiis suis tria tenentur, scilicet educationem corporalem, instructionem in moribus, et correctionem
pro culpis.

Justus comedit, et replet animam suam, 25
id est, moderate se reficit, juxta rationabilem animæ appetitum, cujus discreto
desiderio satisfacit; *venter autem impiorum insaturabilis* est, id est, tam gulosi
sunt iniqui, quasi satiari non valeant; nova quoque et exquisita expetunt fercula.
Spiritualiter vero, justus spiritualibus se
reficit alimentis, et animam suam replet
piis affectibus. Venter autem impiorum
insaturabilis, id est, cor eorum terrenis
rebus non satiatur : imo instar hydropico-

Digitized by Google

rum, quo plura acquirunt, plura deside- A rant, ita quod sicut hydropicis crescit ex potu sitis, sic ipsis ex adeptione affectio. Propter quod Seneca : Inopi, inquit, parva* desunt; avaro, omnia. Restringendus est igitur venter, nec minus desiderium cordis, quum dicat Gregorius : Dominante vitio gulæ, totum quod homines fortiter egerint, perdunt; et dum venter non restringitur, cunctæ virtutes pariter obruuntur. Sed heu, quanta est carnalium, vel potius brutalium hominum insania! Nam, ut ait Innocentius, Initium vitæ hominis, aqua et panis : gulosis autem non sufficiunt arborum fructus, leguminum genera, radices herbarum, pisces maris, pecora terræ, volucres cœli; sed quæruntur pigmenta, parantur aromata, nutriuntur altilia, capiuntur obesa, quæ ministrorum obsequio exquisite coquuntur.

* pauca

Eccli. xxix, 28.

ARTICULUS XIV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : SAPIENS MULIER ÆDIFICAT DOMUM SUAM.

1 S*APIENS mulier ædificat domum su-* B
am, id est, sobolem ac familiam suam
instruit verbis atque exemplis. Ideo pa-
Tob. x, 12, 13. rentes Saræ uxoris junioris Tobiæ, docue-
runt filiam suam regere domum, guberna-
re familiam, et se ipsam irreprehensibilem
I Reg. xxv, 18-35. exhibere. Abigail quoque familiam suam
et virum de manu David irati salvavit, ut
legitur primo Regum. *Insipiens* autem mu-
lier *exstructam quoque manibus destruet :*
quoniam verbis et factis suos scandalizat
domesticos, et in temporalibus male regit.
Spiritualiter, sapiens mulier, est Ecclesia C
catholica, Christi sponsa, quæ sibi com-
missos ædificat, efficaciterque gubernat.
Insipiens vero mulier, est hæreticorum ec-
clesia, quæ subvertit pro posse Catholicos.
2 *Ambulans recto itinere,* id est in obser-
vantia præceptorum, quæ ducit ad gloriam,
et timens Deum filiali aut saltem initiali
timore, *despicitur ab eo qui infami gradi-
tur via,* id est, scandalose ac turpiter con-
versatur, præsertim quando talis iniquus
ex conversatione justi putat se aliquod
incommodum consequi, puta contemptum, D
dejectionem, diffamiam. Nam sicut simi-
litudo est causa dilectionis, sic dissimili-
tudo causa est aversionis et aspernatio-
nis. Sed in hoc casu debet vir bonus et
timoratus, patiens esse et gloriari in Do-
mino. Nam, ut in Proverbiis suis Seneca
loquitur, Malis displicere, est laudari. Et
rursus fatetur : Misera est fortuna quæ
inimico caret. Quamvis id agas, ut ne quis
merito tuo te oderit, erunt tamen semper
qui te odient. — *In ore stulti, virga su-* 3
perbiæ, id est contumeliosa et injuriosa ac
animosa locutio, qua audientes affligun-
tur. Stultus enim, ut asserit Isaias, fatua Is. xxxii, 6.
loquetur. *Labia autem sapientium custo-
diunt eos :* id est, ipsi sapientes per sua
sapientialia et doctrinalia verba, se ipsos
custodiunt, ne ex verbis stultorum turben-
tur, et ut agant quod docent; vel, custo-
diunt stultos, dum eos sua probitate emen-
dant. Sapientia enim vincit malitiam. Ideo Sap. vii, 30.
ait Apostolus : Libenter suffertis insipien- II Cor. xi, 19.
tes, quum sitis ipsi sapientes.
Ubi non sunt boves, præsepe vacuum 4
*est; ubi autem apparent plurimæ segetes,
ibi manifesta fortitudo bovis.* Hoc primo
superficialiter accipi potest de bobus et
bladis, quantum ad illos in quorum terris
soli boves arant : quod antiquitus commu-
niter ita fuit. Unde et in Job inducitur :
Boves arabant. Itaque, Ubi non sunt boves, Job i, 14.
præsepe vacuum est, quum agri non co-
lantur ibidem ; ubi vero terra copiose

Digitized by Google

fructificat, constat quod boves fortiter ara-
verunt. Spiritualiter autem, per boves de-
signantur prædicatores, doctores, prælati,
sicut ad Corinthios docet Apostolus, illud
I Cor. IX, 9; ex Deuteronomio introducens, Non alliga-
Deut. XXV, 4. bis os bovi trituranti. Hi enim in agro
Dei, id est in Ecclesia, laborant, fidelium
corda verbo prædicationis aperiendo ad
suscipiendum semen gratiæ Spiritus San-
cti, quod inserunt eis, et ea cooperando
fecundant. Unde Corinthiis loquitur Pau-
I Cor. III, 9. lus : Adjutores Dei sumus; Dei agricultura
estis. Itaque, Ubi non sunt boves, id est
boni prælati ac prædicatores, præsepe va-
cuum est, id est, corda populi gratia atque
virtutibus carent, quia magistrum et du-
cem non habent; ubi autem plurimæ se-
getes, id est abundantia actuum virtuo-
sorum, ibi manifesta fortitudo bovis, id
est, efficacia doctrinæ prælati seu prædica-
toris evidenter relucet in hujusmodi fru-
ctu, tanquam in suo effectu.
5 *Testis fidelis non mentietur,* falsum te-
stimonium proferendo; *profert mendacium*
testis dolosus, qui per preces et munera,
aut ex timore, amore vel odio faciliter a
6 veritatis tenore divertit. — *Quærit deri-*
sor sapientiam, non a Deo per orationem
devotam, nec ex Scripturis per studium
bonum, nec a veris Catholicis per humi-
litatem, sed ex proprio intellectu, et ab
hæreticis, philosophorumque libris; *et non*
invenit sapientiam salutarem, quæ extra
Ecclesiam non habetur, nec invenitur. *Do-*
ctrina prudentium facilis, id est, faciliter
potest addisci, quantum requiritur ad sa-
lutem. Prudentes quoque juxta audientium
capacitatem loquuntur, et clare, non intri-
cate, exprimunt suæ mentis conceptum,
Ibid. I, 2. sicut ait Apostolus : Quasi parvulis in Chri-
sto lac dedi, id est facilem humilemque
doctrinam, non solidum cibum.
7 *Vade contra virum stultum,* ut eum
refrenes a malo, atque corripias, *et ne-*
sciet, id est, caritatem tuam et piam in-
tentionem non advertet, sed indignabitur
magis. Aliqui autem verba sequentia in-
cludunt huic versiculo, ut sit sensus, quod

A nesciet labia prudentiæ, id est prudentiam
labiorum tuorum. Vel versus hic incipit :
Labia prudentiæ, sapientia, id est, in la-
biis prudentis sapientia resonabit. Vel ver-
bum hoc, Sapientia, nectendum est clau-
sulæ subsequenti. — *Sapientia callidi,* id 8
est astuti et circumspecti, *est intelligere*
viam suam, id est propriam conversatio-
nem rite considerare, et pericula laque-
osque sibi expositos bene perpendere ac
vitare : et sic nomen, Callidi, sumitur
hic in bono. *Et imprudentia stultorum*
B *errans* ab itinere ultimi finis.
Stultis illudit peccatum, id est, sua de- 9
lectatione decipit homines vitiosos : qui
hic passim stulti vocantur, quoniam stulti
sunt coram Deo, et ab increata ejus Sapi-
entia se avertunt, donoque sapientiæ ca-
rent, atque stultitia, quæ dono sapientiæ
contrariatur, id est vitio puerilitatis, re-
plentur. Stultis ergo illudit peccatum, sic-
ut esca in hamo decipit pisces. Delectat
namque peccare. Nam si non delectaret,
non fieret, ut asserit Augustinus. Non, in-
C quam, fieret tam multum ut modo. Aliqui
legunt : Stultus illudit peccatum, id est,
per risum et ludum operatur iniquitatem,
et pro nihilo reputat Deum offendere, imo
lætatur quum male fecerit. *Et inter justos* Prov. II, 14.
morabitur gratia, id est, in eorum menti-
bus dona gratiæ requiescunt, et ipsi ad
invicem gratiose se habent, acceptabiles-
que consistunt.
Cor quod novit amaritudinem animæ 10
suæ, id est, quod advertit propter quid
anima sua merito debeat intra se amarica-
D ri, videlicet propter sua peccata per ve-
ram contritionem, et propter difficultatem
obtinendi salutem, et quia tot defectuosi-
tatibus plenum est, et propter incertitudi-
nem sui status, quoniam nescit an amore Eccle. IX, 1.
sit dignus, an odio, et propter aliorum
peccata, et maxime propter quotidianam
inhonorationem, multiplicemque Dei of-
fensam gravissimam; *in gaudio ejus non*
miscebitur extraneus, id est, consolatio-
nem a Deo percipiet, reprobis et impœni-
tentibus inexpertam. Beati enim qui taliter Matth. V, 5.

Digitized by Google

lugent, et cum pio Ezechia dicere possunt, A
Is. xxxviii, 15. Recogitabo omnes annos meos in amari-
tudine animæ meæ : quoniam ipsi conso-
labuntur. Jam equidem consolantur de spe
veniæ, et indulgentia culpæ, infusioneque
gratiæ, et de gratiosa visitatione ac illu-
Tob. iii, 22. stratione Spiritus Sancti, qui post tempe-
statem tranquillum facit, et post fletum
exsultationem infundit. Qui ergo vult gau-
dium istud salubriter experiri, peccata sua
digne deploret, indignas quoque consola-
tiones jugiter detestetur, ac impœniten-
tium vitet consortia.

11 *Domus,* id est cognatio seu posteritas,
impiorum delebitur : quæ patrum suo-
rum peccata sectatur. Unde tertio Regum,
III *Reg.* xv, 29, 30; xvi, 12, 13, 28; IV *Reg.* ix, 7; x, 11, 17. domus Jeroboam, Baasa, Amri, Achab, et
consimilium, leguntur ob scelera sua de-
letæ. *Tabernacula,* id est congregationes,
justorum germinabunt, id est, fructum vir-
Ps. xci, 13. tutum producent, juxta illud Psalmi : Ju-
stus ut palma florebit, sicut cedrus Libani
Osee xiv, 6. multiplicabitur. Et apud Osee dicitur : Ero
quasi ros ; Israel germinabit sicut lilium,
et erumpet radix ejus ut Libani.

12 *Est via, quæ videtur homini justa,* id
est, quædam, imo et multiplex est actio
seu conversatio et observantia, quam ho-
mines reputant justam ; *novissima autem
ejus deducunt ad mortem,* id est, ipsa cum
suis effectibus atque demeritis, tandem
trahit ad gehennalem interitum, eo quod
non sit vere bona, virtuosa et meritoria,
sed apparenter dumtaxat. Multa etenim vi-
tia habent speciem seu apparentiam et co-
lorem quemdam virtutum : sicut dissolutio
reputatur alacritas et spiritualis lætitia,
mœror quoque maturitas, et zelus amarus
fervor justitiæ. Sic immoderatam absti-
nentiam, et proprii sensus immansionem,
multi putant temperantiæ actum atque con-
stantiam. Hinc in Proverbiis suis Seneca lo-
quitur : Timidus cautum se vocat, sordidus
parcum. Necesse est ergo radium discreti-
onis habere, sapientioribus credere, singu-
laritatem vitare, atque sanctorum Patrum
sectari exempla ac documenta, nec pro-
prium sequi sensum, quum dicat Philoso-
phus : Qualis unusquisque est, talia dicit,
talia operatur, et taliter vivit. Et iterum
disseruit : Desiderium pueri, id est imper-
fecti, oportet esse secundum præceptum
doctoris. Denique, teste divino Dionysio,
Nihil desideratur aut agitur, nisi sub ra-
tione aut apparentia boni. Idcirco et vitiosi
viam suam æstimant bonam.

Risus dolore miscebitur : id est, vanam 13
lætitiam pœna sequitur, et dolor remor-
dentis conscientiæ, dissolutioni risuum so-
ciatur. Ideo ait Salvator : Væ vobis qui *Luc.* vi, 25.
B ridetis, quia plorabitis et flebitis. Ad quod
applicari potest quod sanctus Job conte-
statur : Versa est in luctum cithara mea, et *Job* xxx, 31.
organum meum in vocem flentium. *Et
extrema gaudii luctus occupat,* id est, de-
solatio infernalis consequitur finem gau-
diorum inanium sæculi hujus, juxta illud
beati Job : Tenent tympanum et citharam, *Ibid.* xxi, 12, 13.
et gaudent ad sonitum organi ; ducunt in
bonis dies suos, et in puncto ad infernum
descendunt. Ideo ait Filius Dei : Nisi pœ- *Luc.* xiii, 5.
nitentiam egeritis, omnes similiter peribi-
C tis. De hoc luctu iterum ait : Ibi erit fletus *Matth.* viii, 12; xiii, 42, 50; xxii, 13; xxiv, 51; xxv, 30; *Luc.* xiii, 28.
et stridor dentium. — *Viis suis replebitur
stultus,* id est, iniquus implebitur retribu-
tione ac pœnis demeritorum actionum sua-
rum, sicut per Ezechielem Dominus dixit : 14
Unumquemque secundum viam suam ju- *Ezech.* xviii, 30; xxxiii, 20.
dicabo. *Et super eum erit vir bonus :* id
est, impio præferet Deus justum, et vir-
tuosi qui nunc conculcantur ab iniquis,
in futuro judicio erunt super illos. Sæpe
etiam et a multis justus iniquo præfertur.

Innocens, id est inexpertus et nondum 15
D discretionem adeptus, seu bonus et sim-
plex in se, putans alios esse qualis ipse
est, *credit omni verbo,* non suspicans ma-
lum de alio. Hinc Assuerus rex loquitur :
Quidam aures principum simplices, et ex *Esther* xvi, 6.
sua natura alios æstimantes, callida fraude
decipiunt. Sed, sicut in libro de Conside-
ratione sanctus scribit Bernardus, Creden-
di facilitas, præsertim in præside aliorum,
est valde periculosa, et horribilia mala
sequuntur ex ea, videlicet suspiciones per-
versæ, indignationes, detractiones, injuriæ

Digitized by Google

ac persecutiones justorum. Hinc inducit
I Joann. IV, 1. Joannes : Nolite omni spiritui credere, sed
probate spiritus, si ex Deo sint; Ecclesiasti-
Eccli. XIX, 4. cus quoque, Qui cito credit, levis corde est.
Seneca quoque in epistola tertia : Neutrum
faciendum est, et utrumque vitium est, et
omnibus credere, et nulli. Pensandum est
ergo qualis sit ipse qui dicit. Ideo sequi-
tur: *Astutus considerat gressus suos,* id est,
actus suos perpendit, qualiter debeat se
habere, et ne incauta ac facili credulitate
fallatur. Hinc in Proverbiis suis docet Cy-
rillus : Velociore aure est audiendum, et
gravi corde credendum. Oportet enim dili-
genter advertere, quid et cui credatur. Re-
vera minus provide amico et inimico pa-
riter creditur, quum amore et odio, libra
linguæ, pondere affectionis fallacis in obli-
quitatem trahatur. Verum nulli securius,
quam amico de malis, et inimico de bonis
accommodatur auditus. De te vero nun-
quam credas inimico tuo in æternum :
quia si bene dicit, sophista est, de bono
tendit ad malum; si male dicit, facit quod
suum est.

16 *Sapiens timet* Deum offendere, *et decli-
nat a malo,* id est a peccato et occasione
I Thess. V, 22. peccati, et ab omni specie mali, secundum
doctrinam Apostoli, ne aliquem scandali-
zet. *Stultus transilit,* id est, imprudens
præcipitanter in mala culpæ se ingerit, ac
periculo se exponit; *et confidit* evadere,
diuque vivere, et postea pœnitere. Circa
hoc dicit Glossa : Sicut stulti est, de sua
velocitate confidere, torrentemque rapi-
dum aut voraginem saltu velle transire;
sic sapientis est, ad planum vel ad pontem
divertere. Ita qui culpam pro posse decli-
nat, timens ne malis involvatur, est sa-
piens. Stultus vero est qui contemnit et
peccat, blandiens sibi quod postea pœni-
tebit, aut pœnas fortiter sustinebit.

17 *Impatiens operabitur stultitiam,* id est,
stulte, irrationabiliter et inhoneste se ha-
bet in apparatu, verbis ac gestu, eo quod
impatientiæ passio rationem ejus obtene-
bret, et ipsum impetuose exagitet. Susti-
nenda sunt ergo adversa absque tristitia;

A et quo laudabilior est patientia, eo impati-
entia vituperabilior est. *Et vir versutus,* id
est fraudulentus, hypocrita, simulator, *odio-
sus est,* in quantum talis. Estque impatien-
te deterior, juxta Glossam : quia impatiens
palam ostendit stultitiam suam; versutus
vero, quum sit corde perversus, simplici-
tatem simulat, atque humano judicio san-
ctus inter reprobos æstimatur. Sed, ut Ci-
cero fatur, pleniusque Cyrillus, Non est
prudentia vera, nisi quæ simplicitatis in-
nocentia decoratur. Prudentia namque est
B ars præclarissima recte vivendi cum sim-
plicitate, quæ est nescientia quemquam
lædendi. — *Possidebunt parvuli stultiti-* 18
am. Hoc de parvulis sensu, id est intelle-
ctu, est accipiendum, et etiam de parvulis
ætate, qui ante annos discretionis ad ina-
nia inclinantur. Unde scriptum est infra :
Stultitia colligata est in corde pueri. Apo- Prov. XXII, 15.
stolus quoque : Nolite, inquit, fieri parvuli I Cor. XIV, 20.
sensu. *Et exspectabunt astuti,* id est saga-
ces, *scientiam :* quia in scientiis student
proficere.

C *Jacebunt mali ante bonos, et impii ante* 19
portas justorum. Hoc sæpe contingit in vi-
ta hac, in qua rei a judicibus justis dam-
nantur. Verumtamen in sæculo isto sæpius
contingit oppositum, ita quod justi impiis
subjiciuntur et opprimuntur ab eis, sicut
asserit Habacuc : Quia impius prævalet ad- Habac. I, 4.
versus justum, propterea egreditur judi-
cium perversum. Sed in die judicii, coram
electis et justis erunt prostrati reprobi et
injusti : qui et in inferno positi, præbebunt
Beatis spectaculum, qui lætabuntur visa Ps. LVII, 11.
D vindicta atque miseria iniquorum, juxta il-
lud : Egrediemini, et salietis quasi vituli Malach. IV, 2, 3.
de armento, et calcabitis impios. Et alibi :
Egredientur, et videbunt cadavera virorum Is. LXVI, 24.
qui prævaricati sunt in me; et erunt usque
ad satietatem visionis omni carni. Egre-
dientur autem Beati, non tam corporeo
exitu, quam intellectuali intuitu.

Etiam proximo suo pauper odiosus erit. 20
Quidam enim sunt tam elati, crudeles et
impii, quod aspernantur et odiunt paupe-
res, et de pauperibus suis cognatis vere-

Digitized by Google

cundantur. *Amici vero divitum, multi :* A
qui applaudunt divitibus, quos beatificant
corde, et ab eis commodum vel honorem
21 consequi sperant. — *Qui despicit proximum suum, peccat.* Præsertim si spernit
illum quoniam pauper est, aut in quantum homo. Si autem spernit eum in quantum iniquus est, et tamen personam ejus
spiritualiter amat, non peccat. Hinc lo-
Is. LVIII, 7. quitur Isaias : Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.
Malach. II, 10. Etiam Malachias propheta ait : Nonne Pater unus omnium nostrum ? nonne Deus B
unus creavit nos ? Quare ergo despicit
unusquisque fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum? *Qui autem miseretur pauperis, beatus erit :* juxta illud,
Matth. V, 7. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. — *Qui credit in*
Galat. V, 6. *Domino,* fide quæ per dilectionem operatur, *misericordiam diligit :* quia appetit sibi a Deo misericordiam fieri, et proximis
suis misericors est. Nam tali fidei pietas
est conjuncta.

22 *Errant, qui operantur malum :* quia ra- C
tionis judicium in eis est obscuratum, et
a rectitudine æquitatis divertunt se, atque
ab ultimo deviant fine. *Misericordia et veritas præparant bona,* id est, ad omne bo-
Habac. II, 4; *Rom.* I, 17. num aptum faciunt hominem. Justus enim
vivit ex fidei veritate; et qui misericordiam exhibet proximo, misericordiam sor-
Luc. VI, 36, 38. titur a Deo, qui ait in Evangelio : Estote
misericordes, sicut et Pater vester cœlestis
misericors est. Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem,
dabunt in sinum vestrum. Potest quoque D
per veritatem justitia designari, quæ debet
23 misericordiam temperare. — *In omni opere bono erit abundantia,* id est præmium
copiosum, affluentia gratiæ, et spiritualis
profectus, dummodo homo toto suo conatu
faciat illud : et per bonum opus intelligendum est hic omnis actio virtuosa, interior
sive exterior. *Ubi autem verba sunt plurima,* id est superflua, *ibi frequenter egestas,* id est defectus sapientiæ ac virtutis.
Sapientes namque et virtuosi, in verbis
sunt moderati ac parci; et qui minus scientifici sunt, magis solent se verbis jactare
ac sermonibus abundare. In multiloquio *Prov.* X, 19.
quoque non deest peccatum; et qui multis *Eccli.* XX,
utitur verbis, lædit animam suam. Ideo ait
Bernardus : Væ nobis, qui spiritum habemus in naribus, qui pleni rimarum effluimus undique. Et Seneca testatur : Locutum
me aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.

Corona sapientium, divitiæ eorum : id 24
est, spiritualis opulentia seu copia meritorum hominum virtuosorum, est causa
et ratio æternæ felicitatis ipsorum. Similiter divitiæ quæ virtuose expenduntur, eis
proficiunt ad salutem. *Fatuitas stultorum, imprudentia :* quia non dirigunt actus
suos recte ad ultimum et beatificum finem; sicque carent vera prudentia, cujus
est media ad finem congruentia apte disponere. — *Liberat animas testis fidelis.* Ta- 25
lis enim in foro judicii eruit innocentes a
morte, sicut S. Nicolaus tres juvenes morti
adjudicatos, deinde tres principes innocentes morti addictos; Daniel quoque pro- *Dan.* XIII, 45-62.
pheta, Susannam. Maxime autem, qui tempore persecutionis testimonium perhibet
fidei christianæ, multos eruit a morte perfidiæ ac gehennæ, ut patuit de S. Sebastiano et innumerabilibus aliis. *Et profert mendacia,* imo et falsa testimonia, *versipellis,* id est dolosus, qui est quasi pellis
eversa, quoniam aliud habet in corde,
aliudque in ore; et juxta aliorum favorem
ac commoda sua, et juxta passionum suarum alternationem, variat propriam vocem. Contra quos loquitur Seneca : Perhibe
testimonium veritati, non amicitiæ.

In timore Domini consistit *fiducia fortitudinis,* id est firma et fortis confidentia 26
mentis in Deo. Qui enim sibi conscius est
se coram Deo timorate vixisse, et ipsum
filialiter timuisse, rite confidit in eo, ejusque auxilio sperat suæ salutis adversariis
prævalere. Talis enim timor facit peccata
sincera intentione vitare, et bonam utique
conscientiam parit. Ideo timoratus Job dixit : Etiam si occiderit me, in ipso sperabo. Et Tobias, qui ab infantia sua timuit *Job* XIII, 15. *Tob.* II, 13.

Digitized by Google

Deum, magnam passus adversitatem, scili- A
Tob. II, 11. cet excæcationem, atque ab amicis ac con-
15, 16, 22, 23. juge irrisionem, nequaquam a sua motus
Ibid. IV, 23. fiducia, dixit : Noli timere, fili mi ; pauperem quidem vitam gerimus, sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum. Hinc ait Gregorius : Timor Domini fiduciam fortitudinis præstat : quia mens nostra tanto validius terrores rerum temporalium despicit, quanto veriori formidine earum Creatori se subdidit. *Et filiis tuis,* scilicet Dei (seu *filiis ejus,* puta divini timoris), *erit spes* efficax et beata, id est, efficaciter B
et condigne sperabunt in Domino, sperantes ex ejus pietate ac meritis propriis adi-
Eccli. I, 13. pisci salutem, juxta illud : Timenti Deum bene erit in extremis, et in die defunctionis benedicetur. Porro, filii timoris vocantur, qui valde intenti sunt ei, et enutriti in eo, ac juxta inclinationem ipsius vivunt et operantur, sicut in simili ait Apostolus :
Rom. VIII, 14. Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. Et secundum hunc modum, quidam dicuntur filii sapientiæ ac virtutum.

27 *Timor Domini, fons vitæ :* quia conser- C
vat mentem in vita gratiæ, et actiones meritoriæ procedunt ex isto timore, sicut rivi ex fonte; *ut declinet a ruina mortis,* id est, ipsum timentem faciat a morte peccati ac inferni divertere. Quum enim expellat peccata et conservet in gratia, recte vocatur fons vitæ, imo quodammodo causa to-
Is. XXVII, 9. tius boni. Nam, ut asserit Isaias, Hic est omnis fructus, ut auferatur iniquitas : quam sine infusione gratiæ ac virtutum certum
Ps. XXXIII, 10. est non auferri. Ideo dixit Psalmista : Ti- D
mete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum.

28 *In multitudine populi, dignitas regis :* id est, ad regis pertinet dignitatem, quod multos habet populos et ministros sibi subjectos; et præsertim ad laudem et gloriam pertinet præsidentis, quod multos habet subditos compositos moribus, beneque ordinatos. Sic et dignitas Christi resplendet in hoc, quod totus orbis terrarum ad
Matth. V, 16. ipsum conversus fuit, et convertetur. Hinc jussit : Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. *Et* econverso, *in paucitate plebis, ignominia principis :* quia ignominiosum est principi, paucos habere subjectos et inordinatos ministros. Exemplaritas namque et honestas, prudentia et virtus servorum ac subditorum, cedit in domini sui honorem. Propter quod quotidie oramus : Pater Matth. VI, 9.
noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Similiter inordinatio, perversitas, insipientia ministrorum, cedit in dedecus domini ac pastoris. Propter quod ait Apostolus ad Romanos : Nomen Dei per vos Rom. II, 24.
blasphematur in gentibus. Unde per Jeremiam Dominus dixit Judæis : Commaculastis Jer. XXXIV, 16.
nomen sanctum meum. Princeps quoque Apostolorum in prima sua hortatur Canonica : Conversationem vestram inter I Petr. II, 12.
gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.

Qui patiens est, multa gubernatur sa- 29
pientia. Hoc enim est effectus et signum sapientiæ magnæ, quod homo intuitu æternorum, contemplatione divinorum, amore Christi, zeloque probitatis, et ad proximorum ædificationem, servat patientiam in adversis. Propter quod ait Philosophus, quod soli sapientes vincunt passiones. *Qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam,* id est, irrationabilem motum animi sui effundit præcipitanter, et quam inordinatus sit intus, stulte ostendit forinsecus.

Vita carnium, sanitas cordis. Cor quan- 30
doque accipitur pro corporali parte et organo animalis : de quo corde dicit Philosophus, quod sit primum vivens, et ultimum moriens. Hujus igitur cordis bona habitudo seu sanitas, est vita carnium, id est corporis animati et membrorum ipsius, quia ex corde sic sumpto procedunt spiritus et actiones vitales, motivæ ac animales ad corpus. Interdum vero, imo et sæpius, sumitur cor pro intellectu vel voluntate : cujus sanitas est virtutum integritas ac gaudium spirituale, ex quibus caro ad ex-

Digitized by Google

ercendum opera meritoria vegetatur. *Pu-
tredo ossium est invidia :* quia est pessima
passio, menti corporique nociva, quia ossa
mentis, id est virtutes, corrumpit, ossaque
corporis tabefacit. Ideo invidus jugiter af-
fligit et punit semetipsum; et interior ejus
insania, foris monstratur per signa miser-
rima : quia, ut ait Gregorius, Invidi color
pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens
infelix accenditur, membra frigescunt, fit
in cogitatione rabies, in dentibus stridor.
Job v, 2. Hinc fertur apud Job : Parvulum occidit
invidia. Nempe qui invidet, virtutibus de-
stitutum et defectuosum se esse demon-
strat. Propter quod Seneca ait : Si invide-
ris, major es; si invides, minor : vir autem
bonitate præditus, nemini invidet.

31 *Qui calumniatur egentem,* id est defe-
ctuosum in naturalibus donis seu tempora-
libus rebus, *exprobrat factori ejus,* scilicet
Deo creatori, qui talem fecit egentem, at-
que ad cujus imaginem factus est egens.
Non ergo improperanda est alicui sua na-
turalis defectuositas aut paupertas, sed pie
est dissimulanda, supportanda et adjuvan-
da. Propter quod subditur : *honorat autem
eum,* videlicet Creatorem, *qui miseretur
pauperis :* quia et Deus præcepit hoc, cujus
præceptum implere, est eum honorare. Ip-
se quoque in sua imagine honoratur. Et
Matth. xxv, 40. Christus in Evangelio protestatur : Quod
uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
32 — *In malitia sua expellitur impius,* id
est, propter sua peccata societate justorum
privatur, æterna beatitudine spoliatur, et
de membro Christi fit membrum diaboli.
Sperat autem justus in morte sua, id est,
tempore mortis confidit in Domino, juxta
Sap. iv, 7. illud, Justus si morte præoccupatus fuerit,
in refrigerio erit; et si pro justitia mori-
tur, certus est de præmio talis mortis. —

A *In corde prudentis requiescit sapientia,* 33
tanquam habitus intellectus, decor men-
tis, opulentia rationis : prudentia quoque
et sapientia quæ est donum, non separan-
tur ab invicem; *et indoctos quosque eru-
diet* verbo et opere, quibus datam sibi
gratiam administrat.

Justitia elevat gentem. Regnis enim et 34
politiis justis prospere solet succedere :
quod in veteri Testamento, tempore regum
et subditorum justorum sic fuit. Justitia
quoque, quum sit præclarissima virtus,
B valde dignificat justos, et Deo conformat,
atque de isto exsilio ad altitudinem et sa-
lutem regni cœlestis erigit ipsos. *Miseros
autem facit populos peccatum.* Nam efficit
eos viles et diaboli membra ac servos, de-
inde ad infernum deprimit eos : et sicut
filii Israel tempore judicum ac regum suo-
rum, varias pertulerunt calamitates et cla-
des, propter sua peccata; ita et Christiani
a Turcis et Sarracenis ac Tartaris, imo et
mutuo miserabilius a se ipsis. Denique
ipsa culpa est miseria major quam pœna,
C quia a salute magis elongat et impedit, ac
felicitati magis contrariatur. — *Acceptus* 35
est regi minister intelligens : quia domi-
no suo reverenter obedit, et causas sibi
commissas fideliter ac prudenter exse-
quitur. Sic et Regi omnipotenti placet sa-
piens servus, idoneusque vicarius et præ-
latus. Unde ait Salvator : Quis putas est *Matth.*
servus fidelis et prudens, quem constituit xxiv, 45.
dominus super familiam suam? *Iracun-
diam ejus inutilis sustinebit :* id est, servo
pigro, infideli, insipienti, dominus suus ju-
D ste irascetur, præsertim negligenti et in-
fructuoso prælato ac prædicatori, in quem
subditorum quoque peccata redundant. Un-
de in Evangelio ait judex : Servum inuti- *Ibid.* xxv,
lem mittite in tenebras exteriores. 30.

Digitized by Google

ARTICULUS XV

DECLARATIO CAPITULI QUINTIDECIMI : RESPONSIO MOLLIS FRANGIT IRAM.

1 R*ESPONSIO mollis frangit iram :* id A est, humilis ac modesta responsio hominis ab alio increpati, interrogati, aut comminationem perpessi, exstinguit aut mitigat iram corripientis aut comminantis seu interrogantis, qui videns sibi deferri, placatur. Malitia etenim vincitur bonitate, peccatum virtute, improbitas exemplaritate, ira mansuetudine. Ad quod admonens
Rom. XII, 21. nos Apostolus : Noli, inquit, vinci a malo, sed vince in bono malum. Tanta etenim, Seneca teste, est vis et laus probitatis, ut omnes ejus efficacia moveantur. Sic Abigail B
I Reg. XXV, 24-35. sua molli responsione fregit iram David;
Judic. VIII, 2, 3. et Gedeon, Ephratæorum. — *Sermo durus suscitat furorem.* Qui enim alium dure et superbe alloquitur, provocat eum, quantum in se est, ad iram intensam. Aliqui tamen sunt ita perfecti, quod ex aliorum improbitate non concitantur ad passionem; quidam vero sunt boni, quamvis nondum perfecti, qui dum improbe offenduntur, graviter irascuntur. Propter quod Seneca in Proverbiis suis ait : Bonus animus læsus multo gravius irascitur. Denique fertur in C Vitis Patrum, quod Abbas S. Macarius ad ecclesiam pergens, fecit discipulum suum præcedere : qui obvianti sibi sacerdoti idolorum, dixit : Quo curris, dæmon? Quo audito, sacerdos ille percussit discipulum B. Macarii, seminecem reliquit, atque pertransiit. Cui obvians S. Macarius, salutavit eumdem, dicens : Salve, laborator, salve. Ex cujus tam benevola salutatione admirans et compunctus sacerdos, conversus est. Quo facto, dixit sanctissimus pater Macarius : Sermo pius et dulcis duras men- D tes provocat ad virtutes; verba vero pungitiva, amara, superba, etiam bona corda provocant ad peccandum.

Lingua sapientium ornat scientiam, id 2
est, ordinate et pulchre eam proponit, ita quod magis ab audientibus reputatur; *os fatuorum ebullit stultitiam,* id est, stolida verba impetuose indeliberateque evomit : per quæ interior manifestatur eorum fatuitas, quia ex abundantia cordis os loqui- Matth. XII, 34.
tur. Sic hæretici et quidam philosophi suas effuderunt stultitias per verba et scripta contra doctores catholicos, præsertim Porphyrius, Julianus, Averroes et Celsus. —
In omni loco oculi Domini contemplantur 3
bonos per approbationem, *et malos* per detestationem, sicut in Psalmo cantatur : Oculi Domini super justos, et aures ejus Ps. XXXIII, 16, 17.
in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala. Hoc contra eos qui dixerunt divinam providentiam non pertingere usque ad ista terrena determinate cognoscenda, nec cognoscere actus humanos, nec privativa et vitia. De quibus Dominus ait Ezechieli : Dixerunt : Reliquit Ezech. IX, 9.
Dominus terram, et Dominus nos non videt. Unde et apud Sophoniam : Visitabo, Soph. I, 12.
inquit, super viros defixos in fæcibus suis, qui dicunt : Non faciet Dominus bene, et non faciet male. Atque Psalmista : Dixe- Ps. LXXII, 11.
runt, Quomodo scit Deus? et, Si est scientia in Excelso? Contra quos subtiliter arguit Propheta, dicendo : Intelligite, in- Ps. XCIII, 8, 9.
sipientes in populo, et stulti, aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

Lingua placabilis, id est pacifica, quæ 4
orando et laudando placat Deum sibi ac proximis, et discordantes reconciliat invicem, *lignum vitæ,* id est, vitaliter reficit corda pacificorum; *quæ autem immoderata est,* id est inconsiderata, præceps, superflua ad loquendum, *conteret spiritum,*

id est, gratiam Spiritus Sancti aufert a
mente, et spiritum seu animam loquentis, interdum etiam audientis, spiritualiter destruit, proferendo verba detractoria et mendosa, seminativa discordiæ, et consimilia, quæ ex suo genere sunt peccata mortalia. Hinc Hugo : Lingua dicitur, quoniam lingit adulando, mordet detrahendo, occidit mentiendo, ligat et ligari non potest, labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit et occidit, blanda est et subdola, lata et parata ad bona exhaurienda, commiscendaque mala.

5 *Stultus,* id est incorrigibilis, indocilis, et obstinatus in vitiis, *irridet disciplinam patris sui* carnalis ac spiritualis, imo et Dei Patris, quia salubrem correptionem ac justam castigationem abhorret ac despicit. Hinc de rebellibus Israelitis ait Dominus : Ego erudivi eos, et in me cogitaverunt malitiam; reversi sunt ut essent absque jugo. (*Osee* VII, 15, 16.) *Qui autem custodit increpationes,* eas patienter suscipiendo, memoriter retinendo, seque emendando, *astutior,* id est sagacior, *fiet :* quia vitando peccata, meretur illuminari a Deo, propriamque fragilitatem limpidius pensat, et deinceps cautius se habet, ex memoriis præteritorum perpendens ac vitans pericula futurorum. Unde in Jeremia, ubi nostra habet translatio, Erudire, Jerusalem, (*Jer.* VI, 8.) Septuaginta transtulerunt : Per omnem dolorem et flagellum erudieris. — *In abundanti justitia virtus maxima est,* id est præcipua fortitudo et confortatio justi. Nam ipsa justitia est virtus præclara, justum in Deo confortans, sicut præhabitum est, Justus autem quasi fundamentum sempiternum (*Prov.* X, 25.); et infra habebitur, Justus quasi leo confidens, absque terrore erit (*Ibid.* XXVIII, 1.). Idcirco, abundans justitia, est maxima animæ fortitudo. Potest tamen per abundantem justitiam, adimpletio consiliorum et exhibitio operum supererogationis intelligi : in quibus est præcipua fortitudo, hominisque perfectio, sicut asserit Christus : Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et sequere me (*Matth.* XIX, 21.). *Cogitationes autem impiorum eradicabuntur,* id est, ab effectu optato impedientur, atque a Judice summo condemnabuntur, juxta illud Psalmi : In illa die peribunt omnes cogitationes eorum (*Ps.* CXLV, 4.).

6 *Domus justi, plurima fortitudo.* Domus justi est, vel cor ipsius, in quo per cogitationem et affectionem moratur; vel ejus domestici, vel posteritas, aut congregatio populi sibi subdita et commissa. In corde autem justi, est fortitudo sapientiæ ac virtutum; similiter in ejus domesticis et posteris, informationi et correctioni ejus acquiescentibus. Conformiter justus prælatus ac præsidens virtuosus, solet virtuosos habere subjectos. *Et in fructibus impii, conturbatio.* Fructus impii, sunt ejus delectationes inordinatæ et opera prava : in quibus est conturbatio, id est carentia pacis internæ, rebellio sensualitatis contra rationem, rationis quoque a Deo aversio, atque demeritum ad infernalem turbationem perducens. Hinc octavo Ethicorum docet Philosophus, quod vitiosus pacem non habet. Et in Isaia propheta habetur : Non est pax impiis, dicit Dominus (*Is.* XLVIII, 22.).

7 *Labia sapientium disseminabunt scientiam,* alios instruendo, utilia et doctrinalia proferendo : quod Christus et Apostoli summe fecerunt; *cor stultorum dissimile erit* cordi ac labiis sapientium, quoniam vanitatem et errores cor stulti disseminat, ut de hæreticis et aliis constat. Est quoque cor stulti sibi ipsi dissimile, quia diversis phantasiis ac vitiis variatur, et nunquam in eodem permanet statu (*Job* XIV, 2.). Quocontra de Anna legitur : Vultus ejus non sunt amplius in diversa mutati (I *Reg.* I, 18.). Denique stultus, id est iniquus, non conatur imaginem Creatoris sui reformare in se; imo quotidie eam magis deturpat ac mundo conformat : sicque cor impii est suo Creatori dissimile, et mundo dæmonibusque conforme. Quumque per naturam sit immateriale ac intellectuale, per propriam culpam est mundanum atque carnale. Contra quod

Digitized by Google

Rom. xii, 2. hortatur Apostolus : Nolite conformari huic A
sæculo, sed renovamini in novitate sensus
vestri.

8 *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Hoc de sacrificiis legis evidenter verificatur, quia non erant in se ipsis seu ex
parte operis operati, Deo accepta, sed solum ex fide, devotione et caritate offerentium ea. Unde in Psalmo Dominus testa-
Ps. xlix, 9. tur : Non accipiam de domo tua vitulos,
neque de gregibus tuis hircos. Et Michæas
Mich. vi, 6, 7. propheta ait : Quid dignum offeram Domino? Numquid placari potest Dominus B
in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Similiter, spiritualia sacrificia impiorum, scilicet orationes et consimiles actiones, quæ ex suo genere bonæ sunt, non sunt Deo accepta, quum
Prov. xxviii, 9. scriptum sit : Qui declinat aurem suam ne
audiat legem, oratio ejus erit exsecrabilis. Verumtamen sacrificium evangelicæ legis, in se et per se acceptissimum est Deo Patri. Orationes quoque ministrorum Ecclesiæ iniquorum, non in quantum sunt particulares personæ, sed ut sunt publici mini- C
stri et officiati Ecclesiæ, efficaces sunt coram Deo, non tamen meritoriæ ipsis ministris hujusmodi. *Vota justorum placabilia,* id est, promissiones et desideria, ac votiva sacrificia virtuosorum hominum
Gen. iv, 4, 5. complacent Deo, qui respexit ad Abel et
ad munera ejus, non autem ad Cain, neque ad munera ejus.

9 *Abominatio est Domino vita impii.* De
Deut. xxv, 16. quo in Deuteronomio legitur, Aversatur
Dominus omnem impietatem; et in Psal-
Ps. v, 7. mo, Virum sanguinum et dolosum abomi- D
nabitur Dominus. Nam quanto quis sanctior ac justior est, tanto plus detestatur omnem iniquitatem. Quum ergo Deus essentialiter et incircumscriptibiliter sanctus et justus sit, constat quod incomparabiliter vitia abominetur. *Qui sequitur justitiam,* quæ est virtus communis et omnis virtus, id est, qui virtutes amplectitur, *di-*
Ps. x, 8. *ligetur ab eo.* Etenim justus Dominus, et
justitias dilexit. Quicumque autem actualiter seu habitualiter justus est, diligetur a Deo, secundum præsentem justitiam, non tamen secundum prædestinationem æternam, nisi sit de numero electorum. Porro justus est qui observat præcepta. Ideo loquitur Christus : Qui diligit me, sermones Joann. xiv, 23.
meos servabit, et Pater meus diliget eum.

Doctrina mala deserentium viam vitæ, 10
Frequenter impii prælati et prædicatores iniqui, qui viam vitæ, id est arctam viam salutis, relinquunt, docent bona, vera, salubria, sicut de Scribis et Pharisæis dixit
Salvator : Super cathedram Moysis sede- Matth. xxiii, 2, 3.
runt Scribæ et Pharisæi; quæcumque ergo dicunt vobis, facite. Quomodo igitur doctrina deserentium viam vitæ est mala? Est respondendum, quod mala est eis, quoniam peccant mortaliter evangelizando, et ea quæ prædicant non implendo. Est etiam mala, id est minus reputata, quoniam cujus vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Ideo Seneca in suis ait Proverbiis : Omnis doctor in ratione vitæ peccans, est turpior ob hoc, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur. *Qui increpationes odit, morietur* in sæculo isto per culpam, deinde per damnationem æternam : talis enim non cessat peccare. Et frequenter tales incorrigibiles, capitalia agunt facinora, propter quæ corporaliter occiduntur.

Infernus et perditio coram Domino, id 11
est, nota sunt ei, cujus oculis omnia nuda Hebr. iv, 13.
sunt et aperta : cui ait Propheta, Si de- Ps. cxxxviii, 8.
scendero in infernum, ades. *Quanto magis corda filiorum hominum* Deo sunt cognita? Qui testatur : Scient omnes Ecclesiæ Apoc. ii, 23.
quia ego sum scrutans renes et corda. Unde Jeremias ait : Pravum est cor hominis Jer. xvii, 9, 10.
et inscrutabile : quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor et probans renes. Cui specialis cura ac providentia est de rationalibus et intellectualibus creaturis.
— *Non amat pestilens,* id est scandalose 12
et publice male vivens, seu false docens, *eum qui se corripit.* Talis enim sedet in Ps. i, 1.
pestilentiæ cathedra, et habituatus est in sua malitia. *Nec ad sapientes graditur,* ut
emendetur ab eis. — *Cor gaudens exhila-* 13

rat faciem. Nam sive quis spiritualiter, A
sive carnaliter delectetur in corde, signa
interioris jucunditatis relucent in facie,
præsertim in oculis. *In mœrore animi de-*
jicitur spiritus, id est, anima ita deprimi-
tur, quod signa internæ desolationis relu-
II *Esdr.* II, 2. cent in vultu, juxta illud : Cur vultus tuus
tristis est, quum te ægrotum non videam?
Non est hoc frustra, sed malum, nescio
14 quod, in corde tuo est. — *Cor sapientis*
* *quærit* *quæret* doctrinam :* quia non solum vult
alios informare, sed etiam informari ab
aliis per verba aut scripta, et cupit sem- B
per proficere ; *et os stultorum pascitur*
imperitia, id est, stulti et garruli propria
loquacitate, imperitisque colloquiis dele-
ctantur.
15 *Omnes dies pauperis, mali :* id est, qui
in temporalibus pauper est, dies habet la-
boriosos, propter necessaria conquirenda;
et si paupertas sua displicet sibi, in assi-
duis afflictionibus tædiisque consistit. Por-
ro qui pauper est spiritu, et voluntarie
inops, Deoque serviens, persecutionibus,
tentationibus et afflictionibus quotidianis C
Ps. XXXIII, 20. non caret. Multæ enim tribulationes justo-
II *Tim.* III, 12. rum. Et omnes qui volunt pie vivere in
Christo, persecutionem patiuntur. Et, sicut
ait Gregorius, Abel esse renuit, quem Cain
Jacob. III, 2. malitia non exercet. Insuper, in multis of-
fendimus omnes. Et sic dies nostri pleni
sunt malis culpæ et pœnæ. Unde et quoti-
diana contritione ac pœnitentia indige-
Ephes. V, 16. mus. Ideo ait Apostolus : Redimentes tem-
pus, quoniam dies mali sunt. Hinc Jacob
Gen. XLVII, 9. patriarcha : Dies, inquit, peregrinationis
meæ super terram, centum triginta anno- D
rum sunt, parvi et mali. Dicitur autem
tempus malum, non quod in se malum
sit, sed propter ea quæ sunt et fiunt in
tempore, a quibus sumit denominationem
I *Mach.* XII, 1. multiplicem. Unde scriptum est : Videns
Jonathas quia tempus eum juvat. *Secura*
mens, quæ scilicet inordinatis anxietati-
bus, immoderata sollicitudine, passionum-
que immoderantia caret, est *quasi juge*
convivium : quia assidue lætificat homi-
nem. At vero mens bene secura est, quæ
vere adhæret Deo, et bonam conscientiam
possidet, ac pacem internam habet cum
Creatore. Quæ dicere ex sententia potest :
Dominus illuminatio mea, et salus mea : *Ps.* XXVI, 1.
quem timebo ? Dominus protector vitæ
meæ : a quo trepidabo ? Sunt autem qui-
dam intimorati, qui etiam in quadam vi-
vunt securitate, non pensantes sua peri-
cula et peccata : quibus et sua securitas
dulcis est, sed admodum periculosa.
Melius est parum de temporalibus, sci- 16
licet simplicem victum et vestitum habe-
re, *cum timore Domini* filiali, *quam the-*
sauri magni et insatiabiles. Imo timor Dei
per se incomparabiliter cunctis terrenis
opibus exstat præstantior; utilius quoque
est ad bene vivendum, necessaria sola ha-
bere, quam temporalibus abundare, quo-
niam multa vitia assequuntur divitias. Id-
eo monet Apostolus : Habentes victum et I *Tim.* VI, 8.
quibus tegamur, his contenti simus. Hinc
et multi philosophi divitias contempse-
runt, quatenus philosophiæ vacarent libe-
rius. Ideo in secunda epistola ad Lucilium
Seneca testatur : Honesta res est, læta pau-
pertas; imo jam non est paupertas, sed
opulentia cordis, si læta est. Denique non
qui parum habet, sed qui plus cupit, pau-
per est. Quid enim refert, quantum illi in
arca, quantum in horreis jaceat, quantum
pascat aut fœneretur, si imminet alieno,
si non acquisita, sed acquirenda computet?
Quis sit divitiarum modus quæris? primus,
habere quæ necesse est; secundus, quod
satis est. Dicuntur autem thesauri insatia-
biles, quasi active, hoc est insatiativi, quo-
niam appetitum non satiant, sed irritant.
— *Melius est vocari ad olera cum cari-* 17
tate, quam ad vitulum saginatum cum
odio : id est, salubrius et desiderabilius
est ad cibum sobrium, non pretiosum nec
lautum, ex caritate invitari, quam ad fer-
cula copiosa et lauta, ex rancore. Qui enim
ex odio invitat, frequenter molitur malum
ei quem invitavit, quemadmodum Ptole- I *Mach.* XVI, 15, 16.
mæus filius Abobi, Simoni; et Absalon, II *Reg.* XIII, 27-29.
Amnon suo fratri. Nemo igitur desiderio
divitiarum relinquat Dei timorem et com-

Digitized by Google

petentiam strictam, nec ad delicata con-
vivia appetat cum periculo invitari.

18 *Vir iracundus provocat rixas.* Cito enim
movetur ad iram : qua accensus, profert
verba injuriosa, ex quibus rixæ nascuntur;
vel mox ad ultionem prorumpit. *Qui pa-
tiens est, mitigat suscitatas,* id est, discor-
dantes et corrixantes reconciliat. Ad quod
hortatur sanctus pater Bernardus, dicen-
do : Et tu tanquam angelus pacis, solli-
citus esto auferre scandala, turbationes
sedare, dissentientes et litigantes pacifica-
re. Unde in Proverbiis suis Seneca est lo-
cutus : Semper dissensio ab alio incipiat,
a te reconciliatio.

19 *Iter pigrorum, quasi sepes spinarum :*
id est, pigris et acediosis tam molestum
est virtuosos aggredi actus, ac immorari
ac proficere in eisdem, ac si per spinosam
sepem essent ituri. Varia quoque allegant
et confingunt impedimenta bene agendi,
Prov. xxvi, 13. sicut et infra habetur : Dicit piger : Leo
est in via. Hinc ait Bernardus : Perniciosa
tepiditas, quoniam periculosa est et mole-
stissima, plena miseriæ et doloris, inferno-
que proxima, et umbra mortis jure cense-
tur. Sane invenire est homines sub onere
deficientes, pusillanimes et remissos, vir-
ga atque calcaribus indigentes : quorum
est remissa lætitia, pusillanimisque tristi-
tia; quorum brevis et rara compunctio,
animalis cogitatio, tepida conversatio; quo-
rum obedientia sine devotione, lectio sine
ædificatione, sermo sine circumspectione,
oratio sine attentione; quos vix gehennæ
metus inhibet, pudor vix cohibet, vix fre-
nat ratio, vix disciplina coercet. *Via justo-
rum absque offendiculo,* id est, justi in via
virtutum procedunt ferventer et expedite,
absque Dei offensa, proximorumque scan-
dalo; nec sibi confingunt prætacta obsta-
cula, imo divino innitentes auxilio, dicunt
Ps. xvii, 30. Deo : Quoniam in te eripiar a tentatione,
et in Deo meo transgrediar murum.

20 *Filius sapiens lætificat patrem* suum
carnalem ac spiritualem, imo et Deum Pa-
Prov. x, 1. trem, complacendo ei. Istud tamen supra
plenius fuit expositum. *Et stultus homo*
A *despicit matrem suam :* non quod omnes
iniqui suas despiciant matres carnales ;
sed quicumque despicit matrem suam, in-
sipiens est, nisi forsan contemnat eam
zelo justitiæ, in quantum inexcusabiliter
vitiosam. Porro omnes iniqui despiciunt
matrem suam Ecclesiam, non obediendo
ejus jussionibus ac doctrinis. — *Stultitia,* 21
gaudium stulto : id est, iniquo qui est as-
suefactus et habituatus in vitiis, delecta-
bile est vanis et illicitis verbis ac factis
intendere. Habitus namque est quasi alte-
B ra natura, et vehementer inclinat, secun-
dum Philosophum secundo Ethicorum. Ideo
secundum habitum operari, est delectabile
operanti. Propter quod rursus Aristoteles
ait, quod delectatio fiens in opere, signum
est habitus acquisiti. *Et vir prudens diri-
git gressus suos,* id est, actus suos ordinat
ad debitum finem. Prudentia namque est
recta ratio agibilium, ut habetur sexto
Ethicorum, et est de mediis, non de fine.

Dissipantur cogitationes, id est, facili- 22
ter errant, et ab effectu impediuntur, *ubi
C non est consilium :* quod est actus pruden-
tiæ, estque inquisitio quid expediat fieri,
et quid non. Ideo dirigit cogitationes, ut
bonæ sint, et refrenat inutiles. Unde sub-
jungitur : *ubi vero plures sunt consiliarii,
confirmantur :* ita quod solidæ sunt et ho-
nestæ. Nempe, ut asserit Cassianus, mens
humana est similis molæ, cui si nihil ad
molendum imponitur, se ipsam suis cir-
cumvolutionibus demolitur. Sic mens ho-
minis, suarum cogitationum instabilitate
ac vanitate lædit et consumit se ipsam,
D nisi in suis cogitationibus per prudentiam
atque consilium gubernetur ac refrenetur.

Lætatur homo in sententia oris sui. Hu- 23
manum etenim est, de propria sententia,
tanquam prudenter prolata, lætari. Verum-
tamen hoc non est semper laudabile. Si
autem quis glorietur de vera et salubri
oris sui sententia ac doctrina, sed in Do-
mino, non in se, et in quantum sententia
sua confert ad Dei honorem, proximorum-
que utilitatem et sui ipsius salutem; com-
mendabile est. Si vero lætetur in sententia

Digitized by Google

oris sui ex privato amore, et in quantum est a se prolata, sicut homo communiter immoderate appretiatur ac reputat sua; vituperabile est. Sicque multi delectantur in sua sententia: propter quod pertinaciter eam defendunt, et a sui errore judicii queunt vix revocari. Sicque, ut dicit Thomas in secunda secundæ, ex detractione sequitur excæcatio cordis, quia detractor lætatur in sententia oris sui, quam profert de alio: unde judicat se vera dixisse de eo cui detraxit, quamvis non vera, sed falsa de eo evomuit. *Et sermo opportunus,* id est suo loco et tempore pronuntiatus recta intentione, et ex rationabili causa, *est optimus.* Ideo sapiens non solum advertit oris sententiam, sed et circumstantias in omni actu virtutis servandas.

24 *Semita vitæ super eruditum,* id est, actio ex vita gratiæ oriens, et ad vitam gloriæ ducens, est in homine vere docto: in quo non solum est lumen scientiæ, sed et probitas morum; qui vitat insipientiam, tam interiorem quam exteriorem, omnem videlicet culpam dono sapientiæ repugnantem, atque ab increata Sapientia separantem. *Ut declinet de inferno novissimo,* id est ab omni peccato mortali, quod suo pondere ac reatu trahit ad infernum damnatorum: de quo in Psalmo, Eruisti animam meam ex inferno inferiori. Vel, De inferno novissimo, id est infernali damnatione. Sumitur autem infernus quatuor modis. Primo, pro purgatorio: de quo in Missæ officio cantatur, Libera animas fidelium defunctorum de pœnis inferni. Secundo, pro limbo patrum: de quo Jacob in Genesi, Descendam, inquit, ad filium meum lugens in infernum. Tertio, pro limbo puerorum. Quarto, pro loco damnationis animarum.

Ps. LXXXV, 13. *Gen. XXXVII, 35.*

25 *Domum superborum,* id est cognationem atque familiam elatorum, *demolietur Dominus, et firmos faciet terminos viduæ,* id est, bona viduarum custodiet et augebit. Est enim Dominus miserabilium personarum specialis protector et consolator, juxta illud Psalmi: Dominus custodit advenas; pupillum et viduam suscipiet. Etiam dicitur alibi: Facit judicium pupillo et viduæ, amatque peregrinum. Viduis quoque, quæ, secundum Apostolum, vere sunt viduæ, dat Dominus firmam mansionem in regno cœlesti. Rursus, termini viduæ, sunt fines Ecclesiæ: quæ in hac vita quodammodo vidua est, quia nondum cupitis et fruitivis ac beatificis fruitur sui Sponsi amplexibus. De cujus terminis fertur in Psalmo: Qui posuit fines tuos pacem. Et Isaiæ sexagesimo legitur: Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas et contritio in terminis tuis.

Ps. CXLV, 9. *Deut. X, 18.* *I Tim. V, 3.* *Ps. CXLVII, 14.* *Is. LX, 18.*

26 *Abominatio Domini, cogitationes malæ,* id est, pravæ cogitationes sunt abominabiles Deo, qui ait: Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis; et alibi, Væ qui cogitatis inutile. Et ex hoc ostenditur error Josephi, asserentis non esse peccatum in cogitationibus, quamdiu non procedunt in opus iniquum. *Et purus sermo pulcherrimus firmabitur ab eo:* id est, omnis sermo verus et justus, nil culpæ habens admixtum, est purus, et placet Deo, ac roboratur ac approbatur ab eo tanquam pulcherrimus. Sed et ipse Christus, qui est Verbum æternum, et increatus sermo Dei Patris, juxta illud ad Hebræos, Vivus est sermo Dei et efficax, a Patre firmatus est in corde credentium per fidem et caritatem. De quo Pater testatus est: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Item, sermo iste purus, evangelica est doctrina vere pulcherrima, quam Christus et ejus prædicaverunt Apostoli, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

Ibid. I, 16. *Mich. II, 1.* *Hebr. IV, 12.* *Matth. XVII, 5.* *Marc. XVI, 20.*

27 *Conturbat domum suam,* id est propriam mentem et conscientiam, *qui sectatur avaritiam:* quia non solum variis vitiis, sed et multis afflictionibus implet cor suum. Propter quod Christus divitias vocat spinas. Talis quoque scandalizat et molestat domum suam, id est familiam, quam non reficit sufficienter, et multum facit laborare, ac male remunerat pro suo labore. Porro avarus, ut Climacus ait, est Evangelii

Matth. XIII, 22.

Digitized by Google

subsannator, quoniam terrenorum contem- A
Matth. VIII, 20; XIX, 29; Luc. XIV, 33. ptum Christus exemplo et verbo præcipue
commendavit. *Qui autem odit munera*, id
est injustam et periculosam munerum ac-
ceptionem, scilicet ad subvertendum ju-
stitiam, *vivet* per gratiam. Ideo Dominus
Exod. XXIII, 8. jussit : Non accipias munera quæ excæcant
etiam prudentes, et subvertunt verba ju-
storum. Hinc Moyses dixit ad Dominum :
Num. XVI, 15. Tu scis quod nec asellum unquam ac-
I Reg. XII, 3. ceperim ab eis. Sic Samuel loquitur : Si
munus de manu cujusquam accepi. Istud
ergo judicibus familiaribusque eorum est B
præcipue observandum.

Per misericordiam, id est opera mise-
ricordiæ spiritualia et corporalia, imo et
per compassionem internam, etiamsi de-
sit facultas operis, *et fidem*, quæ est fun-
damentum totius ædificii spiritualis; vel,
Fidem, id est fidelitatem : de qua loquitur
Ibid. XXVI, 23. David, Dominus reddet unicuique secun-
dum justitiam suam et fidem; *purgantur*
peccata, id est dimittuntur, sicut in Evan-
Luc. XI, 41. gelio ait Salvator : Quod superest, date
eleemosynam; et ecce omnia munda sunt C
Matth. V, 7. vobis; et rursus, Beati misericordes, quia
ipsorum miserebitur Deus. Et quoniam
opera bona ex hoc præcipue efficaciam
habent merendi, quia in fide fundantur,
et invisibile præmium quod sola fide ag-
noscitur, præstolantur; idcirco per fidem
quæ est virtus theologica, purgantur pec-
Act. XV, 9. cata. Unde ait beatissimus Petrus : Fide
purificans Deus corda eorum. Rursus, qui
fidelitatem servat Deo et proximo, mere-
tur purgari ab omni peccato. Hinc elee-
mosyna vocatur pars satisfactionis. Ve- D
rumtamen non purgatur homo a peccati
remissione, quantum ad culpam, sine præ-
via contritione et confitendi proposito.
Peccata autem venialia quotidiana, per
quotidiana misericordiæ opera potissime
dimittuntur, quamquam caritatis fervor,
absolute loquendo, summe consumat pec-
Luc. VII, 47. cati rubiginem, sicut asserit Christus : Di-
mittuntur ei peccata multa, quia dilexit
multum. *Per timorem autem Domini de-*
clinat omnis homo *a malo*. Nam timor
servilis retrahit a peccatis horrore pœ-
narum, timor filialis amore virtutis, ti-
mor initialis utroque modo, ut dictum est
sæpe.

Mens justi meditatur obedientiam, id 28
est, sollicite intra se cogitat et proponit
obedire cunctis superioribus suis, quan-
tum illorum jurisdictio extendit se super
eam, et maxime Deo : hoc enim requirit
justitiæ debitum. Unde hortatur Apostolus :
Omnis anima potestatibus sublimioribus Rom. XIII, 1.
subdita sit; itemque, Obedite præpositis Hebr. XIII, 17.
vestris. Hinc Samuel : Melior, inquit, est I Reg. XV,
obedientia, quam victimæ : quoniam quasi 22, 23.
scelus idololatriæ est, nolle acquiescere.
Et Bernardus : Nec studium bonæ actionis,
nec gratia sanctæ contemplationis, nec la-
crima pœnitentis extra obedientiam esse
potest, nec Deo placet. *Os impiorum re-*
dundat malis, id est, verbis rebellionis ac
ceteris vitiosis verbis abundat : quæ ex
abundantia perversi cordis erumpunt. Un-
de talibus dixit Salvator : Quomodo pote- Matth. XII,
stis loqui bona, quum sitis mali? 34.

Longe est Dominus ab impiis, non loco, 29
quia ubique præsens est incircumscripti-
bilis Deus, sed per dissimilitudinem. Unde
et longe a peccatoribus salus. Est ergo Ps. CXVIII,
longe ab eis, quia displicent ei : et quo 155.
per vitiorum deformitatem ac fœditatem
dissimiliores sunt Deo, eo longius distant
ab eo. A Deo quippe, non corporis gressu,
sed mentis affectu receditur. Ipse tamen
essentialiter omnibus adest, omnia pene-
trat, et ipsis essentiis rerum illabitur. Un-
de loquitur divinus Apostolus : Non longe Act. XVII,
est ab unoquoque nostrum; in ipso enim 27, 28.
vivimus, movemur et sumus. *Et orationes*
justorum exaudiet : dummodo orent sicut
oportet, puta salubriter et constanter, prout
ait Salvator : Oportet semper orare, et non Luc. XVIII,
deficere. Qui rursus fassus est : Si quid 1. Joann. XVI,
petieritis Patrem in nomine meo, dabit vo- 23.
bis. Deus itaque, qui invitat et exhorta-
tur ut ipsum oremus, paratus est utique
exaudire; sed aliqua differt, et paulatim
exaudit, ut dona ipsius gratantius accipia-
mus, diligentius custodiamus, ac diu appe-

Digitized by Google

tendo, frequentiusque et ardentius orando, copiosius tempore opportuno exaudiamur.

30 *Lux oculorum lætificat animam.* Potest hoc primo exponi de luce sensibili : quam corporalibus oculis intueri delectabile est, *Eccle. XI, 7.* juxta quod in Ecclesiaste legitur : Dulce lumen, et delectabile est oculis videre solem. Similiter lux visiva exsistens in pupilla, exhilarat animam, quia per eam fit visio, et per exteriorem visum anima multa addiscit. Visus etenim plurium rerum differentias nobis ostendit, secundum Philosophum. *Tob. V, 12.* Hinc cæcatus Tobias : Quale, inquit, mihi gaudium erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? Secundo, exponitur de luce intelligibili, id est de gratia Dei, de veritate, de illustratione divina, quæ interiores lætificat oculos. Contemplatio etenim veritatis valde delectat. *Mich. VII, 8.* De hac luce ait Michæas : Quum sedero in tenebris, Dominus lux mea est, id est causa et dator lucis, et illuminationis animæ meæ. *Ibid. 9.* Ideo subdit : Deducet me Dominus in lucem, et videbo justitiam ejus. Tertio, exponitur de lumine gloriæ, increataque luce : cujus clara et beatifica visio summe exhilarat et plene contentat, sicut ait Psalmista : *Ps. XV, 11.* Adimplebis me lætitia cum vultu tuo. His expositionibus concordat antiqua translatio, quæ sic habet : Videns bona oculus delectat cor. Nempe ex unione potentiæ cum objecto convenienti, delectatio oritur.

Fama bona impinguat ossa, id est, valde oblectat. Naturale enim est homini delectari in hoc, quod bonæ est famæ. Unde et alibi dicitur : *Eccli. XLI, 15.* Curam habe de bono nomine; itemque, *Eccle. VII, 2.* Melius est nomen bonum quam unguenta pretiosa. Itaque, si homo delectetur in bona fama de ipso volante, in quantum fama illa est ad Dei honorem, ædificationemque proximorum; bona est delectatio illa, præsertim si fama vera sit. Si autem delectetur in fama sua, in quantum est ad sui ipsius honorem, laudem et commodum; vana est talis lætitia, et maxime si fama sit falsa. Sic hypocritæ et alii multi delectantur in sua fama. Propter quod Seneca in suis fatur Proverbiis : Plerique famam, conscientiam pauci verentur. Sed utrumque simul curandum, quum dicat Hieronymus : Opera salutis, sine fama boni odoris, non satis relucent auditoribus; nec sine opere proficit fama.

Auris quæ audit, id est, gratanter acceptat, *increpationes vitæ,* id est correptionem caritativam et justam, ad vitam gratiæ et salutem ordinatam ac disponentem, *in medio sapientium commorabitur,* id est, inter sapientes merito computatur, et eis se sociat, ut ex eorum increpatione proficiat : sicque fit sapiens, et digna in cathedra doctorali ad alios informandos sedere. Sicut enim ineptus et indignus est alios regere, qui subesse et regi despexit; sic indignus est alios increpare ac informare, qui corripi et informari abhorruit. Denique qui vere cognoscit se ipsum et proprias defectuositates, atque innumerabiles culpas saltem veniales, etiam quotidianas increpationes sumit jucunde, quamvis forsan conscius sibi non sit de eo quod sibi objicitur, sciens se in aliis innumerabiliter esse culpabilem, ultra propriam cognitionem. Si tamen enorme et scandalizativum aliorum aliquid objiciatur, potest se correptus humiliter excusare. Hinc in Proverbiis suis sanctus ait Cyrillus : Pone te in libra justitiæ, et sic perspicies quantus sis. Si parvi pendis te ipsum, ubique tutus eris : quia humilitas parit timorem, timor securitatem, quæ custodit salutem. Quæso te, sequere jus commune, quod præcipit ut in judicio non uni credatur, nec alicui minus quam sibi ipsi de bonis. Immoderate ergo te diligens, injustissime tibi credes. Aliis igitur crede de te, præsertim de malis tuis. 31

Hinc subditur : *Qui abjicit disciplinam,* id est informationem et correptionem ac justam castigationem, *despicit animam suam,* id est, contemptibilem eam facit Deo et omnibus Sanctis ejus; *qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis,* id est, sano rationis judicio fulget, et suo intellectu salubriter utitur, atque, ut asse- 32

Digitized by Google

Luc. xxi, 19. rit Christus, in patientia sua possidet animam suam. Talis enim rite advertit, quod increpatio sit opus misericordiæ, eleemosyna spiritualis, medela salubris, caritatis indicium, dilectionis internæ ac justitiæ sanctæ effectus.

33 *Timor Domini, disciplina sapientiæ :* id est, filialis timor Domini inducit ad impendendum proximo, præsertim subjecto, disciplinam sapientialem et quæ ad sapientiæ prodest augmentum. Qui enim sincere metuit Deum, non audet negligere impletionem divini præcepti, quo proximos delinquentes jubemur corripere, et subjectos Matth. xviii, 15. reos corrigere. De quo ait Salvator : Si peccaverit frater tuus in te, id est te sciente, corripe eum inter te et ipsum solum. Et sicut pauci sunt veraciter timorati, ita perpauci sunt, qui istud implent præceptum. Propter quod Antisiodorensis in sua asserit Summa, quod propter duorum transgressionem præceptorum, quasi totus perit mundus, videlicet propter prævaricationem præcepti caste vivendi, et fraternaliter corripiendi.

Et gloriam præcedit humilitas : id est, per humiliationem sui ipsius virtuosam spontaneam, meretur homo ad gloriam et

A salutem pertingere, virtutum perfectionem acquirere, cœlestisque regni altitudinem obtinere, sicut in Evangelio Filius Dei testatus est : Qui se humiliat, exaltabitur. Luc. xiv, 11; xviii, 14. Ideo ait Scriptura : Qui humiliatus fuerit, Job xxii, 29. erit in gloria. Oportet enim in primis propriam vilitatem, defectuositatem et culpam agnoscere, sicque ad Deum pro auxiliante gratia, compuncto corde confugere. Hinc secundo libro Proverbiorum suorum ait Cyrillus : Crede mihi, quia maxime se vilifacit, qui magnum se reputat : sicut qui B se judicat sapientem, fit amens. Lux quidem luce confunditur, et altitudo altitudine incurvatur. Ubi ergo profunda humilitas, ibi excelsa est dignitas; et ubi ex te ipso dejectio magna, ibi ex virtute dignificatio maxima : dumque mundanis cardinibus nos judicamus indignos, sempiternis atque cœlestibus mansionibus reddit humilitas mox nos dignos. Hinc quoque beatus ait Ambrosius : Quisquis cupit divinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Quicumque vult fratrem suum prævenire C regnando in cœlis, prius illum præveniat obsequendo in terris, sicut ait Apostolus : Honore invicem prævenientes. Vincat eum Rom. xii, 10. officiis, ut possit vincere sanctitate.

ARTICULUS XVI

EXPOSITIO CAPITULI SEXTIDECIMI : HOMINIS EST ANIMUM PRÆPARARE ; ET DOMINI, GUBERNARE LINGUAM.

1 HOMINIS *est animum præparare,* id est se ipsum ad gratiam Dei disponere, faciendo quod in se est, hoc est, quod per naturam et per dona sibi data facere potest : quod dum toto conatu peregerit, Deus certissime gratiam ei infundet. Verumtamen Deus diversimode prævenit homines, et quosdam tam pie, ut etiam dum vitiosis actibus sunt intenti, trahat eos valenter et prorsus piissime ad se, sicut et

D Paulum pergentem Damascum ad persequendum Christifideles. Act. ix, 1-22. Semper tamen in adultis requiritur consensus, et cooperatio quædam liberi arbitrii : quia, ut asserit Augustinus, qui creavit te sine te, non justificabit te sine te.

Itaque per liberum arbitrium naturalemque rationem, aptat se homo ad gratiam, recedendo a malis, bonisque actibus cohærendo, secundum naturalis rationis

Digitized by Google

omnem qui arroganter ingreditur. *Etiamsi* A
manus ad manum fuerit, non erit inno-
Prov. XI, 21. *cens.* Hoc supra scriptum est atque exposi-
tum. — *Initium viæ bonæ,* id est exordium
bonæ conversationis, est *facere justitiam,*
prout justitia est virtus communis, id est
a peccatis recedere, et eadem confiteri.
Nam, ut asserit Augustinus, Initium bono-
rum, confessio est malorum. *Accepta est*
autem apud Deum ipsa justitia *magis,*
quam immolare hostias, id est sacrificia
Ibid. XV, 8. legis, quæ (ut dictum est) non erant acce-
pta in se, sed solum ex fide, caritate et B
devotione offerentium, et in quantum Chri-
sti passionem, immolationem atque myste-
ria figurabant. Unde et ipsa exterior im-
molatio non erat in se Deo accepta, sed ex
interiore virtute. Attamen iste versus in
Hebræo non habetur.

6 *Misericordia et veritate redimitur ini-*
quitas; in timore autem Domini declinatur
a malo. Hoc est quod præcedenti fertur
Ibid. 27. capitulo, Per misericordiam et fidem pur-
gantur peccata, per timorem autem Domini
declinat omnis a malo : quod præcedenti C
7 articulo satis reor expositum. — *Quum pla-*
cuerint Domino viæ, id est interiores exte-
rioresque actus, *hominis, inimicos quoque*
ejus convertet ad pacem, id est, corda ad-
versariorum talis hominis Deus inclinabit
ad habendum pacem cum hujusmodi ho-
mine : quod frequenter sic fit, quamvis
non semper; imo multi invidi, ambitiosi,
perversi, tanto plus contra justos insa-
niunt, quanto viderint eos exsistere magis
exemplares, bonos, famosos. Tyranni quo-
que usque ad mortem persecuti sunt mar- D
tyres sanctos. Aliqui vero mali, non sunt
ita perversi, sed indolis bonæ, et cito in-
clinantur ad bonum : quemadmodum Na-
Dan. II, 46-49; III, 95-100; IV, 31, 32, 34; VI, 23-27; XIV, 40-42. buchodonosor, Darius et Cyrus, auditis seu
visis mirabilibus Dei in Daniele, magnifi-
caverunt Deum ipsius. Hinc ait Glossa :
Tanta est sanctitas divinæ Religionis, ut
eam plerumque etiam illi qui foris sunt,
venerentur, et cum his habeant pacem, quos
Deo perfecte servire considerant, quamvis
Religione discordent, ut in Daniele et pue-
ris tribus. Sæpe etiam persecutores non
solum ad pacem cum prædicatoribus, sed
et ad veritatem fidei sunt conversi.

Melius est parum cum justitia, quam 8
multi fructus cum iniquitate. Hoc patet ex
elucidatione ejus quod scriptum est præ-
cedenti capitulo, Melius est parum cum ti- Prov. XV, 16.
more Domini, quam thesauri magni, etc.
— *Cor,* id est ratio, *hominis disponet viam* 9
suam, id est, intra se deliberabit ac pro-
ponet quid agere debeat, quid vitare; *sed*
Domini est dirigere gressus ejus; id est,
ad exsequendum idonee quod ratio dispo-
suit in se, indiget homo directione et ope
gratiæ Dei. Propter quod oravit Propheta :
Gressus meos dirige secundum eloquium Ps. CXVIII, 133.
tuum. Et Jeremias ait : Scio, Domine, quia Jer. X, 23.
non est hominis via ejus; nec viri est ut
ambulet et dirigat gressus suos. Apostolus
quoque : Non volentis, inquit, neque cur- Rom. IX, 16.
rentis, sed miserentis est Dei.

Divinatio in labiis regis. Divinatio ac- 10
cipi solet in malo, pro usurpata prænun-
tiatione contingentium futurorum. Unde
dicuntur divini, quidam superstitiosi ac
magi. Hic vero in bono accipitur, pro com-
memoratione futurorum secundum Scri-
pturas, ut scilicet rex et quilibet judex pen-
set, et aliis recolat ac proponat futurum
Dei judicium, gaudia quoque justorum, et
impiorum supplicia, quatenus nec ipse au-
deat judicare injuste, et alii timeant ali-
quid contra justitiam attentare. Quemad-
modum Josaphat rex legitur suis dixisse
judicibus : Videte quid faciatis : non enim II Par. XIX, 6.
hominum exercetis judicium, sed Domini;
et quodcumque judicaveritis, in vos re-
dundabit. Hinc subditur : *In judicio non*
errabit os ejus, utpote regis sic facientis.
Quidam per divinationem intelligunt le-
ctionem divinam, quoniam jussum fuit ut
rex Israelitici populi, statim ut sedisset Deut. XVII, 18-20.
in solio regni, describeret sibi Deuterono-
mium legis in volumine, et legeret illud
omnibus diebus vitæ suæ, sicque secun-
dum legem judicando non deviaret. Glossa
per regem intelligit Christum : de quo
fertur in Psalmo, Deus, judicium tuum re- Ps. LXXI, 2.

Digitized by Google

gi da; qui solus videtur in judicio nunquam errare; in cujus ore est divinatio, quia non solum dirigit verba et facta suorum fidelium, sed et divinis gentilium interdum ostendit quid interrogantibus debeant respondere, ut primo Regum de
I Reg. vi, 3-9. divinis Philistæorum habetur, qui aptissime responderunt qualiter arca Dei esset remittenda.

11 *Pondus et statera judicia Domini sunt,* id est, Deo sunt placita pondera justa, et justæ stateræ, ac mensurationes seu ponderationes quæ fiunt cum eis. Vel, Pondus et statera judicia Dei, quoniam Deus in
Sap. xi, 21. sua sapientia ordinavit universa facere in numero, pondere et mensura. *Et opera ejus, omnes lapides sæculi,* id est omnes electi, qui tanquam lapides vivi, ponuntur nunc in ædificio militantis Ecclesiæ per fidem et caritatem, deinde in structura Ecclesiæ triumphantis per beatificam fruitionem. Isti sunt opera Dei, quia per supernaturalia dona pietatis ac gratiæ ejus, perducuntur ad ista, non viribus suis. De quibus in prima sua ait epistola gloriosis-
I Petr. ii, 5. simus apostolici agminis princeps: Et vos tanquam lapides vivi superædificamini. Verumtamen quidam ait in Hebræo haberi, Lapides sacculi, et ex scriptorum vitio propter similitudinem dictionum, pro Sacculi, positum Sæculi. Antiquitus namque ponderationes fiebant per lapides in sacculo collocatos, sicut nunc fiunt per metalla: sicque lapides tales erant opera Deo placentia, in quantum per eos fiebat justitia seu ponderatio justa.

12 *Abominabiles regi qui agunt impie.* Constat quod summo Regi (de quo ait Apo-
I Tim. i, 17. stolus, Regi autem sæculorum immortali, invisibili) abominabiles sint iniqui, ut tales; similiter unicuique regi justo, qui dignus est rex vocari: rex quippe iniquus voluntatem, non rationem, sequens, verius est tyrannus quam rex. Spiritualiter vero reges censentur, omnes qui sapientia et virtute regunt se ipsos, aut etiam sibi commissos: qui utique impios detestantur. *Quoniam justitia firmatur solium:* id

A est, thronus regis, et ejus auctoritas seu præsidentia, per justitiam roboratur, authenticatur, et perseverat in posteris. Se- Eccli. x, 17.
des enim ducum superborum destruxit Deus, ut in Ecclesiastico fertur; atque, ut asserit Augustinus, Si tollatur justitia, quid sunt regna nisi latrocinia magna?

Voluntas regum, de quibus nunc di- 13
ctum est, sunt *labia justa:* id est, qui vera et justa loquuntur, testantur et agunt, justis regibus placent. *Qui recta,* id est vera, justa, salubria, *loquitur* ex affectu, B *dirigetur* a Spiritu Sancto in viam salutis æternæ, et per verba ac opera talia ad beatitudinem recto itinere perducetur. Contra quod ait Propheta: Vir linguosus non Ps. cxxxix, 12.
dirigetur in terra. Impiorum autem persona non dirigitur ita, sed eorum iniquitas dirigi dicitur, sicut in Daniele de sceleratissimo Antiocho est prædictum: Dolus in Dan. viii, 25.
manu ejus dirigetur. — *Indignatio regis* 14
est *nuntius mortis,* id est insinuatio interfectionis mox futuræ ei, contra quem rex indignatur: quod intelligendum est de C indignatione prædominante, vel etiam justa, ex alicujus gravi excessu concepta a rege. Reges etenim taliter indignantes, proni sunt dictare sententiam mortis in eum cui indignantur. *Et vir sapiens placabit eum,* id est regem iratum, pie excusando reum pro posse, aut intercedendo pro eo.

In hilaritate vultus regis, vita: id est, 15
subditorum seu reorum conservatio in vita, speratur ex hoc quod rex hilarem vultum eis ostendit; *et clementia ejus quasi* D *imber serotinus:* id est, multum suavis et fructuosa est subditis clementia regis seu principis sui, sicut pluvia vespertina terræ nascentibus. Verum ista de Christo præsertim accipi queunt, quia in adspectu sui jucundissimi vultus, vita gloriæ æternalis consistit. Propter quod orat Psalmista: Ostende faciem tuam, et salvi eri- Ps. lxxix, 4, 8, 20.
mus. Moyses quoque: Si inveni, inquit, Exod. xxxiii, 13.
gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam. De quo princeps Apostolorum fatetur, quia in ipsum desiderant an- I Petr. i, 12.

Digitized by Google

geli prospicere. Cujus clementia est quasi A
imber serotinus. Circa quod ait Glossa :
Serotinus imber usque nunc in Judæa ma-
turis solet fructibus provenire, ubi Domi-
nus matutinam pluviam et serotinam pro-
Cf. Joel II, 23. mittit, per Prophetam dicendo : Dabo vobis
pluviam matutinam et serotinam terræ.
Spiritualiter autem, pluvia matutina est
quando prima gratiæ seu doctrinæ semina
credendi in Christum suscipimus; seroti-
na vero, quando jam maturis seu perfectis
virtutum fructibus, in horreo Dei recondi-
mur. Et bene clementia Christi regis no- B
stri, imbri serotino comparatur : quia quod
fructum vitæ bene agentes percipimus,
non facit libertas nostri arbitrii, sed irri-
gatio doni superni.
16 *Posside sapientiam, quia auro melior
est; et acquire prudentiam, quia pretio-*
Prov. III, 14; VIII, 10, 19. *sior est argento.* Istud præhabitum est, et
satis expositum. Denique sapientia per
violentiam non aufertur, antiquitate non
corrumpitur; absconsione inordinata mi-
nuitur, communicatione caritativa multi-
plicatur : sapientia nihil ardentius dili- C
gitur, nil dulcius possidetur; atque, ut
Tullius loquitur, rei publicæ commoda
multa proveniunt, si moderatrix omnium
rerum præsto sit sapientia. Hinc ad eos
qui ipsam adepti sunt, laus, honor et di-
gnitas confluunt. In sapientia excolenda,
honestas vitæ est sita; et in ejus negligen-
tia, turpitudo est maxima. Verum ad istam
sapientiam non sufficit scire divina, sed
exigitur conversatio virtuosa et impassio-
nata. Propter quod dixit apostolus Jaco-
Jacob. III, 13. bus : Quis sapiens et disciplinatus inter D
vos? Ostendat ex bona conversatione ope-
rationem suam in mansuetudine sapien-
17 tiæ. — *Semita justorum,* id est lex divina
seu observantia præceptorum in quibus
ambulant justi, *declinat mala,* id est, vitat
peccata, et supplicia eis infligenda. *Cu-
stos animæ suæ servat viam suam.*
18 *Contritionem præcedit superbia :* quia
superbiendo merentur homines destrui ac
damnari; *et ante ruinam exaltatur spiri-
tus,* id est, se ipsum extollit, seque extol-
lendo dejici promeretur, quemadmodum
in Isaia habetur : Dies Domini super om- Is. II, 12.
nem superbum et excelsum, et super om-
nem arrogantem; et humiliabitur. Ideo per
Abdiam loquitur Dominus : Si exaltatus Abdiæ 4.
fueris ut aquila, et si inter sidera posueris
nidum tuum, inde detraham te. Unde de
Nabuchodonosor potentissimo rege scri-
ptum est : Quando elevatum est cor ejus, Dan. V, 20, 21.
et spiritus illius obfirmatus est ad super-
biam, depositus est de solio regni sui, et a
filiis hominum ejectus est. — *Melius est* 19
*humiliari cum mitibus, quam dividere
spolia cum superbis.* Nam primum horum
est virtuosum, secundum damnabile. Hinc
ait Apostolus : Fide Moyses grandis effe- Hebr. XI, 24-26.
ctus, negavit se filium filiæ Pharaonis,
magis eligens affligi cum populo Dei,
quam temporalis peccati habere jucundi-
tatem, majores divitias æstimans thesauro
Ægyptiorum, improperium Christi. Et Psal-
mista : Elegi, inquit, abjectus esse in do- Ps. LXXXIII, 11.
mo Dei mei, magis quam habitare in ta-
bernaculis peccatorum. — *Eruditus in* 20
verbo, id est, qui alios instruit sapienter,
eruditeque loquitur, *reperiet bona* gloriæ
pro mercede, et profectum gratiæ in hac
vita; *et qui sperat in Domino* spe for-
mata, quæ ex gratia meritisque procedit,
beatus est jam per inchoationem ac me-
ritum. Ideo loquitur Isaias : Deus judi- Is. XXX, 18.
cii Dominus; beati omnes qui exspectant
eum.
Qui sapiens corde est, appellabitur pru- 21
dens, quamvis in solitudine degens, nulli-
que præsidens, non instruat alios. Sapien-
tia autem et prudentia sunt connexæ, et
frequenter unum pro alio sumitur. *Et qui
dulcis eloquio, majora reperiet :* id est,
qui non solum sapiens in corde est, sed
alios quoque facunde et efficaciter docet,
fidem contra perfidos protegit, et viam
justitiæ toto defendit conatu, majora re-
periet, id est præmia ampliora, ceteris pa-
ribus, quam is qui sapiens mente est, nec
aliis prædicat : nam doctoribus et prædi-
catoribus datur aureola. Verumtamen ma-
gnitudo præmii essentialis correspondet

Digitized by Google

perfectioni caritatis, in qua qui perfectior A
est in via, major et gloriosior erit in pa-
tria. Denique, Qui dulcis est eloquio, ma-
jora reperiet : quia facundi in verbis et
sententiosi, sunt communiter valde acce-
pti hominibus, et reputantur, magnaque
commoda consequuntur. Dulcis autem elo-
quio nuncupatur, qui habet non solum
bonam expressivam, sed bonam etiam im-
pressivam; nec solum promptus est ad
verborum prolationem rhetoricam, sed et
verba sapientialia profert. Sapientes et-
enim auditores majorem sentiunt delecta- B
tionem in sensu, quam in sono sermonis.
22 *Fons vitæ, eruditio possidentis :* id est,
doctrina et informatio ejus qui sapientiam
possidet, disponit audientium corda ad vi-
tam gratiæ, adeptionemque gloriæ, revo-
cando eos a vitiis, et ad pœnitentiam seu
profectum virtutum alliciendo. *Doctrina*
Prov. I, 7. *stultorum, fatuitas.* Hoc præhabitum est.
23 — *Cor sapientis erudiet os ejus :* id est,
sapiens per sapientiam sui intellectus, di-
riget os suum ad loquendum salubria, loco
et tempore opportuno, recta intentione, et C
cum discretionis moderatione ; *et labiis*
illius addet gratiam, id est acceptabilita-
tem in loquendo, seu fructum locutionis,
ita quod verba ejus audientur libenter, et
Ps. XXXVIII, 2. fructificabunt. Hinc dixit Propheta : Dixi :
Custodiam vias meas, id est cogitationes
et affectiones, ut non delinquam in lin-
gua mea, id est, ne ex irrefrenata cogita-
tione aut inordinata affectione ad loquen-
dum prorumpam.
24 *Favus mellis* sunt *verba composita,* id
est ordinate, facunde, sapienter prolata : D
quoniam audientium aures ac mentes de-
lectant, quemadmodum favus mellis gu-
stum. Ideo Seneca testatur : Comes facun-
dus in via pro vehiculo est. Spiritualiter
autem, verba Scripturæ dulcissima sunt,
Ps. CXVIII, 103. prout canit Psalmographus : Quam dulcia
faucibus meis eloquia tua ! super mel ori
meo. Verumtamen, quamvis eloquentia sit
donum naturæ non parvum, non tamen
est importune optandum aut nimis appre-
tiandum, nec contristari quis debet quo-

niam caret illa, quum sit multis occasio
multiplicis culpæ et perditionis æternæ.
Ipse quoque defectus loquelæ, est multis
occasio vitandi diversa vitiorum pericula,
et humiliandi se ipsos. Idcirco in libro de
Civitate Dei asserit Augustinus, quod pul-
chritudo et eloquentia magis frequenter
dantur reprobis, quam electis, ne electi
ea nimis appretientur. *Dulcedo animæ* est
sanitas ossium : id est, bona et jucunda
dispositio cordis redundat in corpus, et
sanitatem ejus conservat vel auget ; simi-
liter sanitas ossium, id est bona corporis
habitudo, redundat in animam, et eam ob-
lectat. Possunt quoque per ossa virtutes
intelligi : quarum sanitas, id est immuni-
tas a læsione peccati, sinceritas seu perfe-
ctio, jucunda est animæ, quoniam virtus
ex sua natura delectabilis est.
Est via quæ videtur homini recta, et 25
novissima ejus deducunt ad mortem. Hoc
quartodecimo capitulo expositum est. — Prov. XIV, 12.
Anima laborantis laborat sibi, id est, ani- 26
ma exercentis opera corporalia aut spiri-
tualia bona, facit ea ad suum profectum
aut commodum, et pro necessariis corpori
aut animæ. Ideo monet Apostolus : Labora II Tim. II, 3.
sicut bonus miles Christi; et rursus, Labor I Cor. XV, 58.
vester non erit inanis in Domino; itemque,
Unusquisque accipiet secundum suum la- Ibid. III, 8.
borem. *Quia compulit eum* ad laborandum,
os suum, id est sermo quo se adstrinxit ad
bene agendum in fonte Baptismi, in sus-
ceptione ordinis sacri, aut in professione
monastica, vel in foro confessionis, sive in
actu prædicationis : quia quod alios docet,
facere obligatur. Os quoque corporale quo
comedit homo, compellit eum ad laboran-
dum pro sustentaculo vitæ. Similiter pri-
mus homo de paradiso expulsus, laboravit
sibi pro necessariis vitæ (sicut dictum est
ei, In sudore vultus tui vesceris pane tuo) : Gen. III, 19.
quia compulit eum os suum, id est pec-
catum quod commisit ore proprio, mandu-
cando de pomo prohibito : propter quod
fuit expulsus, laboribusque addictus.
Vir impius fodit malum, id est, exquirit 27
ac excogitat qualiter prava sua desideria

Digitized by Google

ad effectum perducat, sicut ait Jeremias
Jer. IX, 5. propheta : Ut inique agerent, laborave-
Ps. XXXV, 2. runt; et Psalmista, Dixit injustus ut delin-
quat in semetipso. De talibus ait Scriptu-
Job XXXIV, 27. ra : Quasi de industria recesserunt a Deo; et
Jer. IV, 22. alibi, Sapientes sunt ut faciant malum.
Vel, Impius fodit malum, id est, dolose
præparat proximo suo damnum, laqueum
sive periculum, sicut ait Salvator per Pro-
Ibid. XVIII, 20. phetam : Foderunt foveam animæ meæ.
Hoc modo hæretici ac alii deceptores fo-
diunt malum, dum ex Scripturis quasdam
extrahunt auctoritates, ad comprobandum
suos errores, quibus alios student illaque-
are. *Et in labiis ejus ignis ardescit,* id est
locutio male fervens, flamma iræ, impa-
tientiæ, falsique dogmatis, spirituales di-
vitias consumentis.
28 *Homo perversus suscitat lites,* id est per
verba injuriosa, aut opera violenta, per
quæ inter se et alium, vel inter alios con-
tentiones et bella procurat; *et verbosus
separat principes,* seminando inter eos
discordias, seu unum contra alium insti-
29 gando. — *Vir iniquus lactat,* id est, blan-
diendo fallit, *amicum suum,* id est proxi-
mum a quo amatur, vel quem ipse simulat
se amare; *et ducit eum per viam non bo-
nam,* id est, ad vitia et incommoda trahit
Ps. XXVII, 3. eum : juxta illud Psalmi, Loquuntur pacem
cum proximo suo, mala autem in cordibus
30 eorum. — *Qui attonitis oculis,* id est ocu-
lis corporalibus cum signo superbiæ ele-
vatis, aut quasi quodam pavore concussis,
cogitat prava, quæ alteri cupit inferre aut
Job XV, 12. facere. Unde dicitur ad Job : Quid te ele-
vat cor tuum, et quasi magna cogitans, at-
tonitos habes oculos? *Mordens labia sua,*
ex phantasia proterva, atque imaginatione
intensa, qua cupit implere quod cogitat :
Ps. CXI, 10. juxta illud, Dentibus suis fremet, et tabe-
scet; *perficit malum,* id est, ad effectum
citius quo potest, suum vitiosum affectum
31 perducit. — *Corona dignitatis* est *sene-
ctus, quæ in viis justitiæ reperietur :* id
est, senium sanctum in virtutibus exerci-
tatum, seu cordis maturitas, est dignitas
valde præclara coronationeque digna. Un-

A de scriptum est : Coram cano capite con- *Lev.* XIX, 32.
surge, et honora personam senis.
Melior est patiens viro forti, corporali 32
robore, non virtutum vigore. Patientia
enim est præclara et utilissima virtus, et
necessaria valde : quæ passionem tristitiæ
moderatur ac frenat, et naturalibus ac cor-
poralibus donis longe præstantior est. De
qua asserit Dominus : In patientia vestra *Luc.* XXI, 19.
possidebitis animas vestras. *Et qui domi-
natur animo suo,* id est animositati pro-
priæ ac ceteris motibus passionum, per
B virtutes morales, melior et fortior est *ex-
pugnatore urbium.* Incomparabiliter enim
virtuosius est, per gratiam et virtutes su-
perare se ipsum, et vitia exstirpare, pas-
sionesque reformare, quam armis et viri-
bus corporalibus destruere urbes. — *Sortes* 33
mittuntur in sinum, id est, in abscondito
reconduntur; *sed a Domino temperantur :*
id est, divina providentia eas disponit, at-
que ex justi ac sapientissimi Dei voluntate
ordinationeque provenit quis quid accipi-
at, quæ sors illi aut illi proveniat, et quod
C talis aut talis sors cadat super illum aut
illum. Universa namque et singula, sub
divinæ providentiæ ordinatione compre-
henduntur, quemadmodum asserit Chri-
stus : Nonne quinque passeres veneunt *Ibid.* XII, 6, 7.
dipondio, et unus ex illis non est in obli-
vione coram Deo? Sed et capilli capitis
vestri omnes numerati sunt. Quod Mat-
thæus sic expressit : Nonne duo passeres *Matth.* X, 29.
asse veneunt, et unus ex illis non cadet
super terram sine Patre vestro? Possent
autem hic multa introduci de sortibus, ut-
D pote quid sit sors, et de speciebus ipsius,
qualiter etiam liceat sortibus uti, et qua-
liter non. De quibus hoc loco pertrans-
eo, quoniam alibi inde scripsi, præsertim
super Jonam. Et Thomas in secunda se- *Jonæ* I, 7.
cundæ de his tractat diffuse : cujus deter-
minationem hic sequitur Lyra.
Postremo, quod dictum est, Melior est
patiens viro forti, et qui dominatur animo
suo, expugnatore urbium : cordibus nostris
indelebiliter inscribamus, et patientiam
tanquam sponsam carissimam jugiter am-

Digitized by Google

plectamur, vincamus nos ipsos, et omnem animositatem, impetuositatem, impatientiam detestemur ac fugiamus, quum ad Hebræos dicat Apostolus : Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem ; et alibi, Cum patientia supportate invicem in caritate. Nempe, ut ait Gregorius, In hoc mens justi ab injusta discernitur, quod mens justi laudem Omnipotentis inter adversa confitetur, quod rebus adversis non frangitur, quod casu gloriæ exterioris non labitur.

Hebr. x, 36. — *Ephes.* iv, 2.

A Qui iterum ait : Non est perfecte bonus, nisi qui et inter malos est bonus ; nec bonus dici meretur, qui malos tolerare detestatur. Hinc et Seneca in suis ait Proverbiis : Feras quod lædit, ut prosit tibi quod fers; fer difficilia, ut prospera et facilia bene feras. Velox doloris remedium est patientia. Quid autem sit patientia, Tullius docet : Patientia (inquiens) est, honestatis aut utilitatis causa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.

ARTICULUS XVII

DECLARATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : MELIOR EST BUCCELLA SICCA CUM GAUDIO.

1 MELIOR *est buccella sicca cum gaudio* spirituali, quod habet vir sobrius in refectione frugali, moderata et abstinentiali, *quam domus plena victimis,* id est delicatissimis epulis, quæ ex oblationibus cesserunt in usum et esum offerentium : meliora namque in lege jubebantur offerri; *cum jurgio.* Modicum enim temporale cum adjuncto bono virtutis, incomparabiliter melius est quacumque re temporali magna et pretiosa. Atque, ut ait Chrysostomus, simplicior victus et mensa mediocris, plurimum jucunditatis habet et sinceritatis, ac sobrii hominis mensam ornant panis et aqua; econtrario divitum mensæ exsecrabiles sunt et horridæ, et contaminationis corporum animarumque plenæ. Ex his insinuatur quam enorme peccatum sit jurgium, et quam abominabiles exsistant epulationes in quibus lis et jurgium admiscentur.

Lev. iii, 3, 4, 9, 10, 14-17.

2 *Servus sapiens dominabitur filiis stultis.* Nam, ut primo Politicorum ait Philosophus, Hi qui ratione intellectuque vigent, naturaliter sunt domini et rectores aliorum. Sæpe quoque parentes committunt suis ministris prudentibus dirigere sobolem suam adhuc

B imprudentem. Sapientes etiam servi, per suam sapientiam frequenter prosperantur et sublimantur; filii autem stulti econtrario per regimen malum depauperantur ac deprimuntur. *Et inter fratres hereditatem dividet,* quum fuerit dominans eis : quia tunc fratribus seu filiis stultis discordantibus de modo dividendi bona paterna, eligunt eum in judicem hujus rei, vel ipse concordat ac dirigit eos. Vel sensus est, quod filiis stultis patrimonia sua vendentibus, ipse partem illorum acquirit et emit,
C sicque dividit inter eos, id est, partem hereditatis ipsorum sortitur.

Sicut igne probatur argentum, et aurum 3
camino, ita corda probat Dominus : id est, *Ps.* vii, 10.
sicut per ignem examinatur ac depuratur argentum et aurum, sic Dominus judex universorum, per adversa justos suos probat, tentat, examinatque electos et justos, an vere sint justi, non ut sibi hoc innotescat, sed pro majori eorum mercede et saluberrima exercitatione, atque ut virtutes eorum aliis in exemplum ponantur.
D Non enim coronatur, nisi qui legitime certaverit. Hinc scriptum est : Tanquam aurum in fornace probavit illos. Patientia

II *Tim.* ii, 5. — *Sap.* iii,

Digitized by Google

igitur in adversis, signum est veræ virtuositatis : quia dum homo ficte bonus, in camino adversitatis statuitur, mox instar malæ ollæ per impatientiam crepat, et per verba ac signa impatientiæ exsilit. Unde scriptum est : Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis. (Eccli. xxvii, 6.) Hinc loquitur Augustinus : Perfacile est vestem contemptam portare, capite inclinato incedere, velum super oculos demittere; sed vere virtuosum ac humilem patientia monstrat. Concordatque cum his, quod Seneca in suis dicit Proverbiis : Ignis aurum probat, miseria (id est adversitas) magna fortes viros.

4 *Malus obedit linguæ iniquæ,* id est ei qui jubet illicita et iniqua, et quæ scit talia esse : quod malum est. In licitis etenim et honestis tantum est obediendum. Sed impii servi ac subditi citius obtemperant superiori suo in vitiis, quam in actibus virtuosis. *Et fallax obtemperat labiis mendacibus.* Sic judex iniquus audientiam præbet testibus falsis ac fraudulentis, [et] ut suam excuset et coloret nequitiam, fingit se propter aliorum dicta sic agere, quum tamen sciat eos false locutos.

5 *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus.* (Prov. xiv, 31.) Hoc supra expositum est. *Et qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.* Nunquam licet gloriari de proximorum ruina in culpam, hoc est de transgressione eorum, quia hoc contrariaretur caritati Dei, qui peccato inhonoratur, caritatique proximi, qui peccando spiritualiter moritur. Sed de ruina pœnæ, id est justa punitione alterius, lætari ex zelo justitiæ, et in quantum expediens est saluti, non est illicitum; gaudere vero de adversitate et pœna proximi, in quantum est adversitas quædam et pœna, non in quantum est medicina, et utile quid pro pace communi et conservatione justitiæ, manifeste illicitum est. Similiter lætari de quacumque ruina alterius ex ira seu odio, similive radice perversa, certum est esse iniquum. Talis ergo non erit impunitus, quia aut punietur a judice Deo, aut per contritionem et pœnitentialem satisfactionem puniet semetipsum, aut alio modo debitam feret pœnam. Hinc sanctus Job ait : Si gavisus sum ad ruinam ejus qui oderat me, et exsultavi quod invenisset eum malum. (Job xxx 29.) Et Michæas propheta ait : Ne læteris, inimica mea, super me, quia cecidi. (Mich. vi 8.) Itaque labentibus et peccantibus condoleamus ex corde, et oremus pro eis, dicentes : Ille hodie, et ego cras.

6 *Corona senum, filii filiorum :* id est, bona posteritas est dignitas et exsultatio progenitorum suorum, præsertim justorum. Sic Apostoli facti sunt corona Patriarcharum ac Prophetarum, ex quibus duxerunt originem. Similiter spirituales filii, utputa imitatores fideles prælatorum et institutorum suorum religiosorum ac devotorum, sunt corona ipsorum, quoniam patres tales sunt principes[*] (*alias participes) meritorum ac præmiorum suorum sequacium. Propter quod in prima ad Thessalonicenses epistola scribit Apostolus : Quæ est enim spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ? (I Thess. ii 19.) Nonne vos? *Et gloria filiorum, patres eorum :* quia hoc gloriosum et jucundum est filiis, quod de virtuosis et prudentibus parentibus nati sunt. Similiter fidelibus gloriosum est, quod spirituales patres eorum sancti Apostoli, ceterique apostolici viri et prælati, tales ac tanti fuerunt. Unde Corinthiis scribit Apostolus : Vos estis gloria nostra, sicut et nos vestra. (II Cor. i 14.) Verumtamen in hac re frequenter error contingit, quoniam multi superbi et vani magis gloriantur de suorum parentum nobilitate carnali, quam spirituali. Rursus, quidam de patrum suorum sanctitate et sagacitate se jactant, quum tamen eorum virtutes imitari non studeant. Talibus enim ait sacratissimus Joannes Baptista : Ne cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham; (Luc. iii, 8.) Christus quoque : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. (Joann. viii, 39.)

7 *Non decent stultum verba composita :* quia non vivit secundum Scripturam, nec dignus est alios edocere, nec aptus ut ei committatur negotium arduum, ad cujus

Digitized by Google

expeditionem exiguntur aut conferunt ver- A
ba sapientia ordinate prolata. *Nec princi-*
pem, labium mentiens. Princeps namque
et judex et omnis qui præest, debet esse
quasi viva lex et animata justitia, dire-
ctor et regula quædam subditorum suo-
rum, ut eos ab erroribus et vitiis revocet,
et ad vera justaque dirigat. Ideo maxime
indecens est eum esse mendosum sive in-
8 justum. — *Gemma gratissima, exspecta-*
tio præstolantis : id est, ipsa spes copiosæ
mercedis ac futuræ consolationis, exhila-
rat exspectantem ac laborantem, tanquam B
pretiosissimus lapis. Unde ait Apostolus :
Rom. xii, 12. Spe gaudentes ; et Salvator : Gaudete in
Matth. v, 12. illa hora et exsultate, quoniam merces
vestra copiosa est in cœlis. Propterea ait
Hieronymus : Spes præmii minuit vim fla-
gelli. Iterum, Exspectatio præstolantis, id
est bonum a præstolante exspectatum, tan-
quam gratissima gemma ipsum lætificat; et
maxime beatitudo cœlestis et ejus exspe-
ctatio consolantur viatores hujus exsilii :
Ibid. xiii, 46. quæ beatitudo per pretiosam margaritam
designatur. Hinc et Apostolus ait : Gloria- C
Rom. v, 2. mur in spe gloriæ filiorum Dei. *Quocum-*
que se vertit, id est, quidquid talis præ-
stolans egerit, *prudenter intelligit,* id est,
vigilanter considerat bonum illud quod
finaliter præstolatur, et taliter operatur
sicut necessarium est ad obtinendum hoc
bonum speratum.

9 *Qui celat delictum,* id est, qui culpam
proximi sui non manifestat aliis inordi-
nate, nec eum diffamat neque irridet, sed
Matth. xviii, 15. potius, sicut docet Salvator, corripit illum
caritative inter se et illum solum ; *quærit* D
amicitias, id est, per hoc procurat sibi
amicitiam illius, et est amator caritatis ac
pacis. Verumtamen, si crimen alterius ver-
geret in dispendium boni communis, vel
de illius emendatione spes nulla aut pau-
ca haberetur, aliter esset agendum. Provi-
dendum est autem famæ proximi, quantum
salvis justitia et ordine caritatis, conveni-
enter fieri potest. *Qui altero sermone re-*
petit, id est, ea quæ audivit, aliter quam
audivit, resumit, verba mutando aut ali-
qua adjiciendo, seu quæ bona intentione
prolata sunt, interpretando perverse ; *se-*
parat fœderatos, id est, discordiam semi-
nat inter amicos fœdere pacis conjunctos,
qui credunt tali repetitioni : sicque unus
eorum credit alium de se male locutum,
propterea concitatur adversus illum. Is-
tud frequenter contingit a dolosis pravis-
simisque hominibus, qui sunt cooperato-
res, satellites et instrumenta diaboli ad
faciendum turbationem, discordiam, litem,
inimicitiam inter fideles. Summe ergo vi-
tandum est vitium istud, atque opposito
modo agendum est, ut scilicet male prola-
ta et discordiæ provocativa taceantur, et
bene prolata resumantur : nisi forsan ad
advisandum proximum de imminenti pe-
riculo, oporteret aliquid tangi de male pro-
latis : quod tamen tunc cum magna cau-
tela fieri debet. Quidam legunt : Qui alto
sermone repetit, id est, clamorose culpam
alterius sine rationabili causa pandit ; se-
parat fœderatos, id est, fœdus pacis inter
se et alium violat, quia illum per hoc of-
fendit.

Plus proficit correctio, id est verbalis 10
et caritativa correptio seu disciplinæ in-
flictio, *apud prudentem,* id est in eo qui
correptionem sumit gratanter, exhibendo
se docilem, dirigibilem, gratum, quod per-
tinet ad prudentem ; *quam centum plagæ*
apud stultum, id est durum, indirigibi-
lem, impatientem, superbum, qui ex me-
dicinali castigatione fit pejor. De tali pru-
dente ait Hieronymus : Quid necesse est
bis pungere non recalcitrantem, et per se
satis erubescentem confundere amplius ?
cui sua ratio est magistra ; cui propria
conscientia, virga ; cui ingenita verecun-
dia, lex disciplinæ.

Semper jurgia quærit malus, id est 11
homo inquietus, passionatus, præsertim
qui in irascibili abundat. Cholerici autem
et melancholici, nisi virtute et gratia re-
primantur, ad jurgia proni sunt. *Angelus*
autem crudelis mittetur contra eum. Per
angelum crudelem, quidam intelligunt ju-
dicis servum, qui mittitur ad talem capi-

Digitized by Google

endum et puniendum. Sed quum pœnæ vitæ præsentis sint medicinales, et pia intentione infligendæ, non videtur quod nuntius judicis sæcularis vocetur crudelis. Idcirco per angelum crudelem aptius designatur spiritus malignus, qui tempore mortis mittitur ad trahendum talem ad Dei judicium et ad pœnas, vel etiam permittitur talem iniquum ad majora quotidie crimina in præsenti vita inducere, aut quibusdam tormentis afficere, quemadmodum de Ægyptiis fertur in Psalmo : Misit in eos iram indignationis suæ, immissiones per angelos malos. Sicque in regula sua allegat hæc verba S. Basilius, qui et verba statim præhabita, scilicet, Jurgia quærit malus, juxta antiquam translationem allegat sic : Contradictionem suscitat omnis malus : quod de inobedientibus exponit.

Ps. LXXVII, 49.

12 *Expedit magis,* id est, minus periculosum est, *ursæ occurrere raptis fetibus,* id est, quæ perdidit catulos suos : propter quod valde sævit, et primum sibi occurrentem solet invadere, suspicans catulos suos per illum sibi subtractos; *quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua,* id est superbo præsumptuosoque homini in sua perversitate speranti, qui non solum corpus, sed et animam quærit occidere. Nam, ut in Politicis ait Philosophus, Homo vitiosus, lege atque justitia destitutus, est pessimum animal, et millies pejor brutis. Spiritualiter autem, per ursam designatur gentilitas : cui occurrere levius fuit catholicis viris, qui catulos gentilitatis rapuerunt, convertendo eos ad Christum, quam stulto confidenti in sua stultitia, id est hæreticis in suis argumentis vanis ac frivolis stulte præsumentibus.

13 *Qui reddit mala pro bonis :* sicut populus Judæorum Christo, qui per Prophetam effatur : Numquid redditur malum pro bono? *Non recedet malum de domo ejus,* id est de corde ipsius, vel de sobole atque familia sua, ipsum in malis sequente. Istud namque, ingratitudo est maxima, ad quam sequuntur et alia crimina multa.

Jer. XVIII, 20.

A Sicque talis ingratus impletur malis culpæ ac pœnæ. Verum, ut Seneca in libro de Beneficiis tangit, Primus gradus ingratitudinis est, beneficium non recognoscere, neque recolere, sed potius oblivisci aut dissimulare; secundus gradus est, bona pro bonis non exhibere; tertius, mala pro bonis rependere. Ingratitudo itaque est enorme peccatum, quo meretur homo amittere quod accepit.

Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Hoc quidam exponunt sic : Qui omit- 14
B tit bibere aquam, et potat vina, origo est contentionum et litium, quæ ex vini potatione sæpe sequuntur. Videtur autem sic potius exponendum : Qui aquam facit ex fluvio deservienti communitati aut personæ alicui, decurrere, causa est jurgiorum, quæ ex tali damno communitati vel personæ illato sequuntur. Circa hoc dicit Lyra, in Hebræo haberi : Qui aperit aquam, principium est jurgiorum, id est, qui aperturam facit in alveo fluminis, per quam exeat et decurrat, principium est jurgio-
C rum : quoniam sicut apertura illa primo est parva, et paulatim augetur; sic jurgium in principio modicum, paulatim fit grande. Sed juxta expositionem magis jam approbatam, Dimittere, sumitur hic satis apte pro Aperire : ex quo etiam constat, quod prima quorumdam expositio, primo inducta, non consonat Hebraicæ veritati. Porro Glossa per aquam intelligit fluxam et irrefrenatam locutionem, ex qua lites nascuntur : sicque, aquam dimittere, est linguam in fluxum verborum reprehensi-
D bilium relaxare. Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum : quia qui linguam non frenat, concordiam dissipat proximorum. Contra quod scriptum est : Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Econverso lingua in bonam accipitur partem, quum dicitur : Aqua profunda, verba ex ore viri. *Et antequam patiatur contumeliam* a proximo talis contentiosus, *judicium deserit :* id est, rectum rationis judicium atque discretionem relinquit primo, irrationabiliter aliis injuriando : de quo

Prov. XXVI, 10.

Ibid. XVIII, 4.

Digitized by Google

Job xxxiv, 17. judicio scriptum est, Numquid qui non A amat judicium, sanari potest? Deserit quoque judicium disceptationis, quia in foro contentioso coram judice refugit apparere ac respondere, conscius sibi de suo excessu in proximum : per quod ostenditur reus. Ideo Seneca in suis scribit Proverbiis : Fatetur facinus is qui judicium fugit; et rursus, Legem nocens veretur, fortunam innocens.

15 *Et qui justificat impium,* id est, eum quem probabiliter scit esse reum, asserit esse justum ; *et qui condemnat justum,* B *abominabilis est uterque apud Deum.* Tales Matth. xxvii, 21, 23. fuerunt Judæi petentes sibi Barabbam, tanquam Christo innocentiorem, dimitti, et Christum occidi. De talibus loquitur Deus Ezech. xiii, 19. in Ezechiele : Interfecerunt animas quæ non moriuntur, et vivificabant animas quæ non vivunt, mentientes propter pugillum hordei et fragmen panis. Tales sunt injusti prælati, in quibus regnat personarum acceptio, et prædicatores blandi, qui propter commoda sua veritatem relinquunt. Circa hæc posset grandis inquisitio fieri : quid C agendum sit judici in foro judicii, dum innocens coram eo convincitur testibus et reus probatur, quem judex scit justum et Exod. xxiii, 7. innocentem. De qua quæstione super Exodum plenius scripsi, idcirco jam transeo.

16 *Quid prodest habere divitias stulto, quum sapientiam emere non possit?* quasi dicat : Homini vitioso magis obest quam prosit opulentia terrenorum, quum ea non utatur ad spiritualia charismata obtinenda : qua si bene uteretur, posset per opera misericordiæ, dona gratiæ sapientiamque ac- D quirere. Nec istud ideo dictum est, quasi liceat spiritualia bona per temporalia comparare; sed metaphorice loquitur, sicut in Matth. xxv, 27. Luc xix, 23. Evangelio Dominus : Quare, inquiens, non dedisti pecuniam meam nummulariis, et ego veniens accepissem utique quod meum est, cum usura? Itaque exteriores divitiæ sine interiori opulentia obsunt, et ingratum multisque peccatis obnoxium efficiunt hominem. Conformiter nihil prodest Judæis, et hæreticis, ac impiis Christianis, habere divitias Scripturarum, ingenium, sapientiam acquisitam copiamque verborum, quum Christum, qui est virtus et sapientia I Cor. i, 24. Dei Patris, non habeant. Hinc Cyrillus in suis testatur Proverbiis : Avaritia habet oculum, sed non visum : nam bonum diligit, et summum bonum (propter quod cetera suo modo appetibilia sunt) non agnoscit. Si igitur finem amabilium, verum et summum bonum, quæris, fuge aurum, sperne divitias, flammam exstingue cupiditatis. Non enim ditant, sed depauperant, dum animum vitiositate captivant. Quære virtutem, et summum bonum quod quæris, intus habes : thesaurus etenim summæ bonitatis, non nisi in amatoribus suis consistit.

Qui altam facit domum suam, id est, se ipsum aut suam cognationem superbe extollit, *quærit ruinam,* id est sui ipsius dejectionem : quia qui se exaltat, humiliabitur; Luc. xiv, 11; xviii, 14. *et qui evitat discere* ea quæ necessaria sunt ad salutem, vel ad victum habendum, *incidit in mala,* id est diversa et magna peccata atque pericula : quia, ut ait Apostolus, qui ignorat, ignorabitur. I Cor. xiv, 38. Imo, secundum Ambrosium, ignorantia talium est peccatum gravissimum, id est maxime periculosum. Qui enim ignorat quid vitare, quid facere teneatur, in omne malum præcipitatur. Attamen versus iste in Hebræo non continetur.

17 *Omni tempore diligit* Deum et proximum, *qui amicus est,* id est verus amator Dei et proximorum : non quod omni tempore actualiter diligat, sed omni tempore opportuno. Nec sic intelligendum est, quod habens caritatem, non possit eam amittere, aut amissam recuperare, recuperatamque denuo perdere, ut quidam finxerunt hæretici, allegantes illud Apostoli, Caritas Ibid. xiii, 8. nunquam excidit; sed ideo dicitur verus amator semper amare, quia ad veram et spiritualem spectat dilectionem, ut quantum in ea est, nusquam deficiat, quamvis ex libertate, mutabilitate et infirmitate sui subjecti, possit deficere et amitti. Juxta quem modum apud juristas, justitia defi-

Digitized by Google

nitur esse constans atque perpetua voluntas exhibendi unicuique quod ei debetur. Vel dicitur amicus omni diligere tempore, quia non solum tempore prosperitatis, sed et tempore amat adversitatis, in quo maxime innotescit an sit verus amator. Propter quod subditur : *et frater in angustiis comprobatur,* id est, in adversitatibus et indigentiis patet an quis fraternaliter diligat proximum suum : quia si tunc deserat eum, non est sincerus ejus amator.
Eccli. vi, 7, 8. Ideo in Ecclesiastico scriptum est : Si possides amicum, in tentatione posside eum, et ne facile credas ei te ipsum ; est enim amicus secundum tempus suum, et non permanebit in die tribulationis. Sic quoque tempore persecutionis et adversitatis ostenditur, quis vere ac stabiliter diligat Deum. Unde de quibusdam ait Salvator,
Luc. viii, 13; *Matth.* xiii, 21. quod radices non habent, quia ad tempus credunt, et tempore tentationis, facta scilicet persecutione propter verbum Dei, recedunt. Præinductis autem de caritatis inviolatione, concordat quod Cassiodorus ait : Qui vere amicus est, omni tempore diligit : tormentum non separat, labor non lassat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. Hinc ait et Seneca : Amicos secundæ (id est prosperæ) res optime parant, adversæ certissime probant.

18 *Homo stultus plaudet manibus,* id est, mente gaudet, et signa lætitiæ foris ostendit, *quum spoponderit pro amico,* id est proximo *suo,* quasi exsultans se tantæ esse reputationis, quod creditur ei pro alio, et æstimans se magnum quid perpetrasse, non advertens quanto periculo se ipsum subjecit spondendo pro alio, nec sollicitus de satisfactione, prout dictum est super
Prov. vi, 1. illud, Fili mi, si spoponderis pro amico tuo. Spiritualius autem loquendo, multi jam sunt prorsus stultissimi, qui quum curam acceperint animarum, plaudunt ma-
Hebr. xiii, 17. nibus, non pensantes quod adstrinxerint se ad reddendum rationem Judici summo pro animabus eorum, quorum sibi curam assumpserunt; nec pro illorum salute agentes quidquid tenentur, sed sola tem-
A poralia commoda, propriumque honorem adspicientes ac intendentes.

Qui meditatur discordias, id est, in- 19
tra se excogitat qualiter inter alios possit discordias seminare, *diligit rixas :* quæ ex discordiis oriuntur. Ideo, sicut pacifici *Matth.* v, 9. sunt beati, et filii Dei vocantur; sic talis turbator est miser, filiusque diaboli merito nuncupatur. *Et qui exaltat os suum,* animose seu jactanter loquendo, vel se ipsum laudando, aut verba injuriosa contra alios proferendo; *quærit ruinam,* id
B est propriam improbitatem, perversitatem, et mala pœnalia ad suam iniquitatem sequentia : quæ dicitur quærere, quoniam quærit ea quibus illa annexa sunt, sicut qui furatur, quærit suspendi : et talia, secundum Philosophum, quæruntur præter intentionem et indirecte.

Qui perversi cordis est, utpote a Deo 20
aversus, et in malitia habituatus, *non invenit bonum,* id est pacem, gratiam, aut salutem. Imo in se ipso divisus est, et ratio sensualitati suæ subjicitur : contra
C quod synderesis murmurat, et conscientia habet remorsum. Idcirco, teste Philosopho, homo vitiosus, nec ad se ipsum neque ad alterum amicitiam habet veram. *Et qui vertit linguam,* loquendo secundum favorem et affectionem, non secundum rationem et veritatem : sicut qui blanditur in facie, et retro pungit; *incidit in malum* peccati atque supplicii, et frequenter incurrit diffamiam, dum linguæ
suæ duplicitas innotescit. — *Natus est* 21
stultus in ignominia sua : id est, ad suam
D nativitatem consequitur despectio sua, quia ob suam iniquitatem et fatuitatem juste contemnitur, in quantum talis, non in quantum homo. *Sed nec pater in fatuo lætabitur :* quia de insipientia et perversitate iniqui aut stolidi filii contristatur, si bonus sit pater. Similiter pater spiritualis de inobediente subdito mœret.

Animus gaudens ætatem floridam fa- 22
cit : quia interior lætitia redundat in corpus, facitque hominem cum jucunditate tempus suum expendere, atque ad flori-

Digitized by Google

dam pertingere senectutem, nisi aliunde A
occurrat abbreviatio vitæ. Hinc in Eccle-
Eccli. xxx, 23. siastico legitur : Jucunditas cordis, hæc
est vita hominis. Similiter qui gloriatur
in Domino, Sanctique Spiritus consolatione assidue recreatur, vitam suam cum floribus actuum virtuosorum deducit, interiorque refloritio mentis in Deo relucet
in corpore suo et apparatu externo. Unde
Judith xvi, 24. in libro Judith dicitur : Erat populus jucundus secundum faciem sanctorum. Et
Act. ix, 31. Lucas ait, quod Ecclesia per totam Judæam et Galilæam et Samariam habebat B
pacem, et ædificabatur ambulans in timore Domini, et consolatione Spiritus Sancti replebatur. *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Inordinata namque et sæcularis tristitia, quæ est passio vitiosa de damno temporali seu adversitate, est valde pœnalis, corrosivaque cordis, complexionem distemperans et vitam abbrevians. Ideo ait Apostolus :
II Cor. vii, 10. Tristitia sæculi mortem operatur. Et
Eccli. xxx, 22, 25. in Ecclesiastico scribitur : Tristitiam non des animæ tuæ; multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in ea. Quæ autem C
secundum Deum tristitia est, utpote ordinata, ex consideratione proprii vel alieni peccati, vel alia rationabili causa descendens, vitam gratiæ in salutem stabilem operatur. De qua in Ecclesiaste asseritur :
Eccle. vii, 5. Cor sapientium ubi tristitia.

23 *Munera de sinu impius accipit,* id est, judex injustus occulte accipit dona, *ut pervertat semitas judicii,* id est processum et ordinem juris, per quos ad justum pervenitur judicium : quod quam vitiosum sit et vitandum, dictum est supra. D

24 *In facie prudentis lucet sapientia :* id est, interior sapientia mentis resplendet in vultu, per morum compositionem, oculorum custodiam, maturitatemque vultus: in quo tanquam in fronte pudoris, et exteriorum sensuum loco, præsertim resultat ac repræsentatur dispositio cordis. Ideo in
Eccli. xix, 26. Ecclesiastico dicitur : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Hinc Seneca : Formosa, inquit, facies, occulta commendatio est. Unde de multis legitur Sanctis, quod interioris sanctitatis ac gratiæ affluentia, in eorum vultibus mirabiliter fulsit : quod maxime fuit in Christo. Nihilo minus quidam hypocritæ et versuti frequenter prætendunt maturitatem ac sapientiæ signa in facie, quum intus pleni sint simulatione ac vanitate.
De quibus monet Salvator : Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos Matth. vii, 15.
in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Sunt ergo et alia certiora signa sapientiæ, scilicet conversatio virtuosa. Nec enim dicendus est sapiens, in quo a notitia dissonat vita. *Oculi stultorum in finibus terræ :* quia undique evagantur, et ad suæ vanitatis objecta insipientissime diriguntur ; et quanta est instabilitas cordis in apprehendendo, imaginando et appetendo, tanta est evagatio oculorum ac ceterorum incustodia sensuum. Ideo sancti Patres testati sunt, quod incustoditus visus, incustoditæ mentis sit nuntius. Porro in divino Officio præcipue reprimendi sunt oculi; nec ibi, imo nec alibi incaute aut morose est intuendum, quod male accendere potest affectum.

Ira patris, filius stultus, et dolor matris 25
quæ genuit eum : id est, de pravitate, indisciplinatione et stultitia filii insipientis, irascitur pater, tam spiritualis quam carnalis; et de eadem causa mater pia tristatur, tam mater carnalis quam mater
Ecclesia. — *Non est bonum, damnum inferre justo,* 26
id est persecutionem, mortem, detractionem, rapinam aut furtum : imo hoc pessimum est, et pejus quam si inferantur injusto ; *nec percutere principem* percussione corporali aut spirituali : de
qua ait Apostolus, Peccantes in fratres, I Cor. viii, 12.
et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis ; *qui recta judicat.* Imo nec princeps injustus a subditis
est percutiendus. Unde Paulus in Actibus Act. xxiii, 5;
allegat id legis : Principi populi tui non Exod. xxii, 28.
maledices. Moyses quoque : Diis, inquit, id Ibidem.
est judicibus, non detrahes. — *Qui moderatur sermones suos,* 27
loquendo utilia atque salubria, loco et tempore opportuno, ac

Digitized by Google

mensurate, non excedendo notabiliter, magis aut minus quam decet loquendo; *doctus et prudens est.* Doctus est enim a Spiritu Sancto, etiamsi litteraturam ignoret : estque discretus et magnæ perfectionis, quia si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. (Jacob. III, 2.) Hinc in Proverbiis suis Seneca scripsit : Imago animi est sermo. Qualis vir, talis et oratio (id est locutio) ejus; itemque, Tene semper vocis et silentii temperamentum. *Et pretiosi spiritus vir eruditus.*

28 *Stultus quoque si tacuerit* inter homines colloquentes, *sapiens reputabitur,* id est, quantum ad hoc, aliquid sapientiæ videtur prætendere et habere, ac signum sapientiæ possidere, quod sic tacet. Stultus enim, ut alibi legitur, verba multiplicat. (Eccle. x, 14.) Ignorantes quoque stultitiam ejus, putabunt quod sapiens sit, eo quod taceat, adscribentes taciturnitatem ipsius maturitati et timori sapientiali. *Et si compresserit labia sua,* reprimendo ea a prolatione conceptæ locutionis, ne erumpat in stolida, superflua aut impertinentia verba : quæ compressio multis difficilis est, juxta illud, Conceptum sermonem tenere quis poterit? (Job IV, 2.) Unde in Ecclesiastico legitur : Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti (Eccli. XIX, 12.) reputabitur. *Intelligens.* Hinc apud Job dicitur : Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. (Job XIII, 5.) Et Seneca contestatur : Taciturnitas stulto homini pro sapientia est. Et Cyrillus in suis ait Proverbiis : Avarus sis verbi, et audi libenter. Hoc est quod Jacobus ait apostolus : Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus vero ad loquendum. (Jacob. I, 19.) Hoc mali et garruli non observant. Nam, ut ait Gregorius, Pravi sicut in sensu sunt leves, ita in locutione præcipites : quia quod levis mens concipit, levior lingua protinus prodit.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : OCCASIONES QUÆRIT, QUI VULT RECEDERE AB AMICO.

1 *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico* spirituali recessu : id est, qui cupit amicum relinquere, et amicitiam ejus sine justa ratione dimittere, excogitat calumnias contra amicum, et allegat non causam pro causa. *Omni tempore erit exsecrabilis**, qui hoc agit, nisi vere pœniteat, quoniam amicitiam falsat ac violat : quod tanto pejus est quam falsare pecuniam, quanto amicitia melior est quam pecunia, sicut octavo Ethicorum ait Philosophus. Istud tamen intelligendum est de vera amicitia, quæ in bono honesto fundatur : quæ, ut Tullius ait in libro de Amicitia, sola est amicitia vera ac virtuosa. Quæ autem fundatur in bono delectabili, qualis solet esse amicitia juvenum qui voluptatem sequuntur, vel in bono utili, qualis est amicitia senum qui utilitatem sectantur; sæpe utiliter frangitur, prout de hac materia octavo Ethicorum plenius pertractatur. Sit ergo amicitia nostra constans. Verum inter homines passionatos et iracundos, non potest esse amicitia stabilis, quia faciliter offendunt ac offenduntur, prout in secundo Collationum volumine plenarie Cassianus disseruit. Sed, ut tangit Hieronymus, Vera est illa amicitia, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non corporum præsentia aut voluptas, non subdola et palpans adulatio, non conformitas vanitatum, sed timor Dei, similitudo affectuum ad virtutes ac divinarum studia Scripturarum conciliant.

* exprobrabilis

Non recipit stultus verba prudentiæ, id 2
est, exhortationibus et doctrinis sapientia-

libus atque salubribus non acquiescit, nec
eas libenter audit, quia non sapiunt sibi,
quum per habitus vitiosos ad contraria in-
Joann. VIII, 37. clinetur. Ideo talibus dixit Salvator: Sermo
meus non capit in vobis. Et in Ecclesiasti-
Eccli. XXI, 17. co legitur: Cor stulti quasi vas confractum,
et omnem sapientiam non retinebit. *Nisi
ea dixeris quæ versantur in corde ejus :*
id est, nulla locutio ei placebit, nisi quæ
suis inanibus cogitationibus et pravis af-
fectibus consonat. Verumtamen per præ-
venientem Dei gratiam, interdum contingit
vanos impiosque per prudentem sermo-
nem converti. Aliqui quoque, quamvis ad-
huc vitiosi, tamen libenter audiunt ali-
quid boni, et compunguntur ad horam. De
Luc. VIII, 13. quibus asserit Dominus : Cum gaudio sus-
cipiunt verbum; et radices non habent,
quia ad tempus credunt, et in tempore
tentationis recedunt.

3 *Impius quum in profundum venerit pec-
catorum,* id est, vitiorum voragine fuerit
mersus, et prava consuetudine induratus;
contemnit verba salubria, correptionem et
correctionem : sicut in Genesi patet de
Gen. XIX, 7-9. Sodomitis, qui pie correpti a Lot, dixe-
runt : Habitare venisti, non leges dare; te
ipsum ergo magis affligemus. Ideo orat
Ps. LXVIII, 16. Propheta : Neque absorbeat me profun-
dum, neque urgeat super me puteus os
suum. Hinc loquitur Augustinus : Peccata
quamvis enormia et horrenda, quum in
consuetudinem venerint, aut parva aut
nulla esse videntur, in tantum ut non so-
lum non occultanda, verum etiam prædi-
canda jactandaque videantur. Attamen de
talibus non est penitus desperandum, quia
ab omnipotenti animarum medico possunt
II Par. XXXIII, 12. curari, ut patuit in Manasse. *Sed sequitur
eum ignominia et opprobrium :* quia in
præsenti vita frequenter contemnitur ta-
lis, et opprobrium æternæ damnationis
Dan. XII, 2. non evadit. De quo in Daniele legitur: Evi-
gilabunt alii in vitam æternam, alii in op-
probrium, ut videant semper.

4 *Aqua profunda, verba ex ore viri :* id
est, verba sapientialia a viro illuminato et
perfecto prolata, assimilantur aquæ pro-
A fundæ ad cujus fundum non est facile
pervenire : sic verba hujusmodi non pos-
sunt a simplicibus et pusillis plenarie com-
prehendi. Propter quod dixit Apostolus :
Sapientiam loquimur inter perfectos. Eliu I Cor. II, 6.
quoque inquit : Viri sapientes, audite ver- Job XXXIV, 2.
ba mea, et viri eruditi, auscultate me. *Et
torrens redundans, fons sapientiæ.* Hoc de
Christo potissime verificatur, qui est fons
sapientiæ universæ, et opulentissimo atque
plenissimo comparatur torrenti. Unde in
Psalmo cantatur : Torrente voluptatis tuæ Ps. XXXV, 9.
B potabis eos; itemque, Fluminis impetus Ps. XLV, 5.
lætificat civitatem Dei. Propterea protesta-
tur Dominus per Isaiam : Ecce ego decli- Is. LXVI, 12.
nabo in eos ut flumen pacis, et ut torrens
inundans gloriæ gentium. Potest etiam de
quocumque viro sapiente exponi, in cujus
mente, fons sapientiæ est ipsum habituale
sapientiæ donum, et copiosa doctrina : ex
quo dono atque doctrina, tanquam ex fon-
te, procedunt rivuli documentorum sapien-
tialiumque verborum, quemadmodum ex
torrente prodeunt aquæ fluenta. Hinc Ve-
C ritas ait : Aqua quam ego dabo ei, fiet in Joann. IV, 14.
eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
Tales fontes fuerunt præsertim gloriosi
Apostoli. De quibus in Psalmo : In eccle- Ps. LXVII, 27.
siis benedicite Deo Domino de fontibus
Israel. De quibus cecinit et Isaias : Haurie- Is. XII, 3.
tis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Accipere personam impii in judicio, *non* 5
est bonum : imo pessimum est, et contra
divina præcepta, ac valde mortale pecca-
tum, et partis alterius damnificativum.
Propter quod ait Psalmista : Usquequo ju- Ps. LXXXI, 2.
D dicatis iniquitatem, et facies peccatorum
sumitis? Hinc Dominus jussit : Juste judi- Lev. XIX, 15.
cabis, nec consideres personam pauperis,
neque honores vultum potentis. Ideo dicit
Ambrosius : Inter omnia peccata præsi-
dentium maximum est, quod non causas,
sed personas considerant. Denique, sicut in
secunda secundæ, quæstione 63, Thomas
inducit, personarum acceptio opponitur
justitiæ distributivæ, quæ tribuit diversis
personis secundum earum dignitatem ac
merita. Ideo acceptio personarum commit-

Digitized by Google

titur, dum alicui aliquid datur vel adjudi-
catur, non propter ipsius dignitatem aut
meritum, seu rationabilem causam, sed
propter ipsius personam, et ob id propter
quod illud ei non debetur. Itaque qui in
judicio accipit personam, tenetur ad resti-
tutionem ei cui injuste infert damnum.
Ut declines a veritate judicii.
6 *Labia stulti miscent se rixis* aliorum,
quos magis concordare deberent, exemplo
Act. VII, 26. Moysis, qui litigantibus dixit : Viri, fratres
estis : ut quid nocetis alterutrum? *Et os*
ejus, scilicet stulti, *jurgia provocat* per ver-
7 ba et facta injuriosa et improba. — *Os stul-*
ti, contritio ejus : id est, per abusum oris
sui, videlicet per verba detractoria, pungi-
tiva, mendosa, contentiosa, aut alio modo
criminaliter vitiosa, occidit spiritualiter
Sap. I, 11. animam suam, juxta illud : Os quod men-
titur, occidit animam. Imo quandoque cor-
poralem incurrit interitum. *Et labia ipsius,*
id est verba illicita per labia ejus prolata,
sunt *ruina animæ ejus :* per quæ tandem
8 corruit in infernum. — *Verba bilinguis,*
quasi simplicia : id est, bilinguis, qui
aliter loquitur in absentia, aliterque in
præsentia ejus de quo loquitur, ita colorat,
ornat, et linit verba sua, quasi nihil do-
lositatis ac duplicitatis in eis exsistat; *et*
ipsa perveniunt usque ad interiora ven-
tris, id est, magna et intima damna infli-
gunt, et viscera animæ lædunt.
Pigrum dejicit timor, id est, inordina-
tus, mundanus, carnalis timor revocat
pigrum ab opere bono : a quo faciliter re-
trahi se permittit, sicut et infra habetur :
Prov. XXVI, 13. Dicit piger, Leo est in via. *Animæ autem*
effeminatorum, id est mollium atque debi-
lium, ad femineam mollitiem collapsorum,
esurient, id est, bonis spiritualibus, et
interdum etiam temporalibus indigebunt,
Ibid. X, 4. sicut præhabitum est : Manus remissa ope-
9 rata est egestatem. — *Qui mollis et disso-*
lutus est in opere suo, id est remissus et
negligens in exsecutione operis sui, *frater*
est sua opera dissipantis, id est destruen-
tis, non prosequentis : quia in peccato
sunt similes, qui tepide servit Deo, et qui

A opus Dei postponit; estque utrisque timen-
dum quod loquitur Jeremias, Maledictus Jer. XLVIII, 10.
qui facit opus Dei negligenter aut frau-
dulenter. Istis, quum sint præhabita, non
immoror.
Turris fortissima, nomen Domini : id 10
est, Deus sperantes in se, et confugientes
ad se, tuetur et conservat, sicut turris inex-
pugnabilis protegit exsistentes in ea, imo
ineffabiliter plus. Ideo ait Job : Libera me, Job XVII, 3.
et pone me juxta te; et cujusvis manus
pugnet contra me. Unde nunc subditur :
B *Ad ipsum currit justus,* id est, festinanter
ac fervide confugit semper ad Deum; *et*
exaltabitur : quia per hoc suis prævalet
inimicis, Omnipotentem jugiter invocando.
Ideo orat vir sanctus : Esto mihi in Deum Ps. LXX, 3.
protectorem, et in locum munitum, ut sal-
vum me facias. Et rursus gratias agens
psallit : Deduxisti me, quia factus es spes Ps. LX, 3, 4.
mea, turris fortitudinis a facie inimici.
Unde Bernardus : Si mihi præmia promit-
tantur, per te, o Domine, me ea obtinere
sperabo. Si insurgant adversum me præ- Ps. XXVI, 3.
C lia, si sæviat, si terreat malignus, si caro Galat. V, 17.
adversus spiritum concupiscat, in te ego
sperabo, et dicam : Mihi adhærere Deo bo- Ps. LXXII, 28.
num est, ponere in Domino Deo spem me-
am. Hinc scriptum est : Domine, fortitudo Jer. XVI, 19.
mea, et refugium meum, et robur meum
in die tribulationis. — *Substantia divitis,* 11
urbs roboris ejus, et quasi murus validus
circumdans eum. Hoc supra scriptum est Prov. X, 15.
atque expositum. — *Antequam contera-* 12
tur, exaltatur cor hominis, id est, per su-
perbiam intumescit antequam per debitam
D pœnam dejiciatur et condemnetur : culpa
enim pœnam præcedit. Propter quod lo-
quitur Judex : Qui se exaltat, humilia- Luc. XIV, 11; XVIII, 14.
bitur. *Et antequam glorificetur* a Deo in
patria, *humiliatur,* id est, oportet ut pri-
mo in via humiliet se, juxta illud : Qui Ibidem.
se humiliat, exaltabitur.
Qui prius respondet quam audiat, stul- 13
tum se esse demonstrat, et confusione di-
gnum. Est enim indiscretus et præceps ad
loquendum, et antequam sciat mentem
quærentis, incipit ad quæstionem ipsius

Digitized by Google

respondere. Similiter qui tanquam doctor A et magister præsumit respondere discipulis et informationem quærentibus, antequam didicit ea de quibus interrogatur, ab ore doctorum seu libris, vel ex illuminatione superna, aut ex consideratione idonea, præsumptuosus esse censetur. Simili modo, qui facta et causas aliorum vult judicare, antequam plene fuerit informatus de motivis utriusque partis, stulte se habet, Job XXIX, 16. quum sanctus Job fateatur : Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. Hinc ait Hieronymus : Patienter audi, et B diu considera quid loquendum, quidve respondendum sit; et adhuc tacens, provide ne quid dixisse pœniteat. Sapiens ut fructuose loquatur, multa prius considerat : quid, cui, quo loco et tempore, qua intentione, et qualiter dicat. Seneca quoque : In hoc, inquit, incumbe, ut libentius audias quam loquaris; auribus frequentius quam lingua utere; quidquid dicturus es aliis, primo dic tibi.

14 *Spiritus viri,* id est virtus et gratia cordis boni viri, *sustentat imbecillitatem suam,* C id est, naturæ infirmitatem confortat, et corporis debilitatem coadjuvat, ita ut illud quod est homini difficile, et quasi impossibile per naturam, fiat ei possibile, imo facile et jucundum per caritatem et Philipp IV, 13. gratiam, sicut ait Apostolus : Omnia possum in eo qui me confortat; et rursus, Spi- Rom. VIII, 26. ritus adjuvat infirmitatem nostram. Ideo Matth. XI, 28. admonet Christus : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Qui etiam de se ipso testatus Ibid. XXVI, 41. est : Spiritus quidem promptus est, caro D autem infirma. Hinc videmus quod aliqui debiles corpore, multo fortiores ac ferventiores exsistunt in exercitiis virtuosis, tam corporalibus quam spiritualibus, quam corpore validi ac robusti. Unde et Gregorius ait : Vires quas imperitia denegat, caritas subministrat.

Spiritum vero ad irascendum facilem, quis poterit sustinere? quasi dicat : Difficile est ferre hominem iracundum, nisi valde benignis, mitibus, reformatis. Iratus namque, verbis, apparatu et factis molestus est aliis. Atque, ut Climacus loquitur, Sicut unus canis seu lupus sæpe inquietat totum gregem, sic unus homo iracundus, turbator ac turbulentus, totam communitatem frequenter perturbat. Valde ergo vitanda est ira, et consuetudo irascendi est periculosissima, præsertim quum ira ex suo genere sit peccatum mortale, et inter septem capitalia vitia numeretur. Ideo ait Gregorius : Per iram justitia vera relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, mansuetudo aufertur, et lux veritatis repellitur. Hinc ait Scriptura : Virum stultum interficit iracundia; Job V, 2. et alibi : Sit omnis homo tardus ad iram; ira enim viri, justitiam Dei non operatur. Jacob. I, 19, 20. Unde, ut habetur in Genesi, quum Joseph remitteret fratres suos, commisit eisdem : Ne irascamini in via. Gen. XLV, 24. Christus quoque specialiter jussit et docuit : Discite, inquiens, a me, quia mitis sum, id est, iram per mansuetudinem exemplo mei vitetis. Matth. XI, 29. Istud præsertim pensandum est habitantibus in congregatione, imo et cunctis commorantibus simul, præsertim cholericis, et pravo usu infectis, ne impetu iræ suæ lædant, perturbent, contristent, aut perimant alios. Hinc in suis Proverbiis Seneca loquitur : Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum; et rursus, Nihil minus quam irasci punientem decet, quum eo magis ad emendationem pœna proficiat, si judicio lata est.

Cor prudentis possidebit scientiam, præsertim eorum quæ sunt necessaria ad salutem, et quæ scire tenetur; 15 scientiam quoque, quæ est unum de septem donis : Is. XI, 2. et quidquid utiliter didicit, diligenter custodiet. *Et auris sapientium quærit doctrinam :* id est, sapientes proficere in sapientia optant, sicut jam sæpe expositum est. — *Donum hominis dilatat viam ejus :* 16 id est, munera gratiæ, caritas et aliæ virtutes infusæ, homini desuper datæ, faciunt eum in adimpletionibus præceptorum late et copiose incedere atque proficere. Propter quod ait Psalmista : Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor Ps. CXVIII, 32.

Digitized by Google

II Cor. vi, 11. meum. Apostolus quoque : Cor, inquit, nostrum dilatatum est. *Et ante principes spatium ei facit,* id est, dat ei aditum ad Dei electos, ad principes regni cœlestis, et ad justos prælatos : quibus assimilatur et placet, juxta illud, Suscitat de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. (I Reg. II, 8.) Præterea, quidam exponunt istud superficialiter ita : Donum hominis dilatat viam ejus, quia dum homo dat munera aliqua portariis ac ministris regum ac præsidentium, datur ei liber introitus, sicque acquirit accessum ad principem.

17 *Justus prior est accusator sui,* id est, quotidie se ipsum considerat, et quotidianas culpas ac cetera sua peccata intra se assidue reprehendit, accusatque coram Deo, et punit ea in semetipso. Caritas etenim incipit a suo subjecto, et qui se ipsum non purgat, indignus est alios castigare. Ideo justus tanquam vere humilis ac discretus, etiam dum ad alterius correptionem aut correctionem procedit, propriam in primis fragilitatem, defectuositatem et culpam pensat, reprehendit ac diluit : sicque corripit proximum aut subditum suum humiliter et modeste, compatienter et caritative. Nihilo minus in subditorum correptione debet se strenue gerere, nec immoderate se ipsum dejicere. Propter quod ait Isidorus : Bonus prælatus est, qui in humilitate servat disciplinam, et per disciplinam non incurrit superbiam. Verum istud multi non servant, qui in alios tam invective moventur, quasi sine peccato ipsimet essent; et aliena magis quam propria intuentur ponderantque peccata. Sicut et Seneca fassus est, dicens : Severissime adversum peccantes nos ingerimus, et ipsi eadem committimus. Denique, Cassiano testante, in hoc apparet an quis ex corde et vera humilitate se ipsum in primis accuset, si ea quæ ipse in se reprehendit, ab aliis quoque reprehendi et accusari, sibique objici æquanimiter patiatur. *Venit amicus ejus, et investigabit eum.* Per amicum potest intelligi Christus : qui loquitur, Vos autem dixi amicos. (Joann. xv, 15.) Qui rursus fatetur : Vos amici (Ibid. 14.)

A mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iste amicus per gratiæ incrementum et visitationem ac consolationem internam, venit in cor justi se primo humiliter accusantis, et illud considerat, approbat atque remunerat. Rursum, per amicum potest intelligi angelus custos hominis justi : quem angelus assidue visitat, consolatur ac discutit, intusque monet, inquirit et docet. Potest item per amicum intelligi proximus justi amator, qui venit ad justum se accusantem, ad consolandum et

B investigandum quomodo se res habeat.

Contradictiones comprimit sors : quia dum homines sunt discordes circa alicujus rei divisionem, reducuntur ad pacem per sortium usum; *et inter potentes quoque* taliter dissentientes *dijudicat* sors, quid quilibet debeat obtinere. 18

Frater qui adjuvatur a fratre, id est proximi se invicem caritative juvantes consilio et effectu, sunt *quasi civitas firma :* in qua cives se invicem juvant ac tuentur contra hostes. De hoc in Ecclesiaste scri- 19

C ptum est : Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem. (Eccle. iv, 10.) Hinc congregatio devotorum, et conventus vere religiosorum, habent firmitatem præcipuam : in quibus sunt tot adjutores, quot habitatores. Hinc Christus misit discipulos suos combinatos ad prædicandum. (Luc. x, 1.) Et Psalmista fatetur : Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum ! (Ps. cxxxii, 1.) Aristoteles quoque effatur : Duo simul venientes, intelligere et agere sunt potentiores. *Et judicia,* id est discretiones eorum ex mutua collatione

D prolatæ, vel sententiæ quas enuntiant, firma sunt *quasi vectes urbium :* qui vectes muniunt portas. Conformiter, frater, id est plebs gentilis, adjuta a fratre, id est a populo Judæorum, primum in Christum credente, puta Apostolis et eorum cooperatoribus primis, est quasi urbs munita, dum uterque populus ille in Ecclesia per caritatem unitur.

De fructu oris viri replebitur venter ejus. Hoc est quod dictum est supra, De fructu oris sui unusquisque replebitur bo- 20 (Prov. xii, 14.)

Digitized by Google

nis. Itaque vir bene loquendo, et alios sa-
pienter docendo, Deum quoque ore laudan-
do atque orando, meretur et consequitur
sufficientiam spiritualium, corporalium-
Matth. vi, 33. que bonorum, sicut ait Salvator : Primum
quærite regnum Dei et justitiam ejus, et
hæc omnia adjicientur vobis. *Et genimi-
na,* id est fructus et germina, *labiorum
ipsius,* videlicet documenta, orationes, lau-
desque Dei, ac cetera verba bona, *satura-
bunt eum,* id est, necessaria abundanter
procurabunt, quemadmodum in Evangelio
Luc. x, 7. Dominus prædicatoribus suis loquitur : In
eadem domo manete, edentes et bibentes
quæ apud illos sunt; dignus est enim ope-
rarius mercede sua. Ideo dixit Apostolus :
I *Cor.* ix, 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, ma-
gnum est si carnalia vestra metamus ?
quasi dicat, Magnum non est.

21 *Mors et vita in manibus linguæ.* Hoc
Matth. xii, 37. est quod in Evangelio asserit Christus : Ex
verbis tuis justificaberis, et ex verbis tuis
condemnaberis. Itaque mors culpæ seu
mortale peccatum, est in manibus, id est
usibus seu actibus, linguæ, hoc est in ver-
bis vitiosis prohibitis; et vita gratiæ, ac
meritum vitæ beatæ, consistit in bonis usi-
bus linguæ, hoc est in orationibus et lau-
dibus Dei, in prædicationibus et doctrinis,
in protestatione fidei tempore persecutio-
nis. *Qui diligunt eam, comedent fructus
ejus :* id est, si linguam suam spiritualiter
ament, et bene gubernent, recipient præ-
mia gloriosa; sin autem, sortientur tormen-
ta. Hinc sancti Patres inter observantias
religiosas, præcipue instituerunt linguæ
custodiam, id est observantiam sacri silen-
Is. xxx, 15. tii : de quo loquitur Isaias, In silentio et
spe erit fortitudo vestra.

22 *Qui invenit,* id est, acquirit legitime,
mulierem bonam, invenit bonum : quia
magnum Dei donum est hoc, sicut econ-
verso uxor mala est onus gravissimum.
Eccli. xxvi, 19, 18. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Gratia
super gratiam mulier sancta ac pudorata
et tacita. *Et hauriet jucunditatem a Do-
mino :* quia delectabile est tali convivere
Ibid. 1. mulieri, juxta illud : Mulieris bonæ beatus

A vir; numerus enim annorum vitæ illius,
duplex. Et rursus : Mulier fortis oblectat *Eccli.* xxvi, 2.
virum suum. Spiritualiter, per mulierem
bonam designatur Ecclesia, seu caro rati-
oni subjecta, seu divina Scriptura. — *Qui
expellit mulierem bonam, expellit bonum,*
et pessime atque stultissime agit. Pars ista
hujus versiculi, non est in Hebræo, sicut
nec particula sequens. *Qui autem tenet
adulteram* non volentem se emendare, etsi
ipsemet vir non sit adulter, *stultus est et
insipiens,* agens contra Scripturam. Et quia *Exod.* xx, 14.
B incertus esset de prole, videretur quoque
favere crimini talis adulteræ. Hinc et Chri-
stus in Evangelio dicit virum ab uxore *Matth.* v, 32; xix, 9.
non separandum, nisi ob fornicationem.

Cum obsecrationibus loquetur pauper, 23
petendo eleemosynam aliudve subsidium.
Similiter qui pauper est spiritu, et omnis
fidelis, cum obsecratione loquitur Patri
cœlesti, dicendo : Pater noster qui es in *Ibid.* vi, 9.
cœlis, etc. *Et dives effabitur rigide,* id
est aspere, præsertim ad impotentiores,
quia divites solent esse superbi. Quocon-
C tra in Ecclesiastico legitur : Congregationi *Eccli.* iv, 7.
pauperum te affabilem facito. Similiter
qui se divitem reputat in charismatibus
gratiæ, loquitur rigide, se jactando et alios
aspernando, quemadmodum Pharisæus Pu-
blicanum, dicendo : Non sum sicut ceteri *Luc.* xviii, 11.
hominum, velut etiam hic publicanus.

Vir amicabilis ad societatem, id est 24
aptus ad habendum consortium familiare
cum alio, et jucundus ad communionem
convictus, quales sunt homines mansueti,
læti, fideles, liberales, constantes; *magis
D amicus erit* socio sibi familiari, *quam fra-
ter* carnalis seu consanguineus, non ita
amicabilis ad societatem suo fratri aut pro-
pinquo. Similitudo enim affectuum, mutua
delectatio atque unanimis communicatio
actuum, maxime gignunt, fovent, accen-
dunt amicitiam talem. Similiter conformi-
tas in naturalibus : quod excellentissime
patuit in præclarissimis illis viris Amelio
et Amico, quorum miri ac nobilissimi actus
leguntur. Denique in naturalibus multum
consimiles, solent ad societatem esse ami-

Digitized by Google

cabiliores. Ideo juxta diversitatem complexionum, diversis diversi conveniunt. Ad veram autem amicitiam et societatem honestam (Tullio contestante) id pertinet, ut unus ab alio nil turpe aut indecens roget, nec alter propter alterum tale quid faciat. Spi- A ritualiter, vir amicabilis ad societatem, id est quicumque gentilis conversus, in Ecclesia pacifice vivens, magis amicus et carus est Christo, atque Apostolis ex Judæorum progenie natis, quam frater, id est infidelis Judæus ex eadem stirpe progenitus.

ARTICULUS XIX

DECLARATIO CAPITULI NONIDECIMI : MELIOR EST PAUPER QUI AMBULAT, ETC.

1 MELIOR *est pauper* in temporalibus, *qui ambulat in simplicitate sua* columbina, sine dolo, simulatione et singularitate serviens Deo, *quam dives* in temporalibus, *torquens labia sua,* id est ex elatione seu aliorum contemptu, deflectens et contrahens ea. Juxta quod scri-
Is. LVIII, 5. ptum est : Numquid elegi contorquere quasi circulum caput suum, et saccum et cinerem sternere? Spiritualiter, melior est pauper, id est idiota et modice eruditus, ambulans in simplicitate, id est vivens secundum ea quæ novit esse agenda ac evitanda, quam dives, id est ingeniosus et plurimum eruditus, torquens labia sua, id est ad proferendum vana, præsumptuosa sive hæretica, ea detorquens. *Et insipiens.* Talis etenim dono sapientiæ caret, et est mortalis peccati stultitia involutus.

2 *Ubi non est scientia animæ,* id est vera et spiritualis scientia, quæ est donum, vel notitia præceptorum, et eorum quæ necessaria sunt ad salutem; *non est bonum,* id est aliquid meritorium; nec potest quis vivere virtuose, nisi sciat ad quæ teneatur : imo nec potest appetere bonum, nisi aliquo modo cognitum, quum objectum voluntatis sit bonum intellectum, id est intellectualiter apprehensum seu notum. Ideo asserit Augustinus : Ignota amari non queunt. *Et qui festinus est, pedibus offendit :* id est, inordinate fervens in suis affectibus, agit præcipitanter, et immode- B rate se habet in factis, quia affectio talis rationem excæcat. Idcirco hortatur Apostolus : Omnia decenter et secundum ordinem fiant in vobis. *I Cor.* XIV, 40. Unde et Seneca in suis Proverbiis : Nihil rationis est, ubi semel affectus adductus est. Cyrillus quoque primo Proverbiorum suorum libro : In omnibus, inquit, ordinata gravitate procede. An ignoras quod perditio derivetur a pede cito? Mortalia namque cuncta sunt plena periculis. Unde ubique oportet cum gravitate procedere, ut possis dato pede C uno, ubi porrigendus sit alter salubriter providere. Verumtamen ad virtutum spectat perfectionem, agiliter et ferventer, expedite atque velociter ea quæ bona sunt prosequi, sicut et infra habetur : Vidisti *Prov.* XXII, 29. hominem velocem in opere suo? Coram regibus stabit. Aristoteles quoque in Ethicis ait : Oportet morose consiliari, et consiliata velociter prosequi. Sed hæc de ordinata et sapientiali velocitate sunt intelligenda.

Stultitia hominis supplantat gressus 3
D *ejus :* id est, insipientia cordis, inordinata, vitiosa et stolida opera parit : quæ a dæmonibus supplantantur, et a proximis contemnuntur; *et contra Deum fervet animo suo :* id est, insipiens et iniquus impietatem suam in Deum retorquet, aut in blasphemiæ verba prorumpit, juxta illud in Psalmo : Quoniam declinaverunt in te *Ps.* XX, 12. mala. Unde in Job scriptum est : Quid *Job* XV, 13.

Digitized by Google

tumet contra Deum spiritus tuus? Talem A
putavit Eliu esse sanctum Job, loquens
Job xxxiv, 36, 37. de eo ad Deum : Pater mi, ne desinas ab
homine iniquitatis, qui addidit super pec-
cata sua blasphemiam. Circa hoc ait Glos-
sa : Stulti quum viam deseruerint veritatis,
non se errasse fatentur, sed in Conditorem
referunt culpam suam, quasi ipse occasio-
nem peccandi tribuerit, eo quod hominem
fecerit fragilem, vel tentari permiserit a
versuto. Hinc Adam post peccatum incre-
Gen. iii, 11-13. patus a Domino, excusavit se, dicens : Mu-
lier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi B
de ligno, et comedi. [Et mulier : Serpens,
inquit, decepit me.] Ambo culpam suam
retulerunt in Creatorem : ille, quod mu-
lierem sociam dederat; illa, quod serpen-
tem in paradiso posuerat. Is quoque contra
Deum fervet animo suo, qui divina præ-
cepta per inertiam suam contemnens, ip-
sum Dominum quasi importabilia homi-
nibus onera imponentem, reprehendit.
4 *Divitiæ addunt amicos plurimos :* id
est, multi diligunt divites propter eorum
divitias, et ut commoda aliqua consequan- C
tur ab eis; *a paupere autem et hi quos
habuit, separantur :* id est, multi desinunt
diligere inopes, eo quod inopes sint : sic-
que de eorum amicitia erubescunt, sive
non curant, quia nil utilitatis adipiscun-
tur ab eis. Similiter eorum qui spirituali-
ter divites sunt, id est sapientes, virtuosi
et sancti, sunt multi amici, videlicet Deus,
et omnes cives superni ac plures homines
boni; a paupere autem, id est a philoso-
phis, atque hæreticis, et perversis homini-
bus, in quibus nihil est sapientiæ saluta- D
ris, et hi quos habuit amicos, avertuntur,
non per odium, sed per dissimilitudinem
5 vitæ aut fidei. — *Testis falsus non erit
impunitus.* Non enim potest divinum eva-
dere judicium, quamvis interdum evadat
humanum. *Et qui mendacia loquitur* per-
niciosa, *non effugiet* judicium Dei. Cui ait
Ps. v, 7. Psalmista : Perdes omnes qui loquuntur
mendacium. De quo Eleazarus ille senex
II Mach. vi, 26. asseruit : Etsi in præsenti tempore suppli-
ciis hominum eripiar, sed manum Omni-
potentis neque vivens neque defunctus
effugiam.
Multi colunt, id est honorant, *personam* 6
divitis : quod de divite corporaliter, seu
spiritualiter, sicut jam patuit, accipi po-
test; *et amici sunt dona tribuentis.* Sic-
que diligunt eum propter beneficia sua :
quod non est malum in se; tamen colere
divites eo quod temporaliter divites sint,
vituperatur. Sed si in officiis sint consti-
tuti, sunt utique propter dignitatem of-
ficii, tanquam Dei vicarii honorandi. De
hac re, utpute qualiter pauperes non sint
inhonorandi, nec divitibus postponendi,
multa narrat apostolus Jacobus, ut est il-
lud : Si introierit in conventum vestrum Jacob. ii, 2-4.
vir aureum annulum habens et in veste
candida, introierit autem et pauper in sor-
dido habitu, et intendatis in eum qui in-
dutus est veste præclara, et dixeritis ei,
Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis,
Tu sta illic, aut, Sede sub scabello pedum
meorum : nonne judicatis apud vos ipsos,
et facti estis judices cogitationum iniqua-
rum? — *Fratres hominis pauperis oderunt* 7
eum : quia putant se confundi et vilipendi
eo quod habeant talem fratrem. *Insuper
et amici procul recesserunt ab eo,* ne ex
ejus præsentia incurrant gravamen. Hoc
sanctus Job depauperatus sibi accidisse
fatetur, dicendo : Fratres mei elongaverunt Job vi, 15; xix, 13.
a me, et noti mei quasi alieni recesserunt
a me. Quod item de Christo propter nos
paupere facto, potest intelligi, a quo etiam
tempore passionis fugerunt Apostoli. Matth. xxvi, 56.
Qui tantum verba sectatur, id est lo-
quacitatem aut verborum ornatum, non
sensum eorum, nec implet documenta ac
jussa Scripturæ, *nihil habebit* gratiæ ac
salutis. Nempe, ut ait Apostolus, Non au- Rom. ii, 13.
ditores legis justi sunt apud Deum, sed
factores legis justificabuntur. *Qui autem* 8
possessor est mentis, id est, rationem habet
illæsam ac liberam, ita quod per virtutes
morales, parti sensitivæ efficaciter domi-
natur, nec passionibus vulneratur; *diligit
animam suam* spirituali amore, quia vult
et procurat animæ suæ ea in quibus salus

sua consistit. Quocontra dicitur de iniquo A
Ps. x, 6. in Psalmo : Qui autem diligit iniquitatem,
odit animam suam. *Et custos prudentiæ*
9 *inveniet bona. — Falsus testis non erit*
impunitus ; et qui loquitur mendacia per-
10 *ibit. — Non decent stultum divitiæ :* quia
abutitur eis. Similiter infidelem et hære-
ticum non decent naturales scientiæ, aut
notitia Scripturarum, quibus fidem impu-
gnant catholicam. *Nec servum dominari*
principibus : quoniam hoc contrariatur
ordini recto, qui exigit inferiorem subes-
se, et superiorem præesse. Servi quoque B
ad dominationem promoti, communiter
sunt superbi et sævi. Similiter servum
peccati et iniquum non decet dominari
principibus, id est, his qui ratione ac vir-
tutibus regunt se ipsos.
11 *Doctrina viri per patientiam noscitur :*
id est, si ipse qui docet, sit veraciter pa-
tiens, constat quod dignus sit alios infor-
mare, utputa virtuosus, quoniam patientia
omnium est virtutum probatrix. Qui enim
agit quod docet, reverenter est audiendus.
Sed cujus vita juste despicitur, ejus quo- C
que doctrina contemnitur. Ideo, teste Gre-
gorio, Tanto unusquisque convincitur mi-
nus doctus, quanto minus patiens. Hinc
ait Ambrosius : Ante vita, quam doctrina,
quærenda est. Bona vita sine doctrina,
gratiam habet; doctrina sine laudabili vita
et vera patientia, gratia caret. Spirituali-
ter autem, Christi et Apostolorum et alio-
rum ejus discipulorum doctrina, innotuit
esse vera ex eorumdem patientia : quia
pro suæ doctrinæ veritate tuenda, æqua-
nimiter sunt perpessi tot et tanta tormen- D
ta, imo et acerbissima genera mortis, nec
aliquod præsentis vitæ commodum, aut
honorem exquisierunt. Unde ostenditur,
quod de futura alterius vitæ remuneratio-
ne fuerant certi. *Et gloria ejus est iniqua*
prætergredi : id est, præclarum meritum
et honor viri patientis consistit in hoc, ut
aliorum improbitatem ac perversitatem
æquanimiter ferat, et dum eam corrigere
nequit, dissimulet, nec scelus scelere ul-
Rom. xii, 21. ciscatur : sicut ait Apostolus, Noli vinci a
malo, sed vince in bono malum. Unde Jo-
annes monet : Noli imitari quod malum est. III Joann. 11.
Hinc Seneca : Ridiculum (inquit) est, odio
nocentis innocentiam perdere ; et iterum,
Nunquam scelus scelere vindicandum ;
itemque, Nihil magnum in rebus humanis,
nisi animus magna vel mala despiciens.
Sicut fremitus leonis est valde terribilis 12
aliis bestiis : quarum multæ ex rugitu le-
onis ita terrentur, quod gradum mox fi-
gunt, non valentes fugere neque procede-
re. Unde scriptum est : Leo rugiet, quis Amos iii, 8.
non timebit? *Ita et regis ira* metuenda est
subditis suis, quemadmodum dictum est :
Nuntii mortis, ira regis. Et maxime ira Prov. xvi, 14.
Regis cœlestis, est incomparabiliter formi-
danda : qui ait, Ecce ego stridebo super Amos ii, 13.
vos, sicut stridet plaustrum onustum fœ-
no. *Et sicut ros super herbam* valde con-
veniens est, *ita et hilaritas ejus* jucunda
est subditis, præsertim Regis supremi in
hora judicii.
Dolor patris, filius stultus : quia de fi- 13
lio insipiente, vitioso, rebelli, pater tri-
statur, tam carnalis quam spiritualis, sicut
expositum est; *et tecta jugiter perstillan-*
tia est *litigiosa mulier,* id est similis te-
cto fracto : quoniam sicut per tale tectum
cadunt assidue stillæ pluviales, eos qui in
domo sunt affligentes; ita ex foramine
oris rixosæ feminæ, jugiter erumpunt ver-
ba domesticos inquietantia, afflictiva, tur-
bantia. Spiritualiter, per litigiosam mulie-
rem intelligitur sensualitas incitans contra
rationem, seu hæreticorum ecclesia gar-
riens contra Catholicos, seu dialectica con-
tra ea quæ fidei sunt loquax. — *Domus* 14
et divitiæ dantur a parentibus : qui soboli
suæ sua temporalia bona, tempore nupti-
arum pro parte dant, et tempore mortis
relinquunt; *a Domino autem proprie uxor*
prudens : id est, divinæ providentiæ do-
num est, prudentem acquirere conjugem,
juxta illud : Pars bona, mulier bona ; in Eccli. xxvi, 3.
parte bona timentium Deum, dabitur viro
pro factis bonis. Spiritualiter, uxor pru-
dens, est mater Ecclesia, sapientia vera,
ratio recta.

Digitized by Google

15 *Pigredo immittit soporem,* id est mentis A
fastidium ac torporem ad ea quæ Dei sunt
et salutis ; corpori quoque somnolentiam
ingerit, præcipue in divinis, et tempore
sermocinationis; *et anima dissoluta esu-
riet,* id est, spiritualibus refectionibus indi-
gebit, vanitates voluptatesque appetet, quia
non consolatur a Domino, qui locutus est
Jer. xxii, 22. per Prophetam : Usquequo deliciis dissol-
16 veris, filia vaga? — *Qui custodit manda-
tum* per memoriam et effectum, *custodit
animam suam* a laqueis inimici, a pote-
state diaboli, a devoratione inferni; *qui* B
autem negligit viam suam, id est, arctam
Matth. vii, 13. viam salutis sibi præfixam ac jussam non
ambulat, *mortificabitur* per peccata mor-
17 talia et gehennæ supplicia. — *Fœneratur,*
id est accommodat, *Domino, qui misere-
tur pauperis,* subveniendo eidem : quia
hoc Dominus reputat sibi factum, sicut in
Ibid. xxv, 40. Evangelio protestatur : Quod uni ex mi-
nimis meis fecistis, mihi fecistis. *Et vi-
cissitudinem suam reddet ei,* id est copio-
Ibid. v, 7. sam remunerationem, sicut promisit: Beati
misericordes, quoniam ipsi misericordi- C
Ibid. xix, 29. am consequentur. Imo centuplum reddet
in præsenti, et vitam gloriæ in futuro.
18 *Erudi filium tuum* carnalem ac spiri-
tualem in scientia atque virtutibus, et *ne
desperes* cito de profectu illius, quamvis
forsan ad tempus videatur indocilis : ideo
non faciliter cesses ab informatione illius.
Ad internecionem * *autem ejus, ne ponas* (* interfectionem)
animam tuam : id est, non extendas te
ad scandalizandum eum verbo aut facto,
sed modeste redargue, et facto ædifica ;
nec corporalem ejus mortem procures, ex D
timore gravioris ruinæ ipsius si diutius
vixerit. Verumtamen in Deuteronomio scri-
Deut. xxi, 18-21. ptum est, qualiter filius contumax, incor-
rigibilis, comessationi atque luxuriæ va-
19 cans, poterat a parentibus morti tradi. *Qui
enim impatiens est,* id est, ex filii sui pec-
cato ad impatientiam concitatur, sicque
illum impetuose redarguit, *sustinebit dam-
num :* quia se ipsum graviter lædit in ani-
ma, et subditum magis exasperat, scan-
dalizat, perturbat, quam sanet. Ideo ait
Apostolus : Patres, nolite ad iracundiam Ephes. vi, 4; Coloss. iii, 21.
provocare filios vestros, ut non pusillo
animo fiant ; sed educate illos in disci-
plina et correptione Domini. Hinc asserit
Augustinus : Quidquid lacerato animo di-
xeris, punientis est impetus, non caritas
corrigentis. Et Prosper : Leviter castiga-
tus, exhibet reverentiam castiganti; asperi-
tate autem nimiæ increpationis offensus,
nec increpationem, nec salutem recipit. *Et
quum rapuerit,* id est, aliquem violen-
ter tractaverit, aut alicui sua subtraxe-
rit, *aliud apponet,* id est, majus damnum
incurret. Taliter igitur studeamus delin-
quentem curare in anima, ut non per
iram, impatientiam, aut alio modo læda-
mus, aut perimamus propria corda, quum
dicat Salvator : Quid proficit homo, si lucre- Luc. ix, 25.
tur universum mundum, se autem ipsum
perdat, et detrimentum sui faciat?
Audi consilium auribus mentis et cor- 20
poris, consilium autem sapientium, virtu-
osorum et expertorum; *et suscipe disci-
plinam,* id est increpationem verborum
ac verberum, sive a Deo, sive a prælato
infligantur, *ut sis sapiens in novissimis
tuis,* id est, in extremis sapiens inveniaris
ac justus. Qui enim tempore juventutis et
sanitatis sapientiam et virtutes, consilium
et disciplinam non suscipit, nec custodit,
vix aut non invenietur sapiens in extre-
mis. — *Multæ cogitationes in corde vi-* 21
ri, id est, assidue variantur in corde ex
instabilitate fragilitatis humanæ, juxta il-
lud : Cogitationes meæ variæ succedunt Job xx, 2.
sibi, et mens in diversa rapitur. *Voluntas
autem Domini,* quæ est ipsemet Deus vo-
lens, *in æternum permanet* una atque in-
commutabilis. — *Homo indigens miseri-* 22
cors est : quia ex propriæ paupertatis et
indigentiæ experientia commonetur ac di-
scit aliis misereri. Unde de Christo dicit
Apostolus : Debuit per omnia fratribus as- Hebr. ii, 17.
similari, ut misericors fieret. Aristoteles
quoque in Politicis ait, quod et senes pro-
ni sunt ad compassionem, quia sunt pluri-
bus indigentes; similiter feminæ. Denique
omnis homo proprias defectuositates, cul-

Digitized by Google

pas, indigentias, quantum ad bona ani-
mæ, rite perpendens, misericors est. *Et
melior est pauper*, ut talis, *quam vir men-
dax :* quia paupertas non tantum malifi-
cat personam sicut mendacium.
23 *Timor Domini ad vitam*, id est, timor
filialis ad vitam deducit beatam ; *et in
plenitudine*, id est plena beatitudine, *com-
morabitur absque visitatione pessimi*, id
est diaboli, cui ad Beatos nullus patet ac-
24 cessus. — *Abscondit piger manum suam
sub ascella, nec ad os suum applicat eam :*
id est, ab operatione bona se retrahit, et
manum capiti suo supponit ad apodian-
dum et dormiendum ex torpore; nec du-
cit eam ad os suum, id est, ea quæ docet
et scit, non facit, nec providet ori de ne-
cessariis laborando. Secundum Lyram, in
Hebræo habetur, Sub caldaria : ut sit sen-
sus, quod piger tempore frigido comestio-
nem interrumpit, manus suas calefaciendo
ad ignem, sub olla super ignem pendente,
vel ad ascellam. Sed hoc videtur etiam ab
25 aliis fieri. — *Pestilente flagellato*, id est
impio, qui alios verbo aut exemplo scan-
dalizat et inficit, debite punito et corre-
cto, *stultus sapientior erit :* quia ex pœna
alterius oritur sibi timor, quo a quibus-
dam malis retrahitur, et ita sapientior fit
I Tim. v, 20. quam fuit. Unde Apostolus ait : Peccantes
coram omnibus argue, ut et ceteri timo-
rem habeant. Et Seneca loquitur : Sapiens,
ex correctione peccati alterius, emendat
suum. *Si autem corripueris sapientem, in-
telliget disciplinam*, id est, correptionem
illam gratanter tanquam beneficium acce-
ptabit, considerando quod sit disciplina
quædam medicinaque animæ.
26 *Qui affligit patrem et fugit matrem,
ignominiosus erit et infelix :* quia ingra-
tissimus est parentibus, et reddit mala pro
bonis. Similiter qui spiritualem patrem
seu prælatum affligit sua rebellione, aut
perversitate, vel negligentia, et a matre
sua Ecclesia sancta discedit, abominabilis
est, et peribit. Verumtamen, si quis desi-

A derio perfectionis, invitis parentibus com-
petentiam habentibus, fugiat eos, religio-
nem intrando, laudabile est. — *Non cesses* 27
tempore opportuno *audire, fili, doctri-
nam :* quia indesinenter studere debemus
incremento scientiæ ac virtutum; *nec igno-
res sermones scientiæ*, id est, ne contingat
te non intelligere doctrinalia et sapientia-
lia verba.
Testis iniquus deridet judicium, id est 28
justam sententiæ prolationem : quia præ-
sumit se falsitate testimonii sui posse im-
B pedire ne proferatur ; nec etiam timet
judicium Dei, quem tam intimorate offen-
dit. *Et os impiorum devorat iniquitatem*,
id est, in verbis mendosis et testimoniis
falsis delectatur, quasi in cibo, et ea in
cor suum deglutit. In quorum persona fer-
tur in Isaia : Posuimus mendacium spem Is. xxviii,
nostram, et mendacio protecti sumus. Qui- 15.
bus et Amos propheta dicit : Væ qui læ- Amos vi,
tamini in nihili, qui convertistis in ama- 14, 13.
ritudinem judicium, et fructum justitiæ
in absinthium. Denique, Os impiorum de-
C vorat iniquitatem, id est bona impie ac-
quisita, quia frequenter accipiunt munera
ad perhibendum testimonia falsa. — *Pa-* 29
rata sunt derisoribus veritatis et æquita-
tis, *judicia :* quoniam Deus paratus est
eos judicare et condemnare, juxta illud :
Stat ad judicandum Dominus. Et Judas Is. iii, 13.
ait : Ecce venit Dominus facere judicium, Judæ 14, 15.
et arguere impios. In lege quoque divina
ac positiva, instituta sunt justa judicia
contra tales. *Et mallei percutientes* parati
sunt *stultorum*, id est impiorum, *corpo-
D ribus :* quibus etiam in hac vita pro di-
versis flagitiis, varia et amara infliguntur
tormenta, ut flagellationes, mutilationes,
suspendia, rotationes, ac consimilia gene-
ra mortis ; infernalia quoque supplicia
impœnitentibus, quemadmodum in Apo-
calypsi dicitur, Timidis et incredulis et Apoc. xxi,
exsecratis, et omnibus mendacibus, pars 8.
illorum erit in stagno ardenti igne et
sulfure.

Digitized by Google

ARTICULUS XX

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI : LUXURIOSA RES VINUM.

1 Luxuriosa *res vinum*. Sicut sol dicitur calidus, non formaliter, sed effective, quia ex radiorum suorum repercussione gignitur calor; sic vinum vocatur res luxuriosa, quia causat calorem, et calidum efficit sanguinem, qui incitat cito ad luxum; immoderate quoque lætificat, et causat audaciam, rationisque lucem obscurat: quibus peractis, quid nisi venereorum imminet amor? Ideo dictum est ab uno prudentium sæculi hujus : Sine Cerere et Baccho friget Venus. (Terent. in Eun.) *Et tumultuosa*, id est garrulosa et inquieta, est *ebrietas*. Ideo ait Salvator : Attendite vobis, ne graventur corda vestra in crapula vel ebrietate. (Luc. xxi, 34.) Apostolus quoque : Nolite, inquit, inebriari vino, in quo est luxuria. (Ephes. v, 18.)

Quicumque his delectatur, non erit sapiens. Certum est quod nequaquam liceat ebrietate delectari, quum sit vitium in se. Vinum vero quum sit nobilis, vigorosa et utilis creatura, in usum et commodum hominum facta, juxta illud in Psalmo, Ut educas panem de terra, et vinum cor hominis lætificet (Ps. ciii, 14, 15.); de cujus proprietatibus atque effectibus in apocryphis Esdræ multa leguntur (III Esdr. iii, 18-24.); quod in Judicum libro dicitur lætificare Deum et homines (Judic. ix, 13.): hinc vino delectari, non est in se vitiosum, nec sapientiæ impeditivum, præsertim quum vinum naturaliter delectet suo sapore gustum. Itaque, sicut licitum est vino moderate uti, vel causa medicinæ (prout Timotheo scribit Apostolus, Modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates (I Tim. v, 23.)), vel ob alias naturales ac rationabiles causas; sic licitum est vino delectari, naturali ac ordinata delectatione, quæ scilicet ad debitum finem refertur. A Delectari autem in vino superfluo, vel in ipso sapore propter se, est illicitum. Qui igitur his, scilicet vino immoderato, aut immoderate in vino (quamvis modico) et ebrietate, sive (ut quidam exponunt) qui his, utpote luxuria et ebrietate, delectatur, non erit sapiens sapientia infusa, quæ donum est, nec in sapientia naturali et acquisita solet esse abundans. Imo quamdiu actualiter occupatur et delectatur his vitiis, usu et actu sapientiæ caret, quoniam rationem absorbent, juxta illud : Fornicatio et ebrietas et vinum auferunt cor. (Osee iv, 11.) B Ideo Isaias inducit : Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam. (Is. v, 11.)

Hinc quoque philosophi, ut studio philosophiæ essent apti, a vinolentia, gula, luxuria, diligenter abstinuerunt. Atque, ut in Phædone asserit Plato, Nequaquam est philosophi, circa delectationes gustus et tactus versari. Unde quum quidam interrogasset Platonem, Unde tibi sapientia tanta? respondit : Quia plus consumpsi de oleo C in lampade, quam de vino in calice. Aristoteles quoque in Problematibus suis fatetur, quod amatores dulcium sunt fatui. Nec dissonat inde, quod de sapientia scriptum est in Job, Non invenitur in terra suaviter viventium. (Job xxviii, 13.) Hinc quarto Proverbiorum suorum libro sanctus scribit Cyrillus : Vinum mel ori est, sed fel capiti venenosum : sapit in ore, ardet in ventre, fumat in capite, contundit sensus, vigorem confundit, imaginationem destruit, tollit mentem; visum obnubilat, nervos D laxat, linguam balbificat et inhonestat, manus mobilitat, pectus inflammat; spumat luxuriam, vim gignitivam enervat,

Digitized by Google

gressus inordinat, totumque corpus vastat, ita quod a planta usque ad verticem non est in eo sanitas.

2 *Sicut rugitus leonis, ita et terror regis.* Hoc est quod præcedenti capitulo habetur,
Prov. xix, 12. Sicut fremitus leonis, ita et regis ira. *Qui provocat eum,* scilicet regem ad iram per excessum verborum aut operum, *peccat in animam suam,* id est, sibi ipsi acquirit
III Reg. ii, 13-25. malum seu mortem, quemadmodum Adonias offendendo Salomonem.

3 *Honor est homini* coram Deo sapientibusque hominibus, *qui separat se a contentionibus :* quoniam inhonestum est valde contentioni servire. Ideo vir modestus, pacificus, mitis, exemplaris et sapiens, vitat contendere, ceditque improbitati, et secundum ordinem juris, suam prosequitur causam. Ideo ait Apostolus :
II Tim. ii, 14. Noli verbis contendere; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audienti-
I Cor. xi, 16. um. Itemque : Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei. Porro, ut ait Ambrosius, Contentio est impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. Qui rursus fatetur : Melius est cum pace et gratia emigrare, quam cum contentione atque discordia cohabitare; melius est sine lite abire, quam cum jurgio resistere. Specialissime autem vitandum est, ne quis cum illo contendat, cum quo ante familiariter vixit, quum Seneca dicat : Turpius nihil est, quam cum eo bellum gerere, cum quo familiariter vixeris. Postremo hoc vitium in religiosis est maxime detestandum. Ad cujus detestationem satis nos debet inducere, quod Jacobus ait apostolus in sua
Jacob. iii, 14-16. Canonica : Si zelum amarum habetis, et contentiones sunt inter vos, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem; non est sapientia ista desursum descendens, sed terrena, animalis et diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Ecce quid terribilius dici potest? Hinc de beatissimo viro illo Francisco narratur, quod ex ingenita probitate ac honestate, etiam dum adhuc erat in sæculo, a contentionibus se retraxit.

Omnes autem stulti, id est vitiosi et contentiosi, *miscentur contumeliis,* contumeliam aliis inferendo per verba aut facta, vel his qui sibi invicem contumeliose injuriantur, communicando, seu uni eorum favendo et adsistendo. Proprie tamen consistit contumelia in verbis, quum quis dicit alteri verba injuriosa, per quæ ejus honor minuitur vel aufertur : quod, secundum Thomam, non est minus peccatum, quam rapina seu furtum, prout in secunda secundæ, quæstione 72, declarat. His ergo qui taliter nobis loquuntur, non est respondendum. Unde, ut quarto Regum habetur, Ezechias servis suis præcepit, ne contumeliosissimo Rabsaci responderent. IV Reg. xviii, 36.
Propter quod ait Valerius : Plena victoria est, ad clamantem tacere, nec respondere provocanti; habes enim mercedem de tua patientia, et de fratris medela. Sicut nihil deformius est quam respondere furentibus, sic nihil utilius quam tacere provocatis. Denique sapiens sciens verum esse quod Seneca asserit, A malis vituperari, laudari est, non movetur ex contumeliæ verbis. Quanquam denuo fassus est Seneca : Contumeliam generosus animus ferre non potest.

Propter frigus piger arare noluit tempore suo, ne frigore affligeretur; *mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.* Hoc in 4
corporalibus quandoque ita contingit. Spiritualiter autem piger, propter frigus, id est ex sua desidia et caritatis infrigidatione, non vult arare, id est agrum cordis sui excolere, et examinando se ipsum evertere, aut sibi commissos sollicite exercere. Mendicabit ergo æstate, id est die judicii sui particularis aut universalis, quum venerit tempus recipiendi fructum eorum quæ seminavit : quia tunc dicet, Domine, Domine, aperi mihi; et non dabitur ei, quia Matth. xxv, 11.
tunc non patet precum meritorumve locus.

Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri : quoniam sicut fundus profundæ aquæ faciliter sciri non valet, nec cer- 5

Digitized by Google

nuntur quæ natant in ea; ita consilium A viri, quamdiu manet in abdito cordis, ignotum est aliis; *et* homo sapiens exhauriet illud,* humiliter, benevole, et prudenter inquirendo a tali viro quid gerat in corde, et quæstionem movendo de his, de

* sed

6 quibus ille intra se consulit. — *Multi homines misericordes vocantur :* quia in corporalibus condolent et succurrunt; *virum autem fidelem quis inveniet?* qui scilicet vere et discrete misericors sit, sic ut justitiam non relinquat, sicque corporalia misericordiæ exhibeat opera, ut et spiri- B tuales misericordiæ actus exsequatur idonee, corripiendo et corrigendo proximum de malis culpæ, de quibus plus condolendum est proximo quam de malis pœnalibus. Unde loquitur Augustinus : Annon sunt in te viscera pietatis christianæ, ut plangas corpus a quo recessit anima, et non plangas animam a qua recessit Deus? Quasi dicat : Rarus est vir ita fidelis, amicum suum non palpans, nec veritatem relinquens.

7 *Justus qui ambulat in simplicitate sua* C columbina, non asinina, *beatos post se filios derelinquet,* id est filios carnales aut spirituales suis doctrinis et exemplis instructos, seu quoscumque suarum virtutum imitatores condignos, nunc beatos in
8 spe, postmodum in re. — *Rex qui sedet in solio judicii,* id est, qui justum in omnibus exercet judicium, *dissipat omne malum intuitu suo,* id est, subditos suos reformat, et vitia eorum exstirpat, ipsos sollicite intuendo in quibus reformatione indigeant. Porro Christus, Rex regum, re- D probat et condemnat omne malum mortale.

9 *Quis potest dicere* vere et sine jactantia : *Mundum est cor meum, purus sum a peccato?* Quamvis enim ex gratia possit quis esse a mortali culpa immunis, sicque aliqualiter corde mundus (juxta quod scriptum est, Beati mundo corde; et, Beati immaculati in via; itemque, Innocens manibus et mundo corde); tamen in venialibus omnes sumus culpabiles, et paucis-

Matth. V, 8.
Ps. CXVIII, 1.
Ps. XXIII, 4.

simi inveniuntur qui non fuerunt aut sunt mortali culpa fœdati. Ideo Jacobus ait apostolus : In multis offendimus omnes. Et S. Joannes : Si dixerimus, inquit, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus. Unde et in Job legitur : Quid est homo, ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Itaque scripturæ quæ de hac re videntur diversimode loqui, per distinctionem faciliter solvi queunt et concordari : quoniam multis modis dicitur quis mundus, et justus, et sanctus. Primo, quoniam nulli unquam peccato fuit obnoxius, nec originali, nec personali aut actuali : quod competit Christo; secundo, quoniam nulli personali, nec mortali, nec veniali; tertio, quoniam nulli mortali; quarto, quia etsi fuit, tamen modo non est.

Jacob. III, 2.
I Joann. I, 8.
Job XV, 14.

Pondus et pondus, mensura et mensura, 10
utrumque abominabile est apud Deum. Hoc lectum est supra, Statera dolosa abominatio est apud Deum : et ex dictis ibidem patet hujus intelligentia verbi. Denique qui propria facta et verba quærit semper justificare aut excusare, proximorumque verba et opera vituperare, seu in pejus interpretari, iniquis utitur pondere et mensura. Quocontra Seneca loquitur : Justus judex non aliter de alienis, quam de propriis judicat gestis. Qui et in suis ait Proverbiis : Æquus judex non aliam de sua, aliam de alia causa profert sententiam.

Prov. XI, 1.

Ex studiis suis intelligitur puer. Si per 11
puerum intelligamus parvulum corpore et ætate, potest ita exponi, quod ex studiis et occupationibus quibus innititur puer in pueritia sua, potest conjecturari qualis erit in virili ætate. Pueri enim bonæ indolis, cito incipiunt hoc monstrare per actus quosdam. Unde subjungitur : *si munda et recta sunt opera ejus,* id est honestatem quamdam prætendentia et virtutes; vel si opera ejus postea erunt munda et justa : secundum quod ait Philosophus, quod pueros egregiæ indolis beatificamus in spe futuræ virtuositatis. Si autem per puerum intelliguntur quicumque fideles et servi

Digitized by Google

Dei (qui in Scripturis multoties pueri ap- A
pellantur, sicut et Christus ait discipulis :
Joann. xxi, 5. Pueri, numquid pulmentarium habetis ?)
iste est sensus, quod de exterioribus ta-
lium operibus advertere possumus quod
vere sint sincera et justa, si viderimus eos
intentos studiis sapientiæ et virtutum, seu
libenter audire verba salubria, atque ex
corde zelari in omnibus pro Dei honore et
justitia ac communi salute, esseque custo-
ditos in verbis et sensibus, et coram Deo
sollicitos, ac proximis exemplares.
12 *Aurem audientem,* id est obedienter sus- B
cipientem ac adimplentem ea quæ audit
salubria, *et oculum videntem,* id est intel-
lectum illuminatum seu alios instruentem,
vel bona aliorum exempla ad sectandum
inspicientem ; *Dominus fecit utrumque :*
quia utrumque istorum est opus gratiæ
Dei. Quocontra Moyses in Deuteronomio
Deut. xxix, 2, 4. filiis Israel : Vos, inquit, vidistis universa
magnalia quæ coram vobis fecit Dominus;
et non dedit vobis Dominus cor intelli-
gens, et oculos videntes, et aures quæ
possint audire usque in præsentem diem. C
13 — *Noli diligere somnum* corporalem su-
perfluum, nec somnum ignorantiæ, pec-
cati sive teporis, *ne te egestas opprimat,* id
est spiritualium temporaliumve bonorum
defectus. *Aperi oculos tuos,* id est, vigi-
lans esto ac providus in actibus bonis, *et
saturare panibus,* id est refectione mentis
ad abundantiam, ac corporis ad compe-
tentiam.
14 *Malum est, malum est, dicit omnis em-
ptor :* id est, ementes communiter dicunt
rem emendam minus valere, quam vendi- D
tor dicit aut veritas habet, ut minori pre-
tio emant eam; *et quum recesserit* re em-
pta, *tunc gloriabitur,* quod modicum pro
ea exposuit. Verumtamen sunt quidam tam
justi, caritativi ac timorati, quod nequa-
quam scienter volunt mentiri, neque pro
re venali minus dare quam valet : quia
nec licet (secundum conscientiam) fallere
aut damnificare vendentem, minuendo de
pretio justo, quamvis secundum jura ci-
vilia hoc liceat, vel potius non puniatur,

dummodo citra medium justi valoris id
fiat. Hinc in libro de Trinitate recitat Au-
gustinus, qualiter quidam volens proposi-
tionem exprimere, in qua universi concor-
dant, dixit : Omnes vultis carius vendere,
et vilius emere. Et ostendit Augustinus, hoc
pati instantiam apud ministros Dei per-
fectos, qui utrumque horum abhorrent.
Est aurum, et multitudo gemmarum, et 15
vas pretiosum, labia scientiæ : id est, labia
alios sapienter salubriterque instruentia,
ob dignitatem scientiæ et boni operis sui,
merito comparantur, imo et præferuntur
omni auro, gemmis, ac pretiosissimis va-
sis. — *Tolle vestimentum ejus qui fidejus-* 16
sor exstitit alieni : id est, si quis fidejussit
tibi pro alio, potes ab illo fidejussore ac-
cipere vestem suam tempore opportuno,
quousque satisfaciat tibi. Verumtamen, sic-
ut habetur in Exodo, si fidejussor tam Exod. xxii, 26, 27.
pauper fuisset, quod nocte ad operiendum
se indiguisset illa veste, reddenda sibi fu-
isset de sero, et rursus accipi potuisset de
mane. Similiter si indiguisset ea in die, et
non de nocte, poterat tolli de nocte, et
reddenda erat de mane, poteratque resu-
mi ad vesperam. Unde quibusdam Amos
propheta improperat, quod super vestes Amos ii, 8.
pignoratas requiescebant. *Et pro extrane-
is* pro quibus fidejussit, *aufer pignus ab
eo :* sicut de hoc erant judicialia quædam
præcepta in Exodo ac Deuteronomio data : Deut. xxiv, 6, 10-13, 17.
quæ in evangelica lege ex illa institutione
non ligant, prout in prima secundæ Tho-
mas declarat.
Suavis est homini panis mendacii, id 17
est cibus mendacio seu contra justitiam
acquisitus, quasi faciliter et lucrose ade-
ptus; *et postea implebitur os ejus calculo,*
id est gravi confusione et pœna, dum cri-
men suum fateri compellitur, et justas
luere pœnas : dum per quæ peccavit, per Sap. xi, 17.
hæc punitur, quemadmodum dives epulo
specialiter affligebatur in lingua. Istud in- Luc. xvi, 24.
telligendum est de homine vitioso : cui
delectabile est operari secundum inclina-
tionem vitiosi habitus sui; in quo non est Ps. xiii, 3.
timor Dei, et conscientiæ remorsus parvus

Digitized by Google

aut nullus. Præterea hæreticis, et pseudo- A
prophetis, ac deceptoribus cunctis, dulcis
est panis mendacii, id est doctrina hære-
tica, assertio fallax, sermo sophisticus :
quorum ora implebuntur calculo, qui est
lapis ignitus, id est infernalium globis in-
cendiorum, sicut in Job de tali homine
Job xx, 15. fertur : Cibos quos sumpserat, evomet, et
de ventre illius extrahet illos Deus.

18 *Cogitationes consiliis roborantur,* id est,
diriguntur ut bonæ sint, et prosperum sor-
tiantur effectum; *et gubernaculis,* id est
prudentialibus ordinationibus ac provi- B
dentiis, *tractanda,* id est inchoanda, dis-
ponenda, exercenda *sunt bella :* in quibus
plus valet prudentia et dispositio exerci-
tuum apta, quam fortitudo corporea, prout
Ægidius de Roma, libro de Regimine prin-
cipum, tractat diffuse, Vegetius quoque
compendiose in libro de Re militari. Nec
minus caute, imo et cautius pugnandum
est contra invisibiles hostes, ubi incom-
parabiliter majus præmium datur victori-
bus, graviusque periculum imminet victis.

19 *Ei qui revelat mysteria,* id est secreta C
celanda, et sibi in fide manifestata : quem-
II Mach. XIII, 21. admodum secundo Machabæorum Rhodo-
cus legitur mysteria sui exercitus hostibus
revelasse ; *et ambulat fraudulenter,* os-
tendens se quasi fidelem, quum sit adver-
sarius et deceptor, *et dilatat labia sua,* in
præsentia blandiendo, seu prospera pro-
mittendo, et loquacitati vacando; *ne com-
miscearis* per societatem, consensum, vel
20 tua secreta ei credendo. — *Qui maledicit
patri suo et matri, exstinguetur lumen
ejus in mediis tenebris,* id est, occidetur : D
sicque lux vitæ auferetur in mediis tene-
bris, id est in præsenti exsilio, quando
maxime desiderabit manere in lumine vi-
Lev. XX, 9. tæ hujus. Talis namque jubetur occidi in
Levitico. Dicimur autem in vita ista sede-
re in tenebris et umbra mortis, juxta il-
Luc. I, 79. lud : Illuminare his qui in tenebris et in
umbra mortis sedent. Denique lux ratio-
nis et splendor legis naturalis, exstingui-
tur in maledicente suis parentibus : simi-
liter in his qui maledicunt patri spirituali,
et matri Ecclesiæ; præsertim in his qui
Patri omnium creatori impiissime maledi-
cunt. Unde apud Job dicitur : Nonne lux Job XVIII,
impii exstinguetur, et præcipitabit eum 5, 7.
consilium suum?

Hereditas ad quam festinatur in prin- 21
cipio : id est, qui patrimonium suum ante
congruum tempus conatur accipere, aut
alia bona ex avaritia cupit acquirere; *in
novissimo benedictione carebit,* id est, non
benedicetur a Deo, neque augebitur sic
agenti; nec ipse per hoc salutem, sed con-
demnationem incurret. Hoc præcipue re-
spicit eos, qui patres suos expellunt de
regno aut domo, ut ipsimet regnent, aut
patresfamilias sint : quibus male solet suc-
cedere. Spiritualiter quoque, qui antequam
idonei sint, et subesse didicerint, festinant
præesse, et patrimonia Ecclesiæ obtinere,
atque ecclesiasticas acquirere dignitates,
in novissimo maledicentur, nec salubriter
præsunt. Nam et Philosophus ait : Non
bene decet principari eum, qui non sub
principe fuerit. Seneca quoque : Nemo,
inquit, regere potest, nisi qui et regi.

Ne dicas : Reddam malum pro malo, id 22
est, me ipsum inordinate ulciscar, vel sce-
lus scelere vindicabo : quum et Apostolus
dicat, Nulli malum pro malo reddentes ; Rom. XII,
atque Psalmista, Si reddidi retribuentibus 17.
mihi mala. Verumtamen judicis est pro Ps. VII, 5.
malo culpæ infligere malum pœnæ. In
lege quoque, pœna talionis fuit præfixa,
juxta illud Levitici : Qui irrogaverit macu- Lev. XXIV,
lam cuilibet civium suorum, sicut fecit, 19, 20.
sic fiet ei : fracturam pro fractura, oculum
pro oculo, dentem pro dente. Sed hoc se-
cundum ordinem juris fuit servandum,
nec zelo vindictæ, sed justitiæ, adimplen-
dum. Laudabilius tamen fuisse censetur,
remittere pœnam, quando sine derogatione
boni communis fieri potuit, nec aliud ob-
stitit : quoniam scriptum est, Non quæres Ibid. XIX,
ultionem, nec memor eris injuriæ civium 18.
tuorum. *Exspecta Dominum :* qui ait, Mihi Rom. XII,
vindictam, et ego retribuam; *et liberabit* 19.
te. Imo et pro tua te patientia coronabit.
De quo ait Psalmista : Facit judicium in- Ps. CXLV, 7.

Digitized by Google

23 juriam patientibus.—*Abominatio est apud* A
Deum pondus et pondus ; et statera dolosa
vers. 10. *non est bona*. Idem hoc eodem capitulo
Prov. XI, 1. jam semel dictum est, ac supra etiam capitulo undecimo.
24 *A Domino diriguntur gressus,* id est
actus interiores exterioresque, *viri* (qui a
vigore virtutum vir nuncupatur) ad su-
Ibid. III, 6; XVI, 9. pernaturalem finem, sicut jam sæpe præ-
Is. XXVI, 12. habitum est. Unde et Isaias fatetur : Omnia
opera nostra operatus es nobis ; Apostolus
Philipp. II, 13. quoque, Deus est qui operatur in vobis
velle et perficere. Hinc merita nostra sunt B
Dei dona. *Quis autem hominum intelligere
potest viam suam ?* id est, nemo absque
revelatione potest certo scire actionem
seu conversationem suam esse meritoriam, ac Deo absolute placentem, quum ne-
Eccle. IX, 1. sciat an sit in caritate et dignus amore,
prout de hoc in Ecclesiaste diffusius est
Job IX, 21. tractandum. Ideo Job ait : Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima
25 mea. — *Ruina,* id est magnum peccatum,
est homini devotare Sanctos, id est, aliquid
et frequenter Sanctis vovere, *et post vota* C
rationabiliter facta *retractare,* id est, eadem revocare, non adimplere pro posse,
quum necessitatis sit vota implere : imo
majus peccatum est, secundum Thomam,
26 fractio voti, quam juramenti. — *Dissipat
impios rex sapiens,* eos debellando aut corrigendo ; *et incurvat super eos fornicem,*
id est, arcum triumphalem eis intentat, in
signum victoriæ super eos. Unde et Saul
I Reg. XV, 12. primo Regum fornicem triumphalem sibi
legitur erexisse.
27 *Lucerna Domini spiraculum hominis,* D
id est, spiritus seu anima hominis est lucerna Domini, id est res illuminata a Deo
lumine intellectuali, continens in se lumen ingenii atque synderesis. De quo lu-
Ps. IV, 7. mine fertur in Psalmo, Signatum est super
nos lumen vultus tui, Domine : quia hoc
lumen naturale, est quoddam signaculum
atque impressio increatæ lucis in anima.
Porro anima appellatur spiraculum, juxta
Gen. II, 7. illud Geneseos : Inspiravit in faciem ejus
spiraculum vitæ. Unde in Isaia Dominus

ait : Flatus ego faciam. *Quæ* lucerna *in-* Is. LVII, 16.
vestigat omnia secreta ventris. Nam homo
per rationem et intellectum intelligit proprios actus, et ea quæ in mente ipsius
sunt, cogitationes et affectiones : quas vel
certo vel probabiliter potest cognoscere
esse ex caritate, si bonæ sint. Unde ait
Apostolus : Quis hominum scit quæ sunt I Cor. II, 11.
hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso
est ? Intellectus namque, quum sit inorganica vis et immaterialis potentia, est reditivus ad se ipsum, et reflexivus super
proprios actus, secundum Philosophum :
quod nulli materiali et organicæ potentiæ
potest competere, prout subtilissime in
Elementatione sua theologica probat Proclus Platonicus philosophus. Insuper potest et sic exponi : Lucerna Domini, spiraculum hominis, id est, illuminatio divinæ
inspirationis facta in homine, est lucerna
Dei in anima, faciens eam diligenter investigare ac noscere semetipsam, et mala
sua quæ antea non cognovit : qua quo homo copiosius desuper illustratur, eo subtilius interiora sua scrutatur. Hinc in Job
asseritur : Ut video, spiritus est in homi- Job XXXII, 8.
ne, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam.
Misericordia et veritas custodiunt re- 28
gem in gratia Dei, et præservant eum a
diversis periculis ac morte æterna, faciuntque eum Deo atque hominibus amabilem, complacentem, acceptum : intelligendo nomine veritatis justitiam : quibus
debet prudentia esse admixta, ut utraque
per discretionem contemperetur. Specialiter tamen misericordia ornat ac stabilit
regem. Unde subjungitur : *et roboratur
clementia thronus ejus.* Est autem clementia, virtus qua pœna dimittitur aut laxatur : quod in dubiis, et peccatis quæ ex
ignorantia aut infirmitate commissa sunt,
magis agendum est. Hinc Tullius in laudibus Julii ait : Nulla te virtus tam acceptabilem reddit, ut tua clementia.
Exsultatio juvenum, fortitudo eorum, id 29
est, de sua corporali fortitudine præcipue
solent lætari : quam et per diversa exerci-

Digitized by Google

tia solent mutuo experiri ac demonstrare. A Ephes. IV, 23, 22. Spiritualiter vero, qui renovati sunt mente, et veterem cum suis actibus hominem exuerunt, de fortitudine gratiæ ac virtutum eis collata regratiantur ac gloriantur in Domino, secundum quod unus illorum Philipp. IV, 13. dixit, Omnia possum in eo qui me confortat; Ps. XVII, 30. et alius, In Deo meo transgrediar murum. *Et dignitas senum est canities,* id est maturitas ac sapientia cordis juncta Sap. IV, 8, 9. canitiei capitis, juxta illud Sapientis : Senectus venerabilis est ; cani enim sunt sensus hominis, etc. Unde in Ecclesiastico B Eccli. XXV, 7. legitur : Quam speciosa veteranis sapientia ! Lev. XIX, 32. Hinc in Levitico jussum est : Coram cano capite consurge, et honora personam senis.

30 *Livor vulneris absterget mala :* id est, læsio foris illata aufert peccata, dummodo æquanimiter toleretur pœna illa pro culpis. Talis quoque pœna reducit homini ad memoriam vitia sua, sicque vexatio Is. XXVIII, 19. tribuit intellectum, et commovet hominem adversitas sua ad pœnitendum. Hinc, ut Seneca docet, Nimius favor fortunæ, mentem excæcat. Propter quod iterum ait : Miserum te judico, qui nunquam miser fuisti. Prosperitas enim assidua, fovet hominem in peccatis. Idcirco plus expedit habere adversa, quæ providentia Dei suis concedit electis. *Et plagæ in secretioribus ventris :* id est, interna contritio et pudor de vitiis, abstinentia, jejunium, et similes afflictiones pœnitentiales ac satisfactoriæ, etiam, imo et maxime, abstergent peccata, quoad culpam totaliter, et quoad pœnam in parte vel in toto, secundum quod magis aut minus vigent in homine.

ARTICULUS XXI

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI PRIMI : SICUT DIVISIONES AQUARUM, ETC.

1 SICUT *divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini :* id est, sicut in C potestate Creatoris est, aquas ad libitum suum dividere et per terras diffundere Gen. I, 7. (quemadmodum in exordio mundi divisit aquas quæ erant super firmamentum, ab his quæ erant sub firmamento, atque quotidie nubes circumducit, et pluere facit Job XXXVII, 12, 13. ubi sibi placuerit, juxta illud Job, Nubes lustrant universa per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcipit illis super faciem orbis terrarum, sive in una tribu, sive in D terra sua, sive in quocumque loco misericordiæ suæ eas jusserit inveniri) ; ita cor regis in manu Domini, qui juxta omne beneplacitum suum, potest cor regum afficere, alterare, animare, roborare, debilitare. Ideo subditur : *quocumque voluerit, inclinabit illud,* id est, vertit et dirigit illud ad agendum, appetendum seu abhorrendum, quidquid voluerit Conditor ipse. Unde in Jeremia, Ezechiele, et alibi sæpe Jer. XLIII, 10; Ezech. XXIX, 19 ; XXX, 11. testatur, se assumere et vocare regem Babylonis ad impugnandum filios Israel atque Ægyptios. Nec solum cor regum, sed et hominum universorum, ita in manu est Creatoris, in cujus manu sunt omnes Ps. XCIV, 4. fines terræ. Sed specialiter exprimit regem tanquam ceteris potentiorem, ad innuendum quod et inferiorum corda non minus sint in manu Omnipotentis, in cujus ditione cuncta sunt posita, nec est qui Esther XIII, 9. ejus queat resistere voluntati ; et etiam quoniam circa reges tanquam circa publicas personas, est specialis providentia Dei, propter bonum commune. Propter quod Pharaoni tempore Joseph, et Nabuchodonosor regi sub Daniele, monstravit in somnis Gen. XLI. Dan. II, IV. futura.

Digitized by Google

Denique, per regem potest intelligi omnis justus bene regens se ipsum, non propria potestate, sed ope divina : ideo cor ejus in manu Dei consistit, qui inclinat illud ad omne bonum quod vult. Et sicut divisiones aquarum, ita divisiones gratia-
I Cor. VII, 7. rum in Dei sunt manu : a quo unusquisque habet, ut ait Apostolus, donum suum. Præterea, iste est ordo rerum in causalitate et influentia, quod corpus hominis subjicitur influentiis cœlestium corporum; sensus autem interiores, et appetitus sensitivus, a dæmonibus possunt immutari; intellectus vero ab angelis sanctis potest illuminari. Deo autem proprium est, directe et immediate agere, et imprimere in voluntatem et apicem ejus, et omne obstaculum gratiæ inde auferre. Hinc apud
Job XII, 24. Job legitur : Deus immutat cor principum terræ. Hoc Esther advertens, in oratione
Esther XIV, 13, 14. sua locuta est : Transfer cor regis (scilicet Assueri) in odium hostis nostri ; nos autem libera. Itaque Dominum jugiter exoremus, ut sua pietate dulcissima dignetur semper corda nostra gratiose afficere, pro-
III Reg. VIII, 57, 58. ut Salomon legitur exorasse : Sit Dominus Deus noster nobiscum, et inclinet corda nostra ad se.

2 *Omnis via viri,* id est actio cujuslibet hominis, *recta sibi videtur :* quia, ut divinus Dionysius docet, malum non appetitur sub ratione mali, sed sub specie et apparentia boni. Bonum etenim est appetitus objectum. Ideo nullus respiciendo ad malum, cupit aut operatur illud, nisi sub apparentia alicujus boni, utilis, delectabilis vel honesti : et quamvis sciat in generali quod malum sit, tamen in particulari errat ejus judicium. Imo, dato quod cum remorsu faciat illud, et in particulari judicet malum esse, tamen illud judicium est imperfectum et mixtum, ita quod ex una radice seu consideratione judicat quod sit malum, et ex alia, quod sit bonum, et prævalet illud errans judicium trahente
Rom. VII, 23. affectu. Unde dixit Apostolus : Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege

A peccati. Hinc ait Philosophus, quod omnis peccans est ignorans; et rursus, Qualis unusquisque est, talis sibi finis videtur. Impleamus ergo quod Seneca ait : Noli sequi affectionem, sed rationem : hoc est, non passionis impulsum, sed rationis imitare judicium. *Appendit autem corda Dominus,* id est, in statera seu judicio sapientiæ atque justitiæ suæ ponit et pensat ea, dando unicuique quod meretur. Hinc ait Apostolus : Est autem Deus verax, omnis vero homo mendax : quia videlicet Rom. III, 4
B judicium Dei est secundum infallibilem veritatem, quamvis homines devient judicando. Unde dictum est supra : Spirituum ponderator est Dominus. Prov. XVI, 2.

Facere misericordiam, id est opera pietatis corporalia ac spiritualia ex caritate, *et judicium* discretionis, seu etiam justæ punitionis in subditos et in se ipsum per disciplinam, *magis placet Domino, quam victimæ,* id est sacrificia legis, quæ non erant placita Deo in se ipsis, sed solum ex offerentium fide et devotione, ut plenius 3
C dictum est supra. Circa hoc aliqui dicunt Ibid. XV, 8. hujus causam fuisse, quia victimis non indiguit Deus, sed operibus misericordiæ indiget in membris suis. Ad quod poterit dici, quod etiam victimis indiguit in suis ministris, sacerdotibus ac Levitis, qui sacrificiis sustentabantur, ut in Levitico patet. Lev. II, 3. 10; VI, 29; VII, 31-34; XXIV, 9. Denique et juxta istam sententiam Michæas quoque ait : Numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in Mich. VI, 7, 8. multis millibus hircorum pinguium ? Indicabo tibi, homo, quid sit bonum, aut
D quid Dominus requirat a te : utique facere judicium, et diligere misericordiam. Ubi et additur : Et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

Exaltatio oculorum est dilatatio cordis : 4
id est, ex cordis dilatatione, qua se longe ac late extendit ad magna in sæculo isto, ut scilicet dominetur, præsit, abundet, fametur, procedit causa exaltationis seu superbiæ, quæ apparet in oculis, in quibus (ut dictum est sæpe) evidenter apparere solet dispositio cordis. *Lucerna,* id est Prov. VIII, 24.

Digitized by Google

prudentia, *impiorum,* qua se dirigunt, quasi in lumine suo, ad obtinendum ea quæ cupiunt, est *peccatum :* quia, ut ait Apo-
Rom. VIII, 6. stolus, Prudentia carnis mors est. Impii equidem ad vitia utuntur sua prudentia, vel magis versutia. De quibus asserit Jere-
Jer. IV, 22. mias : Sapientes sunt ut faciant mala, be-
5 ne autem facere nescierunt.— *Cogitationes robusti semper in abundantia; omnis autem piger in egestate,* id est spiritualium divitiarum carentia, *est:* nisi pœnitentiam agens, pigritiam in fervorem mutaverit.
6 — *Qui congregat thesauros lingua mendacii,* id est per verba dolosa, fraudulenta, mendosa seu blanda, *vanus et excors est :* quia injustus, a summo bono aversus, menteque excæcatus, propter temporalia tam graviter peccans, et tantis periculis se exponens; *et impingetur ad laqueos mortis,* id est æternæ damnationis, tum quia mendosus, tum quia aliorum deceptor, tum quia injustus alienorum bonorum possessor.
7 *Rapinæ impiorum detrahent eos* in profundum inferni : qui locus debetur raptoribus. Nam et rapina ex suo genere, est gravior culpa quam furtum, ut in secunda secundæ Thomas declarat. Raptor enim majorem infert injuriam et contemptum quam fur : quoniam evidenter, non occulte, violentiam infert. *Quia noluerunt facere judicium* discretionis, id est, actus suos noluerunt dijudicare atque discernere, considerando quam pravi sint, et sic eos deserere. Unde habetur in Psalmo :
Ps. I, 5. Ideo non resurgunt impii in judicio, id est, a peccatis suis per pœnitentiam non resurgunt judicando se ipsos, sicut ait
I Cor. XI, 31. Apostolus : Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Noluerunt etiam facere judicium, id est justam determinationem cum proximis, quorum bona sic congregant. Imo irrationabiliter ac injuste
8 agunt cum ipsis. — *Perversa via viri,* id est vitiosa conversatio seu actio hominis, *aliena est,* id est innaturalis, et contraria legi æternæ, divinæ, positivæ ac naturali. Virtus enim est secundum naturam; vi-
A tium, contra vel præter naturam. Nam et ratio deprecatur ad optima. Et Tullius ait: Virtus est habitus mentis, rationi ac naturæ consentaneus. Ideo Dominus ait in Psalmo : Filii alieni mentiti sunt mihi, fi- Ps. XVII, 46.
lii alieni inveterati sunt. Hinc asserit Glossa : Juste coram Domino vivere, proprium est conditioni humanæ. Unde ait Scriptura : Deum time, et mandata ejus observa : Eccle. XII, 13.
hoc est omnis homo. At qui perverse vivit, alienam ab humana natura incedit viam : idcirco perversa actio, est aliena et
B contra naturam. *Qui autem mundus est, rectum opus ejus.*
Melius est sedere in angulo domatis, id 9
est in loco secreto tecti seu domus, in quo potest homo quiete insistere orationi, meditationi, et aliis exercitiis bonis, secundum illud Psalmi. Factus sum sicut passer Ps. CI, 8.
solitarius in tecto; *quam cum muliere litigiosa, et in domo communi* tibi ac conjugi tali; aut in taberna, vel societate multorum in quibus non viget compunctio. Imo tranquillitas, devotio, et omnis
C spiritualis profectus, per mulierem rixosam et communem societatem præsertim impediuntur. Ideo dixit Propheta : Elonga- Ps. LIV, 8.
vi fugiens, et mansi in solitudine.
Anima impii desiderat malum, id est 10
peccare, aliena auferre, proximisque nocere; *non miserebitur proximo suo :* imo potius aufert ei quod habet. Viscera enim Prov. XII, 10.
impiorum crudelia. De quibus sanctus Job:
Nudos, inquit, dimittunt homines, vesti- Job XXIV, 7.
menta tollentes. — *Mulctato,* id est punito 11
seu flagellato, *pestilente, sapientior erit*
D *parvulus.* Hoc est quod supra legitur : Pe- Prov. XIX, 25.
stilente flagellato, stultus sapientior erit. *Et si sectetur sapientiam,* id est notitiam divinorum, *sumet scientiam,* id est notitiam creaturarum : quoniam ex cognitione Creatoris, discit bene judicare de creaturis. —
Excogitat justus de domo impii, id est, vir 12
justus, præsertim bonus prælatus, sollicitus est de conversione et salute hominum iniquorum, *ut detrahat impios a malo,* id est, ut a peccatis revocet eos, quia spiritualiter diligit eos. — *Qui obturat aurem* 13

Digitized by Google

suam ad clamorem pauperis petentis sibi A spiritualem aut corporalem eleemosynam dari, *et ipse clamabit,* misericordiam invocando tempore suæ angustiæ, *et non exaudietur* a Deo vel suis electis, nisi pœniteat interim. *Jacob.* II, 13. Ideo Jacobus ait : Judicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam. *Luc.* XVI, 24, 25. Hinc diviti epuloni negata est gutta aquæ, quoniam inopem Lazarum non advertit.

14 *Munus absconditum exstinguit iras :* id est, dum quis occulte largitur munus notabile ei quem offendit, vel qui contra B eum irascitur, vel mediatori alicui medianti inter eos ad pacificandum, placat iram illius ; *et donum in sinu,* id est occulte positum in alterius gremio, exstinguit *indignationem maximam.* Hinc dixit Jacob *Gen.* XXXII, 20. de Esau : Placabo illum muneribus. Vel iste est sensus : Munus absconditum, id est eleemosyna data secrete intuitu Dei, non ad laudem humanam, exstinguit iram Judicis summi; et donum in sinu, id est beneficium pium clam datum, tollit indignationem maximam : sicut alibi scriptum C *Eccli.* XXIX, 15. est : Abscondite eleemosynam in sinu pauperum, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum : *Cf. Ibid.* III, 33. quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. Unde *Matth.* VI, 3. Salvator : Quum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

15 *Gaudium justo est facere judicium,* id est se ipsum et subditos judicio discretionis discutere, disciplinare, et quæ justa sunt operari : quia delectatur in actu virtutum. Delectatio namque bona fiens in opere, est signum virtutis et ejus effectus; D habitus quoque instar naturæ, inclinat ad operandum suaviter : et quamvis interdum sit difficultas in opere, et intus renisio sive tentatio, mens tamen promptam exhibere *Rom.* VII, 22. se studet, condelectaturque legi Dei, secundum Apostolum. Verumtamen virtutibus acquisitis, similiter virtutibus infusis, consummatis et exercitatis (quæ non solum tollunt peccata, sed et eorum reliquias) delectationes præsertim annexæ sunt; incipientibus vero labor, difficultas, amaritudo, tentatio solent misceri. Sed quo magis proficiunt, et virtuosæ consuetudini appropinquant, eo omnia illa plus minuuntur, et consolatio atque alacritas intenduntur. Hinc ait Leo Papa : Nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus, et facile cuncta præcepta veniunt in effectum, quando et gratia prætendit auxilium, et obedientia mollit imperium; nec dura necessitate servitur, ubi diligitur quod jubetur. *Et pavor operantibus iniquitatem :* id est, iniquis, operariisque malignis durum et pavidum videtur insistere actibus virtuosis, quia inclinantur ad vitia, nec amant bona vere honesta. Vel, Pavor, id est inordinata formido, inest operantibus iniquitatem, ac pavor damnationis æternæ. Semper enim *Sap.* XVII, 10. præsumit sæva, conscientia perturbata.

16 *Vir qui erraverit a via doctrinæ* salubris, *in cœtu gigantum commorabitur,* id est, inter superbos, magnos et violentos homines, seu dæmones, in æternum damnabitur. De quibus in libro Job fertur : Ecce gigantes gemunt sub aquis, et qui *Job* XXVI, 5. habitant cum eis. Baruch quoque ait : Ibi *Baruch* III, 26. fuerunt gigantes nominati. Interdum tamen gigantes sumuntur in bono, pro magnis et fortibus in sapientia et virtute. Unde de Christo habetur in Psalmo : Exsultavit *Ps.* XVIII, 6. ut gigas ad currendam viam. Ambrosius quoque in hymno dixit de ipso : Geminæ gigas substantiæ, alacris ut currat viam.

17 *Qui diligit epulas,* id est gulosus et delicatus, qui in cibo et potu voluptatem quærit magis quam necessariam refectionem, *in egestate erit,* id est, virtutum opulentia destituetur; tales etiam solent, sua immoderate consumendo, depauperari. Hinc Seneca in libro de Quatuor virtutibus scripsit : Nec præsentibus deliciis inhærebis, nec desiderabis absentes. Victus sit tibi ex facili re, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede; palatum tuum fames excitet, non sapores; desideria tua parvo redime, quia hoc tantum curare debes, ut desinant; atque ita quasi ad exemplar divinum compositus, a corpore ad spiritum, quantum potes, abducere. Præterea, juxta Cyrillum,

Digitized by Google

sicut pinguia fovent ignem quousque con-
sumantur, sic qui amant vinum et pinguia,
cibus erunt infernalis incendii. Ideo subdi-
tur : *Qui amat vinum et pinguia* propter
voluptatem et immoderate, *non ditabitur:*
imo pauper erit in anima, et temporalia
expendet superflue.
18 *Pro justo datur vir impius, et pro recto
iniquus.* Justus et rectus, pro eodem accipi
solent; similiter impius et iniquus. Sed
hic per justum intelligi potest, qui circa
Deum juste se habet; et per rectum, qui
circa proximos habet se recte : per im-
pium vero, qui peccat in Deum; et per
iniquum, qui peccat in proximum. Ut sit
sensus : Pro justo datur vir impius, etc., id
est, pro peccato quod impius committit in
justum, datur impius damnationi æternæ,
et quandoque temporali pœnæ aut morti :
sic tyranni pro martyribus dati sunt. Et
propter peccata commissa in hominem re-
ctum, punitur et damnatur iniquus qui
Esther VII, 10. peccavit in illum : sic et Aman pro Mar-
dochæo. Hinc per Isaiam Dominus loquitur
Is. XLIII, 4. Israeli : Dabo homines pro te, et populos
pro anima tua.
19 *Melius est habitare in terra deserta,
quam cum muliere rixosa et iracunda.*
Vers. 9. Hoc est quod dictum est paulo ante : Melius
est sedere in angulo domatis, quam cum
muliere litigiosa. Porro alibi plus dicitur,
Eccli. XXV, 23. utpote : Commorari leoni et draconi place-
bit, quam habitare cum muliere nequam.
20 — *Thesaurus desiderabilis,* id est opulen-
tia meritorum, *et oleum* pietatis ac cari-
tatis, sunt *in habitaculo justi,* id est in
corde ipsius, vel in ejus domesticis bene
rectis et obedientibus sibi; vel in sancto-
rum Ecclesia; *et imprudens homo dissipa-
bit illud,* id est, habitaculum justi scanda-
lizabit et destruet, quantum in se est, et si
21 potuerit. — *Qui sequitur,* id est, apprehen-
dit, amat et exercet, *judicium et misericor-
diam, inveniet vitam* gratiæ, *et justitiam,*
id est justam a Deo remunerationem, *et*
22 *gloriam* claritatis cœlestis. — *Civitatem
fortium ascendit sapiens, et destruxit ro-
bur fiduciæ ejus.* Sic Moyses, Josue, David,
ac alii justi reges, ac Machabæi, fortissima
adversariorum suorum oppida obsederunt
et expugnaverunt. Ideo ait Apostolus : San- Hebr. XI, 33.
cti per fidem vicerunt regna. Christus quo-
que per beatissimos suos apostolos Petrum
et Paulum, ascendit dominam mundi Ro-
mam, eamque fidei suæ subjecit, quemad-
modum Isaias prædixit : Civitatem subli- Is. XXVI, 5.
mem humiliabit; humiliabit eam usque ad
terram. Potest item per civitatem fortium,
intelligi mundus positus in maligno, in I Joann. V, 19.
quo dæmones dominabantur : quem Chri-
stus per se et sanctos Apostolos ab idolo-
latria convertit ad fidem.
Qui custodit os suum ab immoderantia 23
cibi et potus, *et linguam suam* a verborum
excessu, *custodit ab angustiis animam su-
am :* quas gulosi incidunt et verbosi. Iste
versiculus expositione non indiget, sed ex-
hortatione et adimpletione. Qui ergo cupit
a multis præservari angustiis, periculis et
peccatis, custodiat os et linguam. Etenim
vir verbosus non dirigetur in terra. Et sic- Ps. CXXXIX, 12.
ut Jacobus ait apostolus, Si quis putat se Jacob. I, 26.
religiosum esse, non refrenans linguam
suam, hujus vana est religio. Atque, ut Se-
neca protestatur : Qui nescit tacere, nescit
loqui. Hinc abbas Agathon lapidem diu
portavit in ore, ut disceret os suum custo-
dire. — *Superbus et arrogans vocatur in-* 24
doctus, qui in ira operatur superbiam, id
est, ex impetu iræ procedit in opus super-
bum, injuriosum seu contumeliosum. Talis
enim est fatuus, dono sapientiæ carens,
nec unctus seu doctus a Spiritu Sancto,
quando ita se habet, quamvis ante forsitan
fuerit bonus et sapiens, et quamvis huma-
na instructione sit eruditus.
Desideria occidunt pigrum. Habet enim 25
desideria vitiosa, quibus spiritualiter mor-
tificatur. Cupit quoque adipisci terrena,
non tamen vult laborare pro illis : sicque
desideria ipsum affligunt, dum rebus caret
optatis. Unde subjungitur : *noluerunt enim
quidquam manus ejus operari :* id est, vi-
res ejus practicæ noluerunt aggredi actus
virtutum, neque laborem honestum. *Tota* 26
die concupiscit et desiderat temporalia bo-

Digitized by Google

na, et interdum etiam spiritualia, remisso A
affectu, sed abhorret laborem; *qui autem*
justus est, tribuet ea quæ rationabiliter
postulantur ab eo pro posse, sicut ait Sal-
Luc. vi, 30. vator : Omni petenti te tribue; *et non ces-*
sabit tempore opportuno sua communi-
care et agere bene.
27 *Hostiæ impiorum abominabiles, quia*
offeruntur ex scelere, id est ex rapina aut
furto, aut mercede prostibulari. Hostiæ
namque legales non erant acceptæ in se,
sed ex offerentium fide et devotione: ideo
displicuerunt Deo, quando ex injustitia et B
28 vitio aut turpitudine offerebantur. — *Te-*
stis mendax peribit. Unde dictum est su-
Prov. xix, 5. pra : Testis mendax non erit impunitus.
Vir obediens loquetur victorias : id est, ipso
facto ostendet se fortem ac victoriosum,
dabitque aliis materiam loquendi de hoc;
vel, ad laudem Dei ædificationemque pro-
ximi, narrabit qualiter obediendo prævaluit
adversariis suæ salutis, et carnem ac sen-
sualitatem rationi subjecerit, et suo domi-
natus sit animo, viceritque se ipsum. Vel,
Loquetur victorias, id est, humilia et obe- C
dientialia dabit responsa præcipientibus
sibi, per quæ adversariis gratiæ prævale-
bit. Loquetur quoque libenter victorias, id
est aliorum electorum gloriosos triumphos,
quibus de mundo, carne atque diabolo
29 triumphaverunt. — *Vir impius procaciter*
obfirmat vultum suum, id est, interiorem
suam indurationem impudenter ostendit
facie torva, et quasi se armat vultu feroci
ad non recipiendum exhortationem, corre-
Gen. xxxi, 2, 5. ptionem, emollitionemve aliquam. Sic La-
ban obfirmavit vultum suum adversus Ja- D
I Reg. xviii, 9. cob, et Saul contra David, quem non rectis
oculis intuebatur. *Qui autem rectus est,*
corrigit viam suam, id est, quotidie stu-
det venialia peccata bonis actibus suis ad-

mixta, emendare, vitare, delere, et accusat
se ipsum.
Non est sapientia, non est prudentia, 30
non est consilium contra Dominum : id
est, nec per cognitionem divinorum, nec
per notitiam creaturarum, nec per investi-
gationem agibilium potest quis Deo resi-
stere, et ejus propositum impedire, aut
voluntatem ipsius ab effectu absolute vo-
lito retardare : quoniam ipse per Prophe-
tam testatur : Consilium meum stabit, et *Is.* xlvi, 10.
omnis voluntas mea fiet; et per alium :
Quis similis mei, et quis sustinebit me? et *Jer.* xlix, 19; l, 44.
quis est iste pastor qui resistat vultui meo?
Ideo sanctus Job fassus est : Deus solus *Job* xxiii, 13.
est, et cogitationem ejus nemo avertere
potest; et quodcumque voluit, fecit. Imo
sæpe per ea quæ homines agunt ad impe-
diendum id quod Deus decrevit, illud am-
plius adimpletur. Insuper potest et ita
exponi, quod nulla sapientia hæreticorum,
nulla scientia philosophorum, nullum con-
silium tyrannorum, potuit evangelicæ legis
ac fidei veritatem reprobare, exstirpare,
aut ejus diffusionem per mundum impe-
dire, quoniam Deus decrevit eam disse-
minare et confirmare in mundo.
Equus paratur ad diem belli, Dominus 31
autem salutem tribuet : id est, quamvis
pugnaturi ad præliandum se muniant equi-
tatura et armatura, faciendo quod in ipsis
est, ne videantur Deum tentare; tamen ex
divina providentia et omnipotentia Dei,
conceditur huic aut illi victoria. Idcirco
in Deo principaliter est sperandum, et ejus
auxilium est petendum. Unde in Psalmo
dicitur : Fallax equus ad salutem ; et ali- *Ps.* xxxii, 17.
bi, Victoria de cœlo est. Hinc legitur in *I Mach.* iii, 19.
libro Verborum dierum: Si putas in robo-
re exercitus bella consistere, superari te *II Par.* xxv, 8.
faciet Dominus.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII

DECLARATIO CAPITULI VICESIMI SECUNDI : MELIUS EST NOMEN BONUM, ETC.

1 MELIUS *est nomen bonum,* id est fama A honesta et exemplaris, *quam divitiæ multæ :* quoniam magis propinquat ad spiritualia bona, et magis est ad Dei honorem, proximorumque ædificationem, quam facultates; estque de numero bonorum honorabilium, divitiæ autem de numero bonorum utilium, quæ inferioris sunt gra-
II Cor. II, 15. 14. dus. Hinc dixit Apostolus : Christi bonus odor sumus in omni loco. Denique Deo debemus conscientiam puram, proximis famam bonam, ne scilicet scandalizentur in
Matth. v, 16. nobis. Ideo jussit Salvator : Luceat lux B vestra coram hominibus. Hinc asserit Augustinus : Duo sunt necessaria, scilicet conscientia et fama : conscientia, propter te; fama, propter proximum. Qui conscientiæ suæ confidens, famam negligit, crudelis est. *Super argentum enim et aurum* valet *gratia bona :* per quam homo acceptus est proximis propter suas virtutes; et maxime valet gratia Dei apud homines. Etiam plus prodest homini gratia quam invenit coram eis, quam opes. Id-
Eccli. XLI, 15. circo in Ecclesiastico scriptum est : Curam C habe de bono nomine; hoc enim plus prodest tibi, quam thesauri. Unde et Seneca : Bona, inquit, opinio (id est fama hominum) est tutior quam pecunia ; et rursus, Bona fama in tenebris suum habet splendorem.

2 *Dives et pauper obviaverunt sibi; utriusque operator est Dominus.* Ideo, sicut dives non est propter divitias honorandus, ita nec pauper ob suam pauperiem contemnendus. Nec dives debet despicere pauperem, nec pauper dijudicare divitem. D Imo dives debet pauperem honorare in corde suo, tanquam ad misericordiam et
Jacob. II, 5. gratiam Dei magis dispositum. Pauperes enim elegit Deus. Et, sicut ait Gregorius, hos elegit Deus, quos despicit mundus. Unde S. Joannes Eleemosynarius, patriarcha Alexandrinus, pauperes semper vocavit dominos suos. At vero Deus quosdam divites, quosdam pauperes fecit, ut divites temporalia bene dispensando, et ea pauperibus communicando, bonæ dispensationis meritis consequantur salutem; pauperes vero, suæ paupertatis purgatorium æquanimiter tolerando, per patientiam coronentur.

Callidus videt malum, id est imminens 3
periculum, damnum, tormentum, *et abscondit se,* id est, retrahit se, ne incidat illud : quod licitum est, nisi ex præcepto teneatur veritatem fateri, seu aliquid facere, ex quo indubitanter malum illud incideret : sicut in certis casibus requirunt caritas atque justitia, ut propter fidei ac veritatis defensionem homo periculis se exponat. *Innocens pertransiit* locum periculi, seu opus bonum publice continuando, *et afflictus est damno.* Sic multi ex Joann. XII, 42.
principibus Judæorum credebant in Christum; sed quia videbant sibi ex hoc imminere periculum, non confitebantur, ut ait evangelista Joannes. Apostoli vero innocentes, et eorum consortes, processerunt in publica fidei confessione, et passi sunt persecutiones diversas.

Finis modestiæ : de qua loquitur Pau- 4
lus, Modestia vestra nota sit omnibus ho- Philipp. IV, 5.
minibus; est *timor Domini.* Modestia interdum est specialis virtus, prout in secunda secundæ, quæstione 160, Thomas declarat. Sed nunc accipi potest pro moderamine observando in omni virtute morali, ad quam spectat passionem reformare. Omnes autem virtutes morales tendunt ad

Digitized by Google

hoc, ut passionibus reformatis, ad eam A
sinceritatem et rectitudinem homo per-
veniat, quod jugiter timeat filiali timore
Deum etiam quantumlibet modice inhono-
rare sive offendere. Et non solum timor
Domini est finis modestiæ, sed item *divi-
tiæ,* id est spiritualis opulentia in donis
virtutibusque theologicis, *et gloria* æter-
nalis, *et vita* beatificæ fruitionis.
5 *Arma et gladii in via superbi,* id est,
superbia in viis et factis suis ad bella et
bellica instrumenta convertitur, quibus
frequenter abutitur, non advertens nec B
Matth. metuens quod ait Salvator : Quicumque
xxvi, 52. acceperit gladium, gladio peribit. *Custos
autem animæ suæ,* ne peccet, *longe rece-
dit ab eis,* id est a prætacta armorum
6 tyrannide et abusu. — *Proverbium est :
Adolescens juxta viam suam,* id est se-
cundum modum suum conversans, *etiam
quum senuerit, non recedet ab ea :* juxta
illud metricum, Quod nova testa capit, in-
veterata sapit. Ideo versiculus ille repudi-
atur : Angelicus juvenis senibus satanescit
in annis. Imo et ait Philosophus Ethico- C
rum primo, non parum prodesse, juvenes
assuefieri virtutum operibus. Et Seneca
in suis ait Proverbiis : Facile est teneros
7 adhuc annos componere. — *Dives paupe-
ribus imperat,* id est, imperiose loquitur
eis, præsertim servientibus sibi, et indi-
gentibus sui. Dives quoque in sapientia
atque virtutibus, præcipit discipulis suis
adhuc pusillis. *Et qui accipit mutuum,
servus est fœnerantis,* id est ejus qui sibi
accommodat mutuum : quia tenetur ac-
commodanti rependere vicem, et indiget D
se illi subjicere. Unde et Seneca dixit :
Beneficium accipere, est vendere liber-
tatem.
8 *Qui seminat iniquitatem,* id est discor-
diam aut falsam doctrinam, *metet mala,* id
est, damnationem et tormenta recipiet pro
Galat. vi, mercede, dicente Apostolo, Quæ semina-
8. verit homo, hæc et metet ; *et virga iræ
suæ,* id est tribulatio quam ex ira aliis
infert, *consummabitur,* id est, finem ac-
cipiet ; vel ipse consummabitur virga iræ
suæ, id est, punitio qua æternaliter punie-
tur propter iram et injuriam quas intulit
aliis, erit finis et consummatio seu dam-
natio ejus finalis. Hinc scriptum est :
Arastis impietatem, iniquitatem messui- *Osee* x,
stis, et comedistis frugem mendacii. —
Qui pronus est ad misericordiam, non 9
solum ex inclinatione ingenita et natura-
li complexione, sed ex exercitatione assi-
dua, *benedicetur :* quia a Deo dona gra-
tiæ et gloriæ sortietur, et homines eum
laudabunt, bona imprecando eidem. Talis
fuit sanctus Job, qui ait : Ab infantia cre- *Job* xxxi,
vit mecum miseratio. *De panibus enim
suis dedit pauperi. — Victoriam et hono-
rem acquiret qui dat munera.* Talis enim
a multis diligitur et juvatur, et si ex cari-
tate egenis largitur, gratiam prævalendi
hostibus suæ salutis a Deo sortitur. *Ani-
mam autem aufert accipientium :* id est,
corda accipientium munera sua allicit si-
bi, benevolentiam eorum captando, quasi
furatur ea ipsis, et transformat in se. Ve-
rumtamen iste versus non est in Hebræo.
Ejice derisorem, tu qui auctoritative et 10
apte potes hoc facere, *et exibit cum eo
jurgium,* cujus ipse est incitator et causa,
cessabuntque causæ, id est lites, *et con-
tumeliæ :* quarum ipse incitator est. Ideo
causa remota, removebitur et effectus. Sic
et hæreticus incorrigibilisque transgres-
sor, et communitatis turbator, sunt ab Ec-
clesia et congregatione ejiciendi. — *Qui* 11
diligit cordis munditiam, ita quod habet,
amplectitur et custodit eam in corde suo,
propter gratiam labiorum suorum, id est
propter gratiam suæ puritatis quæ redun-
dat in labiis suis, quibus libenter de mun-
ditia loquitur ; vel, Propter gratiam labio-
rum suorum, id est gratiosam efficaciam
suæ sermocinationis, venientis ex puritate
interna : ex qua sermocinatione innotescit
cordis sui munditia ; *habebit amicum re-
gem* Deum omnipotentem essentialiter san-
ctum et purum. Similitudo enim est causa
amoris. Talis quoque placet omni regi ter-
reno et bono. — *Oculi Domini custodiunt* 12
scientiam : id est, divinæ pietatis respe-

Digitized by Google

ctus conservat in mente salubrem noti- A
tiam, et præsertim scientiam quæ est do-
num; *et supplantantur verba iniqui:* quia
a Deo falsa esse monstrantur, et sæpe ab
optato impediuntur effectu.
13 *Dicit piger: Leo est foris, in medio pla-
tearum occidendus sum:* id est, calvas,
vanas et leves quærit occasiones et excu-
sationes, quibus evadat aggredi et exercere
opera bona. Sic tempore persecutionis, im-
perfecti ac timidi subterfugiunt fidem pu-
blice confiteri, dicentes quod adsint ty-
14 ranni. — *Fovea profunda, os alienæ:* id B
est, verba lasciva et oscula feminæ adulte-
ræ et fornicariæ, seu dogmata deceptricis
scientiæ, assimilantur foveæ profundæ,
in quam merguntur et pereunt corruen-
tes: sic os tale trahit ad enormitatem pec-
cati et tormentorum voraginem. *Cui iratus
est Dominus,* id est, quem justo relinquit
Ps. LXXX, 13. judicio, juxta illud, Dimisi eos secundum
desideria cordis eorum; *incidet in eam.*
Quum enim destitutus fuerit miser homo
gratia Creatoris, mox labitur in profundi-
tatem criminum et erroris, quemadmodum C
Is. LVII, 17. per Prophetam loquitur Dominus: Averti
faciem meam ab eo, et abiit vagus in via
cordis sui. Unde et idem Propheta dicit
Ibid. LXIV, 5. Deo: Ecce tu iratus es, et peccavimus.
15 *Stultitia colligata est in corde pueri*
nondum adultæ ætatis: quia ad ludicra
jugiter inclinatur, nec habet acquisitam
prudentiam, experientiam, rationemve for-
tem: similiter in corde pueri sensu, quam-
Ibid. LXV, 20. vis forte sit centum annorum; *et virga
disciplinæ,* per quam fit correctio, *fugabit
eam:* non enim amore virtutis et rationa- D
bili persuasione, sed timore et pœna re-
primuntur, instruunturque pueri circa ex-
16 ordium discretionis. — *Qui calumniatur
pauperem, ut augeat divitias suas,* per ea
quæ abstrahit pauperi, vel quæ capit ab
impio, ut propter ejus preces ac munera
opprimat pauperem; *dabit ipse ditiori,* id
est, a judice superiori adjudicabitur pecu-
niariæ satisfactioni, et privabitur rebus
male adeptis, *et egebit.* Similiter qui pau-
peri spiritu et humili detrahit, ut ipse
ex hoc melior videatur, cogetur reddere
rationem Christo, et miser probatus dam-
nabitur.
Fili mi, inclina aurem tuam, etc. Circa 17
hæc ait Glossa: Hucusque titulus Parabo-
larum Salomonis, qui supra est positus
illo loco ex quo cœpit novo loquendi ge-
nere loqui, non ad eum quem docuit, sed
secum ratiocinando: quod incipit ibi, Fi- Prov. X, 1.
lius sapiens lætificat patrem; et finitur
hic, Dabit ipse ditiori, et egebit. Hic ad
priorem loquendi modum revertitur, diri-
gendo verba ad eum quem docet. Cui jam
ait: *Fili mi, inclina aurem tuam,* id est,
humiliter et ardenter applica aures cordis
et corporis: quod est signum egregiæ in-
dolis; *et audi verba sapientium,* id est ad
verba sapientium. *Appone autem cor tuum
ad doctrinam meam. Quæ pulchra erit* 18
tibi: quia admixtione caret erroris et vi-
tii, et luce veritatis resplendet; *quum
servaveris eam* per memoriam et effectum,
in ventre tuo, id est in mente, in qua ani-
mæ fercula suscipiuntur, digeruntur et
conservantur; *et redundabit in labiis tuis,
ut sit in Domino fiducia tua. Unde et os-* 19
tendam eam tibi hodie: quia instructio
ista est sæpius iteranda.
Ecce descripsi eam tibi tripliciter: ut- 20
pote anagogice, symbolice, historice. Vel,
Tripliciter, id est litteraliter seu historice,
et tropologice seu moraliter, et allegorice.
His enim modis Scriptura exponitur, et
triplex theologia assignatur. Vel, Triplici-
ter, id est proportionabiliter juxta tripli-
cem hominum statum, videlicet incipien-
tium, proficientium, et perfectorum. Nam
et in isto Proverbiorum volumine, doctri-
na seu sapientia quandoque traditur tam
subtiliter ac profunde, ut solum perfectis
conveniat; quandoque mediocriter, prout
proficientibus competit; aliquando ita sim-
pliciter, ut incipientium congruat capaci-
tati. Vel, Tripliciter, quia, sicut circa exor-
dium operis hujus inductum est, Salomon
in tribus suis voluminibus de sapientia
tripliciter tractat, ac triformem tradit do-
ctrinam. Aliqui autem dicunt, Salomonem

Digitized by Google

hic loqui in persona Dei, qui sapientiam descripsit per Sanctos suos tripliciter, secundum tres partes Scripturæ : quia descripsit eam in lege, in Prophetis, atque in libris hagiographis. Porro, quod subditur, *in cogitationibus et scientia,* intelligendum est quod sapientia seu sacra doctrina consistit in actuali consideratione, et in habituali notitia : et quantum ad horum utrumque, tripliciter est descripta; nam et habitualis notitia, ad actualem finaliter ordinatur.

21 *Ut ostenderem tibi firmitatem,*id est firmam Scripturæ intelligentiam, quæ tot modis exponitur, virtutum quoque stabilitatem, ad quam doctrina moralis refertur ac tendit, et qualiter mente robusta inhærendum sit summo bono, *et eloquia veritatis,* id est sermones divinæ Scripturæ, per quos te in omnibus possis dirigere; *respondere ex his illis qui miserunt te,* id est ad respondendum ex horum notitia sapienter majoribus tuis, potissime Deo in suo judicio, et angelis ac prælatis, a quibus ad diversa agenda dirigeris. In Hebræo tamen fertur haberi, Respondere ex his interrogantibus te : et sic textus est planior. Nam et beatissimus Archiapostolus in sua prima hortatur Canonica : Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est, fide et spe. (1 Petr. III, 15.) Porro, qui interrogat alium, mittit eum quodammodo ad interiora sua, ad cogitandum et deliberandum de sibi proposita quæstione : et sic translatio nostra redit in idem.

22 *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est.* Hoc dupliciter potest exponi. Primo sic : Eo ipso quo pauper est, non facias violentiam ei : nam quamvis illicitum et crudele sit alicui violentiam inferre, præcipue tamen impotenti et pauperi, miserabilibusque personis. Secundo sic : Non facias violentiam pauperi quia pauper est, id est ob hoc quod inops et impotens est ad resistendum. *Neque conteras egenum in porta,* id est in foro judicii, quod antiquitus fiebat in urbium portis, sicut in Deuteronomio Dominus jubet : Judices constitues in omnibus portis tuis. (Deut. XVI, 18.) Hinc Job dicit : Si levavi super pupillum manum meam, etiam quum viderem me in porta superiorem. (Job XXXI, 21.) Et per Prophetam Dominus loquitur : Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? (Is. III, 15.)
23 *Quia Dominus judicabit causam ejus :* quia male judicata Dominus rejudicabit, et ipse omnium judex est. (Hebr. XII, 23.) Specialiter vero pauperum est protector, quorum injuriam gravius vindicat; cui in Psalmo cantatur : Tibi derelictus est pauper; (Ps. X, 14 sec. Hebr.) et denuo, Facit judicium injuriam patientibus. (CXLV, 7.) Quibus ipse locutus est per Zachariam : Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei. (Zach. II, 8.) *Et configet eos* puncturis æternæ damnationis, *qui confixerunt animam ejus,* id est, animam pauperis afflixerunt injuste.

24 *Noli esse amicus,* id est familiaritatem aut societatem habens, *homini iracundo :* quem tamen debes ex caritate diligere; *neque ambules* libenter, aut solus, aut sæpe,
25 *cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus,* id est, ne provoceris ex ira et impatientia ac furore ejus, sicque assuescas faciliter ad iram impatientiamque moveri, contendere, perturbari : quemadmodum scriptum est, Cum perverso perverteris; (Ps. XVII, 27.) et alibi rursus, Amicus stultorum efficietur similis. (Prov. XIII, 20.) *Et sumas scandalum,* id est occasionem ruinæ, *animæ tuæ,* ex tali societate et communione. Quærenda est ergo amicitia, familiaritas atque societas hominis mansueti, virtuosi, fidelis. Sed pensandum quod in Proverbiis suis Seneca ait : Quam multi amicos tales habere voluerunt, et ipsimet tales esse non potuerunt! Ideo rursus optime docet et consulit : Te ipsum primo exhibe bonum, et sic quære alterum similem. Verumtamen istud de imperfectis intelligendum videtur : quibus periculosa est amicitia et familiaritas iracundorum, quia adhuc proni sunt scandalizari. Perfecti autem, ut ait Hieronymus, scandala non recipiunt : qui adeo virtuosi et fortes sunt, quod sua mansuetudine, pietate, patientia, caritate et exemplo, ira-

Digitized by Google

cundos et alios passionatos possunt ad re-
formationem allicere.
26 *Noli esse cum his qui defigunt,* id est
obligant, *manus suas,* extendendo eas ad
promittendum pro aliis, *et qui vades,* id
est fidejussores, *se offerunt pro debitis*
27 alienis. *Si enim non habet* ille pro quo
fidem facis, et satisfactionem in casu pro-
mittis, *unde restituat,* id est, debitum suum
persolvat, et fidejussori satisfacere queat,
quid causæ est, id est quæ ratio sive uti-
litas, *ut tollas vestimentum de cubili tuo,*
id est, vestem tuam des in pignus pro
illo? quasi dicat : Sine necessitate ingeris
tibi damnum atque molestiam. Tamen in
necessitate et ex rationabili causa ac cari-
tate, pium est cum discretione pro amico
fidejubere.
28 *Ne transgrediaris terminos antiquos,*
quos posuerunt patres tui : id est, bona et
confinia aliorum non invadas, nec cupide
quæras, sed esto contentus hereditate pa-
trum tuorum. Spiritualiter vero, non debe-
mus transgredi regulas et præcepta, insti-
tutiones et documenta, a patribus nostris
nobis præfixa ac derelicta; nec intromit-
tere nos de his quæ statum, gradum, vires
et auctoritatem nostram transcendunt, sed
juxta nostræ vocationis et professionis exi-
gentiam ac tenorem, Omnipotenti sollicite
deservire; nec terminos obedientiæ nostræ
exire, quemadmodum libro de Angelica
hierarchia divinus et magnus Dionysius
docet et asserit, quod nullus angelicorum
spirituum legem sibi divinitus præfixam
A audet transcendere. Hinc in Deuterono-
mio scriptum est : Non transferes termi- *Deut.* xix, 14.
nos quos fixerunt priores in possessione
tua.
Vidisti virum velocem, id est expedi- 29
tum, strenuum, agilem, *in opere suo* bono?
Coram regibus stabit, id est, aptus erit
regibus obsequi : tales enim ministri regi-
bus placent, quoniam volunt sibi prompte
atque velociter obediri; *nec erit ante igno-*
biles : id est, non decet eum ignobilibus
ministrare, nec ipse libenter hoc faceret.
B Spiritualiter vero, qui velox et fervens est
in actibus virtuosis, coram regibus regni
cœlestis, id est sanctis Apostolis et aposto-
licis viris, stabit, puta ad dexteram Judicis *Matth.* xxv, 33.
in die judicii, et cum ipsis æternaliter Re- I *Tim.* i, 17.
gem sæculorum immortalem, invisibilem,
intuebitur ac laudabit. Nec erit ante igno-
biles, qui a sinistris consistent. Itaque cum *Matth.* xxv, 33.
moderata velocitate, et discreta alacritate,
ac caritativa festinantia, serviendum est
Deo, quemadmodum in Genesi narratur
de Abraham, quod tribus angelis hospitio *Gen.* xviii, 2-7.
C susceptis, festinavit, et dixit ad Saram,
Accelera; et ipse ad armentum cucurrit,
deditque puero vitulum, qui festinavit et
coxit illum. Ubi loquitur Origenes : Vide
quomodo in domo sapientis omnes festi-
nant, et nihil cum torpore aut negligentia
agitur : festinavit Abraham, et cucurrit;
festinavit Sara, et azymos panes paravit;
festinavit et puer, vitulum coquens. Hinc
in Ecclesiaste inducitur : Quodcumque po- *Eccle.* ix, 10.
test manus tua, instanter operare.

ARTICULUS XXIII

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI TERTII : QUANDO SEDERIS UT COMEDAS CUM PRINCIPE, ETC.

1 QUANDO *sederis ut comedas cum prin-*
cipe, diligenter attende quæ posita
2 *sunt ante faciem tuam, et statue cultrum*
in gutture tuo. Potest hic locus primo su-
D perficialiter accipi de modo habendi se in
mensa corporalis refectionis cum princi-
pe : cum quo modeste ac sobrie est eden-
dum, ita ut proposita alimenta diligenter

Digitized by Google

pensentur, ne de eis aliquid inordinate aut
immoderate sumatur. Sicque culter in gut-
ture est ponendus, id est, guttur virtute
temperantiæ, quæ instar cultelli rescindit
superflua, refrenandum est a voluptuosa
et gulosa alimentorum acceptione. Nempe,
Job xxxiv, 3. ut in Job scriptum est, Guttur escas gustu
dijudicat. Istud ergo agendum est, *si ta-
men habes in potestate animam tuam,* id
est, si ratione et virtute eam regere atque
reprimere potes. Secundo exponitur sic :
Quando sederis ad mensam sapientiæ et
sacræ Scripturæ, id est, verbum Dei audi-
eris, aut sacræ fueris lectioni intentus, *ut
comedas cum principe,* id est, cum præla-
to seu doctore reficiaris sensu verborum
cœlestium, *diligenter attende quæ posita
sunt,* id est documenta, præcepta, consi-
lia et exempla quæ audis seu legis, ut ea
Jacob. iv, 17. intelligas et observes. Scienti enim bonum
et non facienti, peccatum est illi. Et Scri-
ptura tanquam sermo et epistola Spiritus
Sancti, cum omni diligentia est legenda ac
audienda, ut secundum eam vivatur. *Et
statue cultrum,* id est discretionem super-
flua resecantem, *in gutture tuo,* id est
in interiori palato, quo dulcedo verborum
Dei percipitur; vel, In gutture tuo, id est
locutione, quæ per guttur formatur, qua-
Eccle. vii, 17; Rom. xii, 3. tenus non velis plus sapere, profundius
perscrutari, subtilius loqui quam expedit
et capere vales. Præterea præinductam au-
ctoritatem Augustinus in quodam sermone
exponit de mensa Christi, in qua corpus
ejus et sanguis proponuntur, ejusque pas-
sio, virtutes et opera recitantur : quæ om-
nia sunt diligentissime advertenda, ac pro
viribus imitanda, et devotissime susci-
pienda.

3 *Ne desideres de cibis ejus in quo est
panis mendacii :* id est, nec corporaliter
nec spiritualiter cupias refici ab eo, qui vel
fallacem proponit doctrinam, vel alimen-
ta mendaciter aut injuste adepta habet et
4 exhibet. — *Noli laborare ut ditaris* in re-
bus terrenis ultra qualitatem et dispositio-
I Tim. vi, 9. nem tui status : quia, ut ait Apostolus, Qui
volunt divites fieri, incidunt in tentatio-
nem et laqueum diaboli. *Sed prudentiæ
tuæ pone modum,* ne vertatur in vitium
quærendo superflua. — *Ne erigas oculos* 5
tuos ex aviditate acquirendi, *ad opes quas
habere non potes, quia facient sibi pennas
quasi aquilæ, et volabunt in cœlum :* id
est, sua pretiositate tuam effugiunt capaci-
tatem, sicut aquila sua velocitate volat in
altum; atque ad Creatoris cedunt hono-
rem, qui ex suis creaturis ostenditur hono-
randus. Potestque istud de spiritualibus
accipi opibus, ut scilicet homo nequaquam
præsumat Deitatis penetrare secreta, nec
incomprehensibilia perscrutari conetur, nec
ad perfectionem virtutum, stabilitatemque
cordis viatoribus impossibilem conetur in
hac vita pertingere, quum scriptum sit :
Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit; Jer. xlviii, 36.
et alibi : Noli esse justus multum, neque Eccle. vii, 17.
plus sapias quam oportet, ne obstupescas.
Ne comedas cum homine invido, quem 6
scis talem esse et te odire; *et ne desideres
cibos ejus; quoniam in similitudinem ari-* 7
oli et conjectoris æstimat quod ignorat : id
est, sicut divinator, et qui conjecturis in-
tentus est, aut somnia exponit, sæpe su-
spicatur aut asserit quod non scit; sic
invidiosus putat variis modis nocere, quod
tamen quandoque non valet implere. Si-
militer cum hæreticis et fallacibus docto-
ribus non est communicandum in mensa
sapientiæ, quia Scripturas false interpre-
tantur, aut ad finem retorquent perversum,
de futuris quoque pronosticare usurpant.
Comede et bibe, dicet tibi, invitando te
ficto amore; *et mens ejus non est tecum,*
id est tibi conjuncta per verum et spiri-
tualem amorem. *Cibos quos comederas,* 8
evomes : id est, non commodum, sed magis
dispendium ex comestione cum illo habita,
consequeris; *et perdes pulchros sermones
tuos,* id est, fructum non habebis ex verbis
peritis seu caritativis quæ habuisti cum
tali, quia decipiet te, si potest. Deus tamen
nullum bonum irremuneratum relinquit.
In auribus insipientium, quos scis aut 9
experiris incorrigibiles esse, *ne loquaris,*
eos docendo aut increpando; *quia despi-*

Digitized by Google

cient doctrinam eloquii tui, et ita non A
emendantur, sed pejorantur. Unde ait Sal-
Matth. vii, 6. vator : Nolite sanctum dare canibus. Et in
Eccli. xxxii, 6. Ecclesiastico legitur : Ubi non est auditus,
non effundas sermonem. Ezechieli quo-
Ezech. iii, 26. que Dominus dixit : Non eris quasi vir
objurgans, quia domus exasperans est. —
10 *Ne attingas terminos parvulorum,* id est,
nihil de terra et possessione illorum inva-
das, aut subtrahas eis; *et agrum pupillo-*
11 *rum ne introeas* ad vastandum. *Propinquus*
enim eorum, scilicet judex terrenus, ejus-
dem cum illis naturæ exsistens, vel potius B
Hebr. xii, 9. Deus omnipotens, pater spirituum, et spe-
cialis miserabilium personarum patronus
Ps. x, 14. sec. Hebr. (cui fertur in Psalmo, Orphano tu eris ad-
Ps. cxlv, 9. jutor; et rursus, Pupillum et viduam sus-
Ps. cxiv, 6. cipiet; itemque, Custodiens parvulos Do-
minus), *fortis est, et ipse judicabit contra*
te causam illorum, id est, causam illorum
justam ostendet, et tuam injustitiam vin-
Deut. x, 18. dicabit : juxta illud, Facit judicium pu-
pillo et viduæ.
12 *Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, et*
aures tuæ ad verba scientiæ: id est, ad audi- C
endum doctrinalia et salubria verba acce-
13 de.— *Noli subtrahere a puero,* id est a filio
tuo carnali adhuc juvenculo, vel a subdito
indisciplinato ac puero sensibus, *discipli-*
nam, id est correctionem. *Si enim percus-*
seris eum virga corporali aut spirituali,
non morietur, nisi percussio esset prorsus
14 immoderata. *Tu virga percuties eum, et*
animam ejus de inferno liberabis, id est
de vitiis et erroribus, quos incideret nisi
eum disciplinares, et per quos tandem cor-
rueret in gehennam. D
15 *Fili mi, si sapiens fuerit animus,* id est
spiritus seu intellectus *tuus, gaudebit te-*
cum, id est, congratulabitur tibi, *cor meum*
16 ex caritate qua diligo te, *et exsultabunt*
renes mei, id est, interior lætitia cordis
mei redundabit in corpus, et sensitivus
etiam appetitus lætabitur, *quum locuta*
fuerint rectum, id est justum et pruden-
17 tem sermonem, *labia tua. Non æmuletur*
cor tuum peccatores, id est, eos non imi-
tetur in vitiis, nec odiat eos, in quantum

sunt homines ac viatores, pœnitentiæ et
salutis capaces; *sed in timore Domini* fi-
liali *esto tota die,* id est assidue et omni
tempore gratiæ Christi. De qua die ait
Apostolus : Nox præcessit, dies autem ap- Rom. xiii, 12.
propinquavit; et rursus, Nos qui diei su- I Thess. v, 8.
mus, sobrii simus. *Quia habebis spem* effi- 18
cacem *in novissimo,* id est in fine vitæ
præsentis, *et præstolatio tua non aufere-*
tur, id est, exspectatio qua beatitudinem
præstolaris, non privabitur suo effectu.
Audi, fili mi, et esto sapiens, et dirige 19
in viam gratiæ ac salutis *oculos tuos* in-
teriores, scilicet ad considerandum divina
præcepta, juxta illud : Dirige cor tuum in Jer. xxxi, 21.
viam directam. *Noli esse in conviviis po-* 20
tatorum, nec in comessationibus eorum
qui carnes ad vescendum conferunt : quia 21
vacantes potibus, et dantes symbola, id
est collationem pecuniæ in prædictis, *con-*
sumentur : quia corpus et animam destru-
unt, vitam abbreviant, depauperantur et
condemnantur; *et vestietur pannis dormi-*
tatio : id est, dormitio mortis eorum erit
despecta, seu ipse qui talis est, viliter ope-
rietur in morte. Vel sensus est, quod ad
tantam deveniet paupertatem, ut dormien-
do non habeat sufficiens, sed tenue operi-
mentum.
Audi in rebus licitis *patrem tuum qui* 22
genuit te, et ne contemnas, quum senuerit
mater tua. Imo in senectute et necessitate
debes eis magis caritative ac pie adsiste-
re, quemadmodum in Ecclesiastico legi-
tur : Fili, suscipe senectam patris tui, et Eccli. iii, 14.
non contristes eum in vita illius. *Verita-* 23
tem eme : non dando directe pro ea pecu-
niam, aut aliquod temporale tanquam pre-
tium rei; sed emenda est a Deo, oratione
et opere virtuoso, et a doctoribus, seu
ex libris, studio et labore. Et sicut dantur
temporalia, ut oretur pro dantibus, non
pro oratione, sed ut orantes inclinentur
ex beneficio corporali ad recompensan-
dum in spiritualibus; sic potest tempora-
le dari magistro, ut provocetur ad labo-
randum pro informatione discipuli. De
hujusmodi emptione scriptum est in Isaia :

Digitized by Google

Is. LV, 1. Emite absque argento, et absque ulla
Apoc. III, 18. commutatione. Et alibi dicitur : Suadeo
tibi emere aurum ignitum probatum, id
est caritatem. *Et noli vendere sapientiam,*
quæ est notitia divinorum, *et doctrinam*
moralium, *et intelligentiam* speculabilium:
quæ non sunt sub pretio corporalium re-
rum ponendæ; nihilo minus docens po-
test accipere pro suo labore sustentaculum
vitæ.
24 *Exsultat gaudio pater justi,* id est pater
ejus carnalis, seu spiritualis, si tamen sit
bonus et spiritualiter amans : nam qui-
dam sunt ita perversi, quod de spirituali
et virtuosa filiorum suorum conversatione
tristantur. *Qui sapientem genuit, lætabitur*
25 *in eo. Gaudeat pater tuus et mater tua, et*
exsultet quæ genuit te : id est, tam sa-
pienter et virtuose te habe, ut merito de
te glorientur carnales ac spirituales tui
parentes.
26 *Præbe, fili mi, cor tuum mihi,* ut in-
struatur a me ad vitandum vitia carnis, *et*
27 *oculi tui vias meas custodiant. Fovea enim*
profunda est meretrix, quoniam trahit in
voraginem vitiorum, *et puteus angustus,*
aliena, id est adultera : quia sicut in pu-
teo arcto cadens, ita demergitur ut vix
extrahi queat ; ita qui in adulterium labi-
tur, difficulter curatur. Unde apud Job
Job XXXI, 9-12. inducitur : Si ad ostium amici mei insidi-
atus sum, scortum sit alteri uxor mea :
hoc enim nefas est et iniquitas maxima,
ignis est usque ad perditionem devorans.
28 *Insidiatur in via quasi latro :* nam sicut
latro vult corpus occidere, et occisi bona
diripere ; sic fornicaria et adultera quærit
occidere animam, ac per hoc spiritualia
gratiæ dona ac merita ei auferre ; *et quos*
incautos viderit, id est faciliter deceptibi-
les, qui pericula vitiorum non pensant,
nec vitant prudenter, *interficiet* morte cul-
pæ, trahendo eos ad concupiscendum ac
commiscendum.
29 *Cui væ* æternæ damnationis et præsen-
tis afflictionis? *Cujus patri væ* tristitiæ et
doloris? *Cui rixæ? cui foveæ? cui sine*
causa vulnera? cui suffusio, id est debi-
A litatio et quædam lacrimatio *oculorum?*
Nonne his qui commorantur in vino, et 30
student calicibus epotandis? id est, omnia
mala hæc imminent et contingunt vino-
lentis : qui et parentes suos sæpe contri-
stant, et rixari, pugnare, vulnerari solent
in locis potationum suarum : propter quod
incarcerantur ; et ambulando cadere so-
lent ex cerebri perturbatione propter as-
cendentes fumositates ad caput : quorum
et visus obscuratur, et oculi humore de-
fluente quasi lacrimis humectantur. *Ne* 31
B *intuearis vinum, quando flavescit,* id est,
flavum et quasi aureum quemdam colo-
rem ostendit in se, *quum splenduerit in*
vitro color ejus : id est, ex carnali affectu
non facias hoc, ne provoceris ad potum
illicitum ; tamen ad cognoscendum vini
valorem, justumque pretium, poterit ita
videri. *Ingreditur blande,* quia dulciter
sapit ; *sed in novissimo,* id est, antequam 32
consumatur in corpore, *mordebit ut colu-*
ber, id est, calefactiones pœnales, punctu
ras et multas incommoditates causabit in
C homine vinolento ; *et sicut regulus,* qui
est pessimus serpens, *venena diffundet :*
quia non solum corpus sic lædit, sed ani-
mam quoque ad concupiscentias, et vitia
eas sequentia, incitat. Hinc in Ecclesia-
stico habetur : Vigilia et cholera et tor- Eccli. XXXI, 23.
tura viro infrunito. Vinum multum pota- Ibid. 38
tum, irritationem, iram et ruinas multas
facit.
Oculi tui, quum fueris vino ingurgitatus, 33
videbunt extraneas, id est feminas tibi le-
gitime non unitas, ad peccandum cum eis,
D *et cor tuum loquetur,* id est, intra se cogi-
tabit et ore proferet, *perversa,* id est verba
lasciva, procatoria, vitiosa ; *et eris sicut* 34
dormiens in medio mari. Nam sicut qui
dormit in mari, periculis multis exponi-
tur, fluctibusque marinis jactatur : sic vi-
no repletus, in somnum cito resolvitur, et
humoribus intus exæstuat, ac variis in-
quietudinibus agitatur ; imo periculosissi-
me stat, quantum ad animam. *Et quasi*
sopitus gubernator, amisso clavo. Nam sic-
ut gubernator dormiens, et clavum quo

Digitized by Google

gubernaculum regitur, perdens, negligit ac mergi permittit navem; sic talis vinolentus corpus suum non regit per rationis judicium. Unde Plato dixit, animam se habere ad corpus sicut nauta ad navem.

35 *Et dices,* ad mentem aliqualiter rediens post vitia gulæ atque luxuriæ : *Verberaverunt me :* id est, pravæ affectiones, seu dæmones, ad præfata peccata me instigaverunt, ex quibus multas afflictiones incurri; *et* * *non dolui :* id est, passionibus, voluptatibus et vitiis excæcatus, non percepi neque deflevi læsiones prætactas corporis ac animæ meæ. *Traxerunt me* de uno peccato ac tormento in aliud, *et non sensi :* ex causa præhabita. Sic et Jeremias asserit : Percussisti eos, et non doluerunt. Et alius Propheta dicit : Comederunt alieni robur ejus, et ipse ignoravit. Attamen ista dices, non ex vera et stabili contritione, sed ex lumine rationis, seu fide informi, vel ex ipsa experientia incommodorum tuorum inductus. Idcirco subjungitur: *Quando evigilabo,* id est, ad pristinam vigoris mei habitudinem redibo, *et rursus vina reperiam* ad potandum solito more ?

* sed

Jer. v, 3.

Osee vii, 9.

A Qui enim vitiosa consuetudine gulæ et immunditiæ sunt infecti, quamvis ad horam sua advertunt incommoda, pericula et peccata, mox tamen concupiscentiis inflammati redeunt ad vitia consueta.

Ecce hic docuit Salomon, quanta mala pœnæ et culpæ ex vinolentia oriantur, et quam detestanda sint gulæ atque luxuriæ inquinamenta. Fugienda sunt ergo hæc scelera, in quibus brutale ac turpissimum est jacere. Ideo ait Ambrosius : Ebriosus quum vinum absorbet, absorbetur a vino, B abominatur a Deo, despicitur ab angelis, et ab hominibus irridetur, virtutibus spoliatur, a dæmonibus conculcatur. Econtra de sobrietate loquitur Augustinus : Sobrietas temeritatem fugit et fugat, pericula cuncta declinat, mutuis officiis obtemperat, superbiam detestatur, domum atque familiam cum moderatione gubernat. Et rursus : Sobrietas, inquit, est mentis et sensus membrorumque omnium cautela, castitatis ac pudicitiæ munimentum, pudori proxima, amicitiæ ac pacis conservatiC va, honestati semper conjuncta, vitiorumque omnium profuga.

ARTICULUS XXIV

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI QUARTI : NE ÆMULERIS VIROS MALOS, NEC DESIDERES ESSE CUM EIS.

1 NE *æmuleris,* id est, nec mente nec corpore sequaris, *viros malos,* gulæ atque luxuriæ deditos : de quibus præcedenti capitulo facta est mentio; *nec desi-*
2 *deres esse cum eis : quia rapinas meditatur mens eorum,* id est, bona aliorum cupiunt rapiendo acquirere, quum dissipaverint substantiam suam gulose et immunde vivendo. Qui autem furatur, aut rapit ut gulæ aut luxuriæ vacet, magis dicendus est gulosus aut luxuriosus, quam raptor

Prov. xxiii, 20, 27-30.

D aut fur, ut ait Philosophus. A fine enim denominatio sumitur. Atque, ut ait Ambrosius, intentio imprimit speciem operi. *Et fraudes,* id est verba dolosa, *labia eorum loquuntur,* ut dolo acquirant, quæ per rapinam acquirere nequeunt.

Sapientia ædificabitur domus, et pru- 3
dentia roborabitur. Per sapientiam ædificata est Ecclesia, et discretione boni regiminis roborata. Similiter per sapientiam ædificatur quæcumque congregatio, fami-

Digitized by Google

lia, cognatio ac politia. Per sapientiam enim A
instituitur ad bene vivendum, ad creden-
dum, ad proficiendum : in quibus omnibus
per prudentiam roboratur. Unde Aposto-
I *Cor.* III, 10. lus : Ut sapiens (inquit) architectus, fun-
damentum posui. Sed et domus materialis,
per sapientiam seu prudentiam est ædifi-
Luc. XIV, 28. canda, sicut in Evangelio ait Salvator: Quis
ex vobis volens turrim ædificare, non prius
sedens computat sumptus qui necessarii
sunt? Domus quoque conscientiæ, et habi-
taculum cordis, juxta Christi doctrinam, id
est per evangelicæ legis sapientiam atque B
prudentiam, sunt ædificanda ac roboran-
Matth. VII, 24. da. Propter quod loquitur Veritas : Omnis
qui audit verba mea hæc, et facit ea, assi-
milabitur viro sapienti, qui ædificavit do-
4 mum suam supra petram. — *In doctrina,*
id est per doctrinam observantiamque le-
gis divinæ, *replebuntur cellaria,* id est
corda fidelium, per gratiarum charisma-
ta, sublimata et elevata a terra, *universa*
substantia pretiosa et pulcherrima, id est
cunctis spiritualibus ac internis divitiis,
in quibus est maximus decor et splendor. C
Scriptura etenim docet omnem virtutum
perfectionem, et lex Christi dat gratiam
pertingendi ad eam. Hinc Corinthiis scri-
I *Cor.* I, 5. bit Apostolus : In omnibus divites facti
estis in illo, in omni verbo et in omni
Ps. LXIV, 5. scientia. Alibi quoque ait Scriptura : Re-
Ps. XXXIII, 10. plebimur in bonis domus tuæ; et, Nihil
deest timentibus Deum. Denique in veteri
Testamento per observantiam legis dabatur
Judæis opulentia prosperitasque terrena,
II *Reg.* XXIII, 5; III *Reg.* III, 13; IV, X; II *Par.* XIV, 6-8; XVII, 5, 10-13; XVIII, 1; XX, 30; XXXII, 27-30. ut patet in David, Salomone ad tempus,
Asa, Josaphat, Ezechia. Unde de Josaphat D
fertur in secundo libro Paralipomenon :
Factæ sunt ei infinitæ divitiæ.
II *Par.* XVII, 5. *Vir sapiens fortis est,* ad minus in anima,
cujus præcipua fortitudo est sapientia,
5 maxime illa quæ est donum. Propter quod
Sap. X, 12. scriptum est : Omnium potentior est sa-
pientia. Facit enim mentem Deo firmiter
inhærere, contemplari divina, et per in-
ternum summi boni saporem, aspernari
carnalia : sicque contra invisibilium hosti-
um pugnas roborat sapientem. *Et vir do-*

ctus, præsertim qui unctus est desuper, et
quem unctio docet de omnibus (de quo ait I *Joann.* 27.
Psalmista, Beatus homo quem tu erudieris, *Ps.* XCIII, 12.
Domine, et de lege tua docueris eum), est
robustus intellectu, contra perfidiam et er-
rores, *et validus* voluntate, per caritatem,
quæ tali unctioni et illuminationi semper
conjuncta est. Sunt autem nonnulli, quos
scientia inflat, et qui solum acquisitam I *Cor.* VIII, 1.
habent sapientiam et doctrinam, seu eam
quæ est donum gratiæ gratis datæ; qui
infirmi sunt corde, tentationibusque vin-
cuntur, et vitiorum sunt servi. Quibus di-
cit Propheta : Sapientia tua et scientia tua *Is.* XLVII, 10.
decepit te. Et Christus ait Patri : Abscon- *Matth.* XI, 25.
disti hæc a sapientibus et prudentibus.
Quia cum dispositione, id est provida 6
præparatione et congrua ordinatione, *initur*
bellum, id est, ineundum ac committen-
dum est prælium, tam contra invisibiles
quam contra visibiles hostes. Et in utroque
multitudo ac persona improvida, inordina-
ta, impræparata, non est nisi hostium vi-
ctima; sicque in bello utroque, plus valent
sapientia et doctrina quam fortitudo cor-
porea. Ideo scriptum est : Melior est sa- *Sap.* VI, 1.
pientia quam vires; et vir prudens, quam
fortis. Denique, si quis perpessus sit vul-
nera, damna, seu quæcumque adversa,
multum valet sapientia et doctrina ad con-
solandum eumdem, et ad patientiam am-
plectendam. Unde et ait Philosophus, quod
homo contemplativus seu sapiens, plenus
est jucundis theorematibus, id est sapien-
tialibus considerationibus, per quas potest
se consolari, nec extra se in rebus fœdis
ac vilibus expetit delectari aut consolari.
Et erit salus ubi multa consilia sunt :
quia per inquisitionem consiliarem vitan-
tur pericula. Istud superius diffuse expo- *Prov.* II, 11; XI, 14; XIII, 16.
situm est.
Excelsa stulto sapientia, id est, in alto 7
sita est, seu qualitas valde præclara : sic-
que stultus nequit eam attingere. Si ta-
men exemplo Zachæi, ascendat in arborem *Luc.* XIX, 4.
sycomorum, id est, humilitatem crucis
Christi intueatur et amplexetur, sapien-
tiam veram attinget, sicut præhabitum est:

Digitized by Google

Prov. xi, 2. Ubi humilitas, ibi et sapientia. *In porta* A
non aperiet os suum, id est, in foro judicii
(quod in portis fieri consuevit, juxta illud
Amos v, 15. Prophetæ, Constituite in porta judicium)
non poterit rationabiliter respondere. In
porta quoque, id est in exitu ab hac vita,
præsentatus summo Judici, obmutescet. Sed
quia in verbis proverbiorum istorum Salomon
sæpissime utitur nomine stulti, ne
quis nomine stulti intelligendos putet eos
dumtaxat, qui ex indispositione sensuum
interiorum aut cerebri, ratione nequeunt
8 uti, subjungit quem nominet stultum. *Qui* B
cogitat mala facere cum consensu, id est,
quicumque proponit transgredi Dei præceptum,
stultus vocabitur : quia revera stultus
est valde, quum occidat animam suam,
et Creatori suo rebellis sit et ingratus, ac
summo bono et donis gratiæ privet se,
pessimo quoque hosti suo consentiat, vitiis
ac dæmonibus obsequatur, atque æternæ
damnationis se exponat periculis.
9 *Cogitatio stulti,* qua cum consensu cogitat
facere malum, aut omittere debitum
bonum, *peccatum est; et abominatio ho-* C
minum, detractor, id est, abominabilis est
hominibus oblocutor, peccans contra legem
naturalem, faciendo proximis quod
non vult fieri sibi, et contra legem divinam,
Tob. iv, 16; Matth. vii, 12; Luc. vi, 31. nam, hoc detestabile vitium multoties prohibentem.
Hinc ait Bernardus : Non veniat
anima mea in consilio detractorum, quoniam
Deus odit eos. Nec mirum, quoniam
I Joann. iv, 8, 16. vitium istud caritatem (quæ Deus est) acrius
persequi et impugnare cognoscitur. Et ipse
qui detrahit, primo prodit se ipsum, quod
sit vacuus caritate. Quid demum aliud D
detrahendo intendit, nisi ut is cui obloquitur,
veniat in odium aut contemptum
apud eos, coram quibus venenum detractionis
effundit? Ferit ergo caritatem in
omnibus, quantum in se est, apud quos
detrahit.
10 *Si desperaveris lapsus in die angustiæ
tuæ :* id est, si in peccatum aut damnum,
aut aliam adversitatem dilapsus tempore
tribulationis, desperaveris de venia, consolatione,
evasione, aut damni recuperatione;
imminuetur fortitudo tua, id est,
mente et corpore eris debilior. Nil ergo
desperatione exsecrabilius : quæ etiam ponitur
inter peccata in Spiritum Sanctum.
Sequamur ergo sanctum Job asserentem,
Etiam si occiderit me, in ipso sperabo; et Job xiii, 15.
Abraham patriarcham, qui contra spem in Rom. iv, 18.
spem credidit, hoc est contra spem naturæ,
in spem gratiæ.
Erue eos qui ducuntur ad mortem; et 11
*qui trahuntur ad interitum liberare ne
cesses.* Hoc primo exponitur de his qui
contra justitiam trahuntur ad corporalem
occisionem; secundo, de his qui ab hæreticis
aut perfidis trahuntur ad vitia infidelitatis
: qui per sanam informationem et
signa sunt reducendi; tertio, de his qui a
prava societate quacumque, aut diabolica
tentatione, trahuntur ad peccatum mortale
: quos pro posse debemus revocare atque
convertere; quarto, de his qui fame,
siti, nuditate, frigore, tendunt ad mortem
: quos debemus eruere necessaria
impendendo. Hinc non solum Seneca, sed
et sancti doctores Basilius Ambrosiusque
testantur : Tot homines occidis, quot succurrere
potes, et negligis. *Si dixeris, Vires* 12
non suppetunt : id est, si per impotentiam
tuam excusare te velis, et dissimulare; *qui
inspector est cordis,* utpote Deus, de se
ipso loquens : Non juxta intuitum hominis I Reg. xvi, 7.
ego judico; homo enim videt ea quæ parent,
Dominus autem intuetur cor; *ipse
intelligit* an te vere excuses, *et servatorem
animæ tuæ nihil fallit :* id est, Deum omnia
conservantem in esse, et qui animam
servat in gratia ac virtute, nullus potest
decipere; *reddetque homini juxta opera
sua,* ita quod eruit eos a periculis, et a
morte culpæ ac gehennæ, qui prætactis
modis eruunt proximos suos.
Comede, fili mi, mel, quia bonum est; 13
tamen, si immoderate sumatur, nocet; *et
favum dulcissimum gutturi tuo,* cui dulciter
valde sapit. *Sic et doctrina sapientiæ* 14
dulcissima ac convenientissima refectio est
animæ tuæ : quæ hoc invisibili utitur cibo,
sine quo aret et sitit, juxta illud Psal-

Digitized by Google

Ps. CXLII, 6. mi : Anima mea sicut terra sine aqua tibi. A
Atque per mel, quod in promptu est, litteralis accipitur sensus; per favum, ubi mel in cera, spiritualis ac mysticus intellectus. Hinc Augustinus : Pinguissimus, inquit, est sermo divinus : omnes in se habet delicias; quidquid volueris, ex divino
Sap. XVI, 21. sermone nascitur, sicut manna ad uniuscujusque sapuit voluntatem. *Quam* sapientiam salutarem, *quum inveneris, habebis in novissimis spem* æternæ salutis, dummodo usque ad finem vitæ in sapien-
Ibid. VII, 28. tia ista permanseris. Neminem enim diligit B
Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. *Et spes tua non peribit,* id est, effectus spei tuæ tibi præstabitur, scilicet beatitudo cœlestis : qua adepta, spes cessat, sicut et fides, beatifica fruitione adepta.

15 *Ne insidieris et quæras iniquitatem* * *in*
* impietatem *domo justi :* id est, contra justum et justos ejus domesticos, non quæras occasionem accusandi aut obloquendi; *neque vastes requiem ejus,* id est, pacem ejus non inquietes, nec ipsum perturbes propter venialia et quotidiana ejus peccata, quia de eis quo- C
16 tidie pœnitet. Hinc subditur : *Septies enim in die cadet justus,* id est frequenter, præsertim in venialia : sicque ponitur numerus determinatus pro indeterminato, quem-
Job XXXIII, 29, 30. admodum apud Job habetur : Ecce hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per singulos, ut revocet animas eorum a corruptione, et illuminet luce viventium. Unde subjungitur : *et resurget* per pœnitentiam.
Ps. XXXVI, 24. Propter quod ait Propheta : Quum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Condolendum est igitur D
tali ruinæ, quæ ex fragilitate et humana necessitudine oritur. Hinc Plato loquitur in Phædone : Quamdiu corpus habuerit, et conglutinata fuerit anima huic malo, nunquam plene sufficienterque adipiscemur quod exoptamus. Decies enim millena vacationum (id est contemplationum ac spiritualium studiorum) impedimenta nobis inde proveniunt, propter corporis necessitatem. Verum sunt quidam perversi, qui proprias negligentias et iniquitates palliare optantes, assidue quærunt, observant, recondunt, quod melioribus se opponant. *Impii autem corruent in malum :* id est, sic peccant, quod non student resurgere, sed manent prostrati in vitiis. Aliqui tamen hujusmodi interdum, Omnipotente miserante ac præveniente, resurgunt.

Quum ceciderit inimicus tuus, ne gau- 17
deas : præsertim si in malum culpæ corruerit, de quo nunquam licet gaudere. Si autem in malum pœnæ labatur, et captivetur, infirmetur, puniatur aut occidatur per viam justitiæ, non licet inde gaudere ex odio, ira, aut simili prava radice, sed bene ex caritate et zelo justitiæ, in quantum malum illud pœnale, est pro salute animæ patientis, et expediens bono communi, et alios revocans ab excessu. *Et in ruina ejus non exsultet cor tuum.* Unde
David mortem Saulis deplanxit. Julius quo- II Reg. I, 17-27.
que, viso capite Pompeii adversarii sui, lacrimas fudit. *Ne forte videat Dominus.* 18
Dominus indubitanter omnia videt bona Hebr. IV, 13.
et mala. Ideo sic exponendum est : Ne forte videat Dominus, id est, per vindictam se videre demonstret tuam vitiosam lætitiam. Vel ait, Ne forte, ad insinuandum nostræ voluntatis libertatem ad bona et mala : quia si non agimus malum, nec Deus id videt; qui tamen æternaliter ineffabiliterque cuncta prævidit, sed ob hoc necessitatem non imposuit rebus actibusque humanis. *Et displiceat ei,* cui displicet omnis culpa : non per displicentiam beatæ voluntati contrariam, quæ habet quidquid vult, et quidquid non vult, eo caret; sed displicentia illa non est nisi detestatio, qua Deus detestatur omne quod bonitati ac virtuti opponitur. *Et auferat ab eo iram suam.* Non gaudere de ruina alterius, ne Dominus ab illo auferat iram suam, non esset caritatis, sed odii. Ideo sensus est : Et auferat ab eo iram suam, id est, te ipsum juste permittat in mala corruere, sic quod ira Dei ab illo ablata, super te cadat, et ille te lapsum juste irrideat, de cujus ruina gaudebas injuste.

Digitized by Google

Rom. xi, 17, 18. Juxta quem modum ait Apostolus : Quod
si aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem
quum oleaster esses, insertus es in illis, et
socius radicis et pinguedinis olivæ factus,
noli gloriari adversus ramos.
19 *Ne contendas cum pessimis,* id est induratis et incorrigibilibus, quos nec corripiendo, nec exhortando, nec disceptando poteris emendare. Idcirco pro illis orandum est. Verumtamen præsidentium et judicum est, tales per pœnas reprimere. *Nec æmuleris,* id est, non sequaris, *impios* in vitiis, nec diligas, secundum quod ta-
20 les; *quia non habent futurorum spem mali :* quoniam ultimum finem sibi constituunt in rebus præsentibus et caducis, sicque futuram beatitudinem non exspectant; et si dicantur eam sperare, intelligendum est de spe informi, non formata, sicut et credunt eam; *et lucerna impiorum,* id est prosperitas, memoria, scientia informis, et lux naturalis ingenii, *exstinguetur :* quia per vitia obscuratur, aut in morte finitur,
Prov. xiii, 9. deinde putrescit. Istud supra plenius fuit expositum.
21 *Time Dominum, fili mi, et regem,* id est Deum regem universorum, vel Deum et ejus vicarios præsidentes, qui propter Deum timendi sunt; *et cum detractoribus ne commiscearis,* approbando aut libenter audiendo detractoria verba eorum, aut etiam non resistendo eis aliquo modo, videlicet corripiendo eos de tanto peccato, vel pie hortando ut cessent, aut tristem vultum monstrando, sicut in Ecclesiaste habe-
Eccle. vii, 4. tur: Per tristitiam vultus corrigitur animus
Prov. xxv, 23. delinquentis; et alibi, Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam de-
22 trahentem. *Quoniam repente consurget perditio,* id est damnatio, *eorum,* videlicet detrahentis, et commiscentis se ei. Unde ait Bernardus : Non facile dixerim, quis gravius peccet, detrahens, detrahentemve audiens. *Et ruinam utriusque quis novit?* id est, quam districte damnandi sint, ignoramus. Detractor enim, quantum in se est, non modo occidit se ipsum in anima, sed et cunctos qui audiunt eum, quibus
A mortis poculum præbet. Unde ait Bernardus, quod lingua detractoris crudelior est gladio persecutoris : estque gladius ex utraque parte acutus, interficiens, quantum in se est, ad minus animas duas, utpote detrahentis, et audientis; imo et ejus cui detrahitur, qui quum audierit qualiter sibi detractum sit, incitatur in obloquentem. Ecce quam rigorose et seriose, imo et sæpe, loquitur Salomon contra hoc vitium; et tamen multi valde incaute se habent circa facinus tantum, et jugiter proni
B sunt ad obloquendum, etiam ex sola et levi suspicione : quod est utique ineffabiliter periculosum. Quorum lingua (ut Jacobus ait apostolus) est inquietum malum, Jacob. iii, 8, 6.
plena veneno mortifero, inflammata a gehenna, id est diabolo, cujus instrumentum est ad internecionem animarum multarum. Ideo sapientissimus Augustinus juxta mensam suam scripsit hos versus :

> Quisquis amat dictis absentum carpere vitam,
> Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

C *Hæc quoque sapientibus :* id est, jam dicta atque dicenda, sunt sapientibus ob- 23
servanda.

Cognoscere personam in judicio non est bonum. Minus dicit, et majus significat : quia personarum acceptio, præsertim in judicio, est grande et mortale peccatum, et contra veritatem atque justitiam, ut su- Prov. xviii, 5.
pra jam dictum est plenius. Cognoscendæ ergo et intuendæ sunt causæ in judicio, non personæ, quantum ad ea quæ ad rem non pertinent in tali negotio. — *Qui di-* 24
D *cunt impio, Justus es,* præsertim in foro judicii, *maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus,* quum cognoverint cri-
men hoc. *Qui arguunt eum, laudabuntur :* 25
id est, qui peccantem caritative, discrete, juste corripiunt, falsaque reprobant, et pro defensione legis divinæ ac fidei disputant, laude sunt digni, et commendabuntur a Deo ac Sanctis; *et super eos veniet benedictio,* id est largitio et multiplicatio donorum gratiæ in præsenti, deinde salus æterna. Tales etenim zelatores justitiæ se-

Digitized by Google

cundum scientiam, Deus præcipue diligit, A
ditat, felicitat; a bonis quoque hominibus
benedicuntur et laudantur. Hi quoque qui
arguuntur, si probi sint, eis regratiantur,
et dato quod indignentur ad tempus, tamen
ad mentem reversi, gratias agunt, sicut et
Prov. xxviii, 23. infra habetur : Qui corripit hominem, gra-
26 tiam postea inveniet apud eum. — *Labia
deosculabitur,* id est, caritatem et pacem
reformabit, fovebit, perficiet, *qui recta
verba respondet,* id est, discrete se habet
loquendo, et ea dicendo, quæ pro causa,
loco et tempore magis expediunt : quia B
per hoc fit amabilis bonis hominibus, et
discordantes pacificat. Porro deosculatio
labiorum, signum est caritatis et pacis,
prout in libro de Officiis pulchre de hoc
scribit Ambrosius.

27 *Præpara foris opus tuum :* id est, aliis
exemplarem te exhibe, nec aliquem scan-
Rom. xii, 17. dalizes, ut juxta doctrinam Apostoli, pro-
videas bona non solum coram Deo, sed
etiam coram omnibus hominibus. Unde
Matth. v, 16. jussit Salvator : Luceat lux vestra coram
hominibus, ut videant bona facta vestra. C
Et diligenter exerce agrum tuum, id est,
campum cordis tui, et eos qui tibi commis-
si sunt, a vitiis purga, virtutum seminibus
semina, virtuosis exercitiis cole, meritis-
que fecunda; *et postea ædifices domum
tuam :* id est, fabricam virtutum subli-
mium construe in habitaculo mentis tuæ,
atque in grege tibi commisso. Nempe qui
præest aut prædicat, debet in primis se
ipsum purgare, exercere, perficere, deinde
ad aliorum instructionem præsidentiam-
Luc. iv, 23. que procedere, ne ei dicatur, Medice, cura D
Rom. ii, 21. te ipsum; itemque, Qui alium doces, te
ipsum non doces?

28 *Ne sis testis frustra,* id est inaniter et
sine idonea causa, *contra proximum tu-
um :* tamen si innocentis liberatio, aut ju-
dicis præceptum, aut similis rationabilis
exigat causa, testimonium est ferendum;
nec lactes quemquam labiis tuis, id est,
nemini aduleris, nec foveas aliquem in
Ps. x, 3, sec. Hebr. peccatis : quemadmodum scriptum est,
Laudatur peccator in desideriis animæ suæ.

Istud supra magis expositum est. *Ne di-* *Prov.* i, 10
cas : Quomodo fecit mihi, inferendo inju- 29
rias, *sic faciam ei, et reddam unicuique*
mihi forefacienti, *secundum opus suum,*
quo peccat in me. Hoc est quod dictum
est supra : Ne dicas : Reddam malum pro *Ibid.* xx, 22
malo. Porro injurias vindicare, et inter
proximos æqualitatem servare justitiæ, ac
mala culpæ per mala pœnæ recuperare,
ad publicam spectat auctoritatem, hoc est
ad præsidentem et judicem : ad quos tan-
quam ad vivam legem ac animatam justi-
tiam confugere, pertinet ad subjectos, se-
cundum Philosophum, vel injuriam penitus
indulgere. Unde in Proverbiis suis Seneca
ait : Optimum est semper ignoscere, tan-
quam si ipse quotidie pecces; et iterum :
Turpe est vincere suos; satis pœnarum
est, potuisse puniri. Tullius quoque : No-
bile, inquit, victoriæ genus est, potuisse
vindicare.

Per agrum hominis pigri transivi, et 30
per vineam viri stulti; et ecce totum re- 31
*pleverant urticæ, operuerant superficiem
ejus spinæ, et maceria lapidum destructa
erat.* Istud in corporalibus et exterioribus
ita est. Spiritualiter vero, ager hominis
pigri, et vinea viri stulti, est cor peccato-
ris acediosi, seu populus ei commissus :
in quibus ex negligentia et torpore pravi
prælati seu hominis vitiosi, prædominan-
tur tribuli vitiorum, puncturæ crudelium
passionum, videlicet iræ, impatientiæ, in-
vidiæ, indignationis, amaritudinis. Et ma-
ceria, id est opera bona ex genere aliquan-
do inchoata, non erant ad complementum
perducta, nec caritatis coagulo adunata.
Maceria equidem vocatur murus absque
cæmento. Hæc autem videre, est in aliis
ista considerare. *Quod quum vidissem, po-* 32
sui in corde meo, id est, memoriter ea re-
colui, ne simili modo accideret mihi, *et
exemplo didici disciplinam,* id est, ex ali-
orum facto reprehensibili me ipsum cor-
rexi, direxi, et cautior factus sum. Felix
enim quem faciunt aliena damna peri-
tum : quia quod in aliis reprehensibile
judicamus, vitare debemus.

Digitized by Google

Postremo totum residuum hujus capituli, supra scriptum est atque expositum. Prov. vi, 10, 11. Tamen quod dicitur hic *, Usquequo, piger, (* ibi) A dormies...? non est hic de textu, secundum Hebræos. Imo versus hic incipit : Parum, inquam, dormies.

ARTICULUS XXV

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI QUINTI : HÆ QUOQUE PARABOLÆ SALOMONIS, QUAS TRANSTULERUNT VIRI, ETC.

1 HÆ *quoque parabolæ Salomonis,* id est, sequentes parabolæ a Salomone prolatæ sunt, quemadmodum præcedentes; *quas transtulerunt :* non de idiomate Hebræo in aliud; sed, Transtulerunt, id est, transposuerunt eas de schedulis ac rapiariis, in quibus hinc inde erant descriptæ, ac redegerunt eas in unum, et inseruerunt ac addiderunt eas huic volumini; *viri Ezechiæ regis Juda,* id est scribæ et docti viri, domestici seu ministri devotissimi Ezechiæ, qui cultum Dei reparavit in regno suo, ac populum suum inclyte reformavit, prout partim quarto Regum, et plenius secundo Paralipomenon recitatur: et forsan ex ejus commissione facta fuit translatio et additio ista. Nempe (ut circa principium expositionis istius super hunc librum inductum est) Salomon parabolas istas non conscripsit, nec librum hunc edidit; sed servi ipsius parabolas ex ore ejus auditas notaverunt, atque in schedulas redegerunt, quæ tandem per diversos ac diversis temporibus in unum librum collectæ sunt et redactæ.

IV Reg. xviii, 4, 6; II Par. xxix-xxxi.

2 *Gloria Dei est celare verbum :* id est, ad Dei gloriam pertinet, aliqua tradere in Scripturis per verba obscura, velata et mystica, ne divina secreta pandantur indignis, et [ut] studiosis Catholicis detur occasio virtuosæ exercitationis, prout divinus Dionysius plenius docet. Sic quoque gloria Dei est, secretiora Scripturæ non manifestare, sed occultare rudibus, præsumptuosis, carnalibus et indignis, sicut ait B Salvator : Nolite sanctum dare canibus. Et rursus Apostolis : Vobis, inquit, datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut audientes non intelligant. Hinc primo mysticæ theologiæ capitulo magnus Dionysius præcepit Timotheo : Vide ut nullus indoctorum hæc videat. Hinc Vas electionis scribit se in raptu audisse arcana verba, quæ non licet homini loqui. Et angelus Raphael protestatur : Sacramentum regis abscondere, bonum est. Et ad Danielem angelus Gabriel : Clausi sunt, inquit, C signatique sermones. Insuper gloria Dei est, ut ex fidelitate celetur verbum quod unus ab alio in secreto recepit. Allegorice, Gloria Dei est celare verbum, id est, gloria Unigeniti Patris æterni, propter homines incarnati, est celare Verbum, id est occultare se ipsum, Verbum æternum, in humanitate assumpta.

Matth. vii, 6. Luc. viii, 10. II Cor. xii, 4. Tob. xii, 7. Dan. xii, 9.

Et gloria regum, investigare sermonem: id est, regibus, et cunctis qui præsunt, specialiter commendabile honorificumque consistit, ut verba Scripturæ quæ non intelligunt, scrutentur, et sibi exponi D deposcant, veritatem quoque verborum quæ audiunt, diligenter inquirant, sicut beatus Job fatetur, dicendo : Causam quam ignorabam, diligentissime investigabam. Sic gloria regum, id est Apostolorum, rectorum ac principum populi christiani, fuit investigare sermonem, id est expositionem verborum quæ audierunt a Christo, quem, ut in Evangelio innotescit, de talibus sæpe interrogaverunt; vel, Investigare sermo-

Job xxix, 16. Matth. xiii, 36; xv, 15; Marc. iv, 10; x, 10; xiii, 3.

nem, id est ipsum Christum, qui est in-
creatus sermo Dei Patris : de quo ad He-
Hebr. IV, 12. bræos ait Apostolus, Vivus est sermo Dei.
Sed et regum, id est universorum fidelium
se bene regentium, gloria est investigare
Scripturam, quantum ad eorum pertinet
statum.
3 *Cœlum sursum, et terra deorsum, et cor
regum inscrutabile :* id est, altitudo cœlo-
rum imperscrutabilis nobis est, similiter
terræ profunditas : sic et corda regum, de
quibus jam dictum est, sunt nobis imper-
scrutabilia, solique cognita Creatori. Con-
formiter sapientia Apostolorum, quæ ex
eorum corde nobis profluxit, plene a nobis
perscrutari ac comprehendi non valet. —
4 *Aufer rubiginem de argento, et egredietur
5 vas purissimum; aufer impietatem de vul-
tu regis, et firmabitur justitia thronus
ejus :* id est, sicut ex argento a rubigine
et scoria depurato, formatur vas valde pu-
rum; ita si a corde regis ac præsidentis
tollatur omnis iniquitas, auctoritas et præ-
sidentia ejus roboratur æquitate atque vir-
tutibus ejus, quoniam conservatur a Deo,
et ad posteros ejus devolvitur. Spirituali-
ter, per argentum designatur naturalis ac
philosophica scientia : a qua si rubigo, id
est error admixtus, seu inflatio et abusus,
tollantur, egreditur cor eruditum; sic enim
deservit ad intelligendum divinam Scri-
pturam.
6 *Ne gloriosus appareas coram rege :* id
est, coram regibus et præsidentibus non
jactes nec extollas te, nec magnificare et
ostentare te studeas, sed reverenter et mo-
deste te habeas : præsertimque vitandum
est [hoc] coram Rege cœlorum omnia in-
1 Petr. v, 6. tuente, sub cujus manu debemus nos sem-
per humiliare. *Et in loco magnorum ne
steteris,* id est, non ponas te in loco subli-
miori quam decet gradum et statum tuum,
7 sed magis in bassiori. *Melius est enim ut
dicatur tibi, Ascende huc,* id est ad locum
altiorem, *quam ut humilieris,* id est, ad
inferiorem locum descendere compellaris,
coram principe. Hoc est quod Dominus in
Luc. XIV, 8-11. Evangelio ait : Quum invitatus fueris ad
nuptias, non discumbas in primo loco, etc.
Advertant hæc superbi, ambitiosi et vani,
qui nolunt sequi vestigia Christi, sed Scri-
barum ac Pharisæorum : de quibus ipse in
Evangelio protestatur, quod ament primos *Matth.* XXIII, 6, 7.
recubitus in cœnis, et primas cathedras in
synagogis, et salutationes in foro, et voca-
ri ab hominibus Rabbi. O quam multi sunt
modo tales!
Quæ viderunt oculi tui, id est, ea quæ 8
nosti mala de alio, *ne proferas in jurgio,*
id est contra alium litigando, vel in lite
coram judice, *cito,* id est præcipitanter ex
impetu passionis absque congrua delibe-
ratione et rationabili causa, *ne postea emen-
dare,* id est ea quæ sic propalasti revocare,
non possis, et famam restituere proximo,
quum dehonestaveris amicum tuum, id
est, proximum tuum diffamaveris, culpam
ejus taliter objiciendo, improperandove ei.
Hoc dicitur contra homines passionatos,
qui tam impetuosi irrationabilesque exsi-
stunt, ut si quid reprehensibile noverint
de proximo seu amico, mox illud ei obji-
ciant et insultent, quum fuerint ab eo of-
fensi, aut verbis contendere cœperint con-
tra illum; et culpam illius sic manifestant,
ac ipsum diffamant, contra præceptum de
ordine observando in correptione frater-
na : quem ordinem Christus docuit et præ-
cepit, dicendo, Corripe eum inter te et *Ibid.* XVIII, 15.
ipsum solum, ut scilicet fama proximi non
lædatur. — *Causam tuam tracta* seorsum 9
cum amico tuo fideli et familiari, de cujus
fidelitate sis certus; *et secretum* tuum *ex-
traneo ne reveles :* quia hoc esset valde
periculosum et fatuum, sicut subjungitur:
ne forte insultet tibi, quum audierit, et ex- 10
probrare non cesset. Secreta namque non
nisi fidelissimo amico sunt revelanda, prout
de hoc supra dictum est plenius. — *Gra-* *Prov.* XI, 13.
*tia et amicitia liberant : quas tibi serva,
ne exprobrabilis fias.*
Mala aurea in lectis argenteis, qui lo- 11
quitur verbum in tempore suo : id est,
proferens sermonem utilem tempore op-
portuno, assimilatur aureis pomis, quæ ad
decorem affiguntur lectis argenteis. Talis

Digitized by Google

etenim homo ornatur suis verbis, quemad- A modum lectus argenteus aureis pomis, id est similitudinibus pomorum factis de auro. Et sicut in lecto argenteo dulciter quiescitur ac dormitur, sic sermo hujus facit auditores suaviter in se requiescere. Consueverunt autem antiquitus magnates lectis aureis atque argenteis uti, juxta illud
Esther I, 6. libri Esther : Lectuli quoque aurei et argentei super pavimentum dispositi erant.—
12 *Inauris aurea et margaritum fulgens, qui arguit sapientem et aurem obedientem,* id est vir caritative increpans sapientem, qui B utique libenter suscipit correptionem, et aurem quæ exhortationi ac jussioni obedit. Quemadmodum enim inauris aurea aurem decorat, et splendida margarita vultum venustat; sic talis correptor et exhortator, verbis suis correptoriis ac informativis ornat se ipsum, et correptum, et obedientem. Suntque verba prudentiæ ejus splendentia instar argenti, et pretiosa ut mar-
Ps. XI, 7. garitum, juxta illud Psalmi : Eloquia Domini argentum igne examinatum.
13 *Sicut frigus nivis in die messis,* id est, C sicut tempore messis acceptum est frigus aliquantulum simile frigori nivis ipsis messoribus, quia refrigerat eos; *ita legatus fidelis ei qui misit eum,* id est, conveniens et jucundus est domino, a quo directus est : *animam illius requiescere facit.* —
14 *Nubes et ventus, et pluviæ non sequentes, vir gloriosus,* id est famosus, seu præclarum et virtuosum ac liberalem se fingens, magna promittendo, *et promissa non complens.* Nam sicut ventus et nubes, volantes sunt et sine optato effectu, ad quos non D sequitur imber; sic homo promissa non implens, est corde levis, instabilis, et sine effectu virtutis, ac in suspenso tenens, magisque affligens quam lætificans eum cui promisit.
15 *Patientia lenietur princeps :* id est, per patientiam ejus quem princeps jubet puniri, mitigatur iracundia principis, nisi sit penitus ferox et inhumanus. Sic et Princeps altissimus, Dominus Deus, per patientiam sustinentium adversa eis reconci-

liatur. Ideo ait Michæas : Iram Domini portabo, quia peccavi ei. *Mich.* VII, 9.
Unde in secundo Machabæorum habetur : Ira Domini in misericordiam conversa est. *II Mach.* VIII, 5.
Et lingua mollis, id est responsio humilis, et recognitio propriæ culpæ, seu sermo suavis, *confringet duritiam,* id est, indignationem et rigorem offensi tollet et placabit : quemadmodum mulier Thecuitis et Abigail mentem David ad clementiam pertraxerunt. *II Reg.* XIV, 21; *I Reg.* XXV, 33, 34.
Mel invenisti? comede quod sufficit tibi : 16
id est, quidquid dulcis edulii habes, quantumcumque faciliter obtinueris illud, tamen non nisi moderate utere illo; *ne forte satiatus evomas illud,* et ita ex tua gula et carnalitate fiat tibi nocivum, quod ex se est suave ac aptum. Spiritualiter autem, Si mel invenisti, id est, Deum contemplari cœpisti, et Scripturarum dulcedinem aliqualiter degustasti, comede quod sufficit tibi, id est, juxta capacitatem intellectus tui te refice inde, nec incomprehensibilia comprehendere enitaris; ne forte satiatus evomas illud, id est, ex consideratione laboriosa repleto vertatur tibi in nocumentum summum illud primæ veritatis objectum, atque id ipsum quod cœpisti de eo salubriter degustare, amittas. — *Subtrahe* 17
pedem tuum de domo proximi tui, id est, non nimis frequenter visites eum, nec apud eum nimis diu remaneas; *nequando satiatus,* id est de tua præsentia attædiatus, *oderit te* propter molestiam, vel expensas quas ingeris ei, vel ex suspicione qua putare posset quod uxorem aut filiam ejus turpiter ames. Melius est ergo, ut rarius veniendo facias eum tuum optare adventum, quam ut una vice tam diu secum permaneas, aut tam multoties eum accedas, ut fastidiat tuam præsentiam. Sed in hac re necessaria est discretio, qua homo prudenter perpendat an sua præsentia sit suo proximo onerosa, aut minus solito gratiosa : quo cognito, moderetur sive abstineat.

Jaculum et gladius et sagitta acuta, id 18
est, his rebus assimilatur, et instar earum nocet, lædit, et perforat, *homo qui loqui-*

Digitized by Google

tur contra proximum suum falsum testi- A
monium : per quod privat eum fama, sub-
19 stantia, aut etiam vita. — *Dens putridus,*
et pes lassus, qui sperat super infideli in
die angustiæ : id est, sicut dens putrefa-
ctus, et pes læsus ac lassus, valde affli-
gunt, et tempore famis ac itinerationis non
bene deserviunt; sic homo magnos incur-
rit dolores et cruciatus, confidendo de sub-
sidio hominis infidelis, injusti, fallacis,
20 præsertim tempore necessitatis; *et amittit*
pallium, id est necessarium sibi amictum,
in die frigoris, quando plus indiget pallio. B

Acetum in nitro, qui cantat carmina
cordi pessimo : id est, qui cantica Scriptu-
rarum et divina eloquia proponit cordi in-
corrigibili et indurato, similis est ei qui
acetum infundit nitro. Quemadmodum enim
nitrum ex infusione aceti super se, fumat
et crepitat, sicut et calx viva aqua infusa;
sic pessima corda ex Scripturarum admo-
nitione, correptione et castigatione, non
quiescunt a vitiis suis, sed acrius indignan-
tur, inquietantur, et fumum iræ emittunt.
Circa hoc ait Glossa : Nitrum non multum C
a specie salis distat. Sicut enim fervor so-
lis conficit salem in littore maris, durando
aquas marinas in petras, quem salem vis
ventorum, aut maris fervor seu agitatio
projicit ad littus; ita in provincia Nitria
in qua nascitur nitrum, ubi pluviæ longio-
res infuderint terram, succenditur ardor
nimius, qui aquas durat et excoquit in pe-
tram simillimam glaciei aut sali, sed nihil
gelidi frigoris, nihil salsi saporis haben-
tem : quæ tamen petra juxta naturam salis
solet durari in caumate, atque in nubiloso D
aere fluere ac liquefieri consuevit. Hac pe-
tra, scilicet nitro, indigenæ ad lavandum
Jer. II, 22. utuntur, juxta illud in Jeremia : Si laveris
te nitro, et multiplicaveris tibi herbam
Borith, etc. Crepitat autem in aceto quasi
calx viva, et deperit; sed aquam lotioni ha-
bilem reddit. Unde per nitrum quidam in-
telligunt speciem terræ, similem minuto
sabulo : cui si aqua infundatur, fumigat.
Denique de præfatis carminibus scriptum
Job XXXV, 10. est in libro Job : Non dixit : Ubi est Deus
qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?
— *Sicut tinea vestimento, et vermis ligno;*
ita tristitia viri nocet cordi. Istud non est
in Hebræo, neque de textu. Sed et sensus
patet ex eo quod scriptum est supra, Spi- *Prov.* XVII, 22.
ritus tristis exsiccat ossa.

Si esurierit inimicus tuus, ciba illum ; 21
si sitierit, da ei aquam, id est aptum po-
culum, *bibere :* id est, redde ei bona pro
malis, ut beneficiis vincas eum. Ideo sub-
ditur : *prunas enim,* id est caritatis fo- 22
menta et incentiva, *congregabis super ca-*
put ejus, id est in corde ipsius, inducendo
eum ad considerationem caritatis, pieta-
tis, et beneficentiæ tuæ : ex quibus cor
ejus rancorem abjiciet, et tuo accendetur
amore. Sic enim vincitur malum in bono. *Rom.* XII, 21.
Et Dominus reddet tibi copiosam merce-
dem. Quasi dicat : Dato quod ille in sua
duritia inimicitiaque permanserit, tu ta-
men digno præmio non carebis. Hanc au-
ctoritatem allegat Apostolus ad Romanos. *Ibid.* 20.
Ex qua etiam elucescit, non fuisse in-
tentionem legis Mosaicæ, quod inimicus *Matth.* V, 43.
absolute odiretur. Et consonat ista aucto-
ritas cum eo quod dictum est supra : Ne *Prov.* XX, 22.
dicas, Reddam malum pro malo. Porro, pro
eo quod dicitur hic, Et Dominus reddet
tibi, aliqui dicunt in Hebræo haberi : Et
Dominus pacificabit tibi, id est, cor adver-
sarii, cui sic benefacis, convertet ad ha-
bendam amicitiam tecum ac pacem.

Ventus Aquilo, id est aquilonaris seu 23
septentrionalis, *dissipat,* id est impedit,
pluvias. Est enim præcipue frigidus : id-
eo, ut frequenter, impedit copiosam vapo-
rum elevationem, ac nubium resolutionem
in imbrem, quamvis non semper. *Et facies*
tristis, linguam detrahentem : id est, audi-
tor detrahentis, mœstum vultum monstran-
do detractori, tacite admonet eum ut si-
leat. Dum enim detractor perpendit sua
verba invite audiri, repercutitur in se ip-
so, et advertit se male loqui. Circa hoc
asserit Glossa : Si hilari vultu audieris
detrahentem, tu illi das fomitem detra-
hendi; si autem tristi eum vultu audieris,
discit non libenter dicere quod didicerit

Digitized by Google

non libenter audiri. (Aliqui asserunt in
Hebræo haberi, Ventus Aquilo creat plu-
vias : ut sit sensus, quod sicut ventus
australis generat pluvias versus partes
aquilonares, sic ventus aquilonaris versus
partes australes, prout etiam secundo Me-
teororum habetur; Et facies tristes lingua
detrahens, id est, lingua detrahens provo-
cat contra se iram divini respectus.) Ita-
que dum detrahentem quis increpare, vel
ab eo non audet recedere, saltem mœstum
et formidolosum ei ostendat vultum ac
21 apparatum. — *Melius est sedere in angu-*
lo domatis, quam cum muliere litigiosa,
Prov. xxi, 9. *et in domo communi.* Hoc supra scriptum
atque expositum est.
25 *Aqua frigida animæ,* id est personæ
seu homini, *sitienti,* supple, suavis est; *et*
nuntius bonus de terra longinqua appor-
tans bona nova, jucundus est domino a
quo erat missus. Sic Christus, secundum
naturam assumptam, nuntius Dei Patris,
veniens in hunc mundum a regione vivo-
rum, et optima nova et dona ac promissa
deferens secum, suavissimus factus est fer-
ventibus animabus, quæ dicere possunt :
Ps. xli, 2. Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum,
ita desiderat anima mea ad te, Deus. Simi-
Luc. i, 26, 27. liter Gabriel missus a cœlo ad Virginem
Ibid. 46-55. benedictam, exhilaravit eamdem. — *Fons*
26 *turbatus pede, et vena corrupta :* id est,
quemadmodum aqua agitata suam amittit
quietem et venustum adspectum, et sicut
vena infecta est vitæ corruptiva; sic *ju-*
stus cadens coram impio, id est, oppres-
sionem mortemve sustinens a persecutore
iniquo : quia ex hoc multi insipientes ju-
dicant eum fuisse iniquum, et ipsum dif-
famant; vel, Cadens coram impio in pec-
catum : quoniam vitiosi homines proni
sunt justos cadentes in culpam accusare,
denigrare, et peccatum eorum exaggerare.
27 *Sicut qui mel comedit multum,* id est
excessive, *non est ei bonum,* sed valde
læsivum, ac fastidii mellis inductivum ;
sic qui perscrutator est majestatis, id est,
ea quæ Dei sunt, irreverenter, intimorate,
præsumptuose scrutari præsumit, videlicet
A occulta Dei judicia, et ea quæ prædestina-
tionem præscientiamque concernunt, seu
superbeatissimæ Trinitatis mysterium, *op-*
primetur a gloria, id est, ab excellentia
et incomprehensibilitate ac luce immen-
sa tanti objecti vincetur, retundetur, et
quodammodo excæcari videbitur. Nam sic-
ut lux solis corporei, plenitudine suæ
claritatis visum corporalem reverberat, et
si diu sibi infigatur, excæcat; sic increata
illa majestas sua infinita et incircum-
scriptibili excellentia, claritate, et actu-
B alitate, mentem humanam vincit, supe-
rat, et retundit in infinitum. Nempe, ut
ait Boetius, quædam difficilia sunt ad in-
telligendum ex modicitate et imperfectione
suæ entitatis, sicut materia prima, tempus
et consimilia; quædam vero, ex eminentia
suæ actualitatis et formalitatis, quemad-
modum substantiæ separatæ, ad quarum
notitiam ita se habet intellectus noster,
sicut oculus vespertilionis ad lumen solis,
secundum Philosophum. Quum ergo Deus
excelsus et benedictus sit prorsus in in-
C finitum perfectior, actualior, excellentior
omni intelligentia, constat quod infinite
nostram transcendat capacitatem. Propter
quod ait et Plato in primo Timæi : Geni-
torem opificemque universi tam difficile
invenire, quam inventum impossibile di-
gne effari. Abstinendum est ergo ab omni
incauto divinorum scrutinio; atque, ut di-
vinus Dionysius ac Damascenus testantur,
non est audendum aliquid de superessen-
tiali dicere Deitate, præter ea quæ nobis
in Scripturis sunt tradita. Moderata tamen
D humilisque scrutatio divinorum, auxilio
gratiæ Dei innitens, est licita, dicente Pro-
pheta : Mirabilia testimonia tua, ideo scru- Ps. cxviii,
tata est ea anima mea. Hinc quoque in 129.
Ecclesiastico scriptum est : Altiora te ne Eccli. iii,
quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fu- 22.
eris.
Sicut urbs patens, id est aperta, *et abs-* 28
que murorum ambitu, ab hostibus citius
expugnatur atque destruitur, et quid in-
tra se habeat, introeuntibus manifestat;
ita vir qui non potest, id est, non studet

Digitized by Google

nec vult, *in loquendo cohibere spiritum suum* a verbis superfluis et incautis, ab invisibilibus hostibus faciliter superatur, læditur et necatur : quoniam ipsemet sua loquacitate contra se pugnat, suam quoque insipientiam, vanitatem, incustodiam, cogitationem et affectionem audientibus

A per propria verba pandit. Ideo ait Psalmista : Cohibe linguam tuam a malo. Et alia Ps. xxxiii 14.
dicit scriptura : Verba prudentium statera ponderabuntur. Et alibi : Numquid vir Eccli. xx 28.
verbosus justificabitur? Ponamus ergo custodiam ori nostro, et ostium circumstantiæ labiis nostris. Job xi, 2. Ps. cxl, 3

ARTICULUS XXVI

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI SEXTI : QUOMODO NIX IN ÆSTATE, ET PLUVIÆ IN MESSE, SIC INDECENS EST STULTO GLORIA.

1 QUOMODO *nix in æstate* inconveniens est, utpote contra solitum naturæ ac temporis cursum, eo quod nix generetur ex frigore magno, *et pluviæ in messe* non congruunt, quia nocivæ sunt bladis ; *sic indecens est stulto gloria,* id est fama clara, quia indignus est ea, vel honor manifestus, qui debetur virtutibus, non moralibus tantum, sed intellectualibus ; vel, Gloria, id est lætitia : quum enim sit stultus, non habet in se unde ordinate ac spiritualiter jucundetur. Verumtamen, etsi stulto, ut tali, non congruat gloria, tamen si forsan prælatus sit, aut in aliqua eminentia constitutus, honorandus est ratione prælaturæ aut dignitatis. Unde sacratissimus princeps apostolici ordinis :
I Petr. ii, 18. Servi, inquit, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed et dyscolis.

2 *Nam sicut avis ad alta transvolans, et passer quolibet vadens :* id est, sicut avis volans in altum aeris locum, ad tempus in motu est, deinde alicubi requiescit, similiter passer vadens volando aut incedendo quolibet, id est ad aliquem locum in quo subsistit, vel, Quo libet, id est, quo sibi placuerit; *sic maledictum frustra prolatum,* id est verbum maledictionis contra alterum injuste pronuntiatum, *in quempiam superveniet,* id est, in aliquem re-

B dundabit : quoniam etsi non noceat ei in quem profertur, vertitur tamen in crimen ei qui protulit illud, et in eos qui ei consentiunt. Ideo monet Apostolus : Benedi- Rom. xii
cite persequentibus vos ; benedicite, et 14.
nolite maledicere. Nihilo minus quidam ad maledicendum aliis valde proni sunt, jamque impletum est quod Osee asserit : Maledictum et homicidium, menda- Osee iv, 2.
cium, furtum et adulterium inundaverunt. Est autem maledicere, malum alicui imprecari : quod ex suo genere est morta-
C le et caritati contrarium, quum et Apostolus fateatur, Neque maledici regnum Dei I Cor. vi,
possidebunt : prout in secunda secundæ, 10.
quæstione 76, Thomas declarat. Attamen sancti viri leguntur quandoque maledixisse iniquis, quemadmodum quarto Regum Eliseus pueris pravis, et princeps Aposto- IV Reg. ii,
lorum Simoni mago; sed talia facta sunt 24. Act viii, 20.
zelo justitiæ, non affectu iræ, invidiæ, aut similis malæ radicis. Vel imprecati sunt aliis mala pœnalia, non in quantum sunt mala, sed ut justa supplicia, et purgantia
D a vitiis in præsenti : quemadmodum judex maledicit reo, in quem damnationis profert sententiam ; vel qui cupit alteri infirmitatem et adversitatem, ut per eas ab iniquitatibus retrahatur. Istud tamen non est proprie maledicere, quia non optatur malum ut tale.

Digitized by Google

3 *Flagellum* convenit *equo* pigro seu indomito, *et camus asino, et virga in dorso imprudentium :* id est, disciplina imprudentibus debetur, ut vel ipsi emendentur, quod si noluerint, alii eorum terreantur exemplo. Similiter indisciplinatis brutalibusque hominibus Deus misericordissime facit, dum per aspera et adversa, per infirmitates, terrores et damna eos compescit et reprimit a peccatis, sicut cuidam
Osee II, 6. loquitur per Osee : Sepiam viam tuam
Ps. XXXI, 9. spinis. Ideo orat Psalmista : In camo et freno maxillas eorum constringe, qui non B approximant ad te. Unde et in libro Job
Job XXXIV, 36, 37. inducitur : Pater mi, ne desinas ab homine iniquitatis, qui addit super peccata sua blasphemiam, id est, talem disciplinare non cesses, quousque resipiscens pœniteat.

4 *Ne respondeas stulto,* id est homini vitioso, *juxta stultitiam suam :* id est, quamvis ipse insipienter et injuriose loquatur aut quærat, non tamen insipienter et vitiose respondeas; *ne efficiaris ei similis :*
Rom. XII, 21. quia hoc esset vinci a malo, et verbis con- C
II Tim. II, 14. tendere. Imo agendum est quod loquitur
II Cor. XI, 19. Paulus : Libenter suffertis insipientes,
5 quum sitis ipsi sapientes. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Istud videtur præfatæ doctrinæ contrarium, sed non est : quoniam sensus est : Responde stulto juxta stultitiam suam, id est, juxta exigentiam atque demeritum sui stulti sermonis, da ei aptam responsionem, vel ejus verba ironice repetendo, vel suam insipientiam ei declarando, aut eum increpatorie seu reprobati- D ve interrogando, seu verba justi rigoris et debitæ invectionis enuntiando ; ne putet se sapientem, sed suam advertat impietatem, imperitiam aut errorem : quemadmodum martyres sancti frequenter responderunt tyrannis, imo et præclarissimæ virgines, ut Agatha, Cæcilia et Lucia. Interdum etenim licet et expedit clavo clavum retundere, dum impii seu improbi homines aliter informari aut reprimi nequeunt.
Matth. XV, 2. Unde et Christus a Pharisæis interrogatus, Cur discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? respondit : Quare
Matth. XV, 3. et vos transgredimini præceptum Dei, propter traditionem vestram? Verumtamen in hac re discretio valde est necessaria, ne sub colore zeli justitiæ, ira et impatientia admittantur. Ideo unusquisque conscientiam suam examinet, quo affectu, qua intentione, qua tranquillitate locutus sit.

6 *Claudus pedibus,* id est, claudicanti est similis, nec in via virtutum expedite procedit, *et iniquitatem bibens,* id est abundanter peccans, seu nocumentum quod est effectus iniquitatis, accipiens, est *qui mittit verba per nuntium stultum,* id est, indiscreto et malitioso legationem seu expeditionem arduæ rei committit, dummodo sciat nuntium esse hujusmodi. Talis etenim nuntius infideliter agit et imperite, et interdum sponte variat verba, et provocat jurgia, damnaque infert. Potissime autem peccat, qui homines vitiosos, diffames, hæreticos sive schismaticos, ad prædicandum et gubernandum alios mittit. Porro, qui graviter peccat, dicitur iniquitatem potare, juxta illud in libro Job : Bibens
Job XXXIV, 7. subsannationem quasi aquam.

7 *Quomodo pulchras frustra habet claudus tibias,* quia eis uti non valet; *sic indecens est in ore stultorum parabola,* id est parabolica doctrina. Quum enim sint impii, docere alios sunt indigni, nec sapientialia verba decenter exponunt : imo ex eorum carnalitate et pravitate vilescit
8 audientibus doctrina ipsorum. — *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii,* id est, adjutorium præbet, et saxum apponit acervo materiæ, ex qua ædificatur templum Mercurio, uni deorum gentilium : sicut, inquam, talis reprehensibiliter facit, *ita qui tribuit insipienti,* ut tali, *honorem :* quia, ut sic, est honore indignus. Vel iste est sensus : Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii, id est in cumulum lapillorum per quos computare solebant mercatores, Mercurium specialiter venerantes, perturbat eosdem; ita qui insipientem honorat, ordinem rerum conturbat.

Digitized by Google

9 — *Quomodo si spina nascatur in manu* A
temulenti, id est ebrii, pungit et lædit
tam temulentum, quam illos quos accipit
manu spinosa ; *sic parabola in ore stulto-*
rum tam stultos fœdat et lædit doctores,
quam eos qui audiunt, gravat, scandalizat,
offendit.
10 *Judicium,* id est sententia judicis, *de-*
terminat causas, id est, expedit lites quæ
coram tribunali ventilantur; *et qui impo-*
nit stulto silentium, iras mitigat quæ ex
11 loquacitate pravorum nascuntur. — *Sicut*
canis qui revertitur ad vomitum suum, id B
est, sæpius vomit, seu id quod vomuit
resorbet, est fœdus et turpiter agens; *sic*
imprudens qui iterat stultitiam suam, id
est peccator recidivans, et quod per con-
fessionem ejecit, denuo faciens. Huic con-
sonat, quod in secunda sua ait epistola
II Petr. II, 21, 22. præstantissimus Petrus : Melius erat illis
non cognoscere viam justitiæ, quam post
agnitionem retrorsum reverti. Contigit enim
eis illud veri proverbii : Canis reversus ad
12 vomitum suum. — *Vidisti hominem sapi-*
entem sibi videri in se et ex se, seu magis C
quam est? *Magis illo spem habebit stultus,*
id est, curabilior illo erit peccator defe-
ctum suum perpendens, et insipientem se
Is. v, 21. cognoscens. Ideo scriptum est : Væ qui
sapientes estis in oculis vestris, et coram
vobismetipsis prudentes. Paulus quoque :
Rom. XII, 16. Nolite, inquit, prudentes esse apud vos-
metipsos, id est propria reputatione. Nemo
etenim absque revelatione potest certo
scire se sapientiam illam quæ est donum
habere, quoniam caritati inseparabiliter
est conjuncta. Qui autem noverunt se esse D
in caritate et desuper illustratos, ut san-
cti Apostoli, cognoscebant in Deo esse se
sapientes, cum gratiarum actione et hu-
militate. Itaque non arbitremur nos sapi-
entes, sed potius defectuosos et fatuos,
quia revera multæ et magnæ sunt stolidi-
tates peccantium; nec alios aspernemur
ut stultos, imo magis pensemus peccata
nostra præterita, et bona quæ desunt, quam
quæ forsan habemus.
13 *Dicit piger : Leo est in via, et leæna in*
itineribus. Hoc supra scriptum est atque Prov. XXII, 13.
expositum. *Sicut ostium vertitur in car-* 14
dine suo, ita piger in lectulo suo. Unde
præhabitum est : Pigredo immittit sopo- Ibid. XIX, 15.
rem. Et piger abhorret laborem, et repau-
sationem diligit corporalem : sicque multa
bona omittit. *Abscondit piger manus sub* 15
ascella sua, et laborat si ad os suum eas
converterit. Hoc etiam supra expositum Ibid. 24.
est. *Sapientior sibi piger videtur septem* 16
viris loquentibus sententias. Majoris enim
putat esse prudentiæ, quærere et servare
repausationem carnalem, diu dormire, pe-
ricula negotiantium evitare, quam vigiliis,
studiis, laboribusque insistere; suam igna-
viam sæpe putat esse discretionem, ac
peritum se arbitratur, quum excusaverit
suum torporem; viros quoque sapientes
ac fervidos, ardua virtutum exercitia edo-
centes, judicat indiscretos.
Sicut qui apprehendit auribus canem 17
acquirit morsum et læsionem a cane impa-
tiente et iracundo; *sic qui pertransit impa-*
tiens, et commiscetur rixæ alterius, id est,
corrixantibus se immiscet, non ad pacifi-
candum, sed adjuvando unam partem ex
irrationabili causa : quia ex hoc vulnera-
tionem sæpe incurrit.—*Sicut noxius est,* id 18
est proximo valde nocivus, *qui mittit lan-*
ceas et sagittas in mortem, id est ad alios
occidendos; *sic vir qui fraudulenter nocet* 19
amico suo : sicut impiissimus Tryphon I Mach. XIII, 31.
occidit Antiochum regem adolescentem,
virtuosumque Jonathan cepit, ac filios ejus Ibid. XII, 48; XIII, 23.
procuravit sibi mitti, quos interfecit. *Et*
quum fuerit deprehensus per opus ini-
quum, *dicit : Ludens feci,* id est, intentio-
nem nocendi non habui, sed improvise sic
contigit.
Quum defecerint ligna, exstinguetur 20
ignis, cujus materia ligna sunt. Nam causa
deficiente, deficit et effectus. *Et susurro-*
ne subtracto, qui scilicet in aure susur-
rando profert verba detractoria, aut dis-
cordiæ seminativa, ex quibus nascuntur
contentiones et jurgia ; *jurgia conquie-*
scunt. Juxta quem modum scriptum est Prov. XXII, 10.
supra : Ejice derisorem, et exibit cum eo

Digitized by Google

jurgium, cessabuntque causæ et contume-
21 liæ. — *Sicut carbones ad prunas,* quibus
appositi accenduntur, *et ligna ad ignem,*
quem nutriunt et augmentant; *sic homo*
iracundus suscitat rixas, proferendo ver-
ba injuriosa, et alium invadendo deside-
22 rio ultionis. — *Verba susurronis quasi*
simplicia, et ipsa perveniunt ad intima
Prov. xviii, 8. *cordis.* Hoc supra expositum est.
23 *Quomodo si argento sordido,* id est, in
quo scoria manet, *ornare velis vas fi-*
ctile : qui ornatus non convenit; *sic la-*
bia tumentia, quæ proferunt verba elata,
cum pessimo corde sociata : quorum con-
junctio est periculosa, quia quod latet in
corde, mox per labia animosa profertur in
24 medium. Unde subjungitur : *Labiis suis*
intelligitur inimicus, id est, per verba
superba et injuriosa, hostis occultus pro-
dit se ipsum, *quum in corde tractaverit*
dolos, id est, intra se excogitaverit modum
et vias nocendi dolose et clam : sicque
interdum contra propositum suum, ex im-
petu passionum pandit suam iniquitatem :
de quo postea dolet, et cupit per verba
ficta amicitiam demonstrare, ut non ob-
servantibus se acrius ac celerius noceat.
25 Idcirco subjungitur : *Quando submiserit*
vocem suam, bassius humiliusque loquen-
do ex fictione, *ne credideris ei,* sed obser-
va te, quia abundans cautela non nocet,
præcipue circa talem ; *quoniam septem*
nequitiæ sunt in corde illius : id est, om-
ni modo sibi possibili machinatur tibi
malum. Septenario quippe universitas de-
signatur.
26 *Qui operit odium fraudulenter,* id est,
rancorem suum contra alium dolose oc-
cultat, aut per amicitiæ signa oppositum
II Reg. xx, 9, 10. simulat, quemadmodum Joab Amasam os-
culando; *revelabitur malitia ejus in con-*
silio, id est, per diligentem inquisitionem
poterit deprehendi ex aliquibus factis aut
signis, aut revelatione quorumdam : sicut
in libro [primo] Machabæorum sæpe ha-
I Mach. iii, 42; v, 10-15, 25-27; vii, 30. betur, quod Judæ et fratribus ejus inno-
tuit odium et machinatio adversariorum.
Istud tamen quandoque fieri nequit per
A humanam industriam; sed in consilio at-
que judicio Dei omne malum, quantum-
cumque absconditum, manifestabitur, sic-
ut in Evangelio asserit Christus : Nihil Luc. xii, 2.
absconditum quod non reveletur.
Qui fodit foveam, incidet in eam : id 27
est, qui alteri molitur insidias, laqueosque
extendit et parat ruinam, patietur pro suo
facinore debitam pœnam; et iniquitas sua
redundat in ipsum, magisque lædit se ip-
sum peccando, quam alium damna aut
supplicia inferendo : imo frequenter in
B hac vita cadit in malum quod alteri præ-
paravit, sicut Judæi Christum et ejus di-
scipulos occidendo, fugando, despoliando,
meruerunt a Romanis occidi, captivari, et
toto orbe dispergi. Unde ait Salvator : Om- Matth. xxvi, 52.
nis qui acceperit gladium, gladio peribit;
et Psalmista, Lacum aperuit et effodit eum, Ps. vii, 16.
et incidit in foveam quam fecit. Atque ad
idem spectat quod subditur : *et qui volvit*
lapidem, revertetur ad eum : quia qui
grave malum nititur superinducere alteri,
meretur opprimi et perire ; et frequenter
C ab eis vastatur, quos conabatur suppedi-
tare, sicut et Balaam a filiis Israel fuit Num. xxxi, 8.
occisus, de quorum deceptione et morte Ibid. 16.
dedit consilium. Simili modo perierunt
Absalon atque Achitophel, qui contra Da- II Reg. xviii, 9, 14, 15; xvii, 23.
vid conspiraverunt. Hinc in Ecclesiaste le-
gitur : Qui dissipat sepem, mordebit eum Ibid. xv, 1-12.
coluber. Et alibi dicitur : Facienti ne- Eccle. x, 8.
quissimum consilium, super ipsum devol- Eccli. xxvii, 30.
vetur. Attendant hæc qui suis vitiis ac
passionibus sic obtenebrantur, ut quum
detraxerint proximis, aut quamcumque in-
D juriam intulerint eis, gloriantur et jactant
se illis nocuisse, quum potius nocuerint
sibimetipsis, illis vero, dummodo fuerint
patientes, profuerint, et gloriæ coronam
paraverint. Etenim nulla nocebit adversi-
tas, si nulla dominetur iniquitas. Itaque
uniuscujusque malum in proprium redun-
dat auctorem. Ideo scriptum est : Væ im- Is. iii, 11.
pio in malum; retributio enim manuum
ejus fiet ei.
Lingua fallax non amat veritatem, sed 28
dolosa mendosaque verba, ac testimonia

Digitized by Google

falsa ; *et os lubricum,* id est libidinosum, seu faciliter labile ad verba illicita, *operatur ruinas :* quia ex verbis quæ profert, frequenter sequuntur facta injusta et opera vitiosa, sicque loquentem præcipitat ad inferni supplicia.

ARTICULUS XXVII

ELUCIDATIO CAPITULI VICESIMI SEPTIMI : NE GLORIERIS IN CRASTINUM, IGNORANS QUID SUPERVENTURA PARIAT DIES.

1 *NE glorieris in crastinum :* id est, non præsumas pro certo te crastino die victurum, quia, ut ait Salvator, nescimus diem neque horam (Matth. xxv, 13.); nec differas vitæ tuæ emendationem, quasi velis eam emendare in posterum, sicque de crastino, id est futuro tempore glorieris, quasi bona operaturus in illo (solet enim cras, pro futuro accipi in Scripturis, sicut in Genesi Jacob ait, Cras respondebit mihi justitia mea (Gen. xxx, 33.)); nec præsupponas te cras aut postea lucraturum; *ignorans quid superventura pariat dies,* id est, quid tibi in eo continget, an scilicet vives in eo, et an sanus eris, an æger, an prospera habiturus, an adversa. Hinc contra præsumentes de crastino, scriptum est (Jacob. iv, 13, 14.) : Ecce qui nunc dicitis, Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus quidem ibi annum, et mercabimur, et lucrum faciemus : qui ignoratis quid sit vobis in crastinum. Sic ergo vivamus, quasi quocumque die morituri : quia, ut ait Gregorius, qui tibi promisit de peccato, si pœniteas, veniam, non tibi promisit crastinum diem. Hinc in Proverbiis suis Seneca scripsit : Omnes vitam differentes, incerta mors prævenit. Omnis igitur dies tanquam ultimus ordinandus est.

2 *Laudet te alienus :* id est, sic vive, ut ab aliis sis dignus laudari : nam propter ea quæ insunt a natura, non meremur laudari, nec vituperari, secundum Philosophum. Et quamvis fueris laude dignus, *et non* tamen laudet te *os tuum :* quia laus propria sordet. *Extraneus, et non labia tua :* nam, ut ait Apostolus, Oportet etiam ab his qui foris sunt, testimonium bonum habere (I Tim. iii, 7.). Non tamen debemus humanam appetere laudem, sed potius abhorrere, quum simus valde defectuosi atque culpabiles, et ne aliquid mercedis recipiamus in vita præsenti, et quoniam certi non sumus quod opera nostra vere procedant ex caritate; sed taliter conversemur, ut digni exsistamus præconiis, sicut et Seneca loquitur : Quam magnum est, non laudari, et esse laudabilem ! Et rursus : Quid sis interest, non quid habearis. Nihilo minus sancti viri interdum pro confortatione suæ fiduciæ, aut pro aliorum ædificatione et perversorum confutatione, ad laudem et gloriam Dei, quandoque suas commemorant aut describunt virtutes ac merita, aut excellentiam gratiæ eis concessæ : quemadmodum Ezechias loquitur Deo, Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate et corde perfecto (IV Reg. xx, 3.); Paulus quoque, præsertim in epistola ad Corinthios (II Cor. xi, xii.) : qui etiam ad Romanos testatur, Nos ipsi primitias Spiritus habentes (Rom. viii, 23.). Sic et interdum volunt honorari a subditis, in quantum sunt vicarii Dei : non propter se, sed ne Deus inhonoretur in eis, et ne subditi peccent, debitum eis honorem non tribuendo.

3 *Grave est saxum,* ut lapis molaris, seu quodcumque mortale peccatum, quod suo mox pondere trahit ad aliud, et impœnitentem præcipitat in gehennam; *et onerosa arena* conglutinata seu multiplicata, vel venialium multitudo. *Sed ira stulti,* id est

Digitized by Google

hominis vitiosi, utpote ira per vitium, non
per zelum, *utroque* est *gravior* ad portan-
dum hominibus, nisi sapientibus ac perfe-
ctis. Multis enim mortalibus peccatis, non
omnibus, ira est gravior coram Deo atque
hominibus.
4 *Ira non habet misericordiam:* loquendo
de ira per vitium, rationem omnino obte-
nebrante, quæ ex suo genere est unum de
septem peccatis mortalibus; *nec erumpens
furor :* quia crudelitate, non pietate, utun-
tur ac agitantur. *Et impetum concitati spi-
ritus ferre quis poterit?* Hinc, secundum
Philosophum, ira est animæ ægritudo. Et
consonat istud ei quod dictum est supra :
Prov. xviii, 14. Spiritum ad irascendum facilem quis po-
terit sustinere? Hinc in Proverbiis suis Se-
neca contestatur : Nihil minus quam ira-
sci punientem decet, quum per hoc magis
ad emendationem proficiat; itemque, Ira
in temeritatem prona est, et periculum in-
ferre non cavet. Hinc denuo loquitur : In
vindicando criminosa est celeritas. Est au-
tem ira hæc vehementer detestanda, ac
diligentissime evitanda, quia per eam, qua-
si per canem, communitas inquietatur, gra-
tia vitæ spiritualis aufertur, proximus scan-
dalizatur, ratio obscuratur, mens Spiritum
Sanctum repellit, et hominem bruto, imo
furenti belluæ similem reddit. Sed, ut ait
Ambrosius, Qui sibi ipsi irascitur quia
iram admisit, desinit proximo suo irasci.
Qui autem vult iram suam probare justam,
magis inflammat eamdem. Ne ergo com-
munitati aut domesticis graves importa-
bilesque reddamur, impetum iræ prorsus
superare et exstirpare conemur.
5 *Melior est manifesta correctio,* quæ est
actus caritatis, et eleemosyna* ac opus ju-
stitiæ, *quam amor absconditus,* id est di-
lectio habitualis, non procedens in actum :
in qua meritum non consistit, nec proximo
prodest. Aliqui tamen per amorem abscon-
ditum, intelligunt carnalem et sæcularem
dilectionem, quæ non quærit animæ bo-
num, sed oblectamentum et proprium com-
Eccli. xix, 13. modum. Hinc in Ecclesiastico legitur : Cor-
ripe amicum, ne forte non intellexerit, et

* eleemosyna spiritualis

A dicat, Non feci; aut si fecerit, ne iterum
addat facere. — *Meliora sunt vulnera di-* 6
ligentis, id est verbera et læsiones inflicta
dilecto a spiritualiter diligente Deo, aut
angelo sancto, vel homine bono, quum sint
quædam remedia contra peccata futura, et
medicamenta peccati præteriti vel præsen-
tis, *quam fraudulenta odientis oscula :* quæ
non prosunt, sed fallunt. Hinc loquitur
Augustinus : Magis amat objurgator casti-
gans et sanans, quam adulator dissimu-
lans; et rursus : Non semper osculatur
B pater filium, sed interdum castigat : ergo
dum castigatur qui diligitur, tunc circa
eum pietas exercetur. Itemque : Si me,
inquit, posses docere quod nescio, non
solum verbis reprehendentem, sed et pu-
gnis cædentem deberem te patientissime
sustinere.

Anima saturata calcabit favum : id est, 7
homo cibo repletus, fastidit durante satu-
ritate cibum quantumlibet dulcem. *Anima*
autem *esuriens, etiam amarum pro dulci
sumet,* id est, vilia et amara cibaria dele-
C ctabiliter comedet, fame cogente : quæ
amara judicat dulcia, juxta illud in Job,
Animæ esurienti etiam amara dulcia esse Job vi, 6.
videntur : quod tamen non est ibi de textu,
quamvis textui inseratur; sed ex his quæ
ibi dicuntur, elicitur : sicque pro glossa fuit
primo inductum. Nam subdit ibidem san-
ctus Job : Quæ prius nolebat tangere anima Ibid. 7.
mea, nunc præ angustia, cibi mei sunt.
Spiritualius autem loquendo, Anima satu-
rata calcabit favum, id est, corporaliter
satiati et gulosi fastidiunt cœlestis regni
D dulcedinem, et contemplationis suavita-
tem. Talibus enim loquitur Dominus : Væ Luc. vi, 24, 25.
vobis divitibus, qui habetis consolationem
vestram; væ vobis qui saturati estis, quia
esurietis. Anima autem esuriens sitiens-
que justitiam, pro obtinenda quiete æter-
na, libenter suffert adversa et pœnitentiæ
opera. Posset itidem sic exponi : Anima
saturata consolatione interna, ex contem-
platione et gustu summi et incircumscri-
ptibilis boni calcabit favum, id est ter-
rena omnia oblectamenta.

Digitized by Google

8 *Sicut avis transmigrans de nido suo,* id est, nidum suum cum pullis seu ovis suis ibi contentis omnino relinquens; *sic vir qui relinquit locum suum,* id est congregationem seu familiam sibi commissam, et spiritualibus seu carnalibus filiis debitam subtrahit curam et educationem; vel, Locum suum, id est virtuosam exercitationem, in qua cœpit proficere. Unde in Ecclesiaste habetur (Eccle. x, 4.) : Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris : hoc est, si diaboli tentatio irruerit super te, non desistas a bono quod inchoasti. Vel, Locum suum, id est societatem et religiosum conventum, in quo Deo servire incepit. Unde ad Hebræos ait Apostolus (Hebr. x, 25.) : Non deserentes collectionem nostram, sicut est moris quibusdam, sed consolantes. Hinc Seneca satis notabiliter ait : Primum argumentum compositæ mentis existimo, posse secum consistere et morari; ægri animi est ista jactatio, discurrere, et locorum varietatibus inquietari. Peregrinantes hospitia habent multa, amicitias nullas. Nec prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur. Nihil æque sanitatem impedit, ut remediorum crebra mutatio; non convalescit planta, quæ sæpe transfertur. Nihil tam utile est, ut in transitu prosit. Fastidientis stomachi est, plura degustare, quæ ubi varia et diversa sunt, inquinant, non alunt.

Ecce ex his reprehenditur religiosorum quoque instabilitas aliquorum : qui quum in conventu et ordine laudabilis observantiæ sint, ex quadam phantastica apprehensione, aut diabolica illusione, aliam domum aut religionem ingredi cupiunt, et semper inconstantes sunt corde, ac animo fluctuantes; atque ex propria impatientia, inquietudine, irrefrenatione * ac pertinacia potius incitantur, quam desiderio perfectionis majoris : cujus evidens signum est, quod in eo quo resident loco, male se habent, non dantes se ad obedientiam sanctam, ad propriæ voluntatis fractionem, ad mortificationem salubrem, ad diligentiam observantiæ regularis, ad jugem custodiam cordis. Verum, ut ait Chrysostomus, de majori perfectione potest inquirere, qui implevit minorem. Contra hanc pestem, multa in suis homiliis scribit Eusebius Emisenus. Quid prodest quod discedis, qui quocumque pergis, te tecum portas?

* irreformatione

9 *Unguento et variis odoribus* dulcibus *delectatur cor :* ad quod redundant delectationes sensuum exteriorum; *et bonis amici consiliis anima* ejus cui datur tale consilium, *dulcoratur,* id est, consolationem et spem concipit, sive de malo vitando, sive de bono adipiscendo : per quod amaritudinem, desolationem, tristitiamque repellit. Nempe, ut Tullius protestatur, Non viribus, non velocitatibus, non celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio antiquorum atque scientia, quibus non orbari, sed augeri solet senectus. Qualis vero debeat esse consiliarius, docet Ambrosius : Talis, inquiens, debet esse qui consilium dat, ut se ipsum ad exemplum bonorum exhibeat operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, ut sit sermo ejus irreprehensibilis et salubris, consilium utile, vita honesta, sententiaque decora. (Tit. ii, 7, 8.) —
10 *Amicum tuum et amicum patris tui ne dimiseris, et domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ,* ne tua præsentia ingerat illi mœrorem, et ne videaris ab illo velle aliquid obtinere pro relevamine. Verumtamen ex rationabili causa potest oppositum fieri : præsertim si cogat necessitas, aut si quis graviter sit tentatus aut desolatus, vel angustiatus, debet pro salubri remedio, consilio, relevamine, ad sapientem et expertum, ad fidelem et familiarem amicum recurrere : quemadmodum primo Regum narratur, quod convenerunt ad David omnes qui erant in angustia constituti, et oppressi ære alieno, et amaro animo. (I Reg. xxii, 2.)

Melior est, id est ad succurrendum utilior, *vicinus juxta, quam frater* carnalis seu consanguineus *procul :* et hoc in casibus certis ac repentinis periculis. Melior quoque est vicinus, id est quicumque pro-

Digitized by Google

ximus caritate conjunctus, amicabiliterque
convivens, quam frater procul, id est co-
gnatus aut alter quicumque, mente aver-
sus, ac dissimilitudine infidelitatis vitio-
rumque distans : quod concordat parabolæ
Luc. x, 33- quam Christus in Evangelio de Samaritano
35, 32. et Levita circa vulneratum inducit.
11 *Stude sapientiæ, fili mi, et lætifica cor*
meum, qui de tuo profectu quasi de pro-
prio ex caritate exsulto, *ut possis expro-*
branti, id est veritatem legis divinæ ac
fidei, seu justitiam contemnenti, *responde-*
re sermonem, id est efficax dare responsum
et ipsum rationabiliter confutare. Unde orat
Ps. cxviii, Propheta : Et veniat super me misericordia
41, 42. tua, Domine ; et respondebo exprobranti-
bus mihi verbum. Hinc ait Apostolus :
Tit. i, 10, Sunt multi inobedientes et vaniloqui, quos
11. *Ibid.* 7, 9. oportet redargui. Et rursus : Oportet, in-
quit, episcopum sine crimine esse, ample-
ctentem eum, qui secundum doctrinam
est, fidelem sermonem, ut potens sit ex-
hortari in doctrina sana, et eos qui contra-
dicunt, arguere.
12 *Astutus videns malum,* id est imminere
periculum, *absconditus est,* id est, se ipsum
subtraxit et inde celavit ; *parvuli trans-*
euntes, id est innocentes, inexperti, im-
providi, inde non fugientes, *sustinuere*
dispendia, id est damna. Hoc consonat ei
Prov. xxii, quod dictum est supra : Callidus videt ma-
3. lum, et abscondit se ; innocens pertransiit,
et afflictus est damno : ubi istud magis
13 expositum est. — *Tolle,* id est, accipere
potes, *vestimentum ejus qui spopondit,* id
est, satisfacere tibi promisit, *pro extraneo*
tibi obligato ; *et pro alienis,* pro quibus
* *aufer ei pignus* spopondit, *aufer pignus ab eo* *. Qualiter
autem, et in quo casu pignus seu vesti-
mentum fuit fidejussori restituendum, de
mane sive ad vesperam, juxta Moysis le-
Ibid. xx, 16. gem, dictum est supra. — *Qui benedicit*
14 *proximo suo voce grandi de nocte consur-*
gens, id est tempore inconvenienti, hoc
est, ex adulatione, vel intuitu proprii com-
modi aut præconii consequendi, laudat
proximum suum hora inepta, vel tempo-
re ad hoc sollicite exquisito, *maledicen-*
ti similis erit : quoniam peccat, et potius
quærit decipere proximum quam prodesse
eidem.

Tecta perstillantia in die frigoris, et li- 15
tigiosa mulier, comparantur : quia utrum-
que afflictivum est et molestum. Propter
quod scriptum est supra : Melius est habi- *Prov.* xxi,
tare in terra deserta, quam cum muliere 19.
litigiosa, rixosa et iracunda. *Qui retinet* 16
eam, quasi qui ventum teneat, id est, qui
eam apud se habet, verbositate ejus quasi
vento duro affligitur, *et oleum dextræ suæ*
evacuet, id est, pietatem sibi concessam
tollat a se, tantam tribulationem apud se
retinendo : quam tamen opportune non
potest vitare in toto. Vel sic : Qui retinet
eam, id est, eam retrahere a sua inquietu-
dine nititur, quasi qui ventum teneat : id
est, impossibile quid attentat, sicut qui
conatur ventum a suo flatu compescere ;
et oleum dextræ suæ evacuet, id est, oleum
in dextra sua tentum velit stringendo te-
nere : quod quanto plus stringitur, tanto
magis elabitur, ita quod manus ejus eva-
cuatur : sic quo mulier iracunda aut rixosa
magis quæritur refrenari, eo plus suis pas-
sionibus inflammatur et agitatur. Potest
autem per mulierem litigiosam, hæretico-
rum doctrina atque loquacitas, nullam ve-
recundiam corrigibilitatemve habens, si-
gnari.

Ferrum ferro acuitur : quia per malleum 17
ferreum clavi formantur et acuuntur ; *et*
homo exacuit faciem amici sui : id est,
unus homo suo apparatu, discursu ac per-
suasione, vultum atque ingenium alterius
sibi dilecti, facit diligenter adspicere, pro-
fundiusque pensare ea quæ proponuntur.
— *Qui servat ficum,* id est, a prætereunti- 18
bus arborem fici custodit, *comedet fructus*
ejus : quia non auferuntur, sed remanent
sibi. Sic spiritualiter, qui sacram Scriptu-
ram in suo conservat corde, fructibus (id
est considerationibus et consolationibus)
ejus reficietur, juxta illud primi Macha-
bæorum : Nos nullo horum indigemus, so- I *Mach.* xii,
latio habentes sanctos libros qui in mani- 9.
bus nostris sunt. *Et qui custos est domini*

Digitized by Google

sui, id est, dominum suum terrenum in bello a periculo eruit, et fidelis custos est capitis ejus, *glorificabitur* ab eodem, imo et a Deo, si ex caritate id agat, fitque famosus* in populo : sic qui Deum custodit in cordibus in quibus per gratiam commoratur, id est, adversarios salutis humanæ non permittit ad peccata pertrahere corda hujusmodi, per quæ Deum amittant.

* dilectus

19 *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium* ipsas aquas, quemadmodum et in speculo; *sic corda hominum manifesta sunt prudentibus :* id est, prudentes, ex dispositione vultuum, morum, verborum ac operum, probabiliter noscunt interiorem cordis dispositionem, quantum ad aliqua saltem, quamvis cogitationes affectionesque cordis, in speciali et certitudinaliter cognoscere nequeant sine revelatione. Unde et Plato de cognoscendis cogitationibus secretisque cordis edidit librum. De isto dictum est supra, super illud, Cor gaudens exhilarat faciem; et super illud, In facie prudentis lucet sapientia.— *Infernus et perditio non replentur :* id est, dæmonum infernalium appetitus, quo cupiunt ad damnationem perducere homines, non satiatur usque ad sæculi finem; nec perditio, id est damnatio infernalis, accipit finem. *Similiter et oculi hominum insatiabiles :* quod de cupidis et avaris accipitur, qui instar hydropicorum, quo plus de temporalibus hauriunt, eo plura talia sitiunt. Communiter quoque videtur esurienti, quod plus de cibo indigeat, quam est. Propter quod vulgare est verbum : Citius satiatur venter, quam oculus.

Prov. xv, 13. *Ibid.* xvii, 24.

20

21 *Quomodo probatur in conflatorio argentum, et in fornace aurum,* an verum argentum sit verumque aurum : ut dictum est plenius super illud, Sicut igne probatur argentum, et aurum camino; *sic probatur homo ore laudantis :* quoniam si ex laudibus hominum nequaquam inaniter gloriatur neque extollitur, sed magis humiliat semetipsum, atque ad meliora accenditur, et occulta Dei expavescit judicia, ne forte coram Deo reprehensibilis inve-

Ibid. 3.

A niatur; imo et contristatur audiens sibi adscribi, quod adscribendum est omnium largitori bonorum, nec valens æquanimiter ferre suam laudem, quum ipse de se longe aliter sentiat, et omni vituperatione dignum se reputet : tunc signum est quod vere sit virtuosus, et vere humilis, timoratus, sapiensque exsistat. Hinc ait Gregorius : Quum justus in facie laudatur, in corde affligitur. Et præsertim vitandum censetur, ne homines imperfecti, ad vanitatem proclives, laudentur. Imo, ut Clima-
B cus fassus est, qui tales laudat, venenum eis propinat. Ideo rursus ait Gregorius : Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat : sed justos dum cruciat, purgat; iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. — *Cor iniqui exquirit mala :* quia in pravitatibus delectatur; *cor autem rectum exquirit scientiam* de necessariis ad salutem, et scientiam quæ est donum. Versus iste non est in Hebræo.

Si contuderis, id est contriveris, *stultum,* 22
id est habituatum et assuefactum in vitiis,
C *in pila,* id est in ligno concavo ad terendum frumenta facto, *quasi ptisanas,* id est hordea decorticata, *feriente desuper pilo,* id est instrumento quo in pila vel in mortariolo aliquid teritur aut comminuitur, *non auferetur ab eo stultitia,* id est pravitas et puerilitas *ejus :* hoc est, nulla correptione aut correctione poteris eum emendare, præsertim sine adspiratione atque auxilio gratiæ Dei. Idcirco non est desperandum, sed ad cœlestis omnipotentisque medici animarum cum orationum instantia con-
D fugiendum.

Diligenter agnosce vultum pecoris tui, id 23
est, dispositionem, vitam et mores personæ tibi commissæ ac subditæ, stude cognoscere, ut juxta indigentiam ejus, ei succurras, consulas, et pastoralis officii actus impendas; et juxta hunc sensum *tuosque greges,* id est congregationes et oves Dei tibi creditas, *considera,* qualiter juxta suæ exigentiam vocationis Domino obsequantur, et quidquid in eis culpabile videris, sine personarum acceptione, discrete, instanter,

Digitized by Google

24 ferventer increpa et exstirpa. *Non enim habebis jugiter potestatem* exercendi hos actus in subditis, quia vel per mortem tuam, seu subditorum tuorum, aut alio modo finietur præsidentia tua, et tunc recuperare non poteris neglecta atque omissa. *Sed corona tibi tribuetur in generationem et generationem,* id est, æterna beatitudo tibi præstabitur, si rite præfueris. Hoc est quod beatissimus Petrus in prima sua hortatur epistola : Seniores, obsecro, pascite qui in vobis est gregem, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, non turpis lucri gratia, neque ut dominantes in cleris, sed forma gregis facti, et ex animo, ut quum apparuerit Princeps pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam. Denique ad præsidendum idonee, oportet uti præcipua discretione : et sicut medicus unicuique ægro adhibet medicinam juxta ægritudinis qualitatem, sic qui præest, singulis subditorum et omnibus debet prospicere, providereque documenta, ac remedia apta contra peccata opponere. Ideo Gregorius Nazianzenus fatetur : Revera mihi esse videtur ars artium et disciplina disciplinarum, regere hominem, qui inter omnia animalia maxime moribus varius, et voluntate diversus est. Defectus vero subditorum, ex defectu et negligentia prælatorum maxime derivatur. Propter quod dixit Chrysostomus : Quemadmodum videns arborem foliis pallentibus marcidam, intelligis quia aliquam culpam, id est corruptionem, habet circa radicem ; ita quum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quia sacerdotium ejus non est sanum.

I Petr. v, 14.

Populi indisciplinati culpa clericorum culpa est.

25 *Aperta sunt prata, et apparuerunt herbæ virentes,* id est, tempore æstivali ista a Domino conceduntur pro sustentatione pecorum; *et collecta sunt fœna de montibus:* quibus etiam tempore hiemali jumenta

26 quædam pascantur. *Agni sunt ad vestimentum tuum,* id est, agni et oves tibi concessi sunt ut ex lana eorum facias tibi vestes; *et hœdi, ad agri pretium,* id est, A hœdi quoque donati sunt tibi ut de eorum pretio emas et colas agros. Ista est expositio superficialis, et ut putant aliqui, litteralis. — Spiritualiter vero, *Aperta sunt* tempore evangelicæ legis *prata,* id est alimenta ac pascua sacramentorum cœlestium, olim clausa et tecta figuris legalium mysteriorum; *et* apparent nunc *herbæ virentes,* id est evangelicæ institutiones ac Christi consilia, doctrinæ, et diversa gratiarum charismata, quibus nutriuntur credentium animæ; *et collecta sunt fœna de* B *montibus,* id est, de exemplis et documentis Patriarcharum ac Prophetarum accepta sunt spiritualia pabula, quibus aluntur fideles. *Agni sunt ad vestimentum tuum,* id est, de ovibus tibi commissis potes vestitum accipere; *et hœdi, ad agri pretium,* id est, a peccatoribus pœnitentibus sumere potes necessarium victum. Denique agni sunt ad vestimentum, dum pastor virtutibus subditorum ædificatur, seque spiritualiter vestit vestimento salutis, et induit indumento justitiæ, inflam- C matus eorum profectu ac meritis; et hœdi sunt ad pretium agri, dum per opera pietatis quæ circa pœnitentes exercent, cumulum felicitatis merentur qui præsunt, in patria regni cœlestis.

Is. LXI, 10.

Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, 27
et in necessaria alimenta *domus,* id est familiæ et sobolis *tuæ, et ad victum ancillis tuis :* id est, mediocri refectione contentus esto, nec delicata, sed necessaria quæras. De hoc in Ecclesiastico multa scripta sunt. Unde et Chrysostomus loquitur : Simpli- D cior victus, et mensa mediocris, plurimum habent jucunditatis ac bonæ voluptatis. Econtrario divitum mensæ exsecrabiles sunt et horridæ, atque contaminationibus membrorum plenæ. Observanda est ergo sancta sobrietas : quæ mentem et corpus perornat, omniumque virtutum est ornamentum. De qua asserit Augustinus : Sobrietatis perseverantia est inæstimabilis animi fortitudo : quam universæ virtutes et omnes laudum tituli concupiscunt, quoniam sine ea ornari ac complacere non valent.

Eccli. XXIX, 28-30; XXXIX, 31.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVIII

EXPLANATIO CAPITULI VICESIMI OCTAVI : FUGIT IMPIUS NEMINE PERSEQUENTE.

1 FUGIT *impius nemine persequente.* Vi- A
demus quosdam iniquos esse valde
audaces, et justis aliquibus audaciores :
quomodo ergo fugit impius nemine perse-
quente ? Sed dato quod in exteriori et hu-
mano bello sit audax et fortis, tamen in
spirituali prælio contra aciem vitiorum fre-
quenter fugit, succumbit, ac vincitur, ante-
quam tentetur a persecutore aut dæmone.
Mali etiam Christiani tempore persecutio-
num sæpe fugerunt solo timore, antequam
a tyrannis insequebantur. Verumtamen Sa-
lomon loquitur juxta Mosaicæ legis teno- B
rem, in qua transgressoribus legis inter
cetera mala prædicebantur effeminatæ for-
midines et inordinatæ angustiæ ac tremo-
res, ita ut sola suspicione et imaginatione
verterentur in fugam. Unde legitur in Deu-
Deut. xxviii, 65, 66, 25. teronomio : Dabit Dominus tibi cor pavi-
dum, et oculos deficientes, et animam
mœrore consumptam, et erit vita tua qua-
si pendens ante te. Per unam viam egre-
diaris contra hostes tuos, et per septem
Job xv, 21. fugias. Hinc scriptum est : Sonitus terro-
ris semper in auribus impii ; et quum pax C
sit, ille insidias suspicatur : quia quod
ipse aliis intulit, sibi imminere veretur.
Justus autem quasi leo confidens in Domi-
no, *absque terrore erit,* id est, inordina-
tum, carnalem, sæcularem timorem abji-
ciet, et Deum pure timebit, nec aliud nisi
in Deo et propter Deum. Imo pro Deo et
justitia mori erit paratus, sicut jubet Sal-
Matth. x, 28. vator : Nolite timere eos qui corpus oc-
cidunt, etc. Verumtamen ista jam sæpe
præhabita sunt, idcirco pertranseo.
2 *Propter peccata terræ,* id est habitan- D
tium in terra, *multi principes ejus.* Nam
propter peccata hominum, permittit Deus
justo judicio regna vastari ac dividi, et
habitatores inter se dissentire : sicut et
regnum duodecim tribuum, propter scele- III *Reg.*
ra Salomonis, fuit divisum, et in adventu 31, 33; x
Christi Judæa sub multis erat tetrarchis, 16, 19. *Luc.* iii, 1
prout tertio Regum libro, et in Luca de-
scribitur. Regimen autem monarchicum,
secundum Philosophum in Politicis, op-
timum est. Qui rursus duodecimo Primæ
philosophiæ disseruit : Pluralitas princi-
pum mala. *Et propter hominis sapientiam,
et horum scientiam quæ dicuntur, vita
ducis longior erit :* id est, vita præsiden-
tium, ceteris paribus, prolongabitur, si vel
ipsi sapientiam in divinis et prudentiam
in agendis habuerint, aut sapientium atque
prudentium consiliis obtemperaverint.
Vir pauper calumnians pauperes, id est 3
in temporalibus aut virtutibus inops, im-
properans et insultans sibi similibus, qui-
bus merito condoleret, *similis est imbri
vehementi, in quo paratur fames,* id est
pluviæ segetes corrumpenti : ex qua cor-
ruptione caristia sequitur, quam fames
multorum concomitatur. Quemadmodum
enim hujusmodi imber paupertatem indu-
cit, sic calumnia pauperis talis, tam ipsum
quam alium facit spiritualiter pauperio-
rem : ipsum quidem directe, quia calumni-
ando sic graviter peccat ; et alium indire-
cte, cui occasionem dat impatientiæ.— *Qui* 4
derelinquunt legem, laudant impium : quia
similis simili sibi applaudit. *Qui custodi-
unt* legem, *succenduntur* zelo justitiæ, et
ex divino ac fraterno amore, *contra eum :*
quemadmodum princeps Apostolorum con- *Act.* viii, 19-23.
tra Simonem magum, Phinees contra Zam- *Num.* xxv, 7, 8, 14.
bri, Mathathias contra Judæum idolola- I *Mach.* ii, 23, 24.
tram, imo et Christus contra vendentes
et ementes in templo. — *Viri mali non* *Joann.* ii, 15, 16.
cogitant judicium, id est, discretionis ju- 5

Digitized by Google

dicium non advertunt, neque divini rigorem judicii pensant, nec dijudicant semetipsos, nec proximis justitiam facere meditantur; *qui autem requirunt Dominum,* id est, Deo placere conantur, et ejus honorificentiam optant, *animadvertunt omnia* ad salutem spectantia, et provident sua novissima, ac quid unicuique teneantur.

6 *Melior est pauper in simplicitate sua* columbina *ambulans, quam dives in pra-*
7 *vis itineribus.* — *Qui custodit legem, filius sapiens est:* utpote Deo obediens, quod est summa sapientia; et sapientiæ dono ornatur, quo summo bono uniri et placere conatur. *Qui autem comessatores,* id est gulosos et helluones, *pascit, confundit,* id est, perturbat et inhonorat, *patrem suum,* qui de filii sui perversitate tristatur.

8 *Qui coacervat,* id est congregat, *divitias usuris et fœnore liberali.* Per usuram hoc loco quidam intelligunt, capere aliquid ultra sortem ex pacto; per fœnus liberale, quando hoc fit absque pacto. Alii per usuram intelligunt horum utrumque; per fœnus vero liberale, quando usura (id est usurarie acquisitum) datur ad usuram. Potest autem fœnus liberale vocari, id quod pro mutuato ultra sortem exigitur, non quasi usura, sed tanquam in recognitionem et vicissitudinem impensi beneficii, prout super Matthæum tangit Hieronymus: et tamen hoc ipsum usurarium est, ac lege prohibitum, Domino per Ezechielem jubente: Usuram et superabundantiam non accipietis. Unde et Christus: Date (inquit) mutuum, nihil inde sperantes. Ideo dicit Ambrosius: Et vestis, usura est; et esca, usura est; et quidquid sorti accedit, usura est: quod velis nomen ei imponas, usura est. Qui ergo his modis colligit opes, *in pauperes congregat eas,* id est contra egenos, quia in damnum indigentium: vergit enim in damnum eorum. Idcirco usura est contra caritatem atque justitiam, et valde enorme peccatum. Imo, ut etiam Aristoteles naturali ratione inductus fatetur: Ipsa est maxime contra naturam. Vel: In pauperes congregat eas, id est, pauperibus seu indigentibus, a quibus eas acquisivit, eas restituere obligatur. Denique, sicut ait Chrysostomus, similis est pecunia usurarii, morsui aspidis, quia per ipsam usurarius se ipsum occidit: et sicut percussus ab aspide, quasi delectatus cadit in somnum, ac per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit; sic qui sub usura accipit, ad tempus quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit, et totum convertit in debitum.

Ezech. XVIII, 17; XXII, 12. *Luc.* VI, 35.

Qui declinat aures suas ne audiat legem: id est, auditum suum avertit ne discat, sciat, vel audiat præcepta Dei sive Ecclesiæ, quatenus peccet liberius et sine remorsu; vel aures cordis avertit ne audiat, id est, audiendo impleat, legem, id est præcepta, ita quod ex proposito peccat, nec pœnitet; *oratio ejus erit exsecrabilis,* id est contemptibilis coram Deo, quum non veniat ex affectu, nec præparet se ad gratiam, sed operibus suis destruat propriam precem. Ideo Jacobus ait apostolus: Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis. Etiam alibi asseritur: Scimus quia peccatores Deus non audit (eos videlicet qui in peccandi manent proposito); sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. — *Qui decipit justos* 10
in via mala, id est falsa doctrina, pravo exemplo, occasioneve scandali, *interitu** *suo corruet,* id est, proprio vitio quo id agit, peribit, quia iniquitas sua redundat in ipsum, et damnationi eum adjiciet; *et simplices possidebunt bona ejus:* id est, si ante aliquid meritorie egit, non sibi, sed electis cedet in gloriam. Nullum etenim bonum manet irremuneratum. 9

Jacob. IV, 3. *Joann.* IX, 31.

* alias *in interitu*

Sapiens sibi videtur vir dives: divitiæ enim superbiam nutriunt; et eo ipso quo temporalia acquisivit astute, aut conservat avare, sapiens sibi videtur, quia in temporalibus et caducis ultimum sibi constituit finem: ideo sapientiale arbitratur, media sua bene disponere ad temporalium copiam. *Pauper autem prudens scrutabi-* 11

Digitized by Google

tur eum, id est, insipientiam ejus considerabit, videns eum ita præferre transitoria atque carnalia cœlestibus ac divinis, spiritualibus et æternis.

12 *In exaltatione justorum multa gloria est:* id est, valde jucundum et gloriosum est, quod justi ac sapientes ad officia et præsidentiam sublimantur, quia ex hoc bonum commune et salus multorum, honorque Dei procurantur, augentur et conservantur. Propter quod quinto de Civitate Dei loquitur Augustinus : Illi qui vera pietate præditi bene vivunt, si habent scientiam regendi populos, nil est felicius rebus humanis, quam si, Deo miserante, habeant potestatem. Et Bernardus : Si rebus raritas pretium facit, nil in Ecclesia pretiosius, nil optabilius bono utilique pastore. Nempe rara est avis ista in terra. Proinde si quis talis interdum reperiatur, et occasio detur, confestim injiciendæ sunt manus, et totis viribus satagendum, ne qua vi, ne qua arte malitiæ, fructuosa promotio valeat impediri. Hinc Dominus pro grandi beneficio tales promittit præsidentes se *Jer.* III, 15. concessurum : Dabo, inquiens, vobis pastores secundum cor meum, et pascent vos scientia et doctrina. Rursus, quando quotidie in spiritualibus donis sortiuntur profectum, salubriter exaltantur : et de tali eorum exaltatione magna est gloria, præsertim dum ad dona gloriæ, altitudinemque cœlorum feliciter provehuntur. Porro aliqui [textus] habent : In exsultatione justorum multa gloria est. Exsultant enim in Deo et in rebus divinis, in quibus habent copiosam gloriandi materiam.

Regnantibus impiis, ruinæ hominum : id est, subditi ad diversa labuntur peccata, et interdum ad corporalem interitum, ex negligentia, scandalosaque vita, et abusu regiminis impiorum. Nam, ut Seneca protestatur, quemadmodum subditos nil magis ædificat, quam probitas, sapientia et exemplaritas eorum qui præsunt; sic nil amplius scandalizat, quam perversitas *Ibid.* X, 21. eorumdem. Ideo scriptum est : Quia stulte egerunt pastores, et Dominum non quæsierunt, propterea omnis grex eorum dissipatus est. Ideo ait Gregorius : Dum pastor per abrupta graditur, grex per devia imitatur; et vehementer culpa diffunditur, dum is qui peccat, pro suæ dignitatis officio honoratur.

Qui abscondit scelera sua, ea negando 13 aut colorando, vel in sacramento Confessionis ea non aperiendo plenarie, *non dirigetur* ad veram salutem, nec curabitur, nec crescet in Domino. Initium enim bonorum, confessio est malorum. *Qui autem confessus fuerit, et reliquerit ea,* non recidivando, vel ad minus plenum propositum relinquendi ea habendo, *misericordiam consequetur,* id est, veniam et gratiam obtinebit. Ideo sanctus Job dixit : Vias *Job* XIII, 15, 16. meas in conspectu Dei arguam, et ipse erit salvator meus; itemque, Si abscondi ut *Ibid.* XXXI, 33. homo scelera mea. Et Psalmista : Dixi, *Ps.* XXXI, 5. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei. Quocontra de impœnitente transgressore in libro Job legitur : Quum *Job* XX, 12. dulce fuerit malum in ore ejus, abscondet illud sub lingua sua. Denique tam grave peccatum est, iniquitatem propriam non fateri loco et tempore opportuno, potissime coram præsidente et judice, ut reus mortis peccet mortaliter, negando judici crimen suum, pro quo, si illud panderet, occideretur, quum tamen metus, præsertim formido mortis, soleat culpam minuere : et istud Thomas in secunda secundæ bene declarat.

Beatus homo in merito et spe, *qui semper est pavidus* filiali timore. Quum enim 14 in actibus humanis ex deliberatione procedentibus, dicatur non esse indifferens, sed omnis hujuscemodi actus sit moraliter bonus aut malus, atque communiter meritorius aut demeritorius, debemus esse jugiter timorati, ne Deum in aliquo offendamus. Ideo sanctus Job fassus est : Semper *Ibid.* XXIII, 23. quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Et in Isaia jubetur : Dominum exer- *Is.* VIII, 13. cituum sanctificate; ipse pavor vester, et

Digitized by Google

ipse terror vester. *Qui vero mentis est du-*
ræ, ita quod nec comminatione pœnarum,
nec pollicitatione præmiorum, nec ipso
summi boni amore, a sua iniquitate ac
pertinacia flectitur, nec modo prætacto
Deum veretur, *corruet in malum,* id est
in cumulum vitiorum, et in profunditatem
infernalium tormentorum. Ideo in Eccle-
Eccli. III, 27. siastico scriptum est : Cor durum male
habebit in novissimo. Tali lapideum cor
Is. XLVIII, 4. habenti, Dominus per Isaiam loquitur : Scio
quia durus es tu, et nervus ferreus cervix
tua, et frons tua ærea.
15 *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps*
impius super populum pauperem : quia
instar rugientis leonis, subditos inopes
comminatione perterret, et tanquam ursus
famelicus, bona eorum diripit ac consumit.
De talibus Dominus in Michæa loquitur :
Mich. III, 3. Qui comederunt carnem populi mei, et
pellem desuper excoriaverunt ; et alibi,
Ezech. XXXIV, 4. Cum austeritate imperabatis eis et cum
potentia. Hinc denuo Dominus est locutus :
Ibid. XLV, 9. Sufficiat vobis, principes ; iniquitatem et
rapinam intermittite, et judicium et justi-
tiam facite ; separate confinia vestra a po-
pulo meo. Istud ergo vitandum est, quia
tyrannicum est, quum et Seneca dicat : Re-
linque crudelitatem, et matrem ejus iram ;
itemque, Crudelitas inficit assiduitate au-
16 ctoritatem. — *Dux,* id est princeps qui-
cumque, seu judex, *indigens prudentia,* id
est carens discretione et circumspectione
in agendis, *multos opprimet per calum-*
niam : quoniam voluntate utitur pro lege
justitiæ, et rigorem justitiæ nescit dulce-
dini pietatis contemperare, sicque opere
Sap. II, 11. ipso dicit illud Sapientiæ : Sit autem for-
titudo nostra lex justitiæ. *Qui autem odit*
avaritiam, longi fient dies ejus, id est, ad
diem æternitatis pertinget, juxta quod Do-
Ps. XC, 16. minus spopondit in Psalmo : Longitudine
dierum implebo eum. Justis quoque in ve-
Exod. XX, 12 ; Deut. XI, 21. teri lege diuturnitas vitæ præsentis pro-
mittebatur.
17 *Hominem qui calumniatur animæ san-*
guinem, id est, mortem seu vitia animæ
deridet, habens ea pro nihilo, et parvi pen-
A dens proximi sui salutem, *si usque ad la-*
cum fugerit, nemo sustinet : id est, quan-
tumcumque quærat evadere, juste expetitur
ultio criminis sui. — *Qui ambulat simpli-* 18
citer, salvus erit, si in columbina simplici-
tate finaliter perseveret ; *qui perversis in-*
greditur viis, id est, actus vitiosos viis Dei
contrarios agit, *concidet semel,* id est ple-
narie, quia finaliter damnabitur, nec re-
surget ; vel, Semel, id est tandem aliquando.
— *Qui operatur terram suam, satiabitur* 19
panibus. Hoc corporaliter sic solet contin-
B gere. Similiter qui agrum cordis sui expur-
gat a vitiis, seminans illum verbo doctrinæ
cœlestis, spiritualiter reficietur : similiter
qui corpus suum castigat, et in servitutem I Cor. IX, 27.
spiritus redigit, et membra sua exhibet ar- Rom. VI, 13.
ma justitiæ Deo. Istud tamen præhabitum
est, sicut et id quod subditur. *Qui sectatur* Prov. XII, 11.
otium, replebitur egestate spirituali, et sæ-
pe etiam corporali. — *Vir fidelis multum* 20
laudabitur : quoniam justus et integer est,
nec propter bona utilia aut delectabilia
recedit a bono honesto, nec tempore adver-
C sitatis relinquit amicum. *Qui autem festi-*
nat ditari in temporalibus, *non erit in-*
nocens : quoniam immoderata sollicitudi-
ne et viis illicitis ad obtinendum divitias
tendit. Imo, juxta Apostolum, Qui volunt I Tim. VI, 9.
divites fieri, incidunt in tentationem, la-
queumque diaboli.
Qui cognoscit in judicio faciem, id est, 21
personam accipit, juxta illud Psalmi, Faci- Ps. LXXXI, 2.
es peccatoris sumitis ; *non facit bene :* imo
graviter peccat, sicut præhabitum est. *Iste* Prov. XVIII, 5.
et pro buccella panis, id est pro parvis et
D vilibus rebus, *deserit veritatem* justitiæ ac
sermonis. De talibus per Ezechielem Do-
minus ait : Deceperunt populum meum Ezech. XIII, 19.
propter pugillum hordei et fragmen panis.
Quocontra Seneca quoque docet : Testimo-
nium perhibe non amicitiæ, sed veritati.
— *Vir qui festinat ditari, et aliis invi-* 22
det, eo quod ditiores sint ipso, *ignorat*
quod egestas superveniet ei, id est defe-
ctus gratiæ in præsenti, et gloriæ in fu-
turo, pœnaque sensus in inferis : hoc
etenim non perpendit. — *Qui corripit ho-* 23

Digitized by Google

minem non penitus malitiosum, quamvis adhuc sit passionabilis, *gratiam postea inveniet apud eum :* quia etsi ad tempus ægre accipiat correptionem, rediens tamen ad mentem, advertet quod ex caritate et zelo justitiæ, pro sua salute corripuerit eum ; *magis quam ille qui per [linguæ] blandimenta decipit :* qui licet ad tempus complaceat, postea tamen dolus ejus percipitur. Ideo loquitur Augustinus : Qui phreneticum ligat, et lethargicum excitat, ambobus molestus est : quamdiu sunt ægri, indignantur; sed ambo sanati, gratulantur et regratiantur.

24 *Qui subtrahit aliquid* magnum et notabile, *a patre suo et a matre,* furando, *et dicit, Hoc non est peccatum :* quia bona parentum putat pertinere ad se; *particeps homicidæ est,* id est homicidæ quodammodo similis in peccato : quia et parentibus suis inobediens est, et non sua invadit, quum adhuc sit sub potestate, cura atque regimine suorum parentum, ad quos spectat dispensatio rerum. Verum in hac re multi filii et filiæ graviter errant et peccant : quorum errorem, infidelitatem, et furtum dire redarguit Augustinus. Potest quoque exponi hoc modo : Qui subtrahit aliquid, id est, parentibus suis indigentibus denegat honorem, obsequium, subventionem in victu, particeps homicidæ
25 censetur. — *Qui se jactat et dilatat,* magnificando se ipsum inaniter, suos terminos extendendo, *jurgia concitat :* quoniam jactantiæ ac superbiæ et avaritiæ ejus alii indignantur ac renituntur; *qui vero sperat* in *Domino, sanabitur* a peccatis, et interdum etiam a corporalibus morbis.

Qui confidit in corde suo, id est in pro- 26
priis viribus aut scientiis, *stultus est :* quia ignorat se ipsum, quemadmodum in Apocalypsi dicitur tali : Quia dicis, Quod dives Apoc. III, 17.
sum; et nescis quia tu es miser et miserabilis, pauper, cæcus et nudus. *Qui autem graditur sapienter,* vitando viarum pericula, et exemplariter se habendo, juxta illud Apostoli, In sapientia ambulate ad Coloss. IV, 5.
eos qui foris sunt; *ipse laudabitur.* — *Qui* 27
dat pauperi liberaliter propter Deum, *non indigebit :* quia et in præsenti Dominus ei providebit, et bonis gratiæ ac gloriæ eum ditabit. *Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam* divinorum charismatum, sicut apostolus Jacobus loquitur : Judicium Jacob. II, 13
sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Hinc ait Scriptura : Qui Prov. XXI, 13.
obturat aures suas ad clamorem pauperum, et ipse clamabit, et non exaudietur. Ideo Seneca dicit : Nihil neges, quod petiturus es; et rursus, Homo qui in homine ærumnoso misericors est, meminit sui. Imo et Dominus in Evangelio fatur : Omni Luc. VI, 30
petenti te tribue. — *Quum surrexerint* 28
impii, id est, prævaluerint in regnando tyrannice, persequendoque justos, *abscondentur homines,* id est, rationabiles homines se abscondent, sicut ait Salvator : Quum persecuti vos fuerint in una civita- Matth. X, 23.
te, fugite in aliam. *Quum illi perierint, multiplicabuntur justi* numero et merito : quia sub virtuosis præsidentibus homines reformantur, convertuntur, proficiunt.

ARTICULUS XXIX

EXPOSITIO CAPITULI VICESIMI NONI : VIRO QUI CORRIPIENTEM DURA CERVICE CONTEMNIT, ETC.

1 *VIRO,* imo cuilibet homini, tam viro quam mulieri, tam adolescenti quam seniori, *qui corripientem* caritative, discrete, juste ac pie, *dura cervice* cordis *contemnit,* tanquam indignum ad corripiendum se, *repentinus superveniet interitus,* id est damnatio improvisa : imo eodem instanti, quo tam superbe, ingrate,

Digitized by Google

impatienter se habet, moritur in anima,
peccando mortaliter, et tales incorrigibiles
solent subito mori sive interfici; *et eum sa-
nitas* animæ *non sequetur :* quia manet in
2 vitiis et vulneribus animæ suæ.—*In multi-
plicatione justorum* civium, aut regentium
communitatem, *lætabitur vulgus :* quia
tales sunt utiles valde rei publicæ. Qui-
dam tamen vulgares sunt ita perversi, quod
contra justos rectores faciliter indignantur
ac murmurant, quoniam increpari, coerce-
ri, punirique renuunt; sed de rationabili
vulgo loquitur Salomon. *Quum impii sum-
pserint principatum, gemet populus,* ti-
mens exactionari, gravari ac opprimi, et
bonum commune periclitari, turbationes,
dissensiones ac lites oriri.

3 *Vir qui amat sapientiam, lætificat pa-
Prov. x, 1; xv. 20; xxiii, 24. trem suum.* Hoc jam sæpe expositum est.
*Qui autem nutrit scortum, perdet substan-
tiam :* imo et animam suam, sicut in
Luc. xv, 13, 18, 21. Evangelio fertur de prodigo filio. — *Rex
4 justus erigit terram,* id est, rem publicam
promovet, statum patriæ meliorat, subditos
incitat ad virtutes. Sic unusquisque virtu-
osus prælatus ac prædicator, gregem sibi
commissum ad reformationem et profe-
ctum inducit pro posse. *Vir avarus,* puta
tyrannus quærens propria commoda, et sui
ipsius honorem, non bonum commune, nec
subditorum salutem, *destruet eam,* spoli-
ando et opprimendo subjectos, et discor-
dias inter eos disseminando, ne forsan una-
5 nimiter sibi resistant. — *Homo qui blan-
dis fictisque sermonibus loquitur amico
suo,* approbando peccata illius, et simu-
lando amicitiam secum, *rete expandit pe-
dibus ejus,* id est, deceptionum laqueos ei
extendit, et profectum ejus in virtutibus
impedit, quemadmodum Dominus prote-
Is. iii, 12. statur per Prophetam : Popule meus, qui
beatum te dicunt, ipsi te decipiunt, et
viam gressuum tuorum dissipant.

6 *Peccantem virum iniquum involvet la-
queus,* id est, deceptio quam alteri parat,
irruet super ipsum; et dato quod alteri
corporaliter noceat, se ipsum tamen spiri-
tualiter perimit, et incomparabiliter gra-
A vius lædit, juxta illud in Psalmo : Veniat Ps. xxxiv, 8.
illi laqueus quem ignorat, et captio quam
abscondit, apprehendat eum, et in laqueum
cadat in ipsum. Et Jeremias dicit : Ecce Jer. xxiii, 19.
turbo dominicæ indignationis egredietur,
et tempestas erumpens super caput impio-
rum veniet. *Et justus laudabit* Dominum,
atque gaudebit in Deo, testimonium ei per-
hibente conscientia sua, quod coram Deo
habuerit se sincere. Unde ait Apostolus :
Gloria nostra hæc est, testimonium con- II Cor. i, 12.
scientiæ nostræ. Gaudebit quoque potis-
B sime in futuro, quum felix evaserit, et
cantabit : Laqueus contritus est, et nos Ps. cxxiii, 7.
liberati sumus.

Novit justus causam pauperum, id est, 7
approbat atque justificat eam, quantum
rationabiliter valet, non formidans in hoc
vultum divitum aut potentium. Ideo san-
ctus Job fassus est : Quumque sederem Job xxix, 25.
quasi rex circumstante exercitu, eram ta-
men mœrentium consolator. Et de Christo
prædictum est : Judicabit in justitia pau- Is. xi, 4.
peres; atque in Psalmo, Judicabit paupe- Ps. lxxi, 4.
C res populi, et salvos faciet filios paupe-
rum. *Impius ignorat,* id est, non habet,
scientiam, quæ est donum, nec veram
prudentiam : non, inquam, habet scien-
tiam practicam et formatam, boni appro-
bativam et efficacem, juxta illud Amos :
Nescierunt facere rectum, thesaurizantes Amos iii, 10.
impietatem. De talibus demum loquitur
Paulus : Confitentur se nosse Deum, factis Tit. i, 16.
autem negant, quum sint abominati et re-
probi. — *Homines pestilentes,* id est peste 8
spirituali repleti, qui verbis et factis suos
D scandalizant, et male informant concives,
dissensionesque nutriunt, et bono adver-
santur communi : quemadmodum secundo
Machabæorum narratur de Simone quodam, II Mach. iii, 4.
quod moliebatur iniquum aliquod in civita-
te; *dissipant civitatem,* id est, bonum com-
mune destruunt, habitatores perturbant, et
interdum sunt causa quod oppida corpo-
raliter destruuntur, prout tempore Jere-
miæ civitati Jerusalem factum est a Chal- Jer. xxxix, 1, 2, 8.
dæis. *Sapientes vero avertunt furorem,*
cives invicem reconciliando, et pro urbibus

Digitized by Google

Deum rogando, ne juste puniantur, nec A
Exod. xxxii, 11-14; *Num.* xiv, 13-20; xvi, 22-24; 47, 48; xxi, 7-9. *Num.* xxv, 11. destruantur. Sic Moyses et Aaron sæpe
averterunt iram Dei a populo. Et in Numeris loquitur Dominus : Phinees avertit
iram meam a filiis Israel.
Vir sapiens si cum stulto, id est irrationabili et injusto, *contenderit,* redarguendo
9 illius errores ac vitia, *sive irascatur* zelo justitiæ contra hujusmodi stultum, *sive rideat,* id est, peccata ejus juste derideat; [id est] sive rigorose loquatur, sive suaviter exhortetur ; sive futura supplicia ei minetur, sive cœlestis beatitudinis gaudia ei (si B se emendaverit) danda testetur ; *non inveniet requiem,* id est, non proficiet, nec consolationem de illius correctione accipiet.
10 — *Viri sanguinum,* id est vitiis dediti, seu effusores sanguinis humani, prout Semei
II *Reg.* xvi, 7. ait ad David : Egredere, vir sanguinum ;
oderunt simplicem. Dissimilitudo enim est causa aversionis et odii. *Justi autem quærunt animam ejus,* id est salutem animæ ejus, et cupiunt vitam ejus ab impiorum persecutione eruere.
11 *Totum spiritum suum profert stultus,* C
id est, cor suum per loquacitatem seu iram et impatientiam importune et indiscrete effundit, nesciens se frenare, aut celanda celare. Unde antiqua translatio continet : Totam iram suam profert impius; sapiens autem dispensat per partes : quoniam stultus, ira inquietante, ad ultionem accenditur; sapiens autem ordinate procedit, et iram maturitate consilii paulatim extenuat ac repellit. Hinc subditur : *Sapiens differt, et reservat in posterum :* id est, statim non effundit totum spiritum D suum, vel cordis conceptum, seu animi motionem; sed loco et tempore opportuno dicit dicenda, et agit agenda, sicque reservat in posterum. Quemadmodum in Ec-
Eccli. xx, 7. clesiastico legitur : Sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus et imprudens non
12 servabunt tempus. — *Princeps qui libenter audit verba mendacii,* præsertim perniciosi, *omnes ministros habet impios,* id est mendaces, et sibi consimiles : nam quærunt ei placere per talia, et tales acceptat. Veros autem et justos abhorret : idcirco non manent cum eo. Unde in Ecclesiastico scriptum est : Secundum judi- *Eccli.* x,
cem populi, sic et ministri ejus.
Pauper et creditor obviaverunt sibi, id 13
est, concorditer occurrerunt, ita quod creditor pauperi pie subvenit, et accommodavit quod petiit ; *utriusque illuminator est Dominus :* qui instigavit divitem ad subveniendum liberaliter, et pauperem ad petendum humiliter. Creditor quoque est, qui spiritualia misericordiæ opera exhibet indigenti, docendo, consulendo, ac consolando : quem Dominus ad talia peragenda illuminat, et pauperem, id est indigentem auxiliis illis, instruit unctione interna, ad
intelligendum salubriter. — *Rex qui judi-* 14
cat in veritate pauperes, eos ab injustis molestiis eruendo, *thronus ejus in æternum firmabitur :* id est, Deo jugiter complacebit, et post præsidentiam temporalem consequetur regnum æternum; seu posteros habebit successores per omne tempus, nisi peccatis suis mereantur deficere. Hoc in Christo maxime est impletum, secun-
dum illud in Psalmo : Sedes tua, Deus, in *Ps.* xliv, 7
sæculum sæculi.
Virga atque correctio tribuit sapienti- 15
am : quia reprimit et emendat correctum a peccatis, et facit eum bonis intentum, sicque ad sapientiæ infusionem ac studium disponit eumdem, quemadmodum
Isaias loquitur Deo : In tribulatione mur- *Is.* xxvi, 16.
muris, doctrina tua eis. Hinc loquitur Pau-
lus : Quid vultis ? in virga veniam ad vos, I *Cor.* iv, 21.
an in spiritu mansuetudinis ? Et in Jere-
mia habetur : Castigasti me, Domine, et *Jer.* xxxi, 18.
eruditus sum quasi juvenculus indomitus. Oportet enim imprudentes atque indomitos, correctione verborum, et si illa non sufficit, disciplinatione verberum revocare ab insipientia, et ad meliora inducere. *Puer autem qui permittitur voluntati suæ,* id est exsequi propriam inclinationem et appetitionem ad mala proclivem, *confundit matrem suam,* quæ eum non increpa-
vit, correxit ac refrenavit. — *In multiplica-* 16
tione impiorum multiplicabuntur scelera :

Digitized by Google

quoniam unus trahit et incitat alium ad A
peccandum, et scandalizant, perturbant et
impugnant se invicem. Unde primo Ma-
I Mach. I, 10. chabæorum asseritur : Multiplicata sunt
mala super terram. *Et ruinas eorum justi*
videbunt. Sapientes namque et justi per-
pendunt qualiter de peccato in peccatum
labantur, æternaliterque damnentur, vel se
mutuo destruant et occidant ; in futuro
autem judicio clarius cernent ruinam eo-
Ps. XC, 8. rum in tartarum. Unde in Psalmo : Ve-
rumtamen oculis tuis considerabis, et re-
17 tributionem peccatoris videbis. — *Erudi* B
filium tuum in probitate morum et scien-
tia necessariorum, *et refrigerabit te* ab æs-
tu tristitiæ, *et dabit delicias* spirituales
animæ tuæ : quemadmodum dictum est,
Prov. X, 1; XV, 20. Filius sapiens lætificat patrem ; et rursus,
Gloria patris, filius sapiens.

18 *Quum Propheta defecerit,* id est, quum
viri sapientes et virtuosi rectores, futura
impiorum supplicia, justorumque præmia
denuntiantes, ac Scripturarum testimonia
exponentes ac prædicantes, cessaverint,
dissipabitur populus per vitiorum abru- C
pta, ac vitiis spiritualiter destruetur, non
habens ductorem, correptorem, pastorem
idoneum. Specialiter autem in veteri Te-
stamento solebat populus Israel per Pro-
phetas dirigi ac doceri. Unde in Esdra
I Esdr. II, 63. narratur : Dixit eis sacerdos, ut non co-
mederent de sanctificatis, donec surgeret
I Mach. IX, 27. Propheta. Et primo Machabæorum : Facta
est tribulatio magna in Israel, qualis non
fuit ex eo tempore, ex quo non est visus
Propheta in Israel. *Qui vero custodit le-*
gem, id est universa legis præcepta ad D
suum statum spectantia, *beatus est* in spe,
Ps. CXVIII, 1. et inchoatione ac merito, juxta illud : Bea-
ti immaculati in via, qui ambulant in lege
Matth. XXIV, 13. Domini. Sed, ut asserit Christus, Qui per-
severaverit usque in finem, hic salvus
Jacob. II, 10. erit. Jacobus quoque : Quicumque, inquit,
totam legem impleverit, offendat autem in
uno, factus est omnium reus.

19 *Servus verbis erudiri non potest.* De
quali servo dicatur hoc, pandunt verba
sequentia. *Quia quod dicis, intelligit, et*
respondere contemnit. Hoc igitur dicitur
de servo contumaci et improbo, qui solo
servili servit timore : idcirco indiget in-
terdum verberibus erudiri, si sit servus
empticius ; vel expelli, si sit conducticius.
Hinc scriptum est : Cibaria, et virga, et Eccli. XXXIII, 25.
onus asino ; panis, et disciplina, et opus
servo. — *Vidisti hominem velocem ad lo-* 20
quendum, id est loquacem et garrulum,
qui etiam inter seniores et sapientiores
præceps et pronus est ad loquendum ?
Stultitia magis speranda, id est timenda
est, quam illius correctio sit speranda. Ta-
lis enim difficulter corrigitur : qui si re-
prehendatur, sua mox loquacitate se excu-
sat, resistit, opponit, et quasi dialecticus
quidam efficitur, interrogando de loco et
tempore, ac discutiendo negotium. Capi-
tur autem hic Sperare improprie pro Ti-
mere, vel Exspectare, sicut in libro Ju-
dith : Speraverant eam non redituram. Judith XIII, 15.
Circa hoc ait Glossa : Grave vitium est
stultitia, sed non minus verbositas. Nam
sæpe contingit, ut idiota quis citius verba
correctionis accipiat, quam is, qui ea quæ
novit, aut nosse se putat, libentius jactat,
quam aliorum monita audiat.

Qui delicate a pueritia nutrit servum 21
suum, id est ministrum, seu proprium cor-
pus, *postea sentiet eum contumacem,* id
est rebellem, et ad operandum quæ bo-
na sunt, inobedientem, quia assuetus est
dulcibus, ex quibus concupiscentia et ani-
mositas generantur. Propter quod in Pro-
verbiis suis asserit Seneca : Nihil magis
facit iracundum, quam educatio mollis et
blanda. Porro alia translatio habet : Qui
deliciatur a pueritia sua, servus erit ; no-
vissime autem contristabitur. Talis enim
fit concupiscentiarum vitiorumque ser-
vus : unde vel sero dolebit.

Vir iracundus provocat rixas : proclivis 22
est namque ad verba et facta injuriosa et
impetuosa. Unde loquitur Glossa : Janua
omnium vitiorum est iracundia : qua clau-
sa, virtutibus intrinsecus requies datur ; et
qua aperta, ad omne facinus cor armatur.
Et qui ad indignandum facilis est (quod

Digitized by Google

superbis est proprium, eo quod alios parvi pendant, præsertim dum eis quid displicens faciunt, et se ipsos magnificant : similiter sapientibus in oculis suis; pro- [*Eccle.* I, 18.] pter quod in Ecclesiaste habetur : In multa sapientia, multa est indignatio), *erit ad peccata* [* peccandum] *proclivior :* quia ex indignatione multa ac magna oriuntur peccata. Interdum tamen indignatio sumitur pro motu aspernationis contra iniquitatem. Reprimamus ergo impiam indignationem, considerantes propriam defectuositatem, quum [*Ephes.* IV, 31.] dicat Apostolus : Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor tollatur a vobis. —

23 *Superbum sequitur humilitas :* id est, qui se extollit, humiliabitur; *et humilem spiritu,* id est vere et cordialiter humilem, *suscipiet gloria,* id est, in præsentia exaltabitur per gratiarum charismata copiosa, et in futuro per gloriæ dona; talis quoque frequenter ad honorem et prælationem assumitur, quoniam honor sequitur fugientem.

24 *Qui cum fure participat,* consentiendo, instigando, consulendo, hospitando, non increpando, non impediendo, aut partem rei furatæ accipiendo, *odit animam suam :* quia peccando vult animæ suæ quod adversatur suæ saluti. Ideo fert Psalmista : [*Ps.* X, 6.] Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam. *Adjurantem,* id est eum qui cum adjuratione inquirit a quo furtum commissum sit, *audit* participans ille, *et non indicat* a quo patratum sit furtum, quum sciat hoc : quod est uno modo participare [*Ps.* XLIX, 18.] cum fure. Unde in Psalmo : Si videbas furem, currebas cum eo.

25 *Qui timet hominem, cito corruet.* Timere hominem timore carnali, mundano et immoderato, est vitiosum, sicut et amare carnaliter, quia per utrumque pax cordis, et libertas ejus in Domino, impeditur. Ideo [*Matth.* X, 28.] præcepit Christus : Nolite timere eos qui corpus occidunt. Et per Isaiam jubetur : [*Is.* LI, 7, 12.] Nolite timere opprobria hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Quis es tu, ut timeas ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum arescet? Qui ergo sic metuit hominem, cito corruet in peccata, quia ex timore hujusmodi, ne hominem offendat, aut adversum aliquid patiatur, recedet a via justitiæ; et qui vitat peccata timore humano, tunc peccabit quando non timebit ab homine, a quo veretur videri aut deprehendi. Porro timere hominem, in quantum est Dei vicarius, vel pater, sive superior, vel ob aliam rationabilem causam, timore filiali, laudabile est. Propter quod ait Apostolus : Servi, obedite in omni timore dominis. [*Ephes.* VI, 5.] *Qui sperat in Domino, sublevabitur,* id est, per gratiæ opem erigetur in Deum, et stabilietur in ipso, ut non timeat hominem, sed Deum dumtaxat, alia vero non nisi in Deo. Ideo ait Psalmista : In Domino sperans, non infirmabor. [*Ps.* XXV, 1.]

Multi requirunt faciem principis, id est, potentioribus atque judicibus cupiunt complacere : quod si fiat sincera intentione, non est vituperabile; si autem intuitu proprii commodi et honoris, et ut audentius possint peccare, ac justa evadant supplicia quando excesserint, malum est. Sicque a multis fit : quod tamen vitare deberent, ne incidant in divini rigorem judicii. Unde subjungitur : *et judicium a Domino egreditur singulorum :* id est, Deus universos ac singulos vero et infallibili judicabit judicio. Ideo potius est optandum in præsenti vita judicari, purgari et castigari, quam divino judicio reservari : quia horrendum est incidere in manus Dei viventis, qui non judicabit bis in id ipsum. 26 [*Hebr.* X, 31. *Job* XXXIII, 14.]

Abominantur justi virum impium, id est quemcumque iniquum, secundum quod talem, quia sic luto vilior est, et omni bruto deterior. Propter quod ait Psalmista : Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus. [*Ps.* XIV, 4.] Hinc primo Machabæorum dicitur : A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est; [I *Mach.* II, 62, 63.] hodie extollitur, et cras non invenietur. Unus quoque amicorum Job, in persona sua et sociorum suorum, ait ad Job : Quare computati sumus ut stercora *, et sor- [*Job* XVIII, 3.] [* jumenta] 27

duimus coram te? *Et abominantur impii eos qui in recta via sunt,* id est [in] observatione justitiæ, et arcta via salutis : quos tanquam sibi dissimiles, contrariosque affectui suo, abhorrent ac persequuntur. — *Verbum custodiens filius,* id est, qui verba

A Dei custodit memoria et effectu, fide et opere, *extra perditionem erit :* quia consequetur salutem, sicut ait Salvator : Beati *Luc.* XI, 28.
qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Verumtamen istud non est in Hebræo, neque de textu, sed sequitur ex prædictis.

ARTICULUS XXX

EXPOSITIO CAPITULI TRICESIMI : VISIO QUAM LOCUTUS EST VIR, CUM QUO EST DEUS.

SICUT fertur in Glossa, hucusque, scilicet a vicesimo quinto capitulo usque ad finem præcedentis capituli, introductæ
Prov. XXV, 1. sunt parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ regis Juda. Hic rursus parabolæ Salomonis ponuntur : quibus præmittitur titulus seu præfatio ista bre-
1 vis : *Verba Congregantis filii Vomentis,* id est, verba sequentia sunt verba Salomonis : qui dicitur Congregans, quoniam ex
III *Reg.* IV, 29-31. divina infusione et propria exercitatione, collegit et adunavit in se sapientiam copiosam ; qui etiam appellatur filius Vomens, quia hanc ipsam sapientiam aliis communicando evomuit, id est, abundanter diffudit et eructavit. *Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus :* id est, id quod subditur, est visio, revelatio, seu consideratio Salomonis, cum quo fuit Deus in principio regni sui, et postea diu per gratiam et sapientiam magnam. Itaque Salomon loquitur hic de se ipso, quasi de alio, quemadmodum S. Joannes in evangelio
Joann. XXI, 24. suo : Hic est, inquiens, discipulus quem diligebat Jesus, et qui testimonium perhibet de his ; et scimus quia verum est testimonium ejus. *Et qui Deo secum morante,* id est cor ipsius gratiose inhabitante, *confortatus* virtutibus, *ait :*
2 *Stultissimus sum virorum.* Istud uno modo exponitur sic : Stultissimus sum virorum, id est inter homines valde stultus respectu æternæ, infinitæ et increa-

B tæ sapientiæ Dei, quam quanto profundius contemplatus sum, tanto insipientiorem me reputavi. Unde alibi scriptum est : Stultus factus est omnis homo a sci- *Jer.* X, 14.
entia sua. Sic comparatione divinæ justitiæ, omnis nostra justitia quasi pannus *Is.* LXIV, 6.
menstruatæ (quo nihil immundius est) appellatur. Hinc scribit Apostolus : Soli sa- *Rom.* XVI, 27.
pienti Deo honor et gloria. Legitur quoque apud Job : Cœli non sunt mundi in con- *Job* XV, 15.
spectu ejus. *Et sapientia hominum non est mecum,* id est prudentia sæculi hujus :
C de qua in Evangelio asserit Christus : Filii *Luc.* XVI, 8.
hujus sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt ; atque Apostolus, Si *I Cor.* III, 18.
quis videtur esse sapiens in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens, id est, sapientiam illam sæcularem relinquat. De qua alibi ait Apostolus : Prudentia carnis, mors *Rom.* VIII, 6.
est ; et rursus ibidem : Sapientia carnis *Ibid.* 7.
inimica est Deo ; legi enim Dei non est subjecta. Hæc sapientia seu prudentia fallax et falsa, est quædam versutia, qua homo colligit, providet, et conservat sibi
D ea quæ pertinent ad divitias, delicias, et honores sæculi hujus ac carnis. Hanc ergo non habuit Salomon, quamdiu in caritate Dei et sapientia salutari (quæ est donum *Is.* XI, 2.
Spiritus Sancti) permansit. *Non didici sa-* 3
pientiam, id est, per humanum studium sapientiam meam non accepi, sed per infusionem a Deo : ut patet tertio Regum ; III *Reg.* III, 12.
et novi scientiam sanctorum, id est, veram

Digitized by Google

et salubrem scientiam, sacræ Scripturæ
Is. xi, 2. notitiam, propheticam revelationem, et scientiam quæ est donum, a Deo accepi, ac novi. De qua in libro Sapientiæ fer-
Sap. x, 10. tur : Dedit illi scientiam sanctorum ; et
Osee vi, 6. alibi, Scientiam Dei volo plus quam holocausta.

Secundo exponitur sic : *Stultissimus*
III Reg. xi, 1-8. *sum virorum.* Salomon enim peccavit gravissime, et inde (ut dicunt Judæi, ac multi Catholici, Hieronymus quoque et Ambrosius) postea valde pœnituit. Propter quod reversus ad cor pœnitens, dixit : Stultissimus sum virorum, id est, qui sapientissimus eram ex dono Dei, propriis vitiis insipientissimus sum effectus. *Et sapientia hominum,* qui scilicet rationabiliter conversantur, et digni sunt homines nuncupari, rationem sequendo, *non est mecum,* id est, mecum non fuit quamdiu tam turpiter ac libidinose vixi, idololatriamque exercui. Deinde culpam suam exaggerando, ut moris est pœnitentium, eamdem sententiam sub aliis repetit verbis. *Non didici sapientiam,* id est, sapientiam consummatam, qua quis in obsequio Dei manet usque in finem, non didici, nec accepi, et eam quam desuper sumpsi, non didici opere adimplere perseveranter; *et novi,* id est, non novi, repetendo videlicet negativum hoc signum, Non, in principio hujus versus seu clausulæ positum. Itaque, Non novi *scientiam sanctorum,* id est, scientiam per quam Sancti Deo stabiliter adhæserunt ac servierunt, et vitia quibus succubui, devitarunt, non habui perseveranter et per approbationem. Prima expositionum istarum apertior, et textui consonantior esse videtur.

4 *Quis ascendit in cœlum, atque descendit? Quis continuit spiritum in manibus suis? Quis colligavit aquas quasi in vestimento? Quis suscitavit omnes terminos terræ? Quod nomen est ejus, et quod nomen filii ejus, si nosti?*

Totum hunc passum quidam (aliquos forsan sequens Hebræos) exponit de Moyse, ut sit sensus : Quis ascendit in cœlum,
A atque descendit, sicut Moyses fecit? qui ascendit super montem Sinai in cœlum Exod. xi[x], 3, 20. aerium ad Dominum, et inde descendit ad Ibid. 14, 2[…] populum, ut habetur in Exodo. Quis continuit spiritum in manibus suis, sicut fecit Moyses? qui cineres ardentes de camino Ibid. ix, 1[…] accepit. Quis colligavit aquas quasi in vestimento, sicut fecit Moyses in mari Rubro? quia meritis ejus aquæ fuerunt divi- Ibid. xı[…], 21. sæ. Quis suscitavit omnes terminos terræ, sicut Moyses? qui in erectione tabernaculi suis meritis immisit terrorem omnibus
B gentibus, in omnibus finibus terræ promissionis et circa habitantibus, sicut in Deuteronomio dicitur: Hodie incipiam mit- Deut. ii, 25 tere terrorem atque formidinem tuam in populos. Quod nomen est ejus? quasi diceret : Si dicatur quod alius fuit, qui ante Moysen talia fecit, dicatur quis fuit ille, et quod fuit nomen ejus; et si dicatur, Mortuus est, et nomen ejus oblivioni est traditum, dicatur quod sit nomen filii ejus, id est, quæ generatio remansit ab eo, ex qua possit aliqua de eo haberi notitia. —
C Sed (sicut prætactus, expositionem hanc introducens, fatetur) expositio jam prætacta secundum quosdam Hebræos, videtur falsa atque extorta. Unde prætactus, scilicet Nicolaus de Lyra, circa hoc inter cetera ait: Hæc expositio Hebræorum videtur in multis deficere. Et primo, quantum ad ejus fundamentum, scilicet quod Salomon in fine pœnituerit vere, et ideo pœnitens protulerit verba hæc, Stultissimus sum virorum, etc. Quia si vere pœnituisset, quum esset rex potentissimus, templa idolorum
D quæ construxerat, destruxisset : quæ tamen steterunt usque ad tempus Ezechiæ, ut legitur in quarto Regum libro. Sed IV Reg. xviii, 4. quid de Salomonis pœnitentia videatur tenendum, super tertium Regum librum induxi. Ubi etiam est ostensum, quod argumentum hoc non concludat. Nam et Manassen regem constat de sua idololatria valde pœnituisse : qui tamen quum post II Par. xxxiii, 12. suam pœnitentiam multis viveret annis, in magna prosperitate atque potentia, ut Josephus refert, non tamen destruxit alta-

Digitized by Google

ria quædam sacrilega, quæ ad sacrificandum idolis fecerat, quum scriptum sit : Altaria quæ fecerat Manasses in duobus atriis templi Domini, destruxit rex, puta Josias. (IV Reg. XXIII, 12.) Deinde Lyra per singula, prætactam satis reprobat expositionem, præsertim quod subintelligit, Non, ubi dictum est, Et novi scientiam sanctorum; et quod per spiritum intelligit cineres, quos Moyses accepit de camino, quoniam in Scripturis alibi non invenitur spiritus accipi pro cineribus; et quod dicit Moysen suscitasse omnes terminos terræ in tabernaculi erectione : quod penitus falsum est. — Ponit ergo Lyra aliam horum expositionem, dicendo, quod Salomon in juventute sua Spiritum Sanctum habens, prævidit in Spiritu, tempore Christi, homines simplices et illitteratos illuminandos a Deo de pertinentibus ad salutem : quemadmodum in Nicæno concilio, quum quidam præclarus philosophus doctores multos confutasset catholicos, tandem quidam sanctus et simplex episcopus dixit philosopho quædam verba fidei christianæ : ex quibus philosophus ita fuit compunctus et victus, quod nequivit resistere; sed fatebatur se virtutem Dei in verbis illis sensisse : sicque ad fidem conversus fuit. Itaque in persona cujuslibet talium simplicium desuper illuminatorum, Salomon ait : *Visio quam locutus est,* id est, quam loquetur : quia in prophetalibus locutionibus frequenter ponitur præteritum pro futuro, ad insinuandum certitudinem prophetiæ. Itaque, Visio quam locutus est *vir, cum quo est Deus,* id est quicumque talis illitteratus, desuper doctus et illustratus : *Stultissimus sum virorum,* id est illitteratus, idiota et simplex : sicut in Actibus dicitur de beatissimis apostolis Petro et Joanne, quod idiotæ et sine litteris erant; (Act. IV, 13.) *et sapientia hominum non est mecum,* id est scientia politica : secundum quod ait Philosophus, quod eremita non est bonus aut malus politice, quia non curat civilia. *Non didici sapientiam,* id est propheticam * scientiam, *et novi scientiam sanctorum,* (* philosophicam)

A quæ disponit ad æternam salutem. — Quamvis autem expositio ista catholicæ consonet veritati, propter quod non est immoderantius impugnanda, videtur tamen deficere, quia beatissimis Apostolis infusa fuit non solum scientia Scripturarum, sed et prudentia gubernativa politiæ fidelium. Siquidem gloriosissimi apostoli Petrus et Paulus, in suis scripserunt epistolis, qualiter fideles habere se debeant circa suos superiores, tam sæculares quam ecclesiasticos, et circa plebem atque fami- (I Petr. II, 13-18; Rom. XIII, 1-8; Ephes. VI, 1-9; Hebr. XIII, 7, 17.) B liam; et quomodo conjugati mutuo debeant conversari, ac circa actus matrimonii dirigi. (I Petr. III, 1-9; I Cor. VII, 1-7, 10-17, 39; Eph. V, 22-33.) Erant etenim constituti principes super omnem terram : ideo scientia instituendi regendique populos, necessaria eis fuit. (Ps. XLIV, 17.)

Est igitur sensus : *Quis ascendit in cœlum, atque descendit?* id est, quis universorum providentiam habet, et ad omnia intuenda se vertit? quasi dicat : Nullus utique nisi Deus. De quo in Job asseritur : Quem constituit alium super terram? aut (Job XXXIV, 13.) C quem posuit super orbem quem fabricatus est? Qui in Genesi ait : Descendam, et videbo. (Gen. XVIII, 21.) De quo rursus ibidem legitur : Ascendit Deus ab Abraham. (Ibid. XVII, 22.) Et Amos ait : Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, et fasciculum suum super terram fundavit. (Amos IX, 6.) Ideo incircumscriptibilis et incommutabilis Deus dicitur in cœlum ascendere atque descendere, non locum mutando, sed providendo et operando, sicut fertur in Psalmo : Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. (Ps. CVII, 6.) Verumtamen D Unigenitus Patris incarnatus ascendit in cœlum vero et corporali ascensu, descensurus inde ad terram, ut judicet omne genus humanum. (Act. I, 9-11.) Paulus quoque raptus in paradisum Dei et in tertium cœlum, ac inde reversus ad evangelizandum, nonne aliquo, imo et sublimi modo ascendit in cœlum, et descendit? (II Cor. XII, 4, 2.)

Quis continuit spiritum in manibus suis? id est, Deus omnipotens in potestate sua conservavit, et conservat omnem angelicum spiritum et humanum, seu ani-

Digitized by Google

mas hominum, imo et spiritum jumen- A
torum : quoniam sine incessabili manute-
nentia Creatoris, nulla creatura posset ad
momentum subsistere. Continet quoque
Ps. cxxxiv, 7. ventos in manu sua, quos de thesauris
suis producit, atque ad libitum suum emit-
tit et retrahit, auget ac minuit. Quod et
exponi potest de Christo, de quo legitur :
Marc. iv, 39. Surgens Jesus, comminatus est vento, et
dixit mari, Tace, et obmutesce; et facta
est tranquillitas magna. Denique scriptum
Apoc. vii, 1. est : Vidi quatuor angelos stantes super
quatuor angulos terræ, tenentes quatuor B
ventos, ne flarent. *Quis colligavit,* id est,
infra terminos sibi præfixos arctavit ac
tenet, *aquas* maris Oceani *quasi in vesti-*
Ps. xxxii, 7. *mento?* juxta illud Psalmi, Congregans sic-
ut in utre aquas maris. Ad Job quoque
Job xxxviii, 8. Deus locutus est : Quis conclusit ostiis ma-
Jer. v, 22. re? Et per Prophetam dicit : Posui arenam
terminum mari. De hoc dictum est ple-
Prov. viii, 27. nius supra, super illud : Certa lege et gyro
vallabat abyssos.

Quis suscitavit omnes terminos terræ?
id est, quis in esse produxit orbem ter- C
rarum, et terminos terræ habitabilis ab
aquis esse discoopertos præcepit ac fecit,
atque per climata, regna provinciasque
distinxit? Utique omnium conditor Deus.
Act. xvii, 24, 26. De quo loquitur Paulus : Deus qui fecit
mundum, et omnia quæ in eo sunt, hic
cœli et terræ quum sit Dominus, fecit ex
uno omne genus hominum inhabitare su-
per universam faciem terræ, definiens sta-
tuta tempora, et terminos habitationis
Gen. i, 9. eorum. De quo fertur : Dixit Deus : Con-
gregentur aquæ quæ sub cœlo sunt, in lo- D
cum unum, et appareat arida. Hinc in Ti-
mæo disseruit Plato, quod opifex Deus in
exordio jussit terram, tanquam matrem et
altricem cunctorum animalium, pro parte
esse ab aquis nudatam, ut habitationi ac
necessitatibus hominum et ceterorum ani-
mantium deserviret.

Quod nomen est ejus, et quod nomen
filii ejus, si nosti? Ecce hic Salomon de
Patre æterno, et unigenito ejus Filio aper-
tissime loquitur, insinuans et protestans,
tam Deum creatorem, quam Filium ejus
innominabilem et incomprehensibilem es-
se. Unde concluditur, Filius Dei, Deo Patri
esse æqualis et consubstantialis, ac incre-
atus. Omnis etenim pura creatura, nomi-
nabilis comprehensibilisque consistit; nec
Scriptura divina alicui, nisi vero Deo, in-
nominabilitatem et incomprehensibilitatem
adscribit. Ideo prætacta excæcatissimorum
Hebræorum extorta omnino ac fatua expo-
sitio, de Moyse ejusque filio prædicta ex-
ponens, ideo ab eis conficta est, ne hac
evidenti auctoritate cogerentur unicum Dei
Filium et ejus deitatem fateri; quum ta-
men etiam supra de æterna generatione Prov. viii, 22.
ac deitate Filii Dei, Salomon manifeste lo-
cutus sit, sicut ibi probatum est. Denique,
quamvis Deus Pater et Filius ejus, multa
habeant nomina, nihilo minus innomina-
biles esse dicuntur, quoniam nullo nomi-
ne perfecte possunt cognosci aut compre-
hendi. Idcirco, teste Apostolo, Deus lucem I Tim. vi, 16.
habitat inaccessibilem : et hoc ipsum co-
gnoverunt philosophi. Unde sexta proposi-
tione libri de Causis, habetur : Causa prima
est superior omni narratione, quoniam ip-
sa est supra omnem causam, et non nar-
ratur, nisi per causas secundas. Item vice-
sima secunda propositione ejusdem libri
inducitur : Causa prima est super omne no-
men quo nominatur. De hoc in Elemen-
tatione theologica Procli Platonici multa
subtiliter conscribuntur.

Omnis sermo Dei ignitus, id est purus 5
ab omni errore et iniquitate, tanquam ab
increata Veritate emanans, ac revelatus a
Spiritu Sancto, ac ejus directione conscri-
ptus. Circa hoc asserit Glossa : Proprieta-
tem Græci nominis, quod est πεπυρωμένος,
pro quo habetur, Ignitus, unum Latinum
nomen non exprimit. Nam aliquando igni-
tum, aliquando examinatum transfertur.
Πεπυρωμένος ergo significat, quod igne con-
flatum est atque purgatum. Sicut enim
metalla conflata igne, sordem in se alie-
nam non retinent; ita eloquium Domini,
nil falsitatis habet admixtum. Unde in
Psalmo : Eloquia Domini, eloquia casta, Ps. xi, 7.

Digitized by Google

argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum. Insuper, Omnis
sermo Dei ignitus, id est caritatem redolens et accendens, ac ignea verba conti-
I Joann. IV, 8; Deut. IV, 24. nens, atque ab illo qui essentialiter caritas
est et ignis, procedens. Ideo ait Psalmista:
Ps. CXVIII, 140. Ignitum eloquium tuum vehementer. Et
Jer. XXIII, 29. per Prophetam Dominus dicit : Numquid
non verba mea sunt quasi ignis? Quod Je-
Ibid. XX, 9. remias expertus : Factus est, inquit, sermo
Domini in corde meo, quasi ignis exæstu-
Deut. XXXIII, 2. ans. Hinc Moyses fassus est : In dextera
ejus ignea lex.

Clypeus est, id est armatura ac protectio contra vitiorum ac dæmonum impugnationem, contra afflictionem tristitiæ, contra motum concupiscentiæ, *omnibus sperantibus in se* tanquam in auxilio quodam. In solo autem Deo sperandum est, tanquam in principali et finali objecto. Sed in quibusdam creaturis speratur, tanquam in adminiculis secundariisque objectis. Itaque sermonem Dei nostris mentibus imprimamus, ut eo contra omnia saluti adversantia protegamur. Nempe, ut ait Apostolus,
II Tim. III, 16, 17. Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis
est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, et erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Hinc denuo loquitur :
Rom. XV, 4. Quæcumque scripta sunt, ad nostram do-
ctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus. Ideo dicit Gregorius : Scriptura sacra oculis mentis, tanquam speculum quoddam opponitur, ut in ea interna nostra facies conspiciatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra videmus. Ibi cognoscimus quantum proficimus, quantumve a profectu distamus. Verum, ut idem asserit, ad sacræ Scripturæ cognitionem, potius opus est intima compunctione, quam profunda lectione; suspiriis, quam argumentis; crebris gemitibus, quam copiosis argumentationibus; lacrimis, quam sententiis; oratione, quam lectione; contemplatione cœlestium, quam occupatione terrestrium. Ecce quanta utilitas divini sermonis. Nam

A et sordes excoquit vitiorum, scientia illustrat, caritate inflammat.

Ne addas quidquam verbis illius, id 6
est, textui sacræ Scripturæ nihil apponas, quasi ad integritatem Scripturæ et textum pertineat : tamen exponendo addi quid potest, quod concordet omnino Scripturis.
Hinc scriptum est : Non adjicietis ad ver- Deut. IV, 2.
bum quod ego loquor, neque auferetis ex
eo. Unde et ait Joannes apostolus : Conte- Apoc. XXII, 18, 19.
stor ego : Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in
B libro isto; et si quis diminuerit de verbis prophetiæ libri hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. *Et arguaris,* id est, juste reprehendaris de tali additione, *inveniarisque mendax,* id est vanus et inobediens Deo, si feceris hoc. Et certe qui aliquid Scripturæ contrarium addit, mentitur. Scriptura enim increatæ veritati innititur, et ab ea tanquam ejus radius derivatur, testimoniumque sortitur. Idcirco nil falsius, quam quod Scripturis repu-
gnat. Propter quod scribit Apostolus : Li- Galat. I, 8.
C cet nos, aut angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit.

Sequitur oratio Salomonis : quæ potius videtur fieri in persona imperfectorum, et secundum statum veteris Testamenti, quam in persona perfectorum, et juxta
evangelicæ statum legis. *Duo rogavi te,* 7
Domine Deus; *ne deneges mihi* ea, *ante-*
quam moriar. Vanitatem et verba menda- 8
cii longe fac a me : id est, da mihi gratiam abjiciendi et contemnendi omnem
D vanitatem (id est gloriam vanam, complacentiam mei ipsius in me, finalem inhæsionem circa creata caduca, appetitum laudis humanæ, propriique honoris) et omne mendacium, præsertim perniciosum. *Mendicitatem,* id est tantam inopiam terrenorum, ut mendicare indigeam, *et divitias,* id est abundantiam temporalium, ultra exigentiam et condecentiam status mei, *ne dederis mihi,* nec mihi provenire permittas. Porro istud de mendicitate, videtur secundum statum Mosaicæ legis peti, quo-

Digitized by Google

Deut. xv, 4. niam scriptum est : Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. *Tribue tantum victui meo necessaria* pro sustentatione mei ipsius, et eorum qui mihi conjuncti sunt, ita quod eorum provisio spectat ad Tim. vi, 8. me. Sic et Apostolus ait : Habentes victum et quibus tegamur, his contenti simus. Itaque in his verbis primo petit auferri a se, ea quæ sunt simpliciter mala, utpote vitia, quæ sunt vanitas atque mendacium; et petit tolli a se ea quæ communiter sunt occasio vitiorum, quamvis non sint mala in se, scilicet mendicitatem et opulentiam.

Ideo subdit causam, cur duo hæc postulet sibi non dari. Et primo, cur divi-
9 tias horreat. *Ne forte saturatus :* saturatio enim divitias solet concomitari, et gulæ species est; *illiciar,* id est attrahar, *ad negandum* omnipotentiam ac providentiam Dei : quia carnalitas ita obtenebrat intellectum, ut quandoque alliciat eum ad prætactam similemve blasphemiam, sicut Exod. v, 2. Pharaonem, qui ait : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. Hinc subditur : *et dicam : Quis est Dominus?* tanquam dicatur : Aut non est Deus, aut si est, non tamen habet notitiam inferiorum, nec providentiam actuum hu- Ps. lxxii, 11. manorum : juxta illud in Psalmo : Dixerunt, Quomodo scit Deus, et si est scientia in Ezech. viii, 12. Excelso? Atque in Ezechiele : Dixerunt, Reliquit Dominus terram, et Dominus nos non videt. Quamvis autem pauci ad tantam devolvantur insaniam, ut ista formaliter aut expresse dicant aut sentiant, plurimi tamen tam impudenter, irrefrenate, intimorateque peccant, ut ipso facto hæc dicant, et taliter conversantur ac si ita sentirent. De quibus ad Titum ait Aposto- Tit. i, 16. lus : Dicunt se nosse Deum, factis autem negant.

Deinde subjungitur, cur mendicitatem abhorreat. *Aut egestate compulsus,* id est, ne ex inopia inciter et inducar ad hoc, ut *furer, et perjurem nomen Dei mei.* Multi equidem occasione indigentiæ suæ, ad furta, rapinam, mendacia, fraudes, violen- A tiamque labuntur. Unde superius dictum est : Furatur ut esurientem repleat animam. Prov. vi, 30. Verum tantæ esse fragilitatis, ut ex mendicitate et opulentia ruat quis ad prætacta facinora, et hac ratione mendicitatem divitiasque horrere, formidare ac refutare, ne ex eis ad tantam deveniatur ruinam, videtur esse imperfectorum, nescientium bene uti eufortuniis ac diffortuniis, prosperis et adversis, opulentia ac indigentia. Quocontra loquitur Paulus : Scio abundare, scio et penuriam pati ; Philipp. iv, 12. B ubique et in omnibus institutus sum, et satiari, id est ad sufficientiam vesci, et esurire. Christus quoque non solum paupertatem, sed et mendicitatem exemplo et verbo docuit, atque consuluit et elegit : qui in Psalmo testatur, Ego autem mendicus Ps. xxxix, 18. sum et pauper; itemque, Persecutus est Ps. cviii, 17. hominem inopem et mendicum, ipse videlicet traditor Christi. Nec dubium, quin psalmi in quibus hæc continentur, ad litteram de Christo conscripti sunt. Hinc perfecti imitatores evangelicæ paupertatis, nec C in communi, neque in particulari, aliquid habent terrenæ possessionis aut hereditatis. Hinc Seneca in libro de Quatuor virtutibus ait : Magnus ille est, qui sic fictilibus utitur, quemadmodum argento; nec minor ille est, qui sic auro utitur, quemadmodum testa. Infirmi animi est, non posse pati divitias. Et rursus : Quotidie aliquid auxilii contra paupertatem acquire. Honesta res est læta paupertas. Illa vero jam non est paupertas, si læta est. Non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. D Non est in rebus vitium, sed in animo. Quemadmodum nihil differt, utrum ægrum in ligneo lecto, an in aureo colloces; quocumque illum transtuleris, morbum suum deferet secum : sic nihil refert, utrum æger animus in divitiis, an in paupertate ponatur; malum suum sequitur eum. Hæc Seneca. Hinc etiam olim in lege naturæ, deinde in lege scripta, copiosius autem in lege evangelica fuerunt quidam ditissimi, et tamen perfecti. Verumtamen Christus Matth. xix, 21. sapientissime paupertatem consuluit, quia

Digitized by Google

perpauci sunt qui non abutuntur divitiis, A
et multa vitia eis solent esse annexa.

10 *Ne accuses servum ad dominum suum.*
De quali accusatione intelligendum sit hoc,
constat ex eo quod subditur : *ne forte*
maledicat tibi, et corruas, id est, ne servus
sic accusatus, imprecetur tibi adversa, et
exaudiatur a Domino, ita quod pressus ad-
versis labaris. Itaque de accusatione ex
invidia, aut crudelitate, seu alia prava ra-
dice prodeunte, intelligitur istud. Com-
patiendum est etenim servis, præsertim
empticiis, et qui dominos habent duros : B
ideo seorsum sunt admonendi. Quod si non
acquieverint, vel aliquid contra bonum
commune attentare præsumpserint, essent
utique accusandi.

11 *Generatio,* id est, quædam hominum
collectio est, *quæ patri suo* carnali, seu
spirituali, aut etiam Deo omnipotenti, *ma-*
ledicit : sicut Marcionitæ et Manichæi, di-
centes Deum legis ac Prophetarum, esse
totaliter malum atque crudelem; *et quæ*
matri suæ non benedicit, id est generatio
non benedicens Ecclesiæ, aut matri carna- C
12 li, aut spirituali. *Generatio* quædam est,
quæ sibi munda esse *videtur,* id est im-
munis a vitiis, ut pauperes de Lugduno, et
Novatiani hæretici, dicentes se pœnitentia
non egere, et liberi spiritus, asserentes
se peccare non posse; *et tamen non est*
13 *lota a sordibus suis. Generatio* quædam
est, *cujus excelsi sunt oculi, et palpebræ*
ejus in altum surrectæ : id est, quidam
sunt ita superbi et animosi, quod eadem
contumacia apparet in dispositione, appa-
ratu, erectione corporalium oculorum eo- D
Is. II, 11. rum. Unde Isaias dicit : Oculi sublimis ho-
minis humiliati sunt. Et in Job dicitur :
Job XV, 12. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna
cogitans, attonitos habes oculos? Tales fu-
erunt superbissimi Ariani.

14 *Generatio* quædam est, *quæ pro denti-*
bus gladios habet, id est, cujus dentes et
lingua gladiis assimilantur, juxta illud in
Ps. LVI, 5. Psalmo : Filii hominum, dentes eorum ar-
ma et sagittæ, et lingua eorum gladius
acutus. Tales sunt qui venenatis ac perfi-

dis documentis inficiunt alios, et detractores ac seminatores discordiæ, et qui bona devorant aliorum, præsertim impotentiorum. Unde subjungitur : *et commandit molaribus suis,* id est, majoribus dentibus suis manducat, *ut comedat inopes de terra,* id est, pauperum bona consumat, vel eos occidat, *et pauperes ex hominibus,* id est, de medio hominum tollat, expellat, interficiatve egenos, vel spiritualiter pauperes et egenos, puta pusillos, simplices, imperfectos, scandalizet, decipiat, ac intus in anima perimat. Unde loquitur Dominus
per Prophetam : Vos depasti estis vineam *Is.* III, 14, 15.
meam, et rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, et facies pauperum commolitis? Et Malachias pro-
pheta ait : Vos autem recessistis de via, et *Malach.* II, 8.
scandalizastis plurimos in lege.

Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes : 15
Affer, affer. Sanguisuga dicitur quasi sanguinem sugens : cujus dicuntur esse filiæ duæ, quoniam duo sunt vitia, bestiam hanc specialiter imitantia, utpote avaritia atque luxuria. Nam sicut sanguisuga velut insatiabiliter sanguinem sitit ac ebibit, sic vitia ista semper ad ampliora anhelant. Ideo unumquodque eorum perhibetur dicere, Affer, affer : quia inclinat suum subjectum ad dicendum, Adhuc, adhuc mihi plura objecta, vel eadem sæpius repetita. Hinc ait Hieronymus : Libido transacta pœnitudinem semper relinquit; nec unquam satiatur, imo exstincta reinflammatur, usu crescit; nec rationi obedit, quoniam impetu ducitur. De avaritia vero asserit Augustinus : Avarus inferno est similis. Infernus enim quantoscumque deglutiat, nunquam dicit, Satis est : sic et si omnes thesauri confluxerint in avarum, non ei sufficiet. Quæ est ista cupidorum aviditas, quum et bestiæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt autem prædæ, quum senserint satietatem. Insatiabilis est avaritia iniquorum : quæ rapit, nec satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur; nec patri parcit, nec matrem cognoscit; nec fratri obtemperat,

Digitized by Google

nec amico fidem conservat. Viduam op-
primit, pupillum invadit, liberos in servi-
tium revocat; testimonium falsum profert,
mortuorum res occupat. At vero juxta
Glossam, sanguisuga est diabolus, qui siti
peccandi et peccata suadendi perpetuo ar-
det. Duæ filiæ ejus, quæ ipsius imitantur
ardorem, sunt luxuria et philargyria.

Tria in specie *sunt insatiabilia, et quar-*
16 *tum nunquam dicit, Sufficit. Infernus,* id
est locus infernalis, ob suam capacitatem,
vel diabolus, ob suam invidiam, *et os vul-*
væ, id est incontinens libidinosaque mu-
lier, *et terra,* præcipue arenosa, *quæ non*
satiatur aqua : quia celeriter eam absor-
bet. *Ignis vero nunquam dicit* ipso facto,
Sufficit : quia ex combustibilium apposi-
tione augetur, non minoratur. Ignis quoque
infernalis nunquam dicit, Sufficit, quia ab
impiorum cruciatibus nunquam cessat.

17 *Oculum qui subsannat patrem* carnalem,
aut spiritualem, aut summi Patris deridet
judicia, *et qui despicit partum matris suæ,*
id est fratrem suum, aut laboriosam et
ærumnosam matris parturitionem, aut de-
formitates quæ in facie feminæ acceleran-
tur ex partu frequenti; *suffodiant eum*
corvi de torrentibus, id est, a dæmonibus
eruatur, vel sepultura privetur, *et come-*
dant eum filii aquilæ, id est, ab angelis
Satanæ absorbeatur, seu a bestiis devore-
tur. Quidam tamen per corvos intelligunt
prædicatores sagaces et oculatos : qui de
Scripturarum fluentis procedunt ad extra-
hendum oculum talem a sua perversitate,
sicque purgatum comedunt filii aquilæ, id
est contemplativi, qui instar aquilarum
oculum mentis infigunt Soli justitiæ, et
intuendo, amando, cœliformiterque viven-
do, volant in altum. Hi comedunt, id est,
mystico corpori suo innectunt, et sibi in-
corporant, oculum talem, id est hominem
sic videntem. Itaque, per filios seu imita-
tores aquilæ, ratione rapacitatis designan-
tur spiritus mali; ratione autem acuminis
ac alti volatus, contemplativi.

18 *Tria sunt difficilia mihi, et quartum*
penitus ignoro. Quæ autem sint tria illa,
A mox subditur. *Viam aquilæ in cœlo* ae- 19
rio : in quo aquila hinc inde viam variat
sui volatus, ita ut difficulter valeat depre-
hendi; *viam colubri super petram :* supra
quam serpens sic dictus celeriter ac mul-
tipliciter circumagit et circumvolvit se;
viam navis in medio mari : ubi hinc inde
jactatur vi ventorum ac fluctuum; *et viam*
viri in adolescentia sua. Hoc est quartum
prorsus ignotum. In adolescentia namque
sanguine fervente, cogitationes, desideria,
verba et opera adolescentium investigabi-
B liter ineffabiliterque mutantur.

Spiritualiter, per viam aquilæ in cœlo,
designatur profectus et actio contemplati-
vorum in militanti Ecclesia : quorum con- *Philipp.* III,
versatio est in cœlis; quorum actus et 20.
processus juxta variam inspirationem ac
influentiam Spiritus Sancti, indicibiliter
immutantur. Per viam colubri super pe-
tram, accipitur occupatio callidorum circa
terrena, quorum curæ ac studia inexplica-
biliter variantur; per viam navis in medio
mari, conversatio, tentatio, et peregrina-
C tio Ecclesiæ in hoc sæculo nequam, in
quo tanquam in procellosissimo Oceano
fluctibus tentationum, ventis persecutio-
num, directionibus prælatorum atque spi-
rituum supernorum, processu virtutum,
inenarrabiliter alteratur. Per viam viri in
adolescentia sua, instabilitas designatur
cordis humani, quod suis desideriis assi-
due juvenescit, sive in bono, sive in ma-
lo : cujus varietas soli Creatori est patula.

Præterea, quidam per viam aquilæ in
cœlo, intelligunt Christi ascensionem; per
D viam colubri super petram, Christi resur-
rectionem de sepulcro lapideo. Significa-
tur equidem Christus per serpentem, juxta
illud : Sicut Moyses exaltavit serpentem *Joann.* III,
in deserto, ita exaltari oportet Filium ho- 14.
minis. Per viam navis in medio mari, in-
telligunt conversationem Christi in sæculo
isto, in quo persecutionibus et tormentis
est pressus; per viam viri in adolescentia
sua, Christi incarnationem. Et dicunt in
Hebræo haberi, In adolescentula : per quam
intelligunt Virginem gloriosam, in qua

Digitized by Google

Christi via fuit incarnatio sua, quæ est A
incomprehensibilis prorsus; et in ea fuit
Christus vir perfectus, non corporis quantitate,
aut tempore, sed omni sapientiæ
atque scientiæ ac virtutum perfectione.
Jer. xxxi, 22. Unde Jeremias prædixit : Novum faciet
Dominus super terram : Mulier circumdabit
virum. Verum expositio ista videtur
allegorica magis quam litteralis. Nec enim
ad litteram consonat ei quod subditur.
20 *Talis est via mulieris adulteræ.* Per
quam sive perfida Synagoga, sive quæcumque
conjugalis fidei violatrix intelli- B
gatur, non est putandum quod Salomon
viam ejus incarnationi Verbi æterni comparavit.
Et quamvis Salomoni fuit naturalium
rerum infusa scientia, quantum ad
cognitionem naturæ specificæ et accidentium
propriorum, non tamen quantum ad
universa accidentia communia. Ideo quartum
jam præfatum nescivit, quantum ad
accidentia talia, sicut expositum est. Forsitan
etiam in Hebræo habetur dictio talis,
quæ tam adolescentiam quam adolescentulam
signet. Itaque via adulterarum si- C
milis est viæ adolescentium, quoniam in
desideriis, phantasiis, cogitationibus, verbis
et factis suis prorsus instabiles sunt.
Quæ comedit : adultera enim pro posse
libenter intenta est comessationi; *et tergens
os suum, dicit: Non sum operata malum :*
quia frontose excusat se, et ita obscurata
est mente, ut adulteria sua vix
reputet esse peccata. Hinc dicit Jeremias
Ibid. iii, 3. in vitiis habituato : Frons mulieris meretricis
facta est tibi, noluisti erubescere;
Ibid. ii, 35. et rursus, Ecce ego judicio contendam D
tecum, eo quod dixeris, Non peccavi. —
Spiritualiter, per mulierem adulteram intelligitur
quæcumque anima vitiosa, quæ
relicto Sponso cœlesti, per consensum illicitum
commiscetur diabolo, et rebus caducis
inhæret finaliter. Ideo asserit Augustinus,
quod omnis anima christiana, est
Dei sponsa, vel dæmonum adultera. De
Osee viii, 4. hoc adulterio dicitur : Omnes adulterantes
quasi clibanus succensus a coquente.
21 *Per tria* in genere *movetur terra,* id
est, habitantes in terra inquietantur ac
perturbantur; *et quartum* est *quod non
potest sustinere :* id est, tam irrationabile
atque absurdum est, ut nequeat tolerari.
Deinde tria illa exprimuntur. *Per servum,* 22
quum regnaverit. Servi enim ad regnandum
et præsidendum promoti, communiter
insolescunt, extolluntur ac sæviunt,
suspiciosique sunt, de facili suspicantes
se a subditis sperni. Ideo per dura et aspera
volunt illis terrorem sui incutere.
Secundum est : *per stultum, quum saturatus
fuerit cibo,* id est per hominem passionatum,
quum fuerit gulose refectus et
inebriatus : tunc enim specialiter pronus
est ad lites, contentiones, injurias. Tertium
est : *per odiosam mulierem, quum* 23
in matrimonium fuerit assumpta. Mulier
enim odiosa, id est odio plena sive odibilis,
vel ad invidiam prona, quum fuerit
maritata, mox incipit contra maritum passionibus
iræ, impatientiæ, odii agitari. Sicque
fit marito gravissima, imo et cunctis
domesticis, et inter eam et virum mirabile
odium generatur. Unde mutua eorum
conversatio est tanto molestior, quanto conjunctior
ac inseparabilior. Sequitur quartum,
quod sustinere non valet : *et per
ancillam, quum fuerit heres dominæ suæ,*
id est ad honorem et opulentiam dominæ
suæ promota, seu dilecta a viro, suam
propriam uxorem repudiante aut deprimente
: hoc quippe est intolerabile malum.
Unde et Agar ancilla Saræ, videns se Gen. xvi, 1,
concepisse, dominam suam contempsit : 4, 6.
quod illa non ferens, expulit eam, ut legitur.

Spiritualiter, per servum regnantem, intelligitur
homo servituti passionum ac
vitiorum subjectus, qui ad prælationem
promotus, subditos sæpe graviterque conturbat;
per stultum satiatum, homo in
naturalibus eruditus, et prudens in oculis
suis, qui inflatus scientia, nulli obedit, et
contra proximos frequenter rixatur; per
odiosam mulierem, collectio hæreticorum,
schismaticorum, Judæorum ad fidem conversa,
quæ sæpe invenitur vacillare in

Digitized by Google

catholica veritate; per ancillam dominæ A
suæ heredem, anima spiritualibus charismatibus ad tempus repleta, consolationibusque divinis refecta, ac postmodum lapsa, quæ vix recuperatur, juxta illud ad
Hebr. vi, 4, 6. Hebræos : Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.

24 *Quatuor sunt minima terræ,* id est animalia valde parva; *et ipsa sunt sapientiora sapientibus :* id est, industriam habent B
naturalem ingenitam, per quam plus de sapientia seu prudentia participant, quam animalia quædam majora, quæ tamen callida reputantur. Horum quatuor minimo-
25 rum primum, est *formicæ, populus infirmus,* id est formica quæ infirmo populo assimilatur, quia in abdito commoratur, ne conculcetur, *qui* populus, id est quæ formica seu congeries formicarum (populus etenim pro quacumque congregatione accipi solet), *præparat in messe cibum sibi :*
Prov. vi, 7, 8. ut dictum est plenius super illud : Formi- C
ca, quum non habeat ducem aut præceptorem, parat æstate cibum sibi, et congregat in messe quod comedat. Secundum, est
26 *lepusculus, plebs invalida,* id est similis plebi formidolosæ ac debili, *qui collocat in petra cubile suum,* id est, habitaculum sibi eligit infra terram in cavernis petrarum, aut profundis solidisque latibulis, ne ab hominibus venatione canum apprehendatur. Denique (sicut fertur in Glossa) pro lepusculo alia translatio habet, Chœrogryllus : qui est animal non minus hericio, D
simile urso, cujus in Palæstina magna est copia in cavernis petrarum et foveis. Unde
Ps. ciii, 18. in Psalmo ubi dicitur, Petra refugium herinaciis, alii habent, Leporibus, alii, Chœrogryllis; hic quoque aliqui pro lepusculo, hericium habent. Hieronymus enim verbum istud Hebræum, Saphan, in Jeremia interpretatur chœrogryllum; et hericium, transfert in leporem. Sequitur ter-
27 tium. *Regem locusta non habet,* id est, congeries seu multitudo locustarum, non

habet suæ speciei rectorem ac directorem : tamen ars increata, deinde intelligentia, universalis quoque natura, rectrix et directrix est rerum, et animalium, ac mixtorum; *et egreditur universa per turmas,* id est per partes et acies ordinate dispositas : quod est opus prudentiæ. Sa-
pientis enim est ordinare. *Stellio manibus* 28
nititur, id est, obsequio pedum (quibus pro manibus utitur) procedit ac graditur; *et moratur in ædibus,* id est domibus, *regis :* præsertim in regionibus calidis; in aliis autem magis moratur in silvis. Et ita patet agilitas stellionis : qui est reptile conforme lacertæ, pictum in cute lucentibus guttis seu maculis, instar stellæ.

Spiritualiter, per formicam significatur plebs humilis, de suis viribus non præsumens, ac Domino dicens : Fortitudo mea Ps. cxvii, 14.
et laus mea Dominus. Quæ sollicita est ad cavendum periculum, ac provida ad necessaria obtinendum. Imo in isto parat exsilio, unde beatificetur in cœlesti palatio. Per lepusculum, exprimitur pusillus et imperfectus, qui in Christi vulneribus se abscondit, ne tentationum jaculis vulneretur, et ne per impatientiam succumbat in adversis : juxta illud Isaiæ, Ingredere in Is. ii, 10.
petram, abscondere in fossa humo. Hinc Sponsus loquitur Sponsæ in Canticis : Ami- Cant. ii, 14.
ca mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Per locustam, exprimitur quæcumque plebs timorata, præsertim anachoretæ, et qui præsidentem non habentes in terris, nihilo minus timore Dei confixi, ac supernæ sapientiæ unctione directi, ordinate incedunt, et decenter serviunt Deo. Postremo, nomine stellionis alis destituti, signantur idiotæ et simplices, in activæ operibus vitæ detenti, non valentes contemplando perfectionis attingere montem, et tamen per corporalia misericordiæ opera et obedientiam, in regno Christi quiescunt, et de necessariis ad salutem agiliter provident sibi. Itaque harum exemplis bestiolarum docemur, ut instar formicæ, providi simus; instar lepusculi, in turre fortitudinis commoremur; et instar locustæ, con-

Digitized by Google

tra aciem vitiorum ac dæmonum ordinate progrediamur.

29 *Tria sunt* animalia, *quæ bene gradiuntur :* quia in suo genere fortia sunt, et valenter incedunt; *et quartum* est *quod incedit feliciter,* id est potentius ac victoriosius tribus prætactis. De quorum primo
30 subjungitur : *Leo fortissimus bestiarum :* quarum rex appellatur. Verumtamen inveniuntur bestiæ quædam fortiores leonibus, sed paucæ, et raro. *Ad nullius pavebit occursum :* imo vult ut animalia occur-
31 rentia sibi deferant ei. *Gallus succinctus lumbos,* id est, instar succincti quasi animose progrediens : hoc est secundum. De tertio subditur, *et aries :* qui ductor est ovium, et cornibus suis incedit armatus. Quartum est *rex, nec est qui resistat ei.* Unde in Hebræo fertur haberi : Et rex contra quem non levabit. Hoc est quartum, incedens feliciter. Per quod accipi potest animal rationale ad beatitudinem ordinatum : cui in exordio dictum est, ut
Gen. I, 28. præsit bestiis terræ, piscibus maris, omnique volatili cœli; quod et potestate sæculari et auctoritate spirituali ornatur. — Spiritualiter, per leonem accipitur regalis seu imperialis potestas, vel quicumque dono atque virtute fortitudinis decoratur; per arietem, spiritualis prælatus, ovium Christi pastor et ductor; per gallum lumbos succinctum, prædicator castus, exemplaris, magnanimus, animas credentes verbo et exemplo fecundans; per quartum, papalis auctoritas, universo orbi prælata, cui nemo licite valet resistere.

32 *Et qui stultus apparuerit, postquam elevatus est in sublime :* id est, quum insipiens fuerit ad officium seu præsidentiam elevatus, tanto plus tunc ostendit imperitiam suam, quanto liberius operatur, et plura agere habet, in quibus multipliciter deficit. Quidam tamen exponunt istud de quarto, quod incedit feliciter : per quod intelligunt Antichristum : quem dicunt feliciter incessurum, quia cuncta ei succedent ad libitum. Et textum præcedentem sic legunt : Et aries, nec est rex qui resistat ei, id est, nullus persecutor aut tyrannus intentionem et fructum prælatorum et prædicatorum virtuosorum ac continentium, poterit impedire. *Si enim intellexisset,* id est, si propriam stultitiam bene pensasset stultus ad prælationem promotus, *ori imposuisset manum,* id est, nequaquam pro sua promotione institisset, vel aliis quoque imposuisset silentium, ne loquerentur de sua provectione.

Præterea, per quatuor jam præfata, quidam intelligunt quatuor magna regna seu monarchias, intelligendo per leonem, regnum Chaldæorum, cujus primus monarcha (videlicet Nabuchodonosor) in Scripturis vocatur leo, juxta illud : Surrexit leo Jer. IV, 7.
de cubili suo. Per gallum succinctum, intelligunt regnum Persarum, cujus reges (videlicet Cyrus et Darius) demoliti sunt regnum Chaldaicum, interficiendo Balthasar regem, destruentesque Babylonem. Per arietem, intelligunt Alexandrum, primum monarcham Græcorum. Per quartum autem accipiunt imperium Romanorum, quod instar ferri, cetera cuncta vastavit.

Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum, id est extrahendum, *lac, elicit* 33
butyrum, id est materiam solidiorem pinguioremque lacte, non extrahendam, sed magis in corpore animalis dimittendam, tanquam suæ bonæ habitudini opportunam. *Et qui vehementer emungit,* id est, nimis violenter purgat et ejicit immunditiam nasi, *elicit sanguinem* in corpore dimittendum, et ei convenientem. Per hæc edocetur, quod non debemus nimium importune ab alio aliquid postulare, nec eum qui bonæ est voluntatis, immoderantius molestare, vel nimis acriter increpare, ne exasperetur et totum neget quod petebatur, sicque viscera pietatis extrahantur ab eo, quæ nomine exprimuntur butyri, et vitam animæ (quæ est gratia Dei) amittat. Hinc Seneca loquitur : Nihil petas quod negaturus es, nihil neges quod petiturus es; itemque, Furor fit, patientia sæpius læsa; et denuo, Bonus animus læsus, gravius multo irascitur. — Spiritualiter ubera pre-

Digitized by Google

mere, est utriusque Testamenti Scripturas A
profunde pensare : ex quarum pensatione
dum lac quæritur, invenitur butyrum, quia
dum in Scripturis sensum mediocriter ac
simpliciter juxta litteram reficientem re-
quirimus, subtilem ac mysticum intelle-
ctum, pinguissime nos alentem, sensusque
anagogicos reperimus. Attamen talis per-
scrutatio est moderanda, ne sanguis sequa-
tur : quia dum divina eloquia immodera-
te discutiuntur, in carnalem et erroneum
sensum mens labitur.

*Et qui provocat rixas**, id est, alios inju- * iras
riose et insipienter alloquitur, ita quod ad
rixandum contra se vel contra alios excitan-
tur, *producit discordias* inter se et illum,
vel inter plures : quoniam ex rixa oriuntur
simultates, dissensiones, iræ, invidiæ.

ARTICULUS XXXI

EXPOSITIO CAPITULI ULTIMI : VERBA LAMUELIS REGIS.

SALOMON qui hucusque multipliciter B
nos instruxit, humiliter hic fatetur se
quoque a sua matre fuisse instructum.
1 *Verba Lamuelis regis,* id est Salomonis,
sunt quæ sequuntur. Verba autem doctri-
næ matris suæ, sunt sua tanquam recitan-
tis. Porro Lamuel interpretatur, Cum quo
est Deus. Ideo vocat se Lamuelem, quo-
niam Deus multum gratiose adfuit ei per
plures annos, ut dictum est in expositione
Prov. xxx, 1. præcedentis capituli, super illud : Visio
quam locutus est vir, cum quo est Deus.
Visio, id est illuminatio seu doctrina, *qua* C
erudivit eum mater sua, id est superna
gratia, ut Glossa exponit : quæ addit, quod
per matrem ejus potest intelligi mater sua
carnalis, videlicet Bethsabee, cujus doctri-
nam tanquam memoria dignam ac saluta-
rem, dignum duxit narrare.
2 *Quid, dilecte mi?* id est, quid restat, quid
tibi incumbit, quid tibi dicere habeo, o fili
dilecte? Et juxta hunc sensum subjungi-
tur : *Quid, dilecte uteri mei,* id est nate ex
utero meo? Vel, Uteri, id est cordis mei.
Quid, dilecte votorum, id est desideriorum D
meorum? id est, tu, præcarissime fili,
objectum et materia meorum affectuum,
quoniam tuum profectum totis opto præ-
cordiis. Porro, secundum Hebræos, ut fer-
tur, mater Salomonis protulit verba hæc
amorose et pie increpando filium suum, eo
quod prima nocte qua cum uxore sua filia
Pharaonis dormivit, nimis tarde mansit
cum ea in lecto de mane, in tantum quod
hora sacrificii matutini ac jugis pertrans-
iit : sicque divinum officium fuerat impe-
ditum, eo quod clavis templi fuit in regis
cubiculo. Hinc consequenter de vitanda
carnalitate instruit eum.
Ne dederis mulieribus substantiam tu- 3
am : id est, opes tuas non expendas nec
dissipes luxuriose vivendo, nec corpus
tuum exhaurias coeundo, nec spirituales
virtutum ac meritorum divitias perdas,
vitiorum aut carnalitatum corruptioni va-
cando; *et divitias tuas ad delendos reges :*
id est, facultates tuas non exponas ad ex-
hibendum regibus ac principibus delicias
gustus et tactus, per quas præsidentes sub-
vertuntur, et ab idonea sui exsecutione of-
ficii impediuntur. Vel sensus est, ut non
conetur regum terras impugnare ac obti-
nere, exponendo bellatoribus ad hoc suas
divitias, sine justa et rationabili causa.
Itaque præsidentibus, præsertim majoribus
principibus ac prælatis, tanto plus evitan-
da sunt carnalia vitia, quanto plus indi-
gent clara ratione et magna prudentia, imo
potissime directione divina.

Hinc Seneca, libro de Quatuor virtutibus,

Digitized by Google

scripsit : Hac mediocritatis linea continentiam A observabis, ut nec deditus voluptati, prodigus aut luxuriosus appareas, nec avara tenacitate sordidus aut obscurus exsistas. Et rursus : Si continentiam diligis, turpia fuge antequam veniant. Omnia tolerabilia, præter turpitudinem crede. A verbis quoque turpibus abstineto : nam eorum licentia impudentiam nutrit. Iterum ait moralis ille philosophus, vir præclarus : Quidam voluptatibus se immergunt, quibus in consuetudinem deductis carere non possunt : et ob hoc miserrimi sunt, quia B ad hoc devenerunt quod supervacua, facta sunt eis necessaria. Tunc est consummata infelicitas, ubi turpia non solum delectant, sed etiam placent; et desinit remedio esse locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores sunt. Hinc et Cyrillus in suis ait Proverbiis : Attende, luxuriose, quid prodigus destruis, quid insanus dispergis, quid ingratus in nihilum projicis ; et tu iniquus depositarius naturæ, carissimum tibi commendatum thesaurum inimico, id est vanitati turpitudinique, impendis. Subversor es C ordinis mundialis, et naturalis legis transgressor. Mundi etenim ordo, et lex naturalis hoc habet, ut tanta naturæ delectatio dirigatur in prolem; tu autem prole neglecta, retortor perversitatis, in delectationem umbraliter transitivam, prolificum semen fundis. Quid plura? Stultissimus quippe est, qui se delectabiliter destruit, et qui tanto dementius, quanto letalius semet perdit.

4 *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum,* id est potum inebriativum D immoderatum. Et per reges intelligendi sunt universi qui præsunt : quibus sobrietas est potissime opportuna. *Quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas :* quæ mentis aufert discretionem, idcirco non celat secretum. Hinc Aristoteles docuit regem Alexandrum, ut quandoque inter suos simularet se ebrium, quia sic multa secreta posset percipere.

5 *Ne forte bibant* superflue. Oportet enim occasiones peccandi vitare, et vitiorum materiam declinare, quatenus ipsa vitentur peccata. *Et obliviscantur judiciorum,* id est justarum sententiarum, et judicialium præceptorum, secundum quæ lex præcipit judicare; *et mutent causam filiorum pauperis,* id est, ut ipsis pauperibus faciant injustum judicium, attracti favore, prece, aut munere divitum. Quod quamvis nemini liceat fieri, specialiter tamen crudele est hoc pauperibus facere : et tamen ad vitia ista trahit ebrietas, mentem obscurans, memoriam tollens, justitiam vilipendens, corpus et animam perdens. Ideo ait Salvator : Attendite ne graventur corda vestra crapula vel ebrietate. *Luc.* XXI, 34. Levitici quoque decimo, Dominus sacerdotibus, id est Aaron pontifici ac filiis ejus, jussit : Vinum et omne quod inebriare potest, non bibetis tu et filii tui, quando intrabitis in tabernaculum, id est ad ministrandum in templo, ne moriamini; ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter pollutum et mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea. *Lev.* X, 9-11. Itaque (sicut asserit Glossa) præcipit Dominus, ne vino (in quo est luxuria) inebrientur fideles, *Ephes.* V, 18. quia nihil de cœlestibus cogitatur, ubi regnat voluptas, sed sola sensibilia carnales sectantur.

Date siceram, id est potum qui valet 6
inebriare, *mœrentibus* inordinato super-
fluoque mœrore, aut certe naturali mœsti-
tia, de malo inevitabili, *et vinum his qui*
amaro sunt animo : bibant, et obliviscan- 7
tur egestatis, id est inopiæ, adversitatis, et
amaritudinis *suæ, et doloris non recordentur amplius,* id est, causas doloris immoderate non pensent, et ipsum expellant dolorem. Potatio etenim vini ac siceræ, vim habet animandi et exhilarandi; multiplicandoque spiritus, parit remedium contra animæ corporisque dolores. Non tamen sunt tales personæ inebriandæ, sed mediocriter refovendæ. Hinc sapientes ex ista statuerunt doctrina, ut damnatis ad mortem daretur hujuscemodi potus, quatenus mortem instantem levius ferrent. Porro spiritualiter mœrentibus et peccata sua ac proximorum deflentibus, exhibenda est

Digitized by Google

consolatio ex Scripturis, ut gaudeant in adversis, et spe veniæ recreentur, ac contemplatione divinorum æquanimiter tolerent omnem adversitatem, nec abundantiori absorbeantur tristitia.

8 *Aperi os tuum muto :* id est, pro simplicibus, idiotis, et egenis, causam suam in judicio proponere, prosequi ac defendere non valentibus, loquere, causam eorum proponendo, prosequendo, tuendo, propter Deum et juxta æquitatis tenorem :
Job xxix, 15. sicut sanctus Job fecit, Oculus, inquiens, fui cæco, et pes claudo. Simili modo aperi os tuum *et causis omnium filiorum qui pertranseunt,* id est peregrinorum et extraneorum, eos ad obtinendum justum judicium adjuvando, ne ab indigenis opprimantur; et si rei sunt sive culpabiles, caritative ac moderate increpa eos ; et eos qui ad loquendum pertinentia ad salutem sunt muti, instrue ac hortare, quatenus in divino
9 possint respondere judicio. *Aperi os tuum* tempore opportuno, pro defensione justitiæ, *et decerne,* id est, defini et dicta, *quod justum est, et judica inopem et pauperem,* expediendo causam eorum juste atque velociter, quibus non vacat diu contendere, et coram judice frequentius apparere. Hinc
Ibid. xxxi, 16. Job fatetur : Si negavi, quod volebant, pauperibus, et oculos viduæ exspectare feci. Istud est justitiam et misericordiam prudenter miscere, et æquitati pietatem discrete
Lev. xix, 15. contemperare, quatenus Moyses jussit : In judicio judex nec pauperis misereatur, nec vultum honoret potentis, nec pauperem a potentiore opprimi patiatur, sed causam discutiat utriusque.

Sequitur mysticum sententiosumque carmen metrice in Hebræo descriptum, tot continens metra seu versus, quot in Hebraico alphabeto sunt litteræ, utpote viginti duo. Et juxta ordinem litterarum illarum, cuilibet versui carminis littera una præponitur, scilicet prima versui primo, secunda secundo, et sic deinceps. Nam in Hebræo versus per ordinem incipiunt a litteris illis. Quod quia in translatione

A observari nequivit, litteræ ipsæ versibus præponuntur, in signum quod in Hebræo a litteris ipsis incipiunt.

Mulierem fortem quis inveniet ? etc. 10
Carmen istud venerabilis Beda pulchre exposuit : ex cujus expositione Glossa ordinaria quasi tota videtur accepta. Atque, ut Beda fatetur, in cantico isto Salomon plene descripsit virtutes ac merita totius Ecclesiæ, vel fidelis cujuslibet animæ. Salomon ergo in spiritu cernens excellentiam et decorem sanctæ matris Ecclesiæ in omni
B sanctitate, perfectione et gratia, tam gratificante quam gratis data, admirando et sciscitando sic orsus est, et sic ait : Mulierem fortem quis inveniet? ac si dicat : O quam felix, qui Ecclesiæ meruerit incorporari ! Quis inveniet eam per obedientiam veram, per fidem et caritatem, ut sit vivum membrum et electa proles ipsius ? tanquam dicat : Magnum et arduum est hoc, imo et rarum, quoniam multi vocati, Matth. xx, 16; xxii, 14.
pauci electi.

Potest autem per Ecclesiam accipi, tota
C et universalis Ecclesia, quæ ab Abel justo dicitur incepisse, et Synagogam includit, ut totum partem; vel specialiter Ecclesia Christi, Synagogæ succedens, inchoata a Christo in humanitate assumpta, et per Apostolos toto orbe terrarum constructa. De qua Salvator dixit beatissimo Petro : Super hanc petram ædificabo Ecclesiam Ibid. xvi, 18.
meam; et Paulus ad Timotheum, Scias I Tim. iii, 15.
quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis. Ad Hebræos quo-
D que ait Apostolus : Accessistis ad montem Hebr. xii, 22, 23.
Sion et civitatem Dei viventis, et Jerusalem cœlestem, et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis ; atque ad Galatas, Illa quæ sursum est Jerusalem, Galat. iv, 26.
libera est, quæ est mater nostra. In quibus verbis per cœlestem ac supernam Jerusalem, intelligitur Ecclesia militans, quæ Coloss. iii, 1, 2.
sursum sunt quærens, sapiens et contemplans; cujus conversatio est in cœlis; quæ Philipp. iii, 20.
in Evangelio ubertim regnum cœlorum vocatur, et in Apocalypsi, cœlum multoties Matth. xiii, xviii, xx, xxii.

Digitized by Google

Apoc. v, xii, xxi. appellatur. De qua ait Psalmista : Gloriosa A dicta sunt de te, civitas Dei. (Ps. lxxxvi, 3.) Et Christus in Psalmo : In medio, inquit, Ecclesiæ laudabo te. (Ps. xxi, 23.)

Hæc sancta, speciosa et gloriosa Ecclesia : de qua rursus divinus testatur Apostolus : Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret, mundans illam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam; (Ephes. v, 25-27.) de qua ab Isaia prædictum est, Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est : (Is. lx, 1.) hæc, inquam, Ecclesia sancta catholica, mulier appellatur, quoniam uxor et sponsa est Christi, imo totius superbeatissimæ Trinitatis; specialiter vero incarnati Filii Dei, qui ejusdem cum illa naturæ est, quia naturam assumpsit humanam. De qua muliere in Apocalypsi legitur : Quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se. (Apoc. xix, 7.) Quemadmodum enim uxor seu sponsa a marito et sponso fecundatur ad prolificandum, sic Ecclesia a Christo gratiarum charismatibus imprægnatur, ad generandum ei filios ac filias spirituales in fonte Baptismatis, in Pœnitentiæ sacramento, in prædicatione verbi cœlestis. Insuper sancta Ecclesia materno affectu universos amat fideles, ac maternaliter fovet et dirigit eos, ac jugiter pro eorum sollicitatur salute.

Consequenter dignitatem Ecclesiæ exprimit, ex pretiositate pretii pro ejus redemptione exhibiti. *Procul, et de ultimis finibus pretium ejus.* Pretium rei vocatur, quod pro ejus emptione seu redemptione persolvitur. Itaque pretium Ecclesiæ est Salvator ipsius, qui ut eam a potestate diaboli, a jugo peccati, a reatu damnationis eriperet, Deo Patri reconciliaret, beatitudinisque cœlestis participem et consortem efficeret, dignatus est incarnari, inter homines conversari, (Baruch iii, 38.) atque se ipsum pro ejus liberatione ac salute offerre, sicut jam ex verbis Apostoli tangebatur, dicentis : Tradidit semetipsum pro ea. (Ephes. v, 25.) Qui rursus in sua et cujuslibet electi persona fatetur : In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me. (Galat. ii, 20.) Unde in Apocalypsi habetur : Christus dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. (Apoc. i, 5.) Et alibi : Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia voluit. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. (Is. liii, 6, 7, 4, 5.) Hoc superdignissimum Ecclesiæ pretium Deus Homo, Christus Unigenitus B Patris, procul fuit a Salomone, id est a tempore ejus, quia inter tempus illud et Christi adventum grandis fuit distantia. Procul etiam fuit, quia totum genus humanum vehementer excessit, et super dignitatem ac merita hominum fuit, quod Creator immensæ majestatis ita ad homines venit, et se ipsum pro illis in pretium dedit. Fuit quoque de ultimis finibus, quia de cœlis descendit in uterum Virginis, non locum mutando, quia immensus ubique est præsens; sed naturam humanam C hypostatice assumendo, juxta illud in Psalmo : Exsultavit ut gigas ad currendam viam ; a summo cœlo egressio ejus. (Ps. xviii, 6, 7.) Nempe, sicut in Isaia juxta antiquam translationem habetur, Non legatum, non angelum misit, sed ipse in propria venit persona : juxta illud, Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos. (Is. xxxiii, 22.) Qui etiam testatur : Lauda et lætare, filia Sion, quia ecce venio, et habitabo in medio tui. (Zach. ii, 10.)

Sequitur versus secundus. *Confidit in* 11
D *ea cor viri sui :* id est, Christus a sponsa sua Ecclesia, et per ejus obsequium exspectavit fructum copiosum percipere, sobolem innumerabilem procreare; et quidquid per Prophetas de ejus fidelitate, virtuositate, fertilitate prædixit, pro certo cognovit in ea et per eam implendum. Fuit enim prædictum, quod primitiva Ecclesia et multi ex posteris ejus, Evangelium Christi undique constantissime prædicarent, mundum converterent, in omni persecutione atque martyrio invicti manerent ;

Digitized by Google

quod totum scimus impletum. Quamvis A autem in Christo non fuerit spes quæ est theologica virtus, nec proprius actus ejus, qui directe circa increatum objectum versatur; fuit tamen in eo fiducia quædam, qua multa futura exspectavit, et præcognovit implenda. Sic enim et proprii corporis glorificationem speravit. Loquitur tamen hic Scriptura de Christo, affectu et more humano, tanquam de marito, qui sciens se probam et fidelem habere uxorem, confidit in ea tanquam in optima compari, quod cuncta ad se pertinentia diligenter et idonee exsequetur. Sic Deus omnipotens confidit in Abraham, cui in Genesi ait (*Gen.* xviii, 17, 19.): Num celare potero Abraham quæ facturus sum? Scio enim quod præcepturus sit filiis suis ut custodiant præcepta mea. De viro isto Ecclesiæ loquitur Paulus (II *Cor.* xi, 2.): Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo. Qui Christus in Actibus ait Ecclesiæ (*Act.* i, 8.): Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ. De quibus Isaias prædixit (*Is.* xxvii, 6.): Implebunt faciem orbis semine. De quibus legitur etiam ab alio prophetatum (*Mich.* v, 7.): Erunt reliquiæ Jacob in medio populorum multorum quasi ros a Domino, et quasi stillæ super herbam.

Et spoliis non indigebit. Ecclesia dicitur spoliis non indigere: Primo, quoniam spoliis sanctis abundat, dum infideles ad fidem convertit, vel credentes ac male viventes ad viam reducit salutis: quos omnes diabolo subtrahit, et Christo incorporat, Christo hoc ipsum agente per eam. Christus quippe est fortissimus ille in (*Luc.* xi, 21, 22; *Matth.* xii, 29.) prælio, qui fortem armatum, id est principem hujus sæculi diabolum, alligavit, vasaque ejus tulit ab eo, et spolia ejus distribuit, quemadmodum ipse in Evangelio protestatur. Et Deus Pater de se ipso per Isaiam effatur (*Is.* liii, 12.): Dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. Rursus, Ecclesia non indiget spoliis, quoniam universis charismatibus Spiritus Sancti repleta est, opulentiisque internis abundat; iterum ideo, quoniam in futuro recipiet ac induetur duplicem stolam, hoc est corporis et animæ gloriam ac decorem; et denuo, quia non invadit nec appetit aliena.

12 *Reddet ei bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ:* id est, Ecclesia gratias jugiter aget Christo, et quidquid boni in ea est, Salvatori suo grata attribuet mente, gloriam et honorem referet ei, atque obediens erit, sciens verum esse quod ille ait (*Joann.* xv, 5.): Sine me nihil potestis facere. Hujus oppositum agunt ingrati, recidivantes et non perseverantes usque in B finem. Sed quum bonis Ecclesiæ actibus admixta sint multa mala, in tantum quod quasi pannus menstruatæ sunt universæ (*Is.* lxiv, 6.) justitiæ ejus: quomodo dicitur Sponso suo reddere bona, et non mala? Respondetur, quod mala illa sunt præter intentionem Ecclesiæ, et quotidie deflet ac delet ea. Mala quoque mortalia non committit Ecclesia, quantum ad membra sua quæ in caritate persistunt.

13 *Quæsivit lanam et linum,* id est, otiositatem pigritiamque vitavit, et actibus mi- C sericordiæ fuit intenta, ut vestibus laneis vestiret egenos, juxta illud in Isaia (*Ibid.* lviii, 7.): Quum videris nudum, operi eum. Unde Job ait (*Job* xxxi, 20.): Si non de velleribus ovium mearum calefactus est. Spiritualius autem loquendo, per lanam, quæ de ovibus capitur, ovinæ simplicitatis opera designantur, quibus fideles vestiuntur ac decorantur. Imo ipsa ovina simplicitas, innocentia, pietas, exprimuntur per lanam: quibus pro fundamento quærit Ecclesia stabiliri atque fulciri, prout princeps Apostolorum hortatur (I *Petr.* ii, 2.): D Quasi modo geniti infantes rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. Porro per linum, quod de terra accipitur, et multis concussionibus ad candorem ac speciem lini perducitur, corpus nostrum mortale terrenum intelligi potest, quod variis exercitationum disciplinis, abstinentiis, jejuniis, vigiliis, fletibus aliisque asperitatibus in spiritus servitutem redigitur. Rursus lana et linum sunt quædam auctoritates ac sententiæ Scripturarum, utpote litterales, quæ per lanam, et

Digitized by Google

spirituales, quæ per linum notantur, et A
quibus fidelium animæ vestiuntur, in qui-
bus exercetur Ecclesia.
*Et operata est consilio manuum sua-
rum,* id est virium interiorum et practica-
rum, quæ reguntur prudentia; vel, Consilio
manuum, id est consiliari directione cor-
dis, quæ per manuum usum deducitur ad
effectum. Consilium equidem inconsulte
nil agit, sed deliberatione inquisitioneque
I Tim. v, 21. provida, sicut hortatur Apostolus : Sine
præjudicio, id est prævio discretionis judi-
Eccli. xxxii, 24. cio, nihil facias. Unde docetur : Fili, sine B
consilio nihil facias, et post factum non
Prov. xi, 14. pœnitebis. Hinc dictum est supra : Erit sa-
lus ubi multa consilia. Hinc Seneca dicit :
Prudens nunquam otio marcet : animum
aliquando habet remissum, nunquam solu-
tum; accelerat tarda, perplexa expedit, du-
ra mollit, ardua exæquat : scit enim quid,
qua via aggredi debeat, et cito singula
atque distincte videt.
14 *Facta est quasi navis institoris, de longe
portans panem suum.* Quemadmodum enim
navis negotiatoris repletur mercibus, et ea C
quæ habet, defert ad alios, ut inde appor-
tet quæ ibi abundant, atque de apportatis
sustentetur, ac lucra obtineat, suisque pro-
videat : sic plane Ecclesia divinis præce-
ptis, consiliis, doctrinis, refectionibusque
internis est plena, quæ et aliis undique
evangelizat, et proximis suis communicat;
et eorum ad quos proficiscitur, virtutes,
exempla, documenta, miracula intuetur,
describit, ac secum reportat, quibus suos
prædicando inflammat, nutrit ac perficit.
15 *De nocte surrexit :* quia illud implet fre- D
Thren. ii, 19. quenter : Consurge, lauda in nocte, in prin-
cipio vigiliarum, et effunde sicut aquam
cor tuum ante conspectum Domini Dei
Ps. cxviii, 62. tui; et quod ait Psalmista, Media nocte sur-
gebam ad confitendum tibi. Sicque Spon-
sum suum assequitur. De quo asserit Lu-
Luc. vi, 12. cas : Exiit Jesus in montem orare, et erat
pernoctans in oratione Dei. Surgit quoque
de nocte, id est, in omni adversitate, ten-
tatione, persecutione, infirmitate, ad Deum
confugit, suspirat, deprecatur ac laudat,

juxta illud : Tristatur aliquis ex vobis? Jacob. v, 13.
oret æquo animo, et psallat. *Deditque præ-
dam domesticis suis :* id est, eos quos oran-
do, prædicando, exemplariterque vivendo
subtraxit diabolo, committit fidelibus gu-
bernandos et conservandos, et de illorum
conversione lætificat ac reficit suos devo-
tos; *et cibaria ancillis suis,* id est, devotis
congregationibus, et obedientibus anima-
bus administrat panem vitæ et intelle- Eccli. xv, 3.
ctus, et aquam sapientiæ salutaris, multi-
plicem intellectum Scripturæ, ecclesiastica
sacramenta, considerationem et spem bea-
titudinis adfuturæ.
Consideravit agrum, id est gentilitatem 16
per mundum dispersam, et terram habita-
tionis ipsius, *et emit eum,* id est, orando,
evangelizando, miracula faciendo, sancte
vivendo, ipsam gentilitatem Christo subje-
cit, donaque gratiæ promeruit illis dona-
ri. Unde in Genesi Isaac loquitur : Ecce Gen. xxvii, 27.
odor filii mei sicut odor agri pleni, cui
benedixit Dominus. Vel ager est terra be-
ate viventium, de qua Psalmista : Credo Ps. xxvi, 13.
videre bona Domini in terra viventium.
Quem Ecclesia modo contemplatur per fi-
dem, actibusque virtutum mercatur. Unde
locutus est Dominus : Sustollam te super Is. lviii, 14.
altitudinem terræ, et cibabo te hereditate
patris tui Jacob. Atque in Evangelio Chri-
stus : Beati mites, quoniam ipsi heredita- Matth. v, 4.
bunt terram. *De fructu manuum suarum
plantavit vineam :* id est, per fructuosam
suam conversationem, et merito suæ do-
ctrinæ fundavit particulares Ecclesias et
congregationes devotas, quæ sunt vineæ
Dei, secundum illud in Canticis : Capite Cant. ii, 15.
nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur
vineas. Unde et Isaias : Vinea, inquit, Do- Is. v, 7.
mini, domus Israel est.
Accinxit fortitudine lumbos suos, id est, 17
carnem sensitivamque partem munivit,
restrinxit, compescuit, cingulo castitatis,
virtute temperantiæ, et forti conatu exer-
citationis laudandæ. Hoc est quod præcepit
Christus : Sint lumbi vestri præcincti; Luc. xii, 35.
Apostolus quoque, State succincti lumbos Ephes. vi, 14.
vestros. Carnales quippe concupiscentias

Digitized by Google

atque illecebras victoriose refrenat Eccle- A
sia. *Et roboravit brachium suum,* id est,
naturalem vim suam operativam per dona
gratiæ meruit confortari, sicut hortatur
Ephes. VI, 10. Apostolus : Confortamini in Domino, et in
potentia virtutis ejus. Insuper, Roboravit
brachium suum, id est, ad bona agenda
viriliter se paravit, et strenue ea aggressa
est, atque in illis se confortavit. Habitus
autem est altera natura, et maxime con-
fortativus naturalis potentiæ.
18 *Gustavit, et vidit quia bona est negotia-
tio ejus :* id est, per spiritualis suavitatis B
experientiam sapuit, et certe cognovit quod
valde fructuosa et salubris sit commutatio
et mercatio agri cœlestis præfata, et incre-
dulorum ac perversorum conversio, quia
experta est quam dulce sit, contemptis re-
bus caducis, inhærere divinis, ac futuram
beatitudinem prælibare. Unde et Christus :
Luc. XIX, 13. Negotiamini, inquit, dum venio. *Non ex-
stinguetur in nocte lucerna ejus.* Lucerna
Ecclesiæ, est claritas famæ ejus, seu illu-
minatio mentis per fidem et sapientiæ do-
num, seu contemplatio divinorum : quæ in C
nocte (id est tempore persecutionis, tenta-
tionis et adversitatis) non exstinguuntur,
Matth. XXV, 6. sed confortantur. Media quoque nocte, qua
clamabitur, Ecce sponsus venit, lampades
ejus non exstinguentur. Neque in nocte,
id est hora mortis, deficient, sed potius
augebuntur, aut perficientur. Econtra de
Job XVIII, 5, 6. reprobis in libro Job legitur : Nonne lux
impii exstinguetur, et lucerna quæ super
19 illum est, non splendebit? *Manum suam
misit ad fortia,* id est, opera perfectionis
aggressa est, non contenta implere sola D
præcepta, sed evangelica quoque studuit
adimplere consilia, et prælia contra aciem
vitiorum atque tyrannidem persecutorum
victoriose exercuit; *et digiti ejus appre-
henderunt fusum :* id est, per discretio-
nem strenue exsecuta est quod incepit,
sicut filantes de lana faciunt filum, quod
deducunt in fusum, cui circumvolvitur
quod filatur. Unde jam dictum est : Quæ-
sivit lanam et linum, et operata est con-
silio manuum suarum.

Manum suam aperuit inopi, et palmas 20
suas extendit ad pauperem : id est, opera
misericordiæ tam corporalia quam spiri-
tualia exercuit copiose, liberaliter ac fer-
venter, eo quod Dominus jusserit : Estote *Luc.* VI, 36.
misericordes, sicut et Pater vester cœlestis
misericors est. Summa etenim christianæ
Religionis, in actibus caritatis et pietatis
consistit. *Non timebit domui suæ a frigo-* 21
ribus nivis. Frigora nivis sunt exstinctio
caritatis, perfidia, acedia, et quæcumque
igni divini contrariantur amoris; vel gra-
vissimæ persecutiones; seu tormenta in-
ferni, juxta illud, Ab aquis nivium transiet *Job* XXIV, 19.
ad calorem nimium. Quum ergo Ecclesia
sit confirmata in gratia atque in caritate *I Joann.* IV, 18.
perfecta, foras ejicit servilem timorem, et
cum Apostolo loquitur : Quis nos separa- *Rom.* VIII, 35.
bit a caritate Christi? Ideo a præfatis fri-
goribus non veretur domesticis suis, quia
contra hujusmodi frigora sunt bene arma-
ti, quemadmodum subditur : *omnes enim
domestici ejus vestiti sunt duplicibus,* id
est fide et operibus, vel caritate Dei et
proximorum, seu virtute morali ac intel-
lectuali, virtutibus quoque et donis. Istud
convenit Ecclesiæ, quantum ad filios ejus
perfectos, quales semper aliquos habet.
Totum quippe frequenter denominationem
sortitur a parte. Jugiter autem sunt aliqui
sancti et viri heroici in Ecclesia militanti.
De isto vestitu fertur : Qui vicerit, vestie- *Apoc.* III, 5.
tur vestimentis albis. Etiam Ecclesia pro-
testatur : Induit me vestimento salutis, et *Is.* LXI, 10.
indumento justitiæ circumdedit me.
Stragulatam vestem fecit sibi. Stragula- 22
ta vestis est discolor tunica, manu artifi-
cis pulchra varietate distincta ac decora-
ta : per quam virtutum contemperatura, et
virtuosorum commixtio actuum, multiplex-
que ornatus donorum, beatitudinum ac
fructuum exprimuntur. Unde in Psalmo de
Ecclesia canitur : Adstitit regina a dextris *Ps.* XLIV, 10.
tuis in vestitu deaurato circumdata va-
rietate. *Byssus et purpura, indumentum
ejus.* Per byssum, virginitatis et castimoniæ
candor notatur; per purpuram, amor di-
vinus. Ecclesia igitur carnalium inquina-

Digitized by Google

mentorum maculas odiens, et sensualium
affectionum fœditatem abhorrens, castita-
tis et virginitatis fulgore ornatur, et ca-
ritate sui Creatoris ardenti, tanquam nu-
ptiali veste, se fulcit.
23 *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit*
cum senatoribus terræ. Vir Ecclesiæ Chri-
stus est, qui in primo suo adventu a Ju-
dæis in tantum contemptus est, et tempore
passionis suæ irrisus, ut fateatur in Psal-
Ps. XXI, 7. mo : Ego autem sum vermis, et non homo;
opprobrium hominum, et abjectio plebis.
Is. LII, 14. De quo Deus Pater fatetur : Sicut obstu-
puerunt super te multi, sic inglorius erit
inter viros adspectus ejus, et forma ejus
inter filios hominum. De quo rursus scri-
Ibid. LIII, 4. bitur : Reputavimus eum quasi leprosum, et
percussum a Deo. Qui etiam usque in præ-
sens ab incredulis spernitur, atque a malis
Christianis dire inhonoratur. Verum in die
judicii, quum sederit cum Apostolis, et
Prophetis, ceterisque perfectis ad judican-
dum universos in portis, hoc est in exiti-
Matth. XXV, 46. bus ultimis, quando et hi ibunt in vitam
æternam, hi in æternale supplicium : tunc
vere nobilis apparebit, et summus atque
omnipotens ab omnibus agnoscetur, quan-
Is. XLV, 25. do, ut Isaias prædixit, Ad eum venient, et
confundentur omnes qui repugnant ei. De-
Ibid. III, 14. nique de hoc idem Propheta fatur : Domi-
nus ad judicium veniet cum senibus po-
puli sui, et principibus ejus. Unde et in
Judæ 14. Canonica S. Judæ apostoli : Ecce venit Do-
minus in Sanctis millibus suis. Isti sunt
Matth. XIX, 28. senatores quibus prædixit Salvator : Vos
qui secuti estis me, sedebitis super sedes,
judicantes duodecim tribus Israel. De qui-
Ps. XLIV, 17. bus ait Psalmista : Constitues eos princi-
pes super omnem terram. Consuevit autem
olim fieri judicium plebis in urbium por-
tis, ut dictum est sæpe. Ideo ait : Nobilis
in portis vir ejus.
24 *Sindonem fecit, et vendidit.* Per sindo-
nem, innocentia seu puritas mentis insinu-
atur. Ecclesia autem in Baptismo innocen-
tiam ministerialiter facit : quam baptizato
vendere perhibetur, quia requirit ab eo
ut illam custodiat, atque operibus Sata-

A næ prorsus renuntiet. Munditiam quoque
cordis facit in filiis suis, quos exemplo
et verbo ad illam hortatur : quam vendit
eisdem, quoniam obedientiam exigit. *Et*
cingulum tradidit Chananæo : id est, con-
versos ex gentilitate docuit lumbos zona
castitatis præcingere : quibus scripsit Apo-
stolus ad Ephesios quinto, Fornicatio et *Ephes.* V, 3.
immunditia nec nominetur in vobis; item-
que alibi, Spiritu ambulate, et desideria *Galat.* V, 16.
carnis non perficietis. *Fortitudo et decor* 25
indumentum ejus. Fortitudo uno modo est
B unum de septem donis; alio modo est vir- *Is.* XI, 2.
tus cardinalis : et utroque modo potest hic
accipi. Potest etiam hic sumi pro constan-
tia cordis, seu pro patientia in adversis.
Decor vero hic sumitur pro supernaturali
ornatu gratiæ ac virtutis infusæ ; vel pro
modestia : de qua ait Apostolus, Modestia *Philipp.* IV, 5.
vestra nota sit omnibus hominibus; aut
pro exteriori venustate in omni incessu,
gestu et apparatu ac moribus. *Et ridebit*
in die novissimo : quia tunc in corpore et
anima glorificabitur omnino plenissime.
C Unde ait Salvator : Beati qui nunc fletis, *Luc.* VI, 21.
quia ridebitis. Lætabitur quoque quum *Ps.* LVII, 11.
viderit vindictam. Hinc Dominus ait ele-
ctis per Prophetam : Salietis quasi vituli *Malach.* IV, 2, 3.
de armento, et calcabitis impios. Et in
Evangelio Christus : Amen, amen, inquit, *Joann.* XVI, 20.
dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos ;
sed tristitia vestra vertetur in gaudium.
Os suum aperuit sapientiæ : id est, tan- 26
ta cordis aviditate audivit sapientialia ver-
ba et saluberrima documenta, quod ex
vehementia desiderii, etiam os corporale
D aperuit, sicut asseritur : Qui me audiebant, *Job* XXIX, 21, 23.
exspectabant sententiam; exspectabant me
sicut pluviam, et os suum aperiebant quasi
ad imbrem serotinum. Potest etiam per oris
apertionem, præparatio et affectio cordis,
quo internum verbum profertur, intelligi.
Vel, Os suum aperuit sapientiæ, id est ad
proferendum ac prædicandum verba sacræ
doctrinæ, et ad honorem Sapientiæ incre-
atæ, devitans proferre verba stultitiæ, im-
plens quod ait Apostolus : Omnis sermo *Ephes.* IV, 29.
malus ex ore vestro non procedat, sed qui

Digitized by Google

utilis est ad ædificationem, ut det gratiam audienti. Unde et beatissimus Archiapostolus in prima sua Canonica scribit : Si quis
I Petr. IV, 11. loquitur, quasi sermones Dei. *Et lex clementiæ in lingua ejus,* id est lex evangelica, quæ est lex totius caritatis et pietatis, non statim ulciscens, et per pœnarum temporalium terrorem coercens, sicut lex Moysis, quæ fuit lex timoris atque rigoris.

27 *Consideravit semitas domus suæ.* Per domum Ecclesiæ, designatur cor seu conscientia ejus, vel quæcumque particularis Ecclesia sibi commissa. Considerat ergo Ecclesia, id est, diligenter examinat, purgat et ponderat omnes cogitationes affectionesque cordis sui, ne quid Sponso displicens inveniatur in eis; et quidquid agit aut loquitur, discutit vigilanter, juxta il-
Agg. I, 7. lud Aggæi : Ponite corda vestra super vias vestras. Similiter considerat actus et mores eorum qui sibi commissi sunt, et quidquid in eis culpabile viderit, reprehendit. Semitæ quoque domus Ecclesiæ, sunt præcepta ecclesiastica ac divina, evangelica consilia, et salubria documenta : quæ omnia sapienter pensanda sunt. Semitas etiam cœlestis palatii, et gaudia Beatorum, et opera civium supernorum, fideliter contemplatur. *Et panem otiosa non comedit :* quia ad spiritualium alimenta refectionum, per otium et torporem nequaquam pertingitur. Sed implere oportet illud Apo-
II Tim. II, 3. stoli : Labora sicut bonus miles Chri-
I Cor. XV, 58. sti; et rursus, Stabiles estote et immobiles, abundantes in opere Domini semper.
II Thess. III, 10. Propter quod denuo scripsit : Qui non laborat *, non manducet. Itaque nec corporalem, nec spiritualem cibum sumit Ecclesia otiose, sed bonis actibus semper intenta, quia et ipsam manducationem corporalem refert ad Dei gloriam ac honorem.

* vult operari

At vero prætacta sui ipsius consideratio, valde est utilis, dicente Chrysostomo : Qualiter in aliis vides tam parva, et in te ac tuis tam magna transcurris? Si te diligis magis quam proximum, quare illum procuras, non te ipsum? Si autem te negligis, manifestum est quod non sit procuratio

A proximi, sed magis detractio. Cum omni diligentia oportet te investigare quæ tua sunt, et ita quæ proximi sunt, decernes. Hinc loquitur et Anselmus : Tamdiu peccata propria, quæ nosse et flere debet, homo ignorat, quamdiu aliena considerat : quod si mores suos, ad se ipsum versus, adspiciat, non requiret quod in aliis reprehendat, sed in se ipso quod lugeat. Nihilo minus sibi commissos, quasi se ipsum debet, qui præest, attendere.

Surrexerunt filii ejus, et beatissimam 28
B *prædicaverunt.* Filii et discipuli Ecclesiæ, beatissimam eam fatentur, quotidie surgendo, id est se erigendo ad considerationem excellentiæ ejus in omni gratia ac virtute, in numero et eminentia Sanctorum, qui in ea fuerunt, sunt et erunt. Similiter in die judicii eam extollent, et in patria Beatorum. *Vir ejus, et laudavit eam :* quia et Christus eam commendat multipliciter ac præclare, ut potissime patet in
Canticis. *Multæ filiæ congregaverunt di-* 29
vitias : id est, congregationes philosopho-
C rum et hæreticorum, in studiis suis circa collectionem scientiarum et opum seu virtutum acquisitarum, fuerunt ferventes et vigilantes; *tu supergressa es universas :* quia Ecclesia ineffabiliter illas excedit in
sapientia, dignitate et sanctitate. *Fallax* 30
gratia, id est, favor, acceptatio, lausque humana, fallaces sunt et deceptivæ; *et vana est pulchritudo,* id est ornatus exterior sine interiore, color rhetoricus, apparentia simulatorum, et quidquid caret divino amore. *Mulier timens Dominum*
D filiali timore, *ipsa laudabitur,* puta Eccle-
sia, et quælibet anima virtuosa. *Date ei* 31
de fructu manuum suarum, id est, propter merita suarum virtutum et actionum, eam laudate et glorificate, o angeli sancti et universi vere illuminati; *et laudent eam in portis,* id est in die judicii, et ingressu regni cœlestis, *opera ejus :* id est, ostendant eam propter ea quæ gessit, esse laude dignissimam. Opera enim ejus sequuntur Apoc. XIV, 13.
illam, et unusquisque recipiet a Domino II Cor. V, 10.
secundum ea quæ gessit.

Digitized by Google

ARTICULUS XXXII

DE ALIIS EXPOSITIONIBUS CARMINIS HUJUS : MULIEREM FORTEM QUIS INVENIET ?

PATUIT jam præcedenti articulo, qua- A
liter canticum istud de universali Ec-
clesia, et quacumque anima virtuosa ac
sancta, intelligatur : ex quibus facillimum
est pensare, qualiter de quacumque femi-
na sancta valeat explanari, applicando ad
eam in particulari, quæ de Ecclesia et
anima virtuosa sunt dicta in generali. Con-
siderando equidem naturales defectuosita-
tes, fragilitates et infirmitates cujuslibet
mulieris ac virginis virtuosæ et sanctæ,
merito cum admiratione dicere possumus
10 de qualibet tali : *Mulierem fortem quis* B
inveniet ? Quam impossibile est talem es-
se, inveniri ac imitari sine magna et spe-
ciali ope et gratia Spiritus Sancti ! Cujus
pretium est *procul, et de ultimis finibus*
(secundum expositionem præcedentis arti-
culi) : quoniam Christus pretium est re-
demptionis non solum totius Ecclesiæ, sed
et uniuscujusque membri ipsius. Propter
Galat. II, 20. quod dixit Paulus ad Galatas secundo : In
fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tra-
didit semetipsum pro me. Quocirca ait
Chrysostomus : Hic est effectus servi fide- C
lis, ut quod a Christo pro omnibus tolera-
tum ac gestum est, quasi pro se solo re-
putet toleratum ac gestum. Nam et Filius
Dei ea caritate pro omnibus nobis se ob-
tulit, quod pro unoquoque mallet mori,
quam permitteret illum, quantum in se
est, condemnari.

11 *Confidit in ea cor viri sui.* Christus enim
in qualibet tali persona tanto plus confi-
dere perhibetur, juxta expositionem præ-
habitam, quanto scit eam sibi fideliorem,
stabiliorem, et devotiorem consistere. *Et* D
spoliis non indigebit : quoniam omni spi-
rituali opulentia impletur desuper talis
13 persona. *Quæsivit lanam,* id est virtutes,
et opera ovinæ simplicitatis, innocentiæ,
ac christianæ infantiæ, sicut expositum
est. *Facta est quasi navis institoris :* quo- 14
niam mens ejus spiritualibus opibus est
repleta, et charismata sibi concessa proxi-
mis communicavit, aliorum quoque virtu-
tes et exempla intuita est, hausit et attulit
sibi. *Deditque prædam domesticis suis :* 15
quos ex legendis ac virtutibus converso-
rum ad fidem ac pœnitentiam, lætificavit
atque refecit : juxta expositionem indu-
ctam, ex qua omnia ista facillime innote-
scunt. *De fructu manuum suarum plantavit* 16
vineam, id est, suis exemplis, documen-
tis, orationibus ac meritis, multas perso-
nas ad virtuosam et religiosam vitam in-
duxit : ita quod factæ sunt vineæ Dei, quia
non solum congregationes devotæ, sunt
vineæ Domini, sed et quælibet fructuosa
et virtuosa persona appellatur Dei vinea.
Unde et Christus ait Joannis quintodeci-
mo : Ego sum vitis vera. *Surrexerunt fi-* Joann. XV, 1.
lii, id est imitatores seu discipuli. Cetera
ex præinducta expositione limpide patent.

PRÆTEREA quidam carmen hoc de sacra
Scriptura exponunt, quam nomine mulie-
ris, vel litteraliter, vel spiritualiter putant
intelligendam, ut sit sensus : *Mulierem* 10
fortem, id est sacram Scripturam : quæ
sponsa dicitur hominis studiosi, qui eam
amoroso amplectitur corde, facitque eam
prolificare, id est convertere eos quibus
ipse prædicat eam ; quæ dicitur fortis,
quoniam Deus per infinita et præclara mi-
racula roboravit eamdem, juxta illud Marci
sextodecimo : Illi profecti, prædicaverunt Marc. XVI, 20.
ubique, Domino cooperante, et sermonem
confirmante sequentibus signis. Unde etiam
Apostolus ait Hebræorum secundo : Quo- Hebr. II, 3, 4.

modo effugiemus, si tantam neglexerimus A
salutem, id est tam salutarem doctrinam
et beatitudinem in ea promissam, quæ in
nos confirmata est, contestante Deo si-
gnis, et virtutibus, et portentis, et variis
Spiritus Sancti distributionibus? *Quis in-
veniet?* id est, quis ad intellectum ejus
profundum pertinget, et secundum ejus
documenta ac jussa, suam in omnibus di-
riget vitam? quasi dicat, Perpauci. *Pro-
cul, et de ultimis finibus pretium ejus,* id
est, Redemptor, quem ipsa docet esse pre-
tium mundi, est procul, et de ultimis ter- B
minis universi, puta a summo cardine
cœli, secundum præcedentis articuli expo-
sitionem.

11 *Confidit in ea cor viri sui.* Vir Scriptu-
ræ, potest vocari doctor seu prædicator
catholicus, seu quilibet studiosus : in cu-
Sap. VIII, 2. jus persona Sapiens ait : Hanc amavi, et
exquisivi a juventute mea, et quæsivi eam
sponsam mihi assumere. Unde dictum est
Prov. VII, 4. supra : Dic sapientiæ, Soror mea es, et
prudentiam voca amicam. Hic vir confidit
in Scriptura, id est, per directionem et C
consolationem ejus sperat in tentationibus
et adversitatibus juvari, laudabiliter con-
versari, beatitudinemque sortiri. Ideo scri-
Rom. XV, 4. ptum est : Quæcumque scripta sunt, ad
nostram doctrinam scripta sunt, ut per
patientiam et consolationem Scripturarum
spem habeamus. *Et spoliis non indigebit,*
id est, ex Scriptura sacra, omnia sibi ne-
cessaria obtinebit : quia et ipsa Scriptura
includit ecclesiastica sacramenta, in qui-
bus sunt remedia vitiorum, fercula anima-
rum, charismata gratiarum, quæ et obe- D
Matth. VI, 33. dientibus sibi promittit, dicens : Primum
quærite regnum Dei et justitiam ejus, et
12 hæc omnia adjicientur vobis. *Reddet ei
bonum, et non malum,* id est, studioso suo
amatori confert intelligentiam et salutem.
Prov. III, 18. Est enim lignum vitæ omnibus apprehen-
dentibus eam. Damascenoque teste, Scri-
ptura est paradisus deliciarum. Atque, ut
II Tim. III, 16, 17. ait Apostolus, Omnis Scriptura divinitus in-
spirata, utilis est ad docendum, ad arguen-
dum, ad corripiendum, ad erudiendum in
justitia, ut perfectus sit homo. Ecce quanta
bona dat Scriptura suo amatori sincero.

Et operata est, id est, ad operandum
excitat suos : et aliquos excitat commina-
tione et terrore pœnarum, quosdam desi-
derio præmiorum, nonnullos puro summæ
bonitatis amore, ac ipso virtutum affe-
ctu. Unde præmittitur : *Quæsivit lanam* 13
et linum, id est occupationem honestam
in actibus innocentiæ, simplicitatis, atque
munditiæ; imo et in exterioribus manua-
libus, operibusque vitæ humanæ necessa-
riis, ut sunt lanificium ac linificium. *Fa-* 14
cta est quasi navis institoris : quoniam
continet in se quidquid necessarium est
saluti. Sicut in nave onusta continentur
necessaria victui, et sicut per navem por-
tantur mercimonia ad loca remota; sic
Scriptura notitiam Dei et evangelicam le-
gem defert ad omnia mundi regna. *De* 15
nocte surrexit: quia in adversis magis suc-
currit, et ingruentibus vitiorum passio-
numque tenebris, luce suæ eruditionis oc-
currit, resistit, ac prævalet; nocturnisque
horis facit studiosos ad studendum et oran-
dum consurgere. *Deditque prædam dome-
sticis suis,* id est, naturalem philosophiam,
quam a gentilibus, tanquam ab indignis
possessoribus abstulit, studiosis Catholicis
contulit. Propter quod super Angelicam
hierarchiam asserit Hugo, quod philoso-
phis appositus est labor, nobis vero reser-
vatus est fructus. *Et cibaria ancillis,* id
est animabus imperfectis, seu feminis stu-
diosis, quas reficit copiose.

Consideravit agrum, id est, cœlestis pa- 16
triæ contemplata est hereditatem; *et emit
eum,* quia pro ea adipiscenda, docet terre- Matth. XIII, 29.
na cuncta despicere, carnem domare, imo
et abnegare se ipsum. *De fructu manuum* Ibid. XV, 24.
suarum plantavit vineam. Manus Scriptu-
ræ sunt, qui eam exercent, scribunt et do-
cent : quorum fructu, labore, exemplo ac
merito, plantatæ sunt ecclesiasticæ vineæ
toto orbe terrarum, id est particulares Ec-
clesiæ, religiones sanctæ, congregationes
electæ. *Accinxit fortitudine lumbos suos,* 17
id est, vim suam spiritualiter generativam

Digitized by Google

omni virtutum munimine confortavit, et A
ad fructificandum paravit. Lumbos quo-
que studiosorum cingulo castitatis præcin-
xit. *Et roboravit brachium suum,* fortiter
exsequendo quidquid jubet aut consulit.
18 *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio
ejus,* id est, per experientiam supernæ
suavitatis fecit studiosos cognoscere, quod
salubris sit præfata agri cœlestis mercatio.
Non exstinguetur in nocte lucerna ejus,
id est, lux suæ doctrinæ in adversitate
non obscuratur, sed radiat, et confortat. In
morte quoque non deficit, sed ad lumen B
gloriæ elevat ac perducit, et ibi perficitur
in æternum.

19 *Manum suam misit ad fortia, et digiti
20 ejus apprehenderunt fusum. Manum suam
aperuit inopi, et palmas suas extendit ad
pauperem :* id est, ad omnia ista agenda
provocat et inflammat suos discipulos, se-
cundum expositionem præcedentis articu-
li; et eos qui spirituali opulentia carent,
decenter consolando, dirigendo, perfici-
21 endoque ditat. *Non timebit domui suæ,* id
est studiosis amatoribus et observatoribus C
suis, *a frigoribus nivis :* juxta expositio-
nem præhabitam. Imo promittit illis abun-
dantiam gratiæ in præsenti, copiosamque
gloriam in futuro. *Omnes enim domestici
ejus vestiti sunt duplicibus :* sicut exposi-
22 tum est. *Stragulatam vestem,* id est exposi-
tionem multiplicem, miro decore ornatam,
fecit sibi, id est, doctores et expositores
incitavit, et illustravit ad componendum
et describendum eam hoc modo. *Byssus et
purpura,* id est munditia et caritas, *indu-
mentum ejus,* id est, indumentum quo ipsa D
vestit et ornat obtemperantes sibi, studen-
tes in se.

23 *Nobilis in portis vir ejus,* id est, amator
et sponsus Scripturæ, virtutibus clarus
monstrabitur, *quando sederit cum senato-
ribus terræ,* id est inter apostolicæ sancti-
tatis viros, qui judicabunt cum Christo;
vel cum prælatis Ecclesiæ, qui nunc habi-
tatores terræ gubernant, inter quos dignus
est residere in portis, id est in judicialibus
locis ac soliis, quæ olim in urbium erant
portis. *Sindonem fecit,* id est, ad purita- 24
tem inducit, *et vendidit,* id est, pro ea
adipiscenda laborem indixit, obedientiam-
que requirit; *et cingulum* castitatis *tradi-
dit Chananæo,* id est gentili converso. *For-* 25
titudo et decor indumentum ejus : quo
induit suos, sicut expositum est. *Et ridebit
in die novissimo,* id est, gloriari faciet suos
in die judicii. *Os suum,* id est ora studio- 26
sorum suorum, *aperuit sapientiæ :* juxta
sensum articuli præcedentis; *et lex cle-
mentiæ in lingua ejus,* id est in linguis
prædicatorum et discipulorum suorum.
Consideravit semitas domus suæ, id est, 27
modum et formam examinandi interiora,
docet ac præcipit, dicens : Custodi te ipsum *Deut.* IV, 9.
et animam tuam sollicite. *Et panem otiosa
non comedit,* id est, non permittit studio-
sos otiositati vacare, nec sine laboribus
refici, sed suam promereri annonam.

Surrexerunt filii, id est discipuli *ejus,* 28
et beatissimam prædicaverunt, id est, val-
de commendaverunt Scripturam. *Vir ejus,*
id est doctor seu prædicator, vel theologus
studiosus; *et laudavit eam* præ ceteris
cunctis scientiis, tanquam supernatura-
lem, divinitus revelatam, et ad æternam
beatitudinem perducentem ac ordinatam.
Multæ filiæ congregaverunt divitias, id 29
est, philosophorum scripturæ collegerunt
quasdam veritatis ac virtutis notitias; *tu
supergressa es universas,* in certitudine,
puritate, et dignitate. Est enim Scriptura
sacra, infallibiliter certa, nil falsitatis ha-
bens admixtum, et potissime circa increa-
tum objectum, per supernaturale medium.
Unde ait Gregorius : Omnem scientiam et
doctrinam sacra Scriptura transcendit, ut
taceam quod vera prædicat, quod ad pa-
triam cœlestem invitat, quod a terrenis
desideriis legentis cor revocat, quod dictis
obscurioribus fortes exercet, et parvulis
humili sermone blanditur. Nec sic clausa
est, ut pavesci debeat; nec sic patet, ut vile-
scat : sed ipso usu tollit fastidium, et tanto
plus diligitur, quanto amplius meditatur.

Fallax gratia, et vana est pulchritudo : 30
juxta explanationem præhabitam. *Mulier*

Digitized by Google

timens Dominum, id est Scriptura ad filia- A
lem Dei timorem inducens, *ipsa laudabi-*
31 *tur. Date ei de fructu manuum suarum:*
id est, pro notitia fidei, succedat ei notitia
facialis, et studiosis in ea detur beatifica
visio pro mercede. *Et laudent eam in por-*
tis opera ejus. Ex operibus etenim ad quæ
sacra inducit Scriptura, probatur qualis
sit ipsa. Operatio equidem arguit formam,
et actio habitum. Quum ergo universa quæ
docet, jubet, consulitque Scriptura, sint
vera, virtuosa, honesta, ad perfectissimam
Dei dilectionem, et plenam sui ipsius abnegationem, atque purissimam mentis in
Deo recollectionem ac stabilitionem tendentia, conferentia, ordinata : patet quod
ipsa Scriptura sit prorsus laudanda, sacra
atque divina.

ARTICULUS XXXIII

EXPOSITIO EJUSDEM CANTICI, DE GLORIOSISSIMA VIRGINE MARIA CHRISTIFERA.

SALOMONEM prævidisse in spiritu in- B
carnationem unigeniti Filii Dei ad salvandum genus humanum, ex Canticis canticorum certissime constat. Quod etiam
veram deitatem Filii Dei cognovit, clare
Prov. VIII, 22; XXX, 4. patuit octavo tricesimoque capitulis. Salomon ergo desuper copiose illuminatus,
sciens mundi salutem ex Filii Dei incarnatione pendere, nec decens esse Unigenitum
Dei incarnari nisi ex mundissima ac virtuosissima muliere, imo et virgine : affectuosa, admirante, gratulabundaque mente
10 locutus est : *Mulierem fortem quis inve-* C
niet? quasi dicat : O utinam talis nascatur
ac veniat! O quis eam reperiet et videbit!
Quæ utique nisi a Deo mittatur, et talis ac
tanta per specialissima gratiarum charismata efficiatur, nunquam poterit esse aut
inveniri, quum tanta sit feminarum infirmitas naturalis. *Procul, et de ultimis finibus
pretium ejus :* id est, tanta est dignitas ac
pretiositas feminæ ac virginis hujus, quod
in mundo isto inferiori, ei nil poterit comparari sive æquari, sed angelicæ dignitati
æquatur, imo et ineffabiliter antefertur. D
11 *Confidit in ea cor viri sui.* Posset hoc
accipi de Joseph sponso Virginis benedi-
Matth. I, 18. ctæ : qui quamvis eam conspiceret impræ-
gnatam, a se incognitam, confidebat tamen
eam ab adulterii culpa immunem, ut alii
qui Sancti exponunt. Melius autem exponitur de Christo, cujus ipsa fuit et est singularis sponsa : qui sciens eam confirmatam
in gratia, certissimus fuit de omni ipsius
fidelitate, profectu, constantia. *Reddet ei* 12
bonum, et non malum, omnibus diebus vitæ suæ. Sacratissima Virgo quamvis non
posset Unigenito suo reddere æquivalens
et condignum pro beneficiis sibi ab ipso
impensis, attamen totis viribus jugiter reddidit bonum ei gratiarum actionis et laudis, ardentissimæ caritatis affectum, honorificentiam præcordialem, obedientiamque
plenissimam, sed et maternæ pietatis obsequium, educationem corpoream, contrectationem reverendissimam, compassionem
fidelissimam, adsistentiam usque ad mor- Joann. XIX, 25.
tem omnino fidissimam. Nec reddidit ei
aliquid malum, quia in omnibus istis nil
culpæ, nil negligentiæ aut torporis fuit
admixtum; sed omnia cum vivacissima
alacritate, cum vigilantissima, diligentissima et integerrima caritate exhibuit. Unde præclarissime ei conveniebat, quod Seneca in suis ait Proverbiis : Homo bonus
est, qui in tantum perduxit animum suum,
ut non modo nolit peccare, sed etiam non
possit. Item, sicut formosa est pictura, in
qua nulla pars errat; sic formosus est homo, in quo nulla pars peccatis fœda est.

Digitized by Google

13 *Quæsivit lanam et linum, et operata est*
consilio manuum suarum. Ad litteram cle-
mentissima atque humillima Virgo, quam-
vis ex satis divitibus parentibus orta, pau-
pertatem tamen elegit, et sua pauperibus
erogavit. Nam et in sua purificatione, non
Luc. II, 24. quod divites, sed quod pauperes offerre
solebant, legitur obtulisse. Nempe et au-
Matth. II, 11. rum paulo ante a Magis oblatum, creditur
iterum dedisse egenis. Sicque credendum
videtur, quod operatione manuum suarum
dignissimarum, et forsan opere lanæ et
lini, necessaria conquisivit. Ait namque
Hieronymus : Judicaturo Domino, lugubre
mundus immugiet, et tribus ad tribum
pectora feriet; potentissimi quondam re-
ges nudo latere palpitabunt, quando veniet
Filius illius pauperculæ quæstuariæ, judi-
caturus fines terræ. Itaque Virgo sanctissi-
ma labores suarum manuum manducavit,
Filium sustentavit, et ex his communicavit
pauperibus. Tamen in provisione hujus-
modi, cooperabatur et Joseph, faber ligna-
rius. Et quamvis in contemplativæ vitæ
exercitiis fuerit perfectissima, non tamen
abhorruit taliter occupari in vita activa.
Imo in utraque vita adeo fuit perfecta,
quod exercitatio sua in una, non impedivit
exercitationem suam in alia. — Spiritua-
liter vero, quæsivit lanam et linum, quo-
niam, quamvis esset dignitatis altissimæ,
utputa vera Genitrix veri Dei, comparen-
talisque Deo Patri, et omni pura creatura
præstantior valde, ingeniosissima quoque
et prudens, ac artificiosa; nihilo minus
ad omnem columbinam simplicitatem, ad
ovinam innocentiam, ad profundissimam
humilitatem, se totis dedit præcordiis, ex-
cellentissime implens quod scriptum est :
Eccli. III, 20. Quanto major es, humilia te in omnibus.
Omnia quoque consultissime, ac summa
cum discretione peregit.

14 *Facta est quasi navis institoris, de lon-*
ge portans panem suum. In gloriosissima
namque Virgine congregavit Spiritus San-
ctus omnium spiritualium copiam divi-
tiarum, fuitque cunctis virtutibus, do-
nis, fructibus et beatitudinibus in termino
A excellentiæ excellenter omnino onusta. Et
sicut navis defert contenta in se ad loca
remota, sic divinissima Virgo exuberantiam
suorum charismatum undique longissime
atque latissime diffudit, dispersit, commu-
nicavit, ita quod de plenitudine ejus acce-
pimus omnes. *De nocte surrexit.* Non du- 15
bium quin sapientissima, sobriissima, ac
ferventissima Virgo, modicissimo fuerit
somno contenta. Sicque horis nocturnis
ubertim vacavit sacris vigiliis, devotissime
exorando, profundissime meditando, altis-
B sime contemplando, Deumque cum summa
alacritate laudando. In nocte quoque, id
est in caligine sæculi hujus, in regione
umbræ mortis, ad lucem fontis æterni
surrexit, ad omnem se perfectionem ere-
xit, ad deplorandum peccata mundi per-
rexit. *Deditque prædam domesticis suis.*
Ipsa namque electissima Dei, suis meri-
tis, orationibus, et exemplis, aut etiam
hortamentis, multos abstraxit diabolo, et
convertit : de quorum lucrificatione suos
refecit familiares, ac alios multos. *Et ci-*
C *baria* spiritualia dedit *ancillis suis,* præ-
sertim centum viginti virginibus, quæ post
Christi ascensionem leguntur ei cohabi-
tasse, et ejus obsequio intendisse : quas
sua suavissima exemplarissimaque præ-
sentia, sapientissimis verbis, sanctissimis
actibus abundantissime prorsus refecit.

Consideravit agrum, et emit eum. Con- 16
sideravit suavissima Virgo gentilitatem er-
rantem, tanquam agrum spinis tribulisque
repletum, et suis meritis ac precibus ob-
tinuit ei pro magna parte gratiam conver-
D tentem : similiter patriam regni cœlestis
intentissime atque clarissime speculaba-
tur, quam sibi et innumerabilibus aliis, se
ipsam Deo totaliter mancipando, obtinuit.
De fructu manuum suarum plantavit vi-
neam : quia præclaritate et sanctitate me-
ritorum suorum fundavit, convertit, sal-
vavit congregationes innumerabilium per-
sonarum.

Accinxit fortitudine lumbos suos. Tantæ 17
etenim excellentiæ fuit in omni castitate,
puritate et temperantia, quod nunquam

Digitized by Google

inordinatum sensit motum in carne sua
mundissima. Fuitque castimonia illa in
conceptione Filii Dei mirabiliter aucta :
quæ sua virtute ac influentia intuentes
sic penetravit, quod ipsa unica Dei nunquam potuit ab aliquo, ut creditur, concupisci. *Et roboravit brachium suum.* Ad tantam equidem spiritualem fortitudinem, perfectionem, exuberantiamque pervenit, quod omnem aciem vitiorum, omnem dæmonum turbam, omnem persecutionem et adversitatem, tam victoriosissime superavit, quod nusquam saltem in minimo poterant eam lædere aut nocere; tamque strenuissime jugiter fuit actibus virtuosis intenta, quod nunquam vel minima negligentia, distractio aut pigritia ei subrepsit. Denique ipsa est virago illa fortissima, de
Gen. III, 15. qua in Genesi Dominus dixit serpenti : Inimicitias ponam inter te et mulierem; ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus.

18 *Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus.* Quanto præ ceteris optima Virgo, virginea Mater, Deifera parens, fuit dono sapientiæ adimpleta, et omnipotentis Dei secretaria ac consiliaria præelecta, ac fide formata cum rationibus credendorum, et purificatæ intelligentia mentis plenissima; tanto suavius experiebatur, affectuosius sentiebat, splendidiusque cernebat, quam salubre et bonum sit, transitoria et carnalia cuncta relinquere, ad mercandum et obtinendum bona cœlestia, æternalia, spiritualia ac divina. *Non exstinguetur in nocte lucerna ejus.* Clarissima namque ejus cognitio nunquam defecit, sed assidue hic accepit profectum, et fama ejus in toto orbe refulget, et ipsa totam illustrat Ecclesiam. Nec tempore dominicæ passionis, nec in eclipsi tunc facta, nec in triduo mortis Filii sui, lucerna fidei suæ fuit exstincta aut minorata, quantum ad
19 habitum. *Manum suam misit ad fortia,* id est ad arduissima ac perfectissima virtutum exercitia, ad expugnandum cum Filio suo aerias potestates : ita quod meruit regnum misericordiæ super genus huma-

A num, et facta est gratiæ mater, pietatis regina, domina mundi, principissa cœlorum, angelorumque imperatrix.

Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem. Certum est, 20
quod gratiosissima Virgo, cujus viscera erant in caritatis, pietatis, dulcedinisque affectum conversa ac transformata, totis viribus opera misericordiæ corporalia ac spiritualia adimplevit, et usque in præsens cunctis peccatoribus quantumcumque miserrimis, vilibus, desolatis, iniquis, ta-
B men ad ipsam confugientibus, suspirantibus, anhelantibus, manum suam piissimam
porrigit adjutricem. *Non timebit domui* 21
suæ a frigoribus nivis. Domus dignissimæ Dominæ, est tota Ecclesia, cujus ipsa est advocata et rectrix atque protectrix, et spiritualiter* hi, qui tota devotione eam diligunt et honorant : de quibus ipsa est certa quod salvabuntur, dummodo perse-
verent. *Stragulatam vestem fecit sibi :* sic- 22
ut in Psalmo de ea cantatur, Adstitit regina Ps. XLIV, 10
a dextris tuis in vestitu deaurato, circum-
C data varietate. Omni etenim venustate, temperantia, proportione, intextura virtutum, donorum et fructuum fuit eminentissime perornata. *Byssus et purpura indumentum ejus.* Tanta siquidem munditia castitatis splendebat in corpore, et tanto caritatis ardore flagrabat in corde, quod Deus puritatis ac majestatis immensæ, dignum duxit incarnari ex ea, commorari in ea, et conversari cum ea, conversatione utique filiali, familiarissima et secreta.

Nobilis in portis vir ejus : sicut exposi- 23
D tum est. *Sindonem fecit, et vendidit; et* 24
cingulum tradidit Chananæo. Castitatis enim exemplum et vestem totius munditiæ præbuit cunctis, juxta expositionem
præhabitam. *Fortitudo et decor indumen-* 25
tum ejus. Nam, ut ait Anselmus, decuit eam, tanquam Matrem Dei, tanta puritate nitere, quod sub Deo major intelligi ne-
quit. *Os suum aperuit sapientiæ.* Nunquam 26
enim insipientiæ verbum ab ea prolatum est, et verba æternæ Sapientiæ, scilicet Christi filii sui, avidissime sumpsit et con-

* specialiter

Luc. II, 19. servavit, conferens ea in corde suo. *Et lex clementiæ in lingua ejus.* Incessabiliter enim pro peccatoribus et pro nobis omnibus intercedit, clementiam semper allegans, et ea quæ pietatis sunt, intro-
27 ducens. *Consideravit semitas domus suæ.* Fuit namque diligentissima proprii cordis custos, ad proficiendum in omni bono, et statum, vitam ac indigentiam domus suæ, puta Ecclesiæ, intuetur, ut ei auxilietur.

28 *Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt.* Omnes enim Christifideles, filii et filiæ benedictissimæ Virginis, eam assidue beatissimam dicunt, per quam reparata est salus mundi totius, quæ fontem beatitudinis Deum adorandum habere fi-
29 lium est electa. *Multæ filiæ,* scilicet virgines sanctæ, *congregaverunt divitias* spirituales in magna abundantia; *tu supergressa es universas* ineffabiliter nimis: quia, ut
Marc. X, 18. ait Hieronymus, sicut comparatione Dei, nemo bonus, sic comparatione gratissimæ et præamabilissimæ Virginis, nulla sanctarum virginum est perfecta, quamvis eximia

A comprobetur. Incomprehensibilis etenim Dei Filius, incomprehensibiliter operabatur in Matre sua carissima, ut testatur Ambrosius. *Fallax gratia, et vana est pulchri-* 30
tudo : juxta sensum præhabitum. *Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur,* scilicet Maria Christifera, inenarrabiliter timorata timore filiali ac reverentiali : qui ex inspecta infinita excellentia Dei, facit timentem resilire in propriam parvitatem ; qui etiam fuit et est in Christo, omnibusque Beatis. *Date ei de fructu manuum sua-* 31
B *rum.* Recepit equidem præmium inæstimabile, dignum et copiosum, quemadmodum inæstimabilis meriti fuit : ita quod quantum sine personali unione fieri potest, luci increatæ et inaccessibili videatur felicissime esse immersa, secundum Bernardum. Ad cujus beatitudinis participationem meritis ejus et precibus perducere nos dignetur unigenitus Filius ejus, qui cum Patre et Spiritu Sancto æternaliter vivit, et unus est omnium Dominus, ac super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN PROVERBIA SALOMONIS

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO
IN LIBRUM ECCLESIASTÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM ECCLESIASTÆ

ID EST CONCIONATORIS

QUI AB HEBRÆIS COHELETH APPELLATUR

ARTICULUS PRIMUS

ELUCIDATIO CAPITULI PRIMI : VERBA ECCLESIASTÆ FILII DAVID REGIS JERUSALEM.

QUEMADMODUM Salomon tria sortitus sit nomina, et juxta illorum trium nominum interpretationem tria ediderit volumina, ad tres hominum status spectantia, introductum est supra, in exordio expositionis libri Proverbiorum : ideo illa non videntur hic repetenda. Itaque iste est liber secundus ac medius Salomonis. Qui liber a suo auctore Ecclesiastes, id est concionator, interpretatur : quoniam sicut concionatoris est, in personis plurium loqui, et tandem concludendo ac definiendo sententiam, quid tenendum sit, determinare, atque per hoc tumultuantis ac discrepantis inter se turbæ sedare discordiam; sic Salomon in libro isto in personis loquitur diversorum, diversa opinantium ac sentientium. Et frequenter, quid salubriter sit tenendum, definit : imo in fine voluminis, quid de necessitate salutis credi et fieri ab universis oporteat, introdu-
Eccle. xii, 13. cit, dicendo : Finem loquendi pariter omnes audiamus : Deum time, et mandata ejus observa.

Præmittit autem Salomon huic libro suo
1 titulum istum : *Verba Ecclesiastæ filii David regis Jerusalem :* id est, verba sequentia, sunt verba ipsius Ecclesiastæ, utpote Salomonis filii David. Et quod ait, Regis, potest ad David et ad Salomonem referri. Et quoniam liber Proverbiorum specialiter circa parvulorum seu imperfectorum et incipientium instructionem versatur; ideo in illius libri titulo vocatur Salomon rex Israel, id est duodecim tribuum : per quas communis populus credentium, pro maxima sui parte imperfectus ac rudis, signatur. In prologo autem codicis hujus, rex Jerusalem appellatur : quia per Jerusalem, tanquam per metropolitas, id est principalis ac regiæ urbis habitatores, significantur proficientes, qui jam a vitiis expurgati atque moralibus virtutibus instituti, instruuntur et accenduntur in libro isto ad omnium terrenorum contemptum, invariabilisque boni considerationem ac veræ salutis affectum. Porro in prologo Cantici canticorum, ipse Salomon nec rex Israel, neque rex Jerusalem nuncupatur : quia in illo volumine perfectorum et theoricorum continetur instructio seu doctrina virorum, quorum se regem noluit designare, sed

Digitized by Google

potius fratrem, ut ait Hieronymus, qui librum istum exposuit. Cujus expositionem Albinus in suo super librum istum commento, pro majori parte induxit, elucidavit ac dilatavit.

Ait quippe Hieronymus in expositione sua, quam ad S. Paulam Eustochiumque direxit : Quum Romæ essem, et sanctæ Blesillæ legerem Ecclesiasten, ut eam ad hujus mundi provocarem contemptum, et illa omne quod in mundo cernebat, pro nihilo reputaret, ab ea rogatus sum, ut obscura quæque libri hujus dissererem, quatenus absque mea præsentia posset intelligere quæ legebat. Itaque, quoniam ipsa in procinctu expositionis nostræ subita morte subtracta est, et non meruimus, o Paula et Eustochium, talem vitæ nostræ habere consortem, tanto vulnere tristitiæ tunc percussus obmutui; nunc in Bethleem constitutus, memoriæ sanctæ illius et vobis, quod debeo, reddo.

Præterea ad intelligendum limpidius universa in libro isto contenta, advertenda sunt verba sancti Gregorii, quarto Dialogorum dicentis (cujus etiam verba Glossa et Albinus commemorant) : Ecclesiastes, inquit, Græce, concionator proprie dicitur. In concione vero sententia promitur, per quam tumultuosæ turbæ seditio comprimatur; et cum multi diversa sentiunt, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur, quoniam Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ assumpsit sensum, ut ea per inquisitionem diceret, quæ fortasse per tentationem imperita gens sentit. Quot enim sententias per inquisitionem movet, quasi tot in se personas diversorum accepit. Sed concionator verax quasi extenta manu tumultus omnium sedat, eosque ad unam sententiam revocat, quum in ejusdem libri termino ait : Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, etc. Si enim in libro isto per locutionem suam personas plurimorum non accepit, cur ad audiendum loquendi finem, omnes secum admonuit?

A Unde alia sunt quæ in libro isto per inquisitionem dicuntur, et alia quæ per rationem ad satisfaciendum promuntur; alia quæ ex persona hominis carnalis et tentati pronuntiantur, alia quæ ex rationis judicio proferuntur, ut animus a delectationibus compescatur. Nam infra ait : Hoc itaque *Eccle.* v, 17. mihi visum est bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex suo labore. Et tamen postea subdit : Melius est ire ad *Ibid.* vii, 3. domum luctus, quam ad domum convivii. Si enim bonum est manducare et bibere, B delectationeque frui, melius est ire ad domum convivii, quam ad domum luctus. Unde elicitur, quod illud ex infirmantium atque carnalium persona intulit, istud vero ex rationis definitione subjunxit. Nam et causam cur istud sit melius, addidit, dicens : In illa enim, scilicet in domo lu- *Ibidem.* ctus, finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid futurum sit. Iterum ait : Lætare, juvenis, in adolescentia *Ibid.* xi, 9. tua. Et tamen paulo post subdit : Adole- *Ibid.* 10. scentia et voluptas vana sunt. Consimiliter C concionator iste diversas tentationum cogitationes exprimens, ait : Unus est inte- *Ibid.* iii, 19. ritus hominum et jumentorum, et nihil habet homo jumento amplius. Sed ex rationis definitione postea dicit : Quid am- *Ibid.* vi, 8. plius habet sapiens a stulto? et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita? In quibus verbis declarat quod hic non sit vera hominum vita, ad quam obtinendam pergit sapiens post hanc vitam. Postremo, concionator iste longe inferius loquitur : Quodcumque potest manus tua, instanter *Ibid.* ix, 10. D operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quomodo ergo unus interitus est hominis et jumenti? aut quomodo nihil habet homo jumento amplius, quum jumenta post mortem carnis non vivant, spiritus autem hominum iniquorum post mortem carnis ad inferos deducantur? Has ergo tam diversas mentis humanæ opiniones, diligenter libri hujus lector consideret, et quid cui personæ conveniat, penset, ne in Epicuri errorem labatur, qui

Digitized by Google

in delectationibus carnis summum bonum hominis fatebatur.

Insuper (sicut aliqui narrant) tempore Salomonis, studium sapientiæ in Jerusalem viguit, et circa hominis felicitatem diversi diversimode opinabantur, quibusdam eam ponentibus in temporalibus divitiis, aliis autem in carnalibus deliciis, aliis vero in mundanis honoribus, nonnullis demum in scientiis speculativis, aut practicis acquisitis, quibusdam quoque in vita præsenti, ceteris in futura. Ideo Salomon in hoc libro quæstionem hanc voluit pertractare, ostendendo quod in nullo talium, sed in solo Deo, humana consistat felicitas. Verumtamen Glossa et Albinus testantur, quod secundum Hebræos, Salomon fecit hunc librum pœnitens de suis peccatis, eo quod in sapientia sua divitiisque confisus, Deum per immunditiam idololatriamque valde offenderat.

Salomon ergo experientia longa edoctus, atque ad pristinæ sapientiæ lumen reversus, ex plenitudine internæ ac evidentissimæ considerationis variabilium ac sensibilium rerum, in hanc vocem repente erupit, et conclusionem quam probare voluit, in primis deprompsit, dicendo :
2 *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes.* Et in signum assertionis ac confirmationis et seriositatis, repetivit et addidit : *Vanitas vanitatum, et omnia vanitas :* id est, omnia ista carnalia et transitoria et mundana, tot vitiis et pœnis, tot instabilitatibus atque miseriis, tot fallaciis et periculis, tot ignorantiis et inquietudinibus, laboribus, itemque doloribus sunt repleta, ut aptius dici valeant vanitas ipsa, quam vana : sicut de homine multum caro dicitur, Tu es amor meus; et de homine multum turbulento et inquieto, Tu es inquietudo et tribulatio nostra. Juxta quem modum in Proverbiis scriptum est : Gaudium patris, filius sapiens; filius stultus, mœstitia matris. Imo non solum possunt dici vanitas ipsa, sed et vanitas vanitatum, ut magnitudo ac multitudo vanitatis eorum insinuentur : sicut econtra dicuntur Cantica canticorum, quia
Prov. x, 1; xv, 20.

A inter cantica Scripturarum, excellentiam sortiuntur; et rosa, flos florum vocatur, quia pulcherrima inter flores; caritas quoque, virtus virtutum asseritur, utpote summa inter virtutes.

Denique universa creata, etiam intellectualia et incorruptibilia ac impassibilia, secundum se considerata, possunt vana vocari : Primo, quia in ipsis non consistit vera felicitas. — Secundo, quia ex nihilo facta sunt, et (quantum ex ipsis est) ad nihilum tenderent, nec ad momentum pos-
B sent subsistere, nisi omnipotentia ac benevolentia Creatoris conservaret ea in esse, prout Augustinus libro de Civitate Dei fatetur, Damascenus quoque libro secundo. Unde Plato in primo Timæi inducit Creatorem superioribus creaturis loquentem : O dii deorum! quorum idem pater opifexque ego sum. Natura quidem (id est ex vestra natura) corruptibiles estis, sed mea voluntate incorruptibiles permanetis. — Tertio, quia respectu Creatoris, nullius momenti sunt, et potius non esse, quam esse
C censentur, ita quod solus Deus dicitur esse, et qui est. Qui in Exodo Moysi ait : Ego Exod. III, 14.
sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Cui sanctus Job loquitur : Nonne tu qui solus es? Atque Psalmista, Substantia mea tanquam nihilum ante te. Deus enim gloriosus et adorandus, incomparabiliter et prorsus in infinitum omnem creaturam in omni perfectione, dignitate, et felicitate excedit : sicque omni creaturæ, etiam Beatis in patria, vanitas quædam inesse et competere perhibetur :
Job XIV, 4. Ps. XXXVIII, 6.
D quæ vanitas non est nisi distantia ac defectus a vero, increato, et incommutabili esse, prout Alexander de Hales et Dominus Antisiodorensis in Summis suis declarant. — Quarto, quoniam omni creaturæ quædam mutabilitas, imo et quædam mortalitas, fertur inesse : quoniam ad minus quædam actionum seu intellectionum et cogitationum vicissitudo, alternatio sive successio, saltem circa objecta creata, inest eis. Propter quod Apostolus loquens de Deo : Solus (inquit) habet immortalitatem, I Tim. VI, 16.

Digitized by Google

et lucem habitat inaccessibilem. Verumtamen comparatione creaturarum cœlestium perpetuarum et beatarum ac incorporalium, inferiora ista recte censentur plurimum vana.

Sed his objici potest, quod in Genesi legitur, Gen. I, 31. Vidit Deus cuncta quæ fecit, et erant valde bona : quomodo ergo vana et vanitas, imo vanitas vanitatum? Respondetur, quod in quantum aliquid de perfectione Creatoris participant, ac sibi invicem pulchre et sapienter ac multum utiliter coordinata exsistunt, valde bona dicuntur; nihilo minus, in quantum a Creatoris excellentia infinite deficiunt, et propter alias causas nunc introductas, vana et vanitas, vanitatumque vanitas nuncupantur. Unde Rom. VIII, 20. ad Romanos fatur Apostolus : Vanitati creatura subjecta est. Atque de homine, principali creatura mundi inferioris, fertur in Ps. CXLIII, 4. libro Psalmorum : Homo vanitati similis Ps. XXXVIII, 6. factus est ; et rursus, Verumtamen universa vanitas omnis homo vivens. Ideo Is. XL, 17. Isaias disseruit : Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Hoc, flagellis eruditus Nabuchodonosor (Daniele prophe- Dan. IV, 32. ta testante) fatetur, dicendo : Omnes habitatores terræ apud ipsum in nihilum reputantur. Hinc, pro Vanitas vanitatum, aliqui transtulerunt, Vapor fumi et aura tenuis, quæ celeriter dissolvuntur, ut universa hæc, instar fumi transitoria designentur : sicut et Jacobus ait apostolus : Jacob. IV, 15. Quæ est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.

Denique ex horum consideratione debemus nos semper humiliare, quia in nobis et ex nobis vani ac vanitas sumus, atque a Deo, quidquid boni habemus, accepimus, et ab ejus excellentia infinite deficimus, omnisque cultus, honor et reverentia, quos sibi gloriosissimo Creatori impendere possumus, in infinitum minores sunt cultu, honore et reverentia, quibus ipse dignissimus est.

3 *Quid habet amplius* quam vanitatem, *homo de universo labore suo, quo laborat* A *sub sole,* id est de laboribus quibus circa sensibilia atque carnalia occupatur ad acquirendum divitias, delicias, aut honores? Finaliter aliud nihil quam vanitatem consequitur. Unde in fine sero pœnitentes, dicturi sunt illud Sapientiæ : Lassati sumus Sap. V, 7. in via iniquitatis et perditionis, et ambulavimus vias difficiles; viam autem Domini ignoravimus. Imo se taliter occupando, vani redduntur, et hauriunt vanitatem. Hinc per Jeremiam loquitur Dominus : Quid Jer. II, 5. invenerunt patres vestri in me iniquitatis, B quia elongaverunt a me, et ambulaverunt post vanitatem, et vani facti sunt? Talibus clamat Psalmista : Filii hominum, usque- Ps. IV, 3. quo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? Hinc uni talium in Evangelio dicitur : Stulte, hac Luc. XII, 20. nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? Quibus verbis adjecit Salvator : Sic est omnis qui non Ibid. 21. est in Deo dives.

4 *Generatio præterit, et generatio advenit :* id est, quidam homines quotidie mo- C riuntur, et alii de novo nascuntur, juxta verbum Job, quo ait : Conteret multos et Job XXXIV, 24. innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Et Baruch : Exterminati sunt, inquit, Baruch III, 19. et ad inferos descenderunt, et alii loco eorum surrexerunt. *Terra autem* elementum *in æternum stat,* id est, elementum terræ in medio universi perpetue permanet fixum, ita quod, quoad se totum, nequit corrumpi. Et in hoc innotescit vanitas hominum, instabilitas sæculi, miseria mundi, quod homines propter quos facta est D terra, moriuntur tam cito, et terra a parte post nunquam destruitur. Unde fertur in Psalmo : Etenim firmavit orbem terræ, qui Ps. XCII, 1. non commovebitur. — Mystice, præteriit generatio idololatrarum, advenit generatio Judæorum, deinde natio tyrannorum et persecutorum, supervenit quoque generatio varia hæreticorum : nihilo minus terra, id est Ecclesia militans, usque ad finem mundi persistit in fide et caritate.

5 *Oritur sol* omni die de mane super horizontem nostrum, motu diurno, quem ha-

Digitized by Google

bet ex circumvolutione primi mobilis, suo A impetu secum rapientis et circummoventis sphæras inferiores cum suis sideribus et planetis; *et occidit*, descendendo ab axe poli, *et ad locum suum*, videlicet orientem, *revertitur; ibique renascens*, id est
6 iterum nobis oriens et apparens, *gyrat per meridiem*, id est, circumeundo declinat versus partes australes et ad polum antarcticum, præsertim in hieme, et tanto plus, quanto dies sunt breviores; *et flectitur ad aquilonem*, redeundo ad orientem. Itaque sol, qui ad producendum diem hominibus B datus est, et ad alia commoda, suo ortu et occasu quotidie lapsum et alterationem mundi inferioris monstrat et causat : qui per abditas vias ab occidente in orientem regreditur, expletoque circulo suo, quasi de thalamo novus exsurgit. Quod Salomon ideo tangit, ut doceat nos, variationibus temporum, et ortu occasuque solis ac siderum, vitam labi humanam, et senescere hominem, dum non pensat. Nempe (ut Aristoteles probat) sol motu suo in circulo obliquo, id est zodiaco, causa est alterati- C onis, generationis et corruptionis in elementis et mixtis. Obliqua etenim linea est zona zodiaci circuli, per quam cursus est solis. Idcirco brumali (id est hiemali) tempore ad australia, id est ad meridiem, divexo tramite vergit sol, et denuo in æstate ad borealia, id est aquilonem, se flectit, ne sole uno modo currente, alia calor consumeret, alia frigus destrueret. Hinc subditur :

Lustrans, id est illuminans, *universa* corporalia, lucis suæ capacia, *in circuitu* D mundi inferioris, et sphærarum sub se contentarum, *pergit*, id est, movetur et circuit, *spiritus*, id est sol, *et in circulos suos revertitur*. Singulis namque diebus completur ac mutatur circulatio solis, id est circularis circuitio ejus, qua jugiter magis propinquat vel ad tropicum æstivalem, aut certe ad tropicum hiemalem. Sicque dum sol maxime declinaverit, rursus per eosdem circulos seu meatus in zodiaco ascendit. Et quum summe ascenderit, mox rursus incipit declinare. Aut ideo dicitur sol in circulos suos reverti, quia (secundum Ptolemæum et alios) sol circulos habet plures, in quibus movetur, puta æquantem, epicyclum, atque eccentricum, sicut de hoc Albategni, Albumasar et alii scribunt diffusius.

Porro (secundum Albinum et Glossam) Salomon solem nominat spiritum, quoniam animat, inspirat et vivificat inferiora, id est, per lumen, motum et influentiam suam, causat in animalibus et mixtis animationem, spirationem et vitam. Quod etiam magnus Dionysius, quarto capitulo de Divinis nominibus, protestatur. Propter quod ait Philosophus, quod homo generat hominem, et sol : homo tanquam agens particulare, sol tanquam agens universale. Verumtamen S. Hieronymus circa hunc locum ait : Ipsum solem spiritum nominat, quod animalis sit, et spiret et vigeat. Quocirca multa et magna posset inquisitio fieri. De hoc tamen, an corpora cœlestia sint animata, B. Hieronymus super Isaiam, ambigue loquitur, et magis ad hoc declinare videtur, quod non. Augustinus vero super Genesim ad litteram, et in Enchiridion dicit de hac re esse grandem et abditam quæstionem, quæ nec refutanda sit, quousque falsitas ejus certius innotescat, nec acceptanda, donec ejus veritas clarius elucescat; seque ambigere, an ad Beatorum et angelorum societatem pertineant sol et luna, ac cetera astra. Rabbi Moyses vero asserit corpora cœlestia esse animata, et Creatorem suum sublimibus canticis esse laudantia : quod affirmat ex lege et Prophetis probari. Sanctus vero Basilius et Damascenus dicunt omnino contrarium. Thomas autem, quamvis super secundum Sententiarum in hoc Basilium et Damascenum sequatur, tamen in Summa contra gentiles, in qua magistralius atque subtilius loquitur, dicit ad christianam Religionem non differre nec pertinere, quidquid horum dicatur. Nihilo minus puto securius, ad hoc magis divertere, ut dicantur animata non esse. Sed de hoc hic tantum-

Digitized by Google

dem tetigisse sufficiat, de quo Thomas in A Summa contra gentiles, et Albertus libro de IV Coæquævis, diligenter subtiliterque loquuntur. Porro Symmachus pro Spiritu transtulit Ventum.

Spiritualiter, sol justitiæ Christus oritur electis et bonis, occidit reprobis et injustis, et venit de summo cœlo in terram, atque in Ascensione ad suum rediit locum; ibique renascens, id est inde radios suæ illuminationis diffundens, undique visitat in meridie habitantes, id est in divini amoris fervore. Indeque transit ad aquilo- B nem, id est ad frigidos et iniquos, quos admonet sæpe; et quos ex eis elegit, attrahit sibi.

7 *Omnia flumina intrant in mare.* Sicut enim principium, ortum, originem fontaliter habent ex magno mari per subterraneas venas, occultasve vias, seu evidentes meatus; sic tandem revertuntur in illud. Quod de notabiliter magnis fluminibus potissime verificatur : quæ etsi interdum videantur absorberi a terra, rursus tamen erumpunt alicubi, et in Oceanum refluunt; C ac rursus ex Oceano aquæ derivantur ad terram per alia ac diversa itinera. Hinc subditur : *Ad locum unde exeunt flumina,* puta ad Oceanum, *revertuntur ut iterum fluant.* Hinc asserit Thomas super secundum Sententiarum, quod et fons paradisi, qui in quatuor capita et magna flumina dividitur, ex Oceano ducit originem. Verumtamen *mare non redundat,* id est, ex tali refluxu aquarum in ipsum, terminos suos non exit. Circa hoc dicit glossa Albini : Dicunt philosophi, dulces aquas D quæ mari influunt, ardente sole consumi, vel salsuginis maris pabula esse; sed Ecclesiastes noster dicit, eas per occultas terræ venas ad capita fontium regredi, et de matrice abysso in sua semper ebullire principia. Verumtamen istud a dictis philosophorum non dissonat : quia et multi præclari philosophi asserunt, quod de mari per subterranea loca effluant aquæ ad loca remota : quæ aquæ in tantum naturaliter possunt ascendere, quantum alta est superficies maris, imo et altius, quoniam per terram manando, ipsa sua colatione dulciores redduntur et leviores aquis maris. Propterea in certis locis erumpunt in fontes et flumina : ex quibus locis tanquam altioribus quadam parte superficiei abyssi, rursus naturali motu in pelagus refluunt. Et hoc totum ad communem humani generis utilitatem, ita disposuit infinita, omnipotens, et benevolentissima sapientia Creatoris.

Spiritualiter, *Omnia flumina intrant in mare,* id est, universa gratiarum fluenta descendunt in cor humanum, quod instar maris, profundum ac imperscrutabile ex- *Jer.* xvii, 9. stat. *Et mare non redundat,* id est, cor humanum ex hoc præfixos sibi limites non transcendit, inaniter gloriando aut se jactando vel intumescendo : imo magis humiliat se, et fonti gratiarum tanto plus gratum ac subjectum esse conatur, quanto plura et majora ab ipso beneficia accepisse se intuetur. *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur :* id est, sicut universa gratiæ dona a Deo fontaliter oriuntur, sic ei cum gratiarum actione sunt adscribenda, et de omnibus ac in omnibus laudandus et glorificandus est universorum largitor bonorum. Ideo dicit Apostolus : Quid *1 Cor.* iv, 7. habes quod non accepisti? et item, Gratia *Ibid.* xv, 10. Dei sum id quod sum; itemque, Soli Deo *1 Tim.* i, 17. honor et gloria. *Ut iterum fluant,* id est, copiosius a Deo procedant. Dum enim de acceptis muneribus Deo grati consistimus, majora ab ipso suscipimus : quia, ut ait Salvator, Habenti dabitur, et abundabit. *Matth.* xiii, 12; xxv, 29. Optima ergo custos gratiarum est beneficiorum memoria, et recognitio eorumdem assidua, quæ abundantiora meretur charismata. Ingratitudo vero, tanquam ventus urens ac pestilens, fontem pietatis et gratiæ desiccat et obstruit ipsi ingrato.

Cunctæ res difficiles, ad intelligendum 8 perfecte. Vix enim est aliqua creatura tam modica, de qua poterimus reddere rationem in singulis quæ possunt quæri de ea, et cujus propriam differentiam, universasque proprietates, causas et vires assignare

Digitized by Google

Sap. ix, 16. poterimus. Ideo scriptum est : Difficile invenimus quæ in terra sunt; et quæ in prospectu sunt, invenimus cum difficultate. *Non potest eas homo explicare sermone,* expressione perfecte notificante rem ipsam, quia non valemus perfecte intelligere eas. Imo locutio deficit a plena repræsentatione notitiæ. Horum ratio assignatur, quoniam nostra cognitio intellectiva incipit a cognitione sensitiva et a posteriori, atque a notitia accidentium rei, in quibus natura agentis non relucet plenarie. Communiter tamen tenent philosophi, humanum intellectum posse in vita hac ad cognitionem quidditatis substantiarum materialium pervenire. Aliqui vero addunt, quod etiam ad cognitionem quidditatis substantiæ separatæ, posset in vita ista pertingere : cujus opinionis sunt Albertus, Ulricus, et alii quidam. Alii econtrario, ut Scotus, affirmant intellectum nostrum in hac vita perduci non posse ad alicujus rei creatæ cognitionem distinctam essentiæ. Cujus signum dicit Scotus esse, quod si simul ponantur duæ hostiæ, quarum una sit consecrata, alia non, non potest homo per naturalem rationem inter eas discernere.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur : id est, quantumcumque multa et magna videat oculus corporalis, potest et appetit plura videre. Similiter est de aure. Imo oculus nova et curiosa videndo, sæpe plus inflammatur ad plura hujusmodi intuenda : simili modo auditus. Conformiter interior oculus, scilicet intellectus, cognitionibus et scientiis rerum creatarum non saturatur nec quietatur; nec potest quiescere, nisi in notitia Creatoris. Non ergo in creatis, sed in Creatore, consistit felicitas.

Jam ergo demonstravit instabilitatem et variabilitatem assiduam in hominibus cœlestibusque corporibus et in aquis. Consequenter idem nunc ostendit in ceteris
9 generabilibus et corruptibilibus. *Quid est quod fuit,* id est res generata quæ aliquando fuit, et modo non est? Ad quod respondet : *Ipsum quod futurum est,* id est, res illa præterita, est ipsa res futura : non utique eadem numero, sed specie, sicut homo mortuus, et homo nasciturus, ejusdem naturæ sunt, non una eademque persona. Et multo minus in irrationalibus animalibus, vegetabilibus, et mixtis, quorum formæ substantiales seu animæ sunt corruptibiles et mortales, desinentes esse in ipsa corporea morte. Hinc libro de Generatione et corruptione probat Philosophus, quod corrupta non redeunt eadem numero : naturaliter utique, sed miraculose fieri potest, et factum est sæpe, præsertim in evangelica lege. *Quid est quod factum est?* Respondet : *Ipsum quod faciendum est,* id est, ejusdem speciei utrumque est, sicut leo natus, et leo nasciturus.

Nihil sub sole novum, quum simile ejus 10
in specie præcesserit. *Nec valet quisquam dicere* vere et rationabiliter : *Ecce hoc recens est,* id est individuum alicujus speciei, cujus simile non præcessit, loquendo de inferioribus istis. Ideo subditur : *jam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos:* id est, in generationibus et periodis seu temporibus præteritis fuit simile ejus in specie. Juxta hunc modum dicimus non esse novum, dum videmus justos ab impiis infestari, homicidium fieri, hominem mori : quoniam ista, id est similia eis in specie, multoties contigerunt. Hinc quoque scriptum est : Complevit Deus die septimo Gen. ii, 2. opus suum quod fecerat, et requievit ab omni opere quod patrarat : non utique ex tunc usque in præsens, a productione novorum individuorum et suppositorum, sed specierum novarum, quia deinceps nihil produxit, cujus simile in specie in operibus sex dierum non præcessit.

Itaque locus iste Scripturæ, intelligendus est sane, ne quis sumat ex eo gravissimorum occasionem errorum, et putet cum Epicuro et Platone, eadem numero in mundo hoc renovari post certas periodos, aut post magni anni revolutionem. De qua Platonis opinione multa recitat Augustinus libro de Civitate Dei, et quædam in

Digitized by Google

libro de Trinitate, sicut tangetur in fine A
expositionis hujus capituli. Nec iteratio
ista consimilium in specie, intelligenda est
de supernaturalibus et miraculosis effecti-
bus, sed juxta expositionem præinductam,
de mixtis generabilibus et corruptibilibus
naturalibus. Ideo ait Hieronymus: Non pu-
temus signa atque prodigia et multa quæ
arbitrio Dei nova in mundo fiunt, in pri-
oribus sæculis præcessisse, et locum in-
venire Epicurum, qui affirmat per innu-
merabiles periodos eadem his in locis et
per eosdem fieri. Alioqui Judas crebro tra- B
didit Christum, et Christus sæpe pro nobis
est passus; et cetera quæ facta sunt et fu-
tura, in easdem similiter periodos revol-
vuntur. Sed dicendum, quod præscientia
et prædestinatione Dei, ea jam facta sunt,
quæ futura sunt. Præterea error ille, di-
centium eadem numero taliter renovari
atque redire, contrariatur Scripturæ, et in
libro Job multipliciter reprobatur, ut quum
Job xvi, 23. ibidem sanctus Job loquitur : Viam per
quam non revertar, ambulo; et rursus :
Ibid. xiv, 12. Homo quum dormierit, non resurget; do- C
nec atteratur cœlum, non evigilabit. Nec
pœna inferni esset perpetua, juxta illam
insaniam.

11 *Non est priorum memoria :* id est, illi
qui nunc vivunt, non habent memoriam
multarum rerum præteritarum. *Sed nec
eorum quidem, quæ postea futura sunt,
erit recordatio apud eos qui futuri sunt
in novissimo,* id est in tempore valde longo
post eos : quia et ipsi obliviscentur præ-
teritorum, sicut et nos. Ex quibus ostendi-
tur inconstantia rerum et memoriarum D
hominum in hoc mundo, et quod vanum
sit constituere salutem in ista permanen-
tia, qua homo post mortem manet in re-
cordatione et laudibus hominum. Unde pro
magna fama post mortem in hoc mundo
habenda, multi plurimum laboraverunt.

Consequenter Salomon sui ipsius exem-
plo declarat vera esse quæ dixit, scilicet
12 omnia esse vana. *Ego Ecclesiastes fui rex
Israel in Jerusalem.* Quare adhuc vivens
non ait, Ego Ecclesiastes sum rex Israel in
Jerusalem? Dicunt quidam, quod pœniten-
tiam agens, ex humilitate ita locutus est,
quasi indignum se reputans nomine regis,
qui populum suum tam enormiter male
vivendo scandalizavit. Vel dicendo, Fui
rex, non exclusit se esse regem; sed ideo
ait, Fui rex, quia recitat gesta sua præteri-
ta. Aliqui quoque reges Juda ante mortem
suam resignaverunt filiis suis regnum. *Et* 13
proposui in animo meo quærere, studen-
do, seu alios interrogando, *et investigare
sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole,*
id est de causis et rationibus omnium ta-
lium, præsertim humanorum eventuum :
scilicet cur quidam sic prosperantur, et
diu vivunt; alii adversitatibus et diffortu-
niis opprimuntur : cur aliqui virtuosi uti-
lesque prælati et principes cito tolluntur
de medio; alii vitiosi præsidentes, subdi-
tisque nocivi, diu vivunt, et præsunt : cur
quædam animæ infunduntur corpusculis
infantulorum gentilium, nec unquam per-
ducuntur ad fidei sacramentum; quædam
vero animæ infunduntur corpusculis pue-
rorum fidelium. Quamvis enim Salomon
habuit de naturalibus, et multis superna-
turalibus ac mysticis infusam scientiam,
non tamen de omnibus talibus occultis Dei
judiciis : de quibus immoderate scrutari,
curiosum temerariumque censetur, quia
omnino transcendit humanæ imbecillitatis
capacitatem. Idcirco de talibus cum Apo-
stolo est dicendum : O altitudo divitiarum Rom. xi, 33.
sapientiæ et scientiæ Dei! quam incompre-
hensibilia sunt judicia ejus, et investigabi-
les viæ ejus! et cum Psalmista, Judicia tua Ps. xxxv, 7.
abyssus multa.

Hanc occupationem pessimam, id est
curiosam investigationem, et immodera-
tam inquisitionem de omnibus quæ fiunt
sub cœlo, *dedit Deus filiis hominum,* id
est, permisit eos ipsam assumere. Juxta
quem modum ait Apostolus : Mittet illis II Thess. II, 10.
Deus operationem erroris, ut credant men-
dacio; et rursus, Tradidit illos Deus in Rom. I, 26.
passiones ignominiæ. Sic quoque Isaias lo-
quitur Deo : Quare nos errare fecisti de Is. LXIII, 17.
viis tuis, indurasti corda nostra ne time-

Digitized by Google

remus te? *Ut occuparentur in ea,* neglectis A
his quæ pertinent ad salutem. Et certe
nunc usque videmus quam vere sit ita, qualiter
multi quæstiones sine numero multiplicent,
et vanissimis sophistriis ac curiositatibus
sint intenti, omissa divinorum
observantia præceptorum. In qua occupatione
stultissima multi quoque religiosi
sic involvuntur, quod observantias negligunt
regulares. Qui utinam illud Ecclesia-
Eccli III, 22, 23. stici rite adverterent : Altiora te ne quæsieris,
et fortiora te ne scrutatus fueris;
sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita B
semper, et in pluribus operibus ejus ne
fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium,
ea quæ abscondita sunt, videre
oculis tuis. Unde et Apostolus Timotheum
II Tim. II, 23. discipulum monens : Stultas, inquit, et
sine disciplina quæstiones devita, sciens
quia generant lites.

14 *Vidi cuncta quæ fiunt sub sole,* id est,
consideravi ea, saltem in generali, et multa
in speciali; vel, Cuncta, id est quædam
de omnibus illis, ut sit distributio pro generibus
singulorum : juxta quem sensum C
Ps. IX, 2. ait Psalmista Deo, Narrabo omnia mirabilia
tua. *Et ecce universa vanitas, et afflictio
spiritus :* id est, vanitas omnibus illis
fuit admixta, vanumque fuit, laboriosum,
et animæ afflictivum, considerationi et
perscrutationi omnium illorum insistere.
Imo occupatio talis impedit hominem ab
utilioribus et salubrioribus actibus, ab exercitio
orationis et devotionis, ab inflammatione
affectus, ab expurgatione discussioneque
mentis : quia quo mens circa
plura distenditur atque dispergitur, eo mi- D
nus circa unum illud quod summe necessarium
est, recolligitur et constabilitur.
Hebr. VI, 9. Hinc Apostolus hortatur nos, ut quæramus
meliora et viciniora saluti. Et rursus :
Ibid. XIII, 9. Doctrinis, inquit, variis et peregrinis nolite
abduci. Optimum enim est gratia stabilire
cor.

15 *Perversi difficile corriguntur :* quia sunt
habituati in vitiis. Difficile autem est consueta
relinquere. Imo, secundum Philosophum,
tales dicuntur incurabiles. Verumtamen
per auxilium et miserationem Spiritus
Sancti possunt converti. *Et stultorum infinitus
est numerus.* Omnis numerus est
finitus, quum numerus sit certa et determinata
mensura, seu computatio rerum
numeratarum. Quomodo ergo stultorum
infinitus est numerus ? Respondendum,
quod cuncta creata, finita sunt, absolute
loquendo, utpote in numero, pondere, et Sap. XI, 21.
mensura constituta. Sed quantum ad nos
multitudo stultorum est infinita, quia innumerabilis
nobis est, nec numerum eorum
habemus; sed Deus eorum numerum
novit. Stulti autem, in Scripturis vocantur,
universi qui dono sapientiæ carent,
omnes videlicet qui in mortali sunt culpa
: quia in illis puerilitatis vitium seu
insipientia regnat (quoniam summo, infinito
et invariabili bono præferunt vana,
carnalia et caduca); sicut pueri poma et
pira auro et gemmis præponunt, sic ipsi
sensibilia et terrena, spiritualibus et divinis.
Sed quum Psalmista de electis et sapientibus
dicat, Dinumerabo eos, et super Ps. CXXXVIII, 18.
arenam multiplicabuntur; videtur quod
sapientium quoque infinitus sit numerus.
Respondetur, quod utique innumerabilis
nobis est multitudo justorum, sapientium
et electorum; nihilo minus multitudo reproborum
ac impiorum multo innumerabilior
est : quia in tantum est major, ut
dicat Salvator, Multi sunt vocati, pauci Matth. XX, 16; XXII, 14.
vero electi.

Locutus sum in corde meo, id est, cogitavi, 16
dicens intra me, vel etiam aliis : *Ecce
magnus effectus sum.* Salomon enim fuit
rex valde magnus, famosus, potens, opulentus,
et præsertim in sapientia, eminens
aliis. Ideo subditur, *et præcessi omnes sapientia,
qui fuerunt ante me in Jerusalem.*
Imo in toto mundo non erat tempore
suo æqualis ei in sapientia atque scientia,
prout tertio Regum et secundo Paralipo- III Reg. III, 12; IV, 29-34; X, 7; II Par. I, 12; IX, 6.
menon satis ostenditur. Quod qualiter intelligendum
sit, tertio Regum diligenter
expositum est. Non enim potest illud intelligi
de sapientia, ut est donum : quia
illa est tanto major in homine, quanto

Digitized by Google

perfectior ipse est in caritate. Ideo, sicut A
David fuit sanctior Salomone, ita et sapi-
Is. xi, 2. entior eo fuit, loquendo de sapientia quæ
est unum de septem donis. Loquendo au-
tem de sapientia et scientia, ut sunt dona
gratiæ gratis datæ, et de cognitione natu-
ralium rerum, Salomon sapientissimus fuit
in populo. Potuit quoque istam suam ex-
cellentiam sine peccato attendere ac fate-
ri, dummodo eam Deo attribuit, quoniam
ex revelatione divina scivit se eam habe-
re. Sic namque et David grata ac humili
I *Par.* xvii, 17. mente dixit ad Dominum : Fecisti me spe- B
ctabilem præ omnibus hominibus. Apo-
Rom. viii, 23. stolus quoque : Nos ipsi, inquit, primitias
Spiritus habentes.

*Et mens mea contemplata est multa sa-
pienter* de Deo et creaturis, et de Christi
mysteriis, *et didici :* quia ex infusa sa-
pientia profecit, et scientiam acquisivit
17 majorem. *Dedique cor meum,* id est, in-
tellectum applicui, rogando Deum pro sa-
pientia infundenda, vel investigando quæ-
dam ignota, *ut scirem prudentiam,* quæ
est recta ratio agibilium, et docet quid et C
qualiter sit agendum, quid item vitandum,
atque doctrinam moralem, seu legis divi-
næ notitiam, *erroresque et stultitiam,* id
est, errores veritati contrarios, et stulti-
tiam sapientiæ oppositam, volui scire, ad
vitandum et reprobandum eos, qui nisi
agnoscantur, non evitantur. Eadem tamen,
secundum Philosophum, est scientia con-
trariorum. *Et agnovi* per experientiam in
me ipso, *quod in his quoque esset labor, et
afflictio spiritus.* Laboriosum enim est ita
studere atque proficere, quia (ut ait Philo- D
sophus) ars et virtus sunt circa difficilia.
Per hoc quoque, quod homo acquirit pru-
dentiam et doctrinam, agnoscit sui ipsius
errores præteritos et excessus : ex quibus
afflictionem, contritionem, tristitiam con-
cipit, et pro suis vitiis se affligit.

Eo quod in multa sapientia, multa sit 18
indignatio : id est, quanto quis amplius
crescit in sapientia vera et salutari, tanto
plus contra vitia indignatur, et eis subja-
cere abominatur, quia vilissimum et sum-
me nocivum est subjici eis. *Et qui addit
scientiam,* id est, qui crescit in morali
doctrina, *addit et dolorem :* quia ex ea ad
mœrorem de suis peccatis inducitur, et
mala proximorum ac mundi miserias agno-
scendo, auget sibi dolorem et compassio-
nem, fletum atque tristitiam. Iterum, Qui
addit scientiam, addit et dolorem, id est,
damnationem sibi adauget, nisi juxta sci-
entiam suam vivat, sicut in Evangelio lo-
quitur Christus : Servus qui cognovit vo- *Luc.* xii, 47.
luntatem domini sui, et non præparavit, et
non fecit secundum voluntatem ejus, pla-
gis vapulabit multis. Præterea sapientia et
scientia acquisitæ, frequenter inflant ha-
bentem : sicque faciunt eum pronum ad
indignandum his, qui aliter agunt quam
sibi placet. Quia vult reputari et honora-
ri, idcirco indignatur eis, a quibus putat
se parvi pendi. Unde ex indignatione ac
impatientia incurrit dolorem, id est af-
flictionem interiorem, et anxietatem dis-
plicentiamque turbantem. Quibus miseriis
careret, si esset humilis ac patiens, et sa-
pientiam quæ donum est, possideret : quia,
ut apostolus Jacobus testatur, Quæ desur- *Jacob.* iii, 17.
sum est sapientia, primum quidem pudica
est, deinde pacifica et modesta. Postremo,
in multa sapientia, multa est indignatio :
quoniam his qui multum eruditi sunt,
Deus gravissime indignatur, si prave et
inexemplariter conversentur.

Digitized by Google

ARTICULUS II

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : DIXI ERGO IN CORDE MEO, ETC.

HIC multipliciter Salomon docet, non
felicitatem, sed vanitatem, in corpo-
ralibus bonis ac deliciis carnis consiste-
re. Itaque in persona hominis carnalis im-
1 peritique loquens, subdit : *Dixi ergo in*
corde meo, id est, ex quo inveni, in sapi-
entia atque scientia esse indignationem et
dolorem, non quietem et sufficientiam ac
salutem. Nam et scientia hujus vitæ, est
modica : et quanto quis in scientia profi-
cit, tanto clarius cernit quantum a perfe-
cta omnium rerum scientia distet. Propter
quod dolet quod ad plenitudinem scien-
tiæ nequit pertingere. Ideo dixi intra me :
Vadam, id est, ab occupatione circa pro-
fectum sapientiæ et scientiæ abiens, per-
gam ad objecta carnalium deliciarum, *et*
affluam, id est, abundanter vacabo, *deliciis*
gulæ et luxus, *et fruar bonis* exterioribus,
illis finaliter inhærendo. Nam fine frui-
mur, mediis utimur. *Et vidi,* id est, faci-
liter celeriterque pensavi, *quod hoc quoque*
esset vanitas, id est impium et brutale,
avertens mentem a Deo, et eam infimis
rebus omnino immergens.
2 *Risum reputavi errorem,* id est, erro-
neum judicavi inordinato risui et ineptis
ac dissolutis lætitiis locum dare; *et gau-*
dio dixi : Quid frustra deciperis? id est,
delectationem carnalem illicitam reproba-
vi, eo quod fallax sit, et ad perpetuum
trahat mœrorem. Quum enim simus in
sæculo isto tanquam in exsilio et loco pe-
regrinationis, valleque lacrimarum, ubi ac-
tibus pœnitentiæ vacare oportet, non est
hic locus aut tempus risuum et jocorum,
sive inanium gaudiorum ; sed implere
oportet quod per Joelem Dominus exhor-
Joel II, 12. tatur, Convertimini ad me in toto corde
vestro, in jejunio, et fletu, et planctu. Ad
A Corinthios quoque scribens Paulus, docet
et monet : In omnibus, inquiens, exhibea- II *Cor.* VI,
mus nosmetipsos sicut Dei ministros, in 4-7.
multa patientia, in tribulationibus, in an-
gustiis, in necessitatibus, in plagis, in
carceribus, in seditionibus, in laboribus,
in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in sci-
entia, in longanimitate, in suavitate, in
Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in
verbo veritatis, in virtute Dei, per arma
justitiæ a dextris et a sinistris. Hinc lo-
quitur Jeremias : Usquequo deliciis dis- *Jer.* XXXI,
B solveris, filia vaga? Atque in Evangelio 22.
Veritas : Væ vobis qui ridetis nunc, quia *Luc.* VI, 25.
plorabitis et flebitis. Ideo scriptum est :
Agite nunc, divites, plorate ululantes in *Jacob.* V, 1.
miseriis quæ advenient vobis.
Cogitavi in corde meo, abstrahere a vino, 3
id est ab omni potu inebriativo et delicio-
so, inflammativo et calido abstrahere, *car-*
nem meam, ut animum, id est intellectum
meum transferrem ad sapientiam : ad
quam obtinendam tanto aptior fit anima,
quanto corpus a delectationibus carnali-
C bus amplius elongatur. Qui enim amat vi- *Prov.* XXI,
num et pinguia, non erit sapiens. Unde in 17.
Job habetur : Sapientia non invenitur in *Job* XXVIII,
terra suaviter viventium. Isaias quoque 13.
inducit : Quem, inquit, docebit Dominus *Is.* XXVIII, 9.
scientiam? et quem intelligere faciet au-
ditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab ube-
ribus. *Devitaremque stultitiam,* id est insi-
pientiam et peccata, præsertim vitia carnis,
in quibus ratio totaliter absorbetur, *donec*
viderem, id est, vere cognoscerem, *quid*
esset utile filiis hominum ad obtinendum
D veram salutem, *quo facto opus est sub so-*
le, id est, quibus operibus necesse sit ho-
minem in hac vita esse intentum, si de-
beat salvari, *numero dierum vitæ suæ,* id

Digitized by Google

est, si durante hac vita, in qua sola est
tempus merendi ac demerendi, velit bea-
titudinem promereri. Et ut tandem per
experientiam devenirem ad certam verita-
tis notitiam, feci quod subditur.
4 *Magnificavi opera mea,* id est, per ma-
num et industriam artificum jussi mihi
fieri diversa opera magnæ excellentiæ.
De quibus subjungitur : *Ædificavi mihi*
III *Reg.* vi; vii, 1-8. *domos.* Ædificavit etenim pulcherrimum
templum, pretiosissimum palatium, et do-
mum Saltus Libani, prout tertio Regum
scribitur. *Et plantavi vineas* in monti-
5 bus; *feci hortos et pomaria, et consevi,* id
est complantavi, *ea cuncti generis arbori-
bus,* quæ apud nos poterant inveniri, et
dignæ apparuerunt in regalibus pomariis
6 stare. *Exstruxi mihi piscinas aquarum,
ut irrigarem silvam lignorum germinan-
7 tium. Possedi servos et ancillas, multam-
que familiam habui; armenta quoque et
magnos ovium greges, ultra omnes qui
8 fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi
mihi argentum et aurum, et substantias
regum et provinciarum.* Textus iste histo-
ricus est, et planus.

Feci mihi, id est procuravi, *cantores
et cantatrices,* ut per melodiam et cantus
dulcedinem mulceretur auditus, *et deli-
cias filiorum hominum,* id est objecta de-
lectationum omnium sensuum exteriorum,
in quibus major pars hominum quærit
resolvi ac deliciari : qui magis vocandi
sunt filii hominum, quam filii Dei, sicut
Gen. vi, 2, 4. in Genesi legitur de filiis Dei, filiabusque
hominum. De talibus enim hominibus ait
Ps. lii, 6. Propheta : Deus dissipavit ossa eorum qui
Galat. i, 10. hominibus placent; et Paulus, Si adhuc
hominibus placerem, Christi servus non
essem. Porro de filiis Dei, id est virtuosis
I *Cor.* x, 33. hominibus, ait : Ego per omnia omnibus
placeo. *Scyphos et urceolos in ministerio
9 ad vina fundenda. Et supergressus sum
opibus omnes qui ante me fuerunt in Je-
rusalem. Sapientia quoque perseveravit
mecum.* Mirum quomodo inter tot carnali-
tates et vanitates ac curiositates, sapien-
tia manserit secum. Sed certum, quod

A quam cito in mortalia corruit vitia, sapientiam quæ est donum, amiserit : quoniam sapientia illa non potest esse informis, nec sine caritate habetur. Sapientia autem informis, quæ est donum gratiæ gratis datæ, potuit secum perseverare. Sicut et nunc sunt multi theologi et juristæ, non mediocriter docti et prompti in allegando Scripturas et documenta patrum ac jura, qui tamen sunt detestabilis vitæ.

Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, 10
id est, ad quorum concupiscentiam incita-
B bar per visum, *non negavi eis; nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his quæ præparaveram.* Et certissime hoc pessimum fuit, tam irrefrenate vacare libidini : et tamen fecit hoc infatuatissimus ac libidinosissimus iste, totus detestabilis factus. Propter quod justo Dei judicio permissus est cadere in idololatriæ scelera. Sed pla- III *Reg.* xi, 4-8.
ne non sine grandi causa, permisit omnipotens Deus hominum gubernator, tantæ sapientiæ virum cadere tam extreme, sed
C ut omnes nos, agnoscentes virum illum sapientissimum taliter corruisse, jugiter timorati atque solliciti simus coram Al- *Mich.* vi, 8.
tissimo, nec in sua quisquam præsumat scientia, nec sine propriæ fragilitatis consideratione præsumat alios informare, hortari, corripere. *Et hanc ratus sum partem meam,* id est, istud reputavi præcipuum bonum meum, *si uterer labore meo,* id est, structuris, culturis, et objectis ceteris deliciarum mearum ad libitum uterer : quod est frui eisdem.

D *Quumque me convertissem ad universa* 11
opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores in quibus frustra sudaveram, id est, quum prædicta facta mea et usum ac fruitionem eorum acutius considerassem, *vidi in omnibus vanitatem,* id est deceptionem, iniquitatem, inquietudinem, *et afflictionem animi.* Nam quamvis ad horam delectent, tamen delectatione expleta, sequuntur multa et magna incommoda, pœnitudo et remorsus, damna, diffamia, hebetudo, dyscrasia, et reatus mortis æternæ, amissio

Digitized by Google

summi boni, spoliatio gratiæ, dominium
principis tenebrarum, jugumque vitiorum.
Et nihil permanere sub sole. Præcedenti
Eccle. I, 4. dixit capitulo : Terra in æternum stat. Terra
autem sub sole est. Quomodo ergo nunc
ait, nihil permanere sub sole? Sub sole
quoque sunt, non solum ignis, aer, aqua,
tria elementa perpetua, sed et luna cum
sphæra sua, quam Aristoteles posuit proximam
sphæræ solis; imo et Venus atque
Mercurius, secundum Ptolemæum, qui solem
asserit esse in medio planetarum :
quod tenetur communius, et creditur verius.
Quum itaque cœlestia corpora incorruptibilia
sint, quomodo nihil manet sub
sole? Respondendum, quod sub sole dicitur
nil manere, quia contenta sub sole
subjacent mutationi secundum locum et
situm, aut secundum formam et esse, sive
pro parte sua, sive secundum se tota. Et
quamvis quædam cœlestia corpora sint sub
sole, proprie tamen dicuntur esse sub sole,
quæ subjacent influentiæ solis, recipiendo
peregrinas impressiones, et quantum ad
generationem et corruptionem.
12 His ergo relictis, *transivi,* id est, mentem
erexi, *ad contemplandam sapientiam,*
id est ad considerandum dignitatem ipsius,
ut eam amplecterer, *erroresque et stultitiam,*
ut eos vitarem ac reprobarem. *Quid
est, inquam, homo, ut sequi possit Regem
factorem suum?* id est, quum homo sit
carnalis, mortalis ac fragilis creatura, non
I *Tim.* I, 17. videtur quod valeat suo Creatori regi sæculorum
immortali, invisibili, adhærere,
servire, assimilari. Istud loquitur Ecclesiastes
in persona quorumdam, dicentium hominem
(quum sit mortalis et corporalis)
non debere nisi corporalia atque mortalia
quærere, juxta illud : Quum sis mortalis,
quæ sunt mortalia cura. Cujus erroris princeps
fuit Simonides : quem in Ethicis Aristoteles
reprobat, eo quod nobilior pars
hominis, scilicet intellectus, sit immortalis,
divinus, immaterialis. Ideo homo debet
summe exquirere divinorum notitiam et
amorem. Et quamvis non possit suo Creatori
per æqualitatem assimilari, sicut ipse

A per Isaiam testatur, dicens, Cui assimilastis *Is.* XL, 25.
me, et adæquastis me? et rursus : Cui *Ibid.* 18.
similem fecistis Deum? aut quam imaginem
ponetis ei? nihilo minus tamen potest
ei (auxiliante gratia) finaliter adhærere, reverenter
servire, per contemplationem et
dilectionem imitative assimilari, tanquam
ad imaginem et similitudinem Dei factus.
Unde in Timæo asserit Plato, quod nobis
est cum diis consortium quoddam divinitatis,
et parilitas nominis. In Phædone
quoque testatur : Divino, immortali, et
B semper eodem modo se habenti enti, similis
est anima.
Et vidi quod tantum præcederet sapientia 13
stultitiam, quantum differt lux a tenebris :
id est, intellexi quod sapientia
tantum, imo et plus, præstantior est ignorantia
et errore, quantum lux caligine. Inter
quæ tantum interest, ut dicat Apostolus :
Quæ conventio luci ad tenebras? Ideo II *Cor.* VI, 14.
sapientium est, oculos cordis semper ad
lucem veritatis, et ad virtutum splendorem
attollere; stultorum vero, in tenebris vitio-
C rum et falsitatis caligine volutari.
Hinc sequitur : *Sapientis oculi in capite* 14
ejus : quia exteriores oculos suos elevat ad
cœlestia intuenda, quatenus ex illorum intuitu,
ad Creatoris contemplationem, ejus
interiores oculi erigantur, juxta quod in
Isaia legitur : Levate in excelsum oculos *Is.* XL, 26.
vestros, et videte quis creavit hæc. Vel,
interiores oculi sapientis sunt in capite, id
est in corde ipsius, hoc est in parte intellectiva,
in qua sunt tres superiores animæ
vires, in quibus superbenedictæ Trinitatis
D imago relucet : quæ vacant divinis. Rursus,
Sapientis oculi sunt in capite ejus, id
est in Christo, qui est caput cunctorum
fidelium : in quo sapientes interiores oculos
suos defigunt, juxta illud Psalmi, Ocu- *Ps.* XXIV, 15.
li mei semper ad Dominum. *Stultus in
tenebris ambulat,* id est, per devia vitiorum,
ignorantias et errores graditur ad infernum.
Unde in libro Proverbiorum habetur :
Justorum semita quasi lux splendens, *Prov.* IV, 18, 19.
procedit et crescit usque ad perfectam
diem; via autem impiorum tenebrosa, ne-

Digitized by Google

sciunt ubi corruunt. *Et didici quod unus*
utriusque esset interitus. Quum præfatam
sapientiæ eminentiam consideravi, occurrit
mihi quod eodem modo mori et deficere
videtur sapiens atque insipiens : quia in
morte sapientis non videtur spiritus rema-
nens magis, quam in morte insipientis; et
interdum eodem periclitantur naufragio,
eodem involvuntur incendio, aut uno gla-
dio feriuntur.
15 *Et dixi in corde meo,* in persona homi-
nis imperiti carnalis : *Si unus et stulti et*
meus, qui sapiens sum, *occasus,* id est in-
teritus, seu finis, *erit : quid mihi prodest,*
quod majorem sapientiæ dedi operam,
quam stultus? quum neuter nostrum habi-
turus sit præmium post hanc vitam, anima
exsistente mortali, ut æstimant imperiti.
Locutusque cum mente mea, id est intra
me conferens, *animadverti quod hoc quo-*
que, scilicet ita sentire, *esset vanitas,* id
16 est pessimus error. *Non enim erit memo-*
ria sapientis similiter ut stulti in perpe-
tuum : id est, diversa erit recordatio de
ambobus, non conformis, quoniam sapiens
Sap. iv, 7. in refrigerio et beatitudine erit, stultus in
damnatione æterna. Aliqui vero exponunt
sic : Animadverti quod hoc quoque, scili-
cet majorem sapientiæ operam dare, esset
vanitas : loquendo in persona carnalis.
Non enim erit memoria sapientis similiter
ut stulti : id est, amborum memoria simili
modo peribit. *Et futura tempora oblivione*
cuncta pariter operient : id est, tandem
in futuris temporibus oblivioni tradentur
cuncta quæ interim fiunt, ita quod erunt
sicut quæ in tenebris penitus latent. *Mo-*
ritur doctus similiter ut indoctus. Nam,
quantum ad corpus, non videtur differen-
tia mortis, nec animæ patet egressus. Imo
sapientes, docti et justi, interdum violenta
morte decedunt et horribiliori quam in-
docti et vitiosi.
17 *Et idcirco tæduit me vitæ meæ,* propter
tot mala vitæ huic annexa : me, inquam,
videntem mala universa esse sub sole, id est
vana atque aliquid mali pœnæ vel culpæ
admixtum habentia. Quamvis enim vita

A sit appetibilis per se, tamen propter adver-
sitates et pravitates annexas potest in tæ-
dium verti. Propter quod dixit Elias : Suf- III Reg. xix,
ficit mihi, Domine; tolle (quæso) animam 4.
meam. Job quoque : Solvat Deus manum Job vi, 9
suam, et succidat me. Atque Apostolus :
Supra modum, ait, gravati sumus supra II Cor. i, 8
virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.
Et cuncta vanitatem et afflictionem spiri-
tus, id est aliquo modo afflictiva cordis,
juxta expositionem inductam. Unde oravit
Psalmista : Educ de custodia, id est de Ps. cxli, 8
B carcere, animam meam, ad confitendum
nomini tuo; et Paulus, Infelix ego homo! Rom. vii, 24
quis me liberabit de corpore mortis hu-
jus? Hinc dixit et Jonas : Melius est mihi Jonæ iv, 3
mori, quam vivere.
Consequenter ponit unum miserabile
malum, quod multis contingit parentibus.
Rursus detestatus sum, id est, miseram 18
reputavi, *omnem industriam,* id est pru-
dentiam *meam,* quam habui in congregan-
do opes terrenas, *qua sub sole studiosis-*
sime laboravi pro acquirendis divitiis,
C *habiturus heredem post me, quem ignoro,* id 19
est, de quo nescio, *utrum sapiens an stul-*
tus futurus sit, id est, quod horum duo-
rum ei conveniet; *et dominabitur in la-*
boribus meis, quibus sudavi et sollicitus
fui, id est in divitiis meis, a me laboriose
adeptis. *Et est quidquam tam vanum?*
quasi dicat : Istud est valde inane ac do-
lorosum. Istud quoque accidit Salomoni,
cujus successor et heres Roboam, rudis et III Reg. xiv,
stultus fuit, et a rege Ægypti pro parte 21, 25, 26.
depauperatus, ut legitur tertio Regum.
D *Unde cessavi* a tali divitiarum collectio- 20
ne, *renuntiavitque cor meum ultra labo-*
rare sub sole pro opibus congregandis, eo
quod filii parentum taliter thesaurizan-
tium et congregantium, bona a parentibus
congregata, male consumunt, quia facili-
ter ad manus suas deveniunt, prout dictum
est plenius super illud Proverbiorum :
Substantia festinata minuetur; quæ autem Prov. xiii,
paulatim colligitur manu, multiplicabitur. 11.
Nam quum alius, id est alter aliquis, *la-* 21
boret in sapientia et doctrina, ut scilicet

Digitized by Google

sapiens sit et doctus, *et sollicitudine,* id A est in cura pro temporalibus rebus; *homini otioso quæsita dimittit,* id est, ea quæ ipse sollicite acquisivit, relinquit homini negligenti ac pigro, qui ea prodigaliter carnaliterque consumit. *Et hoc ergo vanitas est et magnum malum.* Vanitas est, quoniam caret fine intento a congregante, qui intendebat ea relinquere digno et sapienti successori, ac pro statu honesto per eum ducendo. Est etiam magnum malum, quia multum pœnale parenti, si eo vivente et sciente, heres suus sic devoret bona sibi a B patre collata. Quod si pater ista non sciat, nec vivat dum fiunt, tamen adhuc vivens, timendo de hoc, affligebatur. Successori vero taliter consumenti bona sibi relicta, istud est magnum malum culpabile.

22 *Quid enim proderit homini* cuicumque, id est, quam utilitatem consequitur homo quicumque avarus et tenax, *de universo labore suo,* quo pro divitiis laboravit, vel de ipsis divitiis laboriose collectis, *et afflictione,* id est sollicitudine et anxietate, *spiritus,* id est animæ suæ, *qua sub sole* C *cruciatus est* propter ista terrena, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore et tristitia amittuntur?
23 *Cuncti dies ejus doloribus et ærumnis,* id est miseris curis, malisque pœnæ et culpæ, *pleni sunt :* hoc est, ipsemet in diebus suis his calamitatibus adimpletur. Tempori enim adscribuntur ea, quæ fiunt Matth. VI, 34. in tempore, sicut ait Salvator : Sufficit Ibidem. diei malitia sua; et, Crastinus dies sollicitus erit sibi ipsi. *Nec per noctem mente requiescit :* quia in lecto corporaliter re- D quiescens, corde sollicitatur, ne furto quid perdat, et qualiter plura adipiscatur, aut pertinentia sibi disponat. Unde asserit Do- Marc. IV, 19. minus : Ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes, suffocant verbum Dei. *Et hoc,* scilicet per noctem non quiescere mente, et taliter propter temporalia cruciari, *nonne vanitas est?* quia a vera beatitudine impedit hominem.

24 *Nonne melius est comedere et bibere,* id est rebus concessis ad competentiam uti, *et ostendere animæ suæ bona de laboribus suis,* id est vitam suam reficere, et se ipsum consolari ex bonis sibi collatis, ita ut habens victum, et quibus tegatur, con- I Tim. VI, 8. tentus sit, et quiete vescatur? prout in Proverbiis dictum est : Divitias et pauper- Prov. XXX, 8. tatem ne dederis mihi, sed tribue tantum victui meo necessaria. Unde subjungitur : *Et hoc de manu Dei est :* id est, ita refici et contentari, est beneficium Dei, imo et donum gratiæ ejus, ac meritorius actus, si fiat ex caritate. *Quis ita vorabit,* id est, 25 tam abundantem præparationem ciborum habebit, *et deliciis affluet* in usu feminarum et virginum, *ut ego* Salomon? De cujus quotidianis cibariis et uxoribus et III Reg. IV, 22, 23; XI, 3; II Par. IX, 4. concubinis, tertio Regum et secundo Paralipomenon satis conscriptum est. Et tamen ego in talibus ita expertus, definio ac protestor, quod in ipsis non felicitas, sed vanitas sita est. Quasi dicat : Mihi in his expertissimo credendum est.

Ideo concludendo subjungit: *Homini bo-* 26 *no in conspectu suo,* id est homini vere virtuoso, *dedit Deus sapientiam,* id est sapidam divinorum notitiam, prout sapientia est donum, *et scientiam,* id est infusam notitiam de rebus creatis, quod in eis non sit finis ultimus constituendus : quæ scientia etiam donum est, et omnibus habentibus caritatem inest, sicut et cetera dona; *et lætitiam,* id est spiritualem consolationem, et gaudium in Spiritu Sancto, ita quod hilariter servit Deo. *Peccatori autem dedit afflictionem,* id est pœnales affectiones, ut sunt, timor, dolor, tristitia, conscientiæ quoque remorsus; *et curam superfluam* circa spiritualia, et terrena, et de vitandis periculis, seu vita productiori; *ut addat* terrena terrenis, *et congreget* ea in repositoriis suis, *et tradat ei qui placuit Deo,* id est, relinquat ea ita, quod (Deo sic ordinante) devolvantur in usum hominis justi, eis condigni, quamvis hoc fiat præter seu contra voluntatem et intentionem hominis cupidi, qui ea reliquit, atque ad usum alium ordinavit. Quemadmodum

Digitized by Google

Josue xiii-xxi. bona Chananæorum devenerunt in usum
I Reg. xxv, 42. filiorum Israel, et opes Nabal, in usum
David. *Sed et hoc vanitas est, et cassa sollicitudo mentis,* videlicet tam sollicite congregare divitias, nec uti eisdem, sed relinquere eas his quibus non favet, neque cognovit. Itaque homini virtuoso dat Dominus consolationem internam, sicut testatur hoc ipsum expertus : Secundum Ps. xciii, 19.
multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam; et alius, Sicut abundant pas- II Cor. i, 5.
siones Christi in nobis, ita et per Christum abundat consolatio nostra.

ARTICULUS III

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : OMNIA TEMPUS HABENT.

RURSUS hic docet ex fluctuatione omnium inferiorum, non esse veram
1 mentis quietem in eis. *Omnia tempus habent,* id est, universa ad regionem activorum et passivorum pertinentia, et sub cœlestibus sphæris contenta, tempori sunt subjecta, et tempus habent suæ durationis : quia et elementa pro parte alterantur et corrumpuntur ad invicem, durante statu sæculi hujus. *Et suis spatiis,* id est periodis, locis ac durationum mensuris, *transeunt,* id est, subsistunt, moventur, ac defluunt, *universa sub cœlo,* id est contenta sub orbe cœlesti.
2 *Tempus nascendi :* id est, a Creatore et institutore naturæ ordinatum atque præfixum est, intra quantum tempus, corpus rei generandæ formetur ac disponatur ad suæ formæ substantialis susceptionem : quam accipiendo generatur, saltem in utero seu occulte; quoniam generatio, est productio rei in esse simpliciter, hoc est in esse substantiali specifico. Et quando res talis erumpit in lucem, dicitur generatio ex utero, seu aperta, quæ est potius manifestatio generationis præcedentis, quam generatio proprie dicta. *Et tempus moriendi,* quando complexio prorsus corrumpitur, et naturalis deficit calor. Constituta est autem rebus certa periodus, id est mensura durationis ac vitæ inter nativitatem et mortem : quæ periodus in diversis multipliciter variatur, sive ex naturalibus causis, juxta complexionum varietatem, sive ex dispositione providentiæ Creatoris, qui juxta moderamen suæ sapientiæ infinitæ, in diversis hominibus diversimode misericordiam ac justitiam suam declarat. Hinc sanctus Job loquitur Deo : Constituisti terminos ejus, qui præ- Job xiv, 5.
teriri non poterunt.

Tempus plantandi herbas ac arbores : quod in vere fieri solet; *et tempus evellendi quod plantatum est. Tempus occi-* 3
dendi reos, secundum juris tenorem, seu adversarios, præsertim incredulos, in justo et publico bello; *et tempus sanandi* eos qui vulnerati effugerint, veniamque petierint, et ex rationabili causa sunt reservandi in vita. *Tempus destruendi* adversariorum fortalitia, seu ædificia valde collapsa; *et tempus ædificandi. Tempus* 4
flendi propter propria vel aliorum peccata, damna, aut funera; *et tempus ridendi :* quia interdum oportet uti moderato solatio, et in actibus virtuosis gaudendum est. Hinc ait Apostolus : Flere cum flenti- Rom. xii, 15.
bus, et ridere cum ridentibus. Christus quoque : Beati, inquit, qui nunc fletis, Luc. vi, 21.
quia ridebitis. Est enim aliquis bonus risus, de quo in libro Job scriptum est : Donec impleatur risu os tuum, et labia Job viii, 21.
tua jubilo. *Tempus plangendi* propter temporalia mala; *et tempus saltandi* ex ple-

Digitized by Google

II Reg. vi, 14. nitudine devotionis, sicut David ante arcam Dei saltavit. Unde et Malachias fert : Malach. iv, 2. Salietis quasi vituli de armento. In nuptiis quoque solet saltatio seu chorizatio moderata admitti. Verum in chorizatione, medium raro aut nunquam servatur, et plurima mala se miscent ei communiter. Propter quod ait Chrysostomus : Non dedit nobis natura pedes, ut saltemus cum camelis, sed ut faciamus chorum cum angelis.

5 *Tempus spargendi lapides* in justa destructione castrorum, civitatum, domorum; *et tempus colligendi* lapides, ad reædificandum destructa, vel ad alia construenda, quemadmodum tertio Regum narratur III Reg. xv, 22. de Asa rege, qui misit in omnem Judam, dicens : Nemo sit excusatus, quin scilicet veniat ad destruendum constructa a Baasa Ibidem. rege Israel : ex quibus Asa construxit tunc alia. *Tempus amplexandi,* desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, vel ad reddendum debitum carnis, sive ad vitandum malum fornicationis in compare, sic-I Cor. vii, 3. ut ait Apostolus : Uxori vir debitum red-Ibid. 5. dat, similiter uxor viro; itemque, Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi. Hinc additur : *et tempus longe fieri ab amplexibus,* scilicet tempore sacro, et tempore pœnitentiæ deputato, ac tempore communionis, et quando imprægnata est mulier, aut menstrua patitur, et dum in puerperio manet, ac tempore senectutis. Unde in Genesi loquitur Gen. xviii, 12. Sara : Postquam consenui, et dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? quasi dicat : Non decet. Ideo super Lucam scribit Ambrosius, quod tempus carnalis commixtionis inter conjugatos est modicum. Tamen (ut super quartum Sententiarum declarat Thomas) in quolibet casu et tempore jam præfato, ab amplexibus abstinere, non est conjugatis præceptum : quia conjugium non solum est officium naturæ, sed et remedium culpæ. Denique tempore generalis tribulationis, non est vacandum venereis. Ideo (secundum doctores catholicos et Hebræos) Noe et filii ejus, imo et animalia bruta, in arca continuerunt.

Tempus acquirendi lucrum, per mer- 6
cantias seu patrimonium aut debita ; *et*
tempus perdendi acquisita. *Tempus custo-*
diendi, scilicet imminente periculo ; *et*
tempus abjiciendi talem custodiam, quan-
do pax est. *Tempus scindendi* pannos la- 7
neos aut lineos, ad faciendum ex eis ve-
stes; *et tempus consuendi* scissa. *Tempus*
tacendi, quando scilicet non expedit lo-
qui; *et tempus loquendi,* dum causa ratio-
nabilis id requirit. *Tempus dilectionis* spi- 8
ritualis; *et tempus odii* inimicorum, non
in quantum sunt homines, sed in quantum
iniqui, ut diligatur persona, odiaturque
culpa. *Tempus belli* juste excitandi ; *et*
tempus pacis componendæ.

Porro (ut refert Albinus) Hebræi totum hunc locum exponunt de populo Israel. Cui fuit tempus nascendi, in Patriarchis, et tempus moriendi, sub Vespasiano et Tito. Tempus plantandi patres eorum in terra promissionis sub Josue; tempus evellendi eos de terra illa, quando ducti sunt in captivitatem a Chaldæis atque Romanis. Tempus occidendi eos in Ægypto; et tempus liberandi ex Ægypto. Tempus destruendi, sub Nabuchodonosor rege ; et tempus ædificandi, sub Cyro ac Dario. Tempus plangendi eversionem templi; et tempus ridendi, atque saltandi, quando reversi sunt sub Zorobabel, Esdra, et Nehemia. Tempus amplexandi, quando cœlesti cingebantur auxilio ; tempus longe fieri ab amplexibus, dum pro peccatis suis, a Deo relicti sunt. Tempus acquirendi eos undique perditos et dispersos; tempus perdendi eos, quando a Romanis vastati sunt. Tempus custodiendi legalia præcepta; tempus abjiciendi laciniosæ legis mandata. Tempus scindendi, quando in duo divisa sunt regna sub Roboam ; III Reg. xii, 19. tempus consuendi, tempore Machabæorum. Tempus tacendi Prophetas nunc in captivitate Romana; tempus loquendi Apostolos. Tempus dilectionis, quo Dominus eos dilexit sub patribus; tempus odii, quando

Matth. xxvi, 50. Christo injecerunt manus sacrilegas. Tem-
pus belli, eis jam pœnitentiam non agen-
tibus; et tempus pacis, in futuro, quando
Rom. xi, 25, 26. intraverit gentium plenitudo, sicque om-
nis Israel salvus erit.

Præterea possunt hæc spiritualius altius-
1 que intelligi. *Omnia tempus habent :* quia
unusquisque homo habet tempus merendi
ac demerendi; *et suis spatiis transeunt :*
quia a sæculo atque exsilio isto, tanquam
a termino a quo, tendunt ad regnum cœ-
leste, purgatorium, vel infernum, aut lim-
2 bum. *Tempus nascendi :* quia dum homo
caritatem et gratiam gratificantem susci-
pit in Baptismo, confessione aut contritio-
ne, spiritualiter generatur; *et tempus mo-
riendi,* dum peccat mortaliter. Est etiam
tempus moriendi pro fide atque justitia.
Is. xxvi, 17, 18. Hinc asserit Isaias, dicens : A facie tua,
Domine, concepimus, et quasi parturivi-
mus, et peperimus spiritum salutis. Et
Luc. xii, 4. Dominus in Evangelio : Ne terreamini, in-
quit, ab his qui corpus occidunt.

Tempus plantandi gratiam in cordibus
hominum, et instituendi congregationem
devotam, aut novam religionem. Unde et
Matth. xv, 13. Veritas protestatur: Omnis plantatio quam
non plantavit Pater meus cœlestis, eradi-
cabitur. *Et tempus evellendi quod planta-
tum est,* dum exigentibus suis excessibus,
3 perit quævis religio. *Tempus occidendi :*
Deut. xxxii, 39. sicut in Deuteronomio Dominus dixit, Ego
occidam, et ego vivere faciam. Occidit Do-
minus, dum gratiam subtrahit justo ju-
dicio. Salubriter quoque occidit, dum in
homine privatum amorem prorsus exstin-
Galat. ii, 20. guit, ita ut dicere possit : Vivo jam non
ego. Unde Colossensibus scripsit Aposto-
Coloss. iii, 3. lus : Mortui enim estis, et vita vestra cum
Christo abscondita est in Deo. *Et tem-
pus sanandi* vulnera animæ, per sacra-
mentorum et gratiarum remedia. Propter
Job v, 17, 18. quod in Job dicitur : Increpationem Do-
mini ne reprobes : quoniam ipse vulne-
rat, et medetur; percutit, et manus ejus
sanabunt.

Tempus destruendi, et tempus ædifican-
A *di :* quia primo oportet in se ipso peccata
destruere, et sic virtutum machinam in
mente construere, ut proximos verbo et
opere valeat ædificare. Ideo ait Psalmista:
Declina a malo, et fac bonum. Et Jeremiæ *Ps.* xxxvi, 27.
Dominus ait : Ecce constitui te ut evel- *Jer.* i, 10.
las, et destruas, et ædifices, et plantes.
Tempus flendi, in via, et valle hac lacri- 4
marum, et dum Christi passio prædicatur,
aut contra vitia sermocinatur; *et tempus
ridendi,* in patria, et ex consolatione di-
vina. Imo et jubilandum in psalmodia, ne
B evangelicum illud improperetur nobis :
Lamentavimus vobis, et non planxistis; *Matth.* xi, 17.
cecinimus vobis, et non saltastis.

Tempus spargendi lapides : quia quan- 5
doque oportet homines duros hinc inde
dispergere, et pravam eorum societatem
ac colligationem dirumpere; duras quoque
cogitationes, et protervarum connexionem
imaginationum dissolvere. *Et tempus col-
ligendi :* quoniam laborandum est ut per
caritatem reuniantur, qui corporaliter sunt
divisi. Pravas etiam cogitationes et abje-
C ctas necesse est ad memoriam revocare, ut
in confessione prodantur. *Tempus ample-
xandi* Sponsum cœlestem brachiis carita-
tis, per exercitia vitæ contemplativæ; *et
tempus longe fieri ab amplexibus,* vacan-
do dolori pœnitentiæ, et exercitiis vitæ
activæ, ac necessariis corpori. *Tempus ac-* 6
quirendi gratiam ac virtutes, et spiritua-
lem profectum, vitamque beatam; *et tem-
pus perdendi* temporalia propter spiritualia
et æterna, imo se ipsum per mortificati-
onem et abnegationem sui ipsius, sicut in
D Evangelio ait Salvator : Qui perdiderit *Ibid.* x, 39.
animam suam propter me, inveniet eam.
Tempus custodiendi se ipsum a culpa,
juxta illud : Omni custodia custodi cor *Prov.* iv, 23.
tuum; *et tempus abjiciendi* talem custo-
diam, dum fuerit homo confirmatus in
bono, et securus ab omni periculo : quod
erit in patria. *Tempus scindendi* duritiam 7
cordis, ut aperiatur verbo Dei, et ad pœ-
nitentiam emolliatur, juxta illud Joelis :
Scindite corda vestra, et non vestimenta *Joel* ii, 13.
vestra; *et tempus consuendi,* id est facien-

Digitized by Google

di sermonem ex auctoritatibus Scriptura- A
rum atque doctorum.
Tempus tacendi, et tempus loquendi.
Quocirca ait Hieronymus : Post multum
tempus, de discipulis efficiamur magistri.
Porro Seneca in suis ait Proverbiis : Locu-
tum me aliquando pœnituit; tacuisse, nun-
8 quam. *Tempus dilectionis* Dei et proximo-
rum; *et tempus odii* vitiorum et eorum
qui nobis in via Dei obsistunt, secundum
Ps. cxxxviii, 22. quod tales : juxta quod scriptum est, Per-
fecto odio oderam illos. Unde et Christus :
Luc. xiv, 26. Si quis (inquit) venit ad me, et non odit B
patrem suum et matrem, non potest meus
esse discipulus. Rursus, tempus odii sui
Ibidem. ipsius, sicut subjunxit : Adhuc autem et
animam suam. Ideo et in Evangelio Joan-
Joann. xii, 25. nis loquitur, dicens : Qui odit animam
suam in hoc mundo, in vitam æternam
custodit eam. Hoc odium est, iniquitatem
odire, pravam inclinationem reprimere,
debitam pro peccatis castigationem assu-
mere. *Tempus belli,* contra invisibiles ho-
stes ac aciem vitiorum. Ideo hortatur Apo-
Ephes. vi, 13. stolus : Accipite armaturam Dei, ut possitis C
resistere in die mala, et in omnibus per-
fecti stare. Nempe, ut sanctus Job fassus
Job vii, 1. est, Militia est vita hominis super terram.
Matth. xi, 12. Christus quoque in Evangelio : Regnum,
inquit, cœlorum vim patitur, et violenti
rapiunt illud. Hinc Seneca loquitur : Pa-
cem habeto cum hominibus, bellum cum
vitiis. *Et tempus pacis* internæ cum Deo,
pacis quoque temporalis cum proximis,
Rom. xii, 18. sicut ad Romanos legitur : Si fieri potest,
quod ex vobis est, cum omnibus homini-
bus pacem habentes. Quod si alii noluerint D
concordes et pacifici esse nobiscum, nos
tamen tranquillitatem servemus in Deo.
Hinc Seneca docet : Id age, ne quis merito
tuo te oderit.

9 *Quid habet amplius homo de labore*
suo, nisi aliquid prædictorum? quasi di-
cat : Stabilitatem non habet, neque salu-
10 tem in vita præsenti. *Vidi afflictionem,* id
est laboriosam exercitationem circa stu-
dium litterarium, *quam dedit Deus* per-
missive aut effective, *filiis hominum, ut*
distendantur, id est, diversimode exten-
dantur et occupentur, *in ea :* quatenus per
hanc etiam a gravioribus vitiis et nimiis
carnalitatibus retrahantur, periculosisque
otiis careant, quamvis in ea ad salutem
parum aut nihil proficiant.
Cuncta fecit Deus *bona in tempore suo,* 11
id est, dum ea produxit, sive in principio
mundi, seu postea. Unde in Genesi sæpe
dicitur : Vidit Deus quod esset bonum. Om- Gen. i, 10, 12, 18, 21, 25.
ne enim creatum, aliquid increatæ boni-
tatis participat. Ideo ad Timotheum dicit
Apostolus : Omnis creatura Dei bona. Vel I Tim. iv, 4.
ideo ait, In tempore suo, quoniam quam-
vis quædam nociva sint homini, eis im-
portune utenti, tamen si tempore suo, id
est opportuno, eis utatur, bona sunt ei. *Et*
mundum tradidit disputationi eorum : id
est, creaturas et ordinem universi expo-
suit Creator considerationi disputationi-
que hominum; *ut non inveniat homo opus,*
quod operatus est Deus, id est, nullam
creaturam possit perfecte et plene cogno-
scere, sicut dictum est supra : Cunctæ res Eccle. i, 8.
difficiles; non potest eas homo explicare
sermone. Et quod ait, Ut non inveniat ho-
mo, intelligendum videtur concomitanter
potius quam causaliter, sicut in Psalmo,
Tibi soli peccavi, ut justificeris, etc. Po- Ps. l, 6.
test tamen causaliter accipi, quoniam ideo
voluit Deus homines sic deficere in cogni-
tione creaturarum, quatenus ex hoc atten-
dant incomprehensibilitatem et excellen-
tiam Creatoris, imbecillitatemque proprii
intellectus. Quod autem subjungitur, *ab*
initio usque ad finem, referri potest ad
verbum illud, Quod operatus est, ut sit
sensus, quod nullam creaturam, ab exordio
mundi usque ad finem ejus factam sive
fiendam, possit homo plene cognoscere;
vel ad illud, Ut non inveniat homo, scili-
cet ab initio vitæ suæ usque ad mortem.
Et cognovi quod non esset melius, nisi 12
lætari in actibus bonis, et in Deo, seclusa
curiosa, immoderata, et anxia exercitatio-
ne studendi; *et facere bona* opera *in vita*
sua, per quæ mereatur ad plenitudinem

Digitized by Google

13 scientiæ in futuro pertingere. *Omnis enim*
homo qui comedit et bibit moderanter ci-
bum et potum, non solum corporalem, sed
etiam spiritualem, *et videt bonum de la-*
bore suo, id est, ex laboribus suis et rebus
laboriose acquisitis experitur fructum, at-
que consequitur commodum; *hoc donum*
Dei est : quia ex gratia et auxilio ejus
procedit. Videre autem, in Scripturis fre-
quenter pro Gustare seu Experiri accipi-
Ps. XV, 10. tur, ut in Psalmo: Non dabis sanctum tuum
videre corruptionem; et in Actibus Apo-
Act. XIII, 36. stolorum : David appositus est ad patres
suos, et vidit corruptionem.
14 *Didici quod omnia opera,* id est cun-
cta creata, *quæ fecit Deus, perseverent in*
Eccle. II, 11. *æternum.* Supra jam dixit : Vidi nihil per-
manere sub sole. Quomodo ergo nunc
ait, quod omnia opera Dei perseverent in
æternum? Et respondendum, quod omnia
permanent in æternum, vel in esse indivi-
duali ac proprio, quantum ad incorrupti-
bilia, ut sunt corpora cœlestia, angeli et
animæ rationales, et elementa, quoad se
tota; vel in esse suæ speciei, et successio-
ne similium sibi usque ad finem mundi :
sic enim tempus, motus, dies, nox, æstus
et frigus dicuntur jugiter permanere. Nil
autem sub sole permanet, uniformiter se
habens. *Non possumus eis quidquam ad-*
dere, nec auferre : id est, nullam speciem
possumus ordini universi apponere, neque
abstrahere, quoniam decor et ordo mundi
in specierum connexione ac integritate
consistit. Certum est autem, quod indivi-
dua innumerabilia quotidie auferantur, oc-
cidantur, seu corrumpantur. Homines quo-
que et bruta generant quotidie sibi similia.
Quæ fecit Deus, ut timeatur. Omnia etenim
supergloriosus, omnipotens, sapientissi-
musque Creator instituit et produxit, qua-
tenus ex consideratione eorum, ad Crea-
toris admirationem timoremque filialem,
amorem et venerationem excitemur. Unde
Prov. XVI, 4. Scriptum est : Universa propter se ipsum
operatus est Dominus. Qui ait per Jere-
Jer. V, 22. miam : Me non timebitis, qui posui are-
15 nam terminum mari? *Quod factum est, ip-*
A *sum permanet,* vel in se, vel in simili
sibi. *Quæ futura sunt, jam fuerunt* in
similibus sibi in specie, sicut expositum
est in primo articulo; *et Deus instaurat* *Eccle.* I, 9.
quod abiit, id est, restituit in simili sibi
quod desiit esse.
Vidi sub sole in loco judicii impieta- 16
tem : id est, in soliis judicialibus seu tri-
bunalibus, vidi sedere impios judices; *et*
in loco justitiæ, iniquitatem : id est, eos
qui resident ad conservandam justitiam
inter alios, vidi esse injustos; vel qui pri-
B mo fuerunt justi, vidi in injustitiam la-
psos. *Et dixi in corde meo : Justum et* 17
impium judicabit Dominus : id est, ex
hoc quod in hoc mundo est tanta inordi-
natio ac injustitia in judicando, conclusi
et perpendi, quod Deus essentialiter ju-
stus ac sapiens, qui nullum malum dimit-
tit impunitum, nullumque bonum relin-
quit impræmiatum, universaque inordinata
per culpam, reducit ad ordinem per pœ-
narum inflictionem : conclusi, inquam,
quod ipse universos justissime judicabit,
C non solum in morte singulorum, sed et in
die novissimo; *et tempus omnis rei tunc*
erit : id est, tunc quælibet res recipiet
et habebit quod ei debetur seu congruit;
tuncque erit consummatio temporis uni-
cuique enti, quia deinceps tempus non
erit, motu cœli cessante, juxta illud in
Apocalypsi : Juravit per viventem in sæ- *Apoc.* X, 6.
cula sæculorum : Quia tempus ultra non
erit. Dicitur autem tempus rei esse, quum
ei contingit aliquid speciale et arduum.
Unde in Evangelio Joannis loquitur Chri-
D stus : Tempus meum nondum advenit; et *Joann.* VII, 6.
alibi, Nondum venit hora mea. *Ibid.* II, 4.
Dixi in corde meo de filiis hominum, 18
ut probaret eos Deus : id est, hoc cogitavi
atque appetii, ut Deus per suos effectus
seu diversos eventus, perscrutaretur ho-
minum qualitatem et proprietatem, non
ut ipse agnosceret, sed ut eas nobis mani-
festaret : sicut dicitur in Scripturis homi-
nes tentare et probare, juxta illud Job :
Probavit me Dominus quasi aurum quod *Job* XXIII, 10.
per ignem transit; et in Psalmo : Quoniam *Ps.* LXV, 10.

Digitized by Google

probasti nos, Deus; igne nos examinasti. A
Hinc subditur : *et ostenderet similes esse*
bestiis. Istud loquitur Salomon in persona
imperitorum, opinantium non esse vitam
futuram, et cupientium hoc ipsum aliis
demonstrari : quales fuerunt Sadducæi,
sicut in actibus fertur Apostolorum : qui
Act. xxiii, 8. dixerunt non esse resurrectionem mortuo-
19 rum, nec angelum, neque spiritum. *Idcir-*
co unus in specie, id est consimilis, *inte-*
ritus est hominis et jumentorum, id est
similis mors hominum ac brutorum, ita
quod anima hominis perit cum corpore; B
et æqua utriusque conditio : sicut moritur
homo, sic et illa moriuntur; similiter spi-
rant omnia, scilicet homines et jumenta,
et nihil habet homo jumento amplius, id
est, in nullo excedit dignitatem brutorum.
Ista est stultorum ac rudium hominum ar-
gumentatio, quod quia homines et jumen-
ta in multis conveniunt, ideo homines in
nullo jumenta transcendant, et instar bru-
torum deficiant, quum tamen in ratione et
intellectu, ac libera voluntate illis præmi-
neant. Propter quod sanctus ille Job in- C
Job xxxv, 11. quit : Deus docet nos super jumenta terræ,
et super volucres cœli erudit nos.
Cuncta subjacent vanitati, id est muta-
Eccle. i, 2. bilitati (ut supra magis expositum est), *et*
20 *omnia* inferiora corruptibilia *pergunt ad*
unum locum communem, id est, tendunt
ad mortem, per quam revertuntur in ter-
ram. Hinc subditur : *De terra facta sunt,*
quantum ad corpus in quo (quantum ad
materiam) elementum terræ prædomina-
tur. In aliquibus tamen proprietas aquæ
prædominatur. Unde in Genesi legitur : D
Gen. i, 20. Dixit Deus : Producant aquæ reptile animæ
viventis, et volatile. *Et in terram pariter,*
id est consimiliter, *revertuntur,* quantum
ad corpus, quod in pulverem cineremque
Ibid. iii, 19. resolvitur, juxta illud in Genesi : Pulvis es,
et in pulverem reverteris. Verumtamen,
sicut mixta ex elementis composita sunt,
sic resolvuntur in ea. Sed resolutio in ter-
ram evidentior est, ideo magis exprimitur.
21 *Quis novit, si spiritus filiorum Adam*
ascendat sursum, id est, an animæ homi-
num morientium deducantur ad Dei judicium, seu ad loca cœlestia? *et si spiritus,* id est animæ irrationales, *jumentorum descendat deorsum,* id est, in potentiam materiæ redigatur, et de esse, cadat in non esse ac in nihileitatis abyssum, potius quam animæ hominum, sicque animæ hominum per immortalitatem præstantiores sint animabus brutorum? quasi dicat : Istud nemini constat. Sed (ut tactum est) Salomon loquitur ista, in persona carnalium et penitus bestialium hominum. De quibus etiam alibi habetur : Dixerunt im- Sap. ii, 1, 2.
pii : Non est refrigerium in fine hominis, et non est qui agnitus sit reversus ab inferis; et post hæc erimus tanquam non fuerimus.

Stultissimi isti putaverunt, omnes eis similes esse in insipientia ista; sed erraverunt gravissime : quia non solum ab initio mundi, providentia Dei et ejus judicium, ac immortalitas rationalium animarum, innotuerunt sanctis Patriarchis ac Prophetis, et eorum sequacibus, sed præcipuis quoque philosophis.

Siquidem Plato in secundo Timæi disseruit : Passiones si frenarent ac subjugarent animæ, justam his levemque vitam fore voluit opifex Deus; si vincerentur, injustam et laboriosam : et victricibus animabus, ad comparis stellæ contubernium ac sideream mansionem reditum patere, acturis deinceps vitam beatam; victas vero, mutare sexum. In Phædone quoque testatur : Quicumque non lustratus et inexpiatus in Avernum abierit, in cœno jacebit; demum expiatus atque lustratus illinc migrans, habitabit cum diis. Et rursus ibidem : In deorum, inquit, genus philosophanti et pure hinc emigranti, fas est meare. Itemque : Quoties abeunt defuncti in locum quo dæmon unumquemque portaverit, primum quidem in causam deportantur, utrum bene et sancte degerint, an minime. Et quicumque videbuntur mediocriter vitam transegisse, transeuntes in Acheronta, perveniunt in locum ubi habitabunt; atque ab injustitiis expiati, dantes

Digitized by Google

pœnas, absolvuntur. Sane quicumque videbuntur incurabiliter se habere, ob magnitudines piaculorum, hos Deus in competens jacit barathrum.

Insuper Aristoteles clarissime docet, intellectum esse immaterialem et immortalem, tam tertio de Anima, quam libro de Animalibus. Proclus quoque Platonicus in Elementatione sua theologica subtilissime immortalitatem animæ probat, eo quod omne conversivum ad se ipsum, et reditivum ac reflexivum super proprium actum, necesse sit incorporeum et incorruptibile esse. Hinc theoremate 168 fatetur: Omnis intellectus, in æternitate substantiam habet, et potentiam, et operationem; et postea, Omnis, inquit, anima, incorporea substantia est, et separabilis a corpore, impertibilis quoque et incorruptibilis.

22 *Et deprehendi nil melius esse, quam lætari hominem in opere suo, et hanc esse partem illius.* Istud dupliciter potest exponi. Primo, ut Salomon in carnalium persona loquens, eliciat ex præinducto errore, non esse melius, quam ut homo det se ad deliciandum in rebus carnalibus et terrenis, idque reputet felicitatem suam consistere. Secundo, ut introducat hæc verba ex sententia propria, ad reprobandum implicite errorem præfatum, ut sit sensus : Et deprehendi, ex ratione et illuminatione divina, nihil melius esse, quam lætari in opere suo, id est in actibus virtuosis, ex ratione ac deliberatione manantibus : qui proprie appellantur actus humani, quia per rationem differt homo a brutis, et speciem a rationali perfectione sortitur. *Quis enim eum adducet,* id est, quis perducet hominem viatorem ad hoc, *ut post se futura cognoscat,* id est, ut certitudinaliter prænoscat, quales post mortem suam filii et heredes ejus consistent, et qualiter vivent, ac bona sua consument? quasi dicat : Hoc communiter non revelatur hominibus, nec poterit revelari nisi a Deo, mediate vel immediate. Ideo expedit, sollicitudinem immoderatam et congregationem terrenorum avaram, prorsus abjicere, concessisque rebus moderate atque hilariter uti, ac indigentibus impertiri : et hanc esse partem illius, id est bonum præcipuum, et occupationem salubrem, ut in præsenti vita id agat, post quam amplius promereri non potest.

ARTICULUS IV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : VERTI ME AD ALIA.

Adhuc in isto capitulo introducit mirabilem ac miserabilem vanitatem, instabilitatem, ac impietatem rerum humanarum in statu præsenti. Propter quod in vita hac non est ponenda ultimata hominis salus.
1 *Verti me ad alia,* id est, mentem converti ad alia consideranda : juxta illud in Job, Cogitationes meæ variæ succedunt sibi, et mens in diversa rapitur. (*Job* xx, 2.) *Et vidi calumnias,* id est injuriationes et oppressiones iniquas, *quæ sub sole geruntur,* id est, in terra ab hominibus sibi invicem inferuntur, *et lacrimas innocentium, et consolatorem neminem,* id est, rarum aut nullum esse consolatorem eorum qui calumnias patiuntur, juxta illud Isaiæ : Justus perit, et non est qui recogitet; et viri misericordiæ tolluntur, quia non est qui intelligat. (*Is.* LVII, 1.) Unde in Psalmo ait Salvator : Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni; (*Ps.* LXVIII, 21.) ac rursus in Isaia, Circumspexi, et non erat auxiliator. (*Is.* LXIII, 5.) *Nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos,* id

est, innocentes et egenos oppressos, humana subsidia non habentes, non posse potentiorum ac iniquorum potestati tyrannidique resistere. Hinc in Habacuc legitur : Quare non respicis, Domine, contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Propter hoc lacerata est lex, quia impius prævalet adversus justum; propter hoc egreditur judicium perversum. (Cf. Habac. I, 13, 3, 4.)

2 *Et laudavi magis mortuos, quam viventes :* id est, tanto tædio inde afflictus sum, quod defunctos, qui talia mala nec agunt, nec sustinent, reputavi feliciores, quam viventes talia facientes aut patientes. Et verum est quod melius, id est minus malum sit mortuum esse, aut non esse, quam impie agere. Absolute tamen loquendo, non est melius mortuum esse, aut non esse, quam pati injurias atque adversa. Imo, si æquanimiter tolerentur, beatum est, sicut ait Salvator : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. (Matth. v, 10.) Si vero non esset futura vita, aliquo modo sic esset. Salomon vero multa hic loquitur in infirmorum persona. Nam subdit :

3 *Et feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt.* Per Necdum natum, possunt intelligi abortivi, seu fetus adhuc exsistentes in utero, vel qui erunt, et adhuc penitus non sunt. Vel [loquitur] secundum quorumdam hæresim seu errorem, qui putant animas esse ac vivere antequam descendant in corpora. Hos igitur reputavit feliciores, aut minus miseros jam natis et vivis, atque defunctis : quia mala pœnæ et culpæ hujus vitæ experti non sunt. Quod tamen absolute ita non est, nisi intelligatur de solis vitiosis vivis ac mortuis. Siquidem mala culpæ sunt maxima mala, et summe abominabilia. Propter quod Seneca in suis testatur Proverbiis : Tolerabilior est qui mori jubet, quam qui male vivere præcipit; itemque, Tolerabilior pœna est, vivere non posse, quam nescire, id est non scire vivere bene. Plato etiam in Phædone : Si anima, inquit, moreretur in corpore, lucrum inventum esset iniquis morientibus

A simul liberari a corpore atque malitia. Hinc in Politicis Aristoteles contestatur, quod homo impius decies millies pejor viliorque consistat, quam bestia. Unde et de proditore locutus est Christus : Bonum ei erat, si natus non esset homo ille. (Matth. XXVI, 24; Marc. XIV, 21.)

At vero circa istud, Feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est, scribit quidam : Id est abortivum, qui nondum habet experientiam aliquam mali pœnæ aut mali culpæ actualis, et sic non sustinet aliquam pœnam sensibilem, sed habet vi-

B tam magis delectabilem, quam possit haberi in vita præsenti, secundum omnes doctores qui loquuntur de morientibus in solo peccato originali. Circa hoc dico, quod quamvis doctores communiter dicant illos non habere pœnam sensibilem, non tamen omnes hoc dicunt. Similiter hi qui dicunt illos non habere pœnam sensibilem, diversificantur; nec omnes dicunt eos habere vitam magis delectabilem, quam possit in hac vita haberi. Augustinus namque super Joannem, et Gregorius super

C illud Job, Multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa, manifeste dicunt, infantulos (Job IX, 17.) illos in solo originali decedentes, non dumtaxat pœnam damni, sed et pœnam sensus habere, et torqueri ab igne, quamvis dicant illam pœnam esse mitissimam, comparatione eorum qui in mortali defuncti sunt. Quam opinionem sequitur Ubertinus in libro suo de Vita Salvatoris. Porro Bonaventura super quartum Sententiarum dicit, illos sic mortuos, esse in quodam medio inter gaudium et mœrorem, ita quod

D nec contristantur, nec delectantur, sed manent quasi in æquilibra quadam : dum ex una parte non contristantur, eo quod damnationem evaserunt; et ex alia parte non gaudent, quia beatitudinem amiserunt. Verumtamen in utroque hoc dicto, communi doctorum sententiæ magis consentio.

Rursus contemplatus sum omnes labores 4
hominum, id est quosdam de omnibus, seu omnes in genere; *et industrias,* per quas intendunt ac enituntur ad divitias,

Digitized by Google

voluptates, seu honores pertingere, *animadverti patere invidiæ proximi :* id est, consideravi quod industriose agentes ad obtinendum prospera mundi, expositi sint perversorum rancori, et invidias atque insidias patiantur : quia invidia est dolor de prosperitate alterius. Hinc sola miseria dicitur carere invidia. Nec soli mali, sed et boni patent invidiæ proximorum. Ideo Seneca dixit : Nondum felix es, si nondum te turba deridet : nam etsi nullos inimicos tibi faciat injuria, multos tamen facit invidia. Denique periculosum est invidentes habere : quia (ut Aristoteles Tulliusque fatentur) sicut ira quærit aperte nocere, ita invidia occulte. Hinc denuo Seneca loquitur : Maximo periculo custoditur, quod multis placet. *Et in hoc ergo vanitas,* scilicet in invidentia tali, *et cura superflua est.* Invidi namque sollicite quærunt, qualiter alios sua privent prosperitate ac gratia : quod superfluum est, miserrimum et iniquum. Quocirca scribit Albinus : Quid vanius quam homines proprias non deflere miserias, nec sua lugere peccata, et alios judicare, oblivisci se ipsos, melioribus invidere, et aliorum benefactis torqueri? Ideo rursus Seneca dicit : Utinam invidi oculos haberent in civitatibus cunctis, ut de omnium prosperitatibus et felicitatibus torquerentur. Nam quanta felicium gaudia, tanti gemitus invidorum. De talibus ait Gregorius : Dum electi et virtuosi præficiuntur, reprobi et iniqui ad furorem atque invidiam excitantur : quia boni mala nascentia, quæ imitari respuunt, persequuntur.

5 *Stultus complicat manus suas,* id est,
simul plicat eas a laboribus abstinendo, *et
comedit carnes suas,* id est, se ipsum consumit inopia ac macilentia, quia pro necessariis refugit laborare. Spirituali quoque egestate tabescit, quia virtutum operibus
6 renuit insudare. *Dicens : Melior est pugillus,* id est modicum quid, *cum requie,* id est corporali repausatione, *quam plena utraque manus,* id est multum seu abundantia, *cum labore et afflictione animi,* id
A est cum labore sollicito, et laboriosa occupatione, ac cura pro obtinendis in copia victui necessariis. Hoc modo excusat se piger ac negligens, et verba quæ in se veram possunt habere sententiam, applicat abusive ad excusandum suam ignaviam. Vere etenim melior est pugillus cum requie spirituali, et mentis tranquillitate inquietudine vitiorum carente, quam temporalium superfluitas, cum timore perdendi hoc, et anxia cura, quemadmodum scriptum est : Melius est modicum justo, super *Ps.* xxxvi, 16.
B divitias peccatorum multas.

*Considerans, reperi et aliam vanitatem 7
sub sole. Unus est,* id est aliquis homo sin- 8
gularis, *et secundum non habet,* id est cohabitatorem propinquum aut socium, *non filium, non fratrem,* id est nullum cui de jure competat ei in hereditate succedere; *et tamen laborare non cessat* pro rebus terrenis augendis, quum habeat satis; *nec satiantur oculi ejus divitiis :* quia quo plura acquirit, plus appetit. Pecunia enim appetitum non satiat, sed irritat. *Nec reco-*
C *gitat, dicens : Cui laboro?* id est, cur tam superflue me fatigo, qui heredem non habeo? *et fraudo animam meam bonis,* id est, me ipsum, seu vitam meam animalem, privo competenti usu opum mearum? *In hoc quoque est vanitas,* id est stulta cupiditas et avara tenacia, *et afflictio pessima :* quia res ista continet malum culpæ ac pœnæ. Ideo fertur in Psalmo : Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et frustra conturbatur. Thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Talibus Jacobus lo- *Ps.* xxxviii, 7.
D quitur : Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt. Aurum et argentum vestrum æruginavit; et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras sicut ignis. *Jacob.* v, 2, 3.

*Melius est ergo duos esse simul quam 9
unum,* id est utilius et magis humanum, quum, teste Philosopho, homo naturaliter sit animal politicum et sociale; *habent enim emolumentum,* id est mutuum lu-
crum et commodum, *societatis suæ. Si 10
unus ceciderit* in aliquam adversitatem,

tentationem, aut culpam, *ab altero fulcie-*
tur, id est, sustentabitur, erigetur, custodie-
tur : sicut et in exteriori itinere, si unus in
aquam foveamve corruerit, a consorte ex-
trahitur. *Væ soli,* qui cum alio communio-
nem societatis et amicitiæ prorsus non ha-
bet; *quia quum ceciderit* in mala pœnæ
aut culpæ, *non habet sublevantem se* ho-
11 minem. *Et si dormierint duo, fovebuntur*
mutuo : id est, sicut corporaliter pariter
dormientes invicem calefaciunt se, sic ami-
cabiliter cohabitantes ac invicem conver-
santes, mutuo se accendunt per verba et
facta caritate Dei et proximi. *Unus quo-*
modo calefiet? id est, sicut difficulter cale-
fit tempore frigido, qui solus dormit in
lecto; sic qui solus est, difficulter caritate
accenditur. Imo faciliter in torporem cadit
pigritiæ, et in desideria carnalitatis cujus-
dam ac consolationis externæ, ut Cassia-
12 nus testatur. *Et si quispiam,* scilicet invi-
sibilis aut visibilis inimicus, *prævaluerit*
contra unum, duo resistunt adversario ta-
li, se invicem exhortando; succurritque
socius socio superato, pro ipso orando,
ipsum monendo, et per opera exemplaria
inflammando, suaque merita ei communi-
cando. Hinc Plato loquitur in Phædone :
Adversus duos nec Hercules fertur satis
potens.

Ex præinductis vita socialis laudatur. Ad
cujus commendationem insinuandam, Do-
Luc. x, 1. minus et Salvator discipulos suos combi-
natos misit ad prædicandum. Unde et Psal-
Ps. cxxxii, 1. mista decantat : Ecce quam bonum et quam
jucundum, habitare fratres in unum! Hinc
sancti et expertissimi Patres, Benedictus,
Bernardus, Climacus, Cassianus, vitam cœ-
nobitalem, in qua plures religiosæ personæ
sub spirituali patre in sancta obedientia
militant Deo, multum commendant, secu-
rioremque asserunt; vitam vero solitariam,
quamvis sublimem, tamen periculosam es-
se testantur, nec convenire nisi exercitatis
in omni virtute, prout de hoc in regula
S. Hieronymus sapienter disseruit. Unde
et Aristoteles naturali ratione inductus,
testatus est, quod homo solus, est Deus
A aut bestia, id est divinus aut bestialis. Ni-
hilo minus (prout S. Thomas in secunda
secundæ determinat et declarat) absolute
loquendo, vita illa omnino solitaria anacho-
retica, vitæ cœnobitali ac sociali præfer-
tur, tanquam perfectior atque divinior. Nec
hoc repugnat præhabitis, quoniam Salo-
mon loquitur hic secundum legem com-
munem, atque de homine secundum con-
gruentiam suæ naturæ, non secundum
præeminentiam gratiæ, quæ transcendit
naturam, nec lege arctatur communi.

B Ex inductis etiam verbis monstratur,
quam utile et salubre sit, habere fidelem
amicum ac socium probum, qui ad omne
bonum honestum integre adstet : cui ho-
mini tanquam sibi ipsi possit credere,
communicare, confidere. Hinc Seneca di-
xit : Vita sine amico, visceratio est leonis
ac lupi. Errat qui amicum in atrio quærit,
in convivio probat. Et rursus : Diu cogita
an aliquis recipiendus sit tibi in amicum.
Quum placuerit fieri, toto pectore illum
admitte; tam audacter cum illo loquere,
C quam tecum. Si aliquem amicum existi-
mas, cui non tantumdem credis sicut tibi,
vehementer erras, nec satis nosti naturam
amicitiæ veræ. Omnia cum amico delibera,
sed de ipso prius. Post amicitiam vero cre-
dendum est ei, sed ante amicitiam delibe-
randum. Itaque qui pariter conversantur,
præsertim religiosi, diligentissime satagant
ita cohabitare, ut se invicem adjuvent, ædi-
ficent, elevent, et caritate accendant; et
nequaquam scandalizent, molestent, per-
turbent se mutuo. Nisi enim caritate con-
D juncti sint, et morum conformitate con-
veniant, cohabitatio eorum maxime est
damnosa, amara, ac dura.

Funiculus triplex difficile rumpitur : id
est, sicut corporaliter est de funiculo ex
tribus chordis contexto et juncto; sic spi-
ritualiter caritas quæ est vinculum cor-
dis, uniens et colligans amantem dilecto,
difficulter violari poterit aut dissolvi, si
triplici nutriatur et conservetur fomento,
videlicet consideratione bonitatis rei ama-
tæ, potissime summi boni, consideratione

Digitized by Google

quoque beneficiorum dilecti, et intuitione A
præmii caritatis. Vel per triplicem funiculum, intelliguntur ipse qui diligit, et dilectus ejus, et condilectus utrique : quemadmodum amor inter conjugatos est fortior, quando eamdem habent prolem ambobus caram. Vel ideo ait, Funiculus triplex difficile rumpitur, quia si tres ad invicem commorentur ac mutuo suffragentur, difficulter poterunt superari, eo quod tot sint coadjutores, quot cohabitatores.

13 *Melior est puer pauper* in temporalibus,
et sapiens, id est in spiritualibus locuples B
(quia nec vera prudentia, nec vera sapientia sine aliis habetur virtutibus, quamvis sapientia informis et acquisita queat cum vitiis esse), *rege sene et stulto, qui nescit prævidere in posterum,* id est, ex præteritis ac præsentibus, nescit conjicere de futuris : quod tamen præcipue spectat ad præsidentes, ut sic de communi utilitate suorum provideant subditorum. Unde, ut Tullius docet, ad prudentem, maxime ad regem, pertinent memoria præteritorum,
consideratio præsentium, providentia fu- C
turorum. Nescit, inquam, prævidere peri-
14 culum proprium, utpote *quod de carcere catenisque interdum quis egrediatur ad regnum,* agnita ejus prudentia, innocentia, idoneitate. Quemadmodum Joseph (Gen. XLI, 14, 40-44) de carcere fuit promotus super regnum Ægypti, primus post regem, juxta illud in Psalmo (Ps. CIV, 20, 21) : Misit rex, et solvit eum; constituit eum dominum domus suæ. Et in libro Sapientiæ (Sap. X, 14) : In vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni. *Et alius
natus in regno,* utpote heres ac filius re- D
gis, *inopia consumatur :* quemadmodum quarto Regum (IV Reg. XXV, 7) contigisse legitur Sedeciæ. Hinc scriptum est (Job XXXVI, 7-12) : Deus reges in solio collocat, et illic eriguntur. Et si fuerint in catenis, et vinciantur funibus paupertatis, indicabit eis opera eorum, quia violenti fuerunt, ut revertantur ab iniquitate. Si audierint et observaverint, complebunt dies suos in bono, et annos suos in gloria; si autem non audierint, transibunt per gladium, et consumentur in stultitia.

Origenes et Victorinus per puerum pauperem et sapientem, intelligunt Christum : de quo loquitur Isaias (Is. IX, 6), Puer natus est nobis. Per regem senem et fatuum, intelligunt diabolum : qui a mundi fuit exordio, et in veritate non stetit (Joann. VIII, 44); et sapientiam perdidit in decore suo, ut ait Ezechiel (Ezech. XXVIII, 17); atque inveteratus est in peccato : quem Christus devicit (Matth. IV, 1-11).

Vidi cunctos, id est multos de omnibus,
viventes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, id est adhærentes adolescenti filio regis antiqui, qui patri suo secundus est, id est primus post eum, atque interdum ex ambitione usurpat sibi regnum, patre suo adhuc vivente, habetque populum pro majori parte sibi faventem. Hinc subditur : *qui consurgit pro eo,* id est, pro patre suo incipit regnare.
Infinitus, id est nobis innumerabilis et 16
valde magnus, *numerus est populi omnium qui fuerunt ante eum,* id est, patri suo ante suum principatum obedierunt, et nunc sibi obtemperant; *et qui postea futuri sunt,* id est posteri obedientium sibi, *non lætabuntur in eo,* id est, despicient eum senescentem, eo quod patrem suum de regno expulerit, vel ex alia causa, et ita abjicient eum, et filio ejus hærebunt. *Sed et hoc vanitas* est, sic scilicet regnum invadere, et patre seniore relicto, filium ambitiosum in regem suscipere; *et afflictio spiritus,* id est valde afflictivum regi antiquo.

Custodi pedem tuum, ingrediens domum 17
Dei : id est, cum reverentia et humilitate vade et intra in templum sive ecclesiam, et recta intentione vanum refrenando affectum, ne sacra loca inhonores, et Deum in locis suæ honorificentiæ deputatis offendas, sicut multi ingrediuntur indevote, irreverenter, superbe, vana et lasciva affectione cupientes hominibus complacere. Quorum meminit Scriptura dicens (Amos VI, 1) : Optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel; et iterum (Soph. I, 9), Visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen. *Et appropinqua* prædicatoribus, doctoribus, et prælatis, *ut audias*

auribus cordis et corporis verbum Dei et A præcepta Ecclesiæ. *Multo enim melior est obedientia* cordis, qua implentur præcepta, *quam stultorum victimæ,* id est exteriora sacrificia Deo oblata, quæ non sunt ei accepta : præsertim loquendo de sacrificiis legis, quæ non nisi ex fide, devotione et caritate offerentium, Domino placuerunt. *Qui nesciunt quid faciunt mali :* id est, sua vitia non attendunt, sua excæcati elatione aliisque peccatis, in tantum ut mala sua reputent bona. Quibus in Isaia
Is. v, 20. Dominus comminatur : Væ qui dicitis ma- B lum, bonum; et bonum, malum. Istud multum potentibus magis solet competere, qui voluntate utuntur pro lege, juxta illud Sapientiæ : Sit fortitudo nostra lex justitiæ. Sap. II, 11.
Unde et quarto Politicorum Aristoteles ait, quod multum potentes, nec sciunt, nec volunt subdi. Postremo, huic quod dictum est, Melior est obedientia, etc., consonat illud primi Regum : Melior est obedi- I Reg. XV, 22.
entia, quam victimæ. Unde per prophetam
Amos Dominus ait iniquis : Non accipiam Amos V, 21.
odorem cœtuum vestrorum. Quod si obtuleritis mihi holocausta, non suscipiam.
Qui et in Osee testatur : Misericordiam vo- Osee VI, 6.
lui, et non sacrificium.

ARTICULUS V

DECLARATIO CAPITULI QUINTI : NE TEMERE QUID LOQUARIS.

VIDETUR Salomon in libro isto frequenter in verbis suis derogare provi- C dentiæ Dei, et justis judiciis ejus, dicen-
Eccle. III, 21. do : Quis novit si spiritus filiorum Adam
Ibid. 19. ascendat? et, Nihil habet homo amplius jumento; et consimilia : quæ ex persona carnalium imperitorumque loquitur. Ne ergo putetur talia dixisse ex animo, propriaque persona, et ne quis ejus exemplo ad similia proferenda erumpat; recte nunc ait :

1 *Ne temere quid loquaris :* id est, nullum verbum proferas veritati Scripturæ aut honestati virtutum contrarium; et præser- D tim incaute aut præsumptuose nihil loquaris de Deo, et de natura et attributis
I Cor. XV, 33. ipsius : quia, ut ait Apostolus, Corrumpunt mores bonos colloquia mala. Et ad reprimendum nos ab immoderato Deitatis ac judiciorum ejus scrutinio, dictum est
Prov. XXV, 27. in libro Proverbiorum : Qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria. *Neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo :* id est, ex consideratione divinæ præsentiæ omnia intuentis ac judicantis retrahi debes, ne præceps sis ad loquendum, potissime de divinis in arduis, et in his ubi non habetur manifesta et certa determinatio ex Scripturis aut doctrinis Ecclesiæ : quia, ut divinus Dionysius et post eum Damascenus testantur, non est audendum aliquid loqui de Deo, præter tradita in sacris eloquiis. Hinc etiam
in Proverbiis dictum est : Vidisti homi- Prov. XXIX, 20.
nem velocem ad loquendum? Stultitia magis speranda est, quam illius correctio.
Jacobus quoque apostolus : Sit, inquit, Jacob. I, 19.
omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Ideo Seneca loquitur : Sicut sapienti viro incessus modestior convenit, ita oratio (id est locutio) pressa, non audax. Tardiloquum te esse jubeo. Prope est a te Deus : bonus vir sine Deo non est. Et iterum : Sic vive cum hominibus, tanquam Deus videat; sic loquere cum Deo, tanquam homines audiant.

Deus enim in cœlo, id est, ipse Deus rector, creator, et dominus est cœlorum, et in eis ob suam excellentiam specialiter esse habitareque dicitur. Ideo eum com-

Digitized by Google

prehendere nequis, sed temperate ac timorate loqui debes. *Et tu super terram,* id est, terrenus, mortalis et incola terræ es : ideoque valde inferior Deo. Idcirco non ingeras te divinis inconsiderate. Nam et quamvis ipse in cœlis tanquam omnium summus Judex resideat, nihilo minus inferiora omnia intuetur. Imo ipse in sua natura incircumscriptibilis est omnino, illocalis et intemporalis, ubique præsens, quamvis in cœlo specialiter esse dicatur, eo quod ibi eminentius operetur, ac clarius videatur. Hinc scriptum est : *Job xxxv, 5.* Suspice cœlum et intuere, et contemplare aera, quod altior te sit. Hæc ergo eminentia Creatoris, et incomprehensibilitas judiciorum Altissimi, debet nos refrenare a locutione incauta de ipso ac ejus judiciis, et a periculoso scrutinio, imo ab omni verbo et actu illicito. Propter quod ipse per Isaiam ait : *Is. LV, 8, 9.* Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neque viæ meæ, viæ vestræ : quia sicut exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris. *Idcirco sint pauci sermones tui,* id est moderati, non superflui, potius ad minus, quam ad majus tendentes : et hoc, consideratis circumstantiis rei et causæ atque materiæ : quia secundum audientium dispositionem, capacitatem, indigentiam, et secundum objecti dignitatem, eminentiam, difficultatem, aut incomprehensibilitatem, oportet moderari, extendere, breviare sermonem : ad quod servandum, unctio docet, discretio dirigit experientia juvat. Denique Glossa fatetur, quod etiam vera de Deo dicere, periculosum sit : quanto magis incerta aut falsa?

2 *Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stultitia :* id est, sicut post multas et magnas sollicitudines in vigilia habitas, sequuntur somnia proportionabilia de rebus eisdem in nocte, tempore somni (quæ enim tractantur in vigilia multum intente et anxie, occurrunt in somno per sua phantasmata); sic multos sermones comitatur insipientia, culpa, dispersio cordis, conscientiæ læsio, et audientium scandalum. Unde in Proverbiis dictum est : In multiloquio peccatum non deerit; *Prov. x, 19.* et, Totum spiritum suum profert stultus. *Ibid. xxix, 11.*

Ex præinductis docemur, ex consideratione præsentiæ majestatis divinæ, cuncta cernentis ac audientis, nos in omnibus custodite habere, non solum in verbis oris, sed etiam cordis, hoc est in cogitationibus, atque in affectionibus quæ ex cogitationibus oriuntur. Nam si præsentia viri sapientis ac probi, reprimeret nos a negligentia, inhonestate, excessibusque verborum : quanto magis præsentia Dei, ab omni interiori exteriorique culpa nos debet restringere? Hinc sapientes docuerunt, ut ubique imaginemur quasi præsentialiter adesse, atque inspicere nos virum prudentem et virtuosum, sicque in cunctis agere sapienter, et verecundari de omni indecentia et fœditate, ob viri illius præsentiam : ut vel sic assuescamus ex divinæ consideratu præsentiæ, hoc ipsum implere. Hinc Seneca dixit : Aliquis vir bonus eligendus est nobis, ac semper ante oculos habendus, ut sic semper tanquam illo spectante vivamus, et omnia tanquam illo judice faciamus. Maxima pars vitiorum vitatur et tollitur, si peccatori testis adsistat. Qui sic semper veretur, cito erit verendus. Hanc ipsam practicam docet et S. Bernardus in Epistola ad Fratres de Monte Dei. Præterea etiam sanctorum angelorum præsentia, ad idem incitare nos debet. Et mirum ac deplorandum, quod non attendimus ista, nec divinæ majestatis intuitum perpendimus, veremur ac veneramur. Unde elicitur, quam infinita sit insipientia, miseria, imperfectio, ac perversitas nostra, qui humanum amplius quam divinum honoramus adspectum.

Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, 3 id est votum implere. Periculum etenim est in mora. Nam si quis ex dilatione non necessaria fiat impotens ad persolvendum votum, incurrit grande periculum. Et quamvis præcepta quæ obligant

semper, non obligent ad semper, obligant tamen pro tempore opportuno. Idcirco qui religionem vovit intrare, debet hoc adimplere celerius quo congrue potest. Nec solum reddendum quod Deo vovetur, sed etiam quod hominibus promittitur. Quod si quis promittat aliquid homini, quod ad ipsius hominis pertineat commodum aut honorem, potest homo id relaxare, et promittentem a tali promissione seu obligatione absolvere. Si vero promittat quid alteri, quod Dei honorem, servitutem, aut cultum directe concernat, ut quotidie legere septem psalmos, aut celebrare, non potest homo cui id promittitur, talem relaxare promissionem : quoniam Deo intelligitur principaliter facta, non homini.
Ps. LXXV, 12. Hinc ait Psalmista : Vovete, et reddite Domino Deo vestro. In Deuteronomio quo-
Deut. XXIII, 23. que sic legitur : Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut promisisti Domino Deo tuo.

Displicet enim ei infidelis, id est non impleta, *et stulta,* id est indiscreta, *promissio.* Quemadmodum enim tres sunt comites juramenti, scilicet discretio, veritas, justitia (ut ait Hieronymus super illud in
Jer. IV, 2. Jeremia, Jurabis, Vivit Dominus, in judicio et veritate et justitia); ita iidem sunt tres comites voti, ita quod quidquid veritati, discretioni, aut justitiæ contrariatur, non est vovendum neque jurandum. Et quamvis promissum sit aut juratum, non est tamen implendum : nec peccat, qui promisit aut juravit, talia non implendo ; sed peccavit, tale quid jurando aut promittendo. Hinc ait Isidorus : In malis promissis rescinde fidem ; in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, non facias : impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

Sed quodcumque voveris, redde : præsertim quia votum plus obligat quam juramentum. Violatio etenim voti contrariatur fidelitati quam homo tenetur Deo ; violatio autem juramenti repugnat veritati. Et hoc Thomas in secunda secundæ magis declarat. Votum quoque est actus latriæ,

A quæ inter virtutes morales videtur primatum sortiri, propter propinquitatem ejus ad theologicas virtutes, et quoniam circa Deum versatur, cui cultum cærimoniamque impendit. Ideo, sicut valde laudabile ac meritorium est, vota implere ; ita prorsus damnabile vitiosumque censetur, ea non observare. Hinc loquitur Augustinus : Non te vovisse pœniteat ; imo gaude jam tibi non licere, quod cum tuæ detrimento salutis licuisset. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. Unde sicut vovere,
B est spontaneæ voluntatis ; sic ea implere,
est necessitatis. *Multoque melius est non* 4
vovere, quam post votum promissa non reddere.

Præterea infidele est votum eorum, qui necessitatis articulo imminente aliquid vovent, et necessitate illa cessante, vovisse se dolent, nec implent. Votum quoque factum de impossibili, stultum est : similiter quod fit Deo de re indifferenti. Constat item ex dictis, multo plus meritorium esse, facere bonum ex voto, quam sine voto.
C Ponderent hæc religiosi qui nec substantialia suæ religioni observant, quam enormiter atque gravissime peccent.

Ne dederis os tuum, ut peccare facias 5
carnem tuam : id est, non dicas ex corde, te non posse præcepta implere, nec concupiscentias carnis frenare, aut in medio hominum caste et sobrie vivere : quod esset iniquitatem in Creatorem, auctorem naturæ, retorquere, juxta illud Psalmistæ,
Quoniam declinaverunt in te mala. Unde Ps. XX, 12.
rursus pro hac iniquitate vitanda, orat
D Psalmista : Non declines cor meum in Ps. CXL, 4.
verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Qui autem dicunt se non posse peccata vitare, carni suæ præstant peccandi licentiam. Quocontra ait Hieronymus : Maledictus qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse. Vel sic : Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam : id est, oscula et verba lasciva, ex quibus caro ad peccandum accenditur, fuge ; nec etiam aperias os tuum gulæ et ebrietati, ex quibus carnis vitia nutriuntur.

Digitized by Google

Neque dicas coram angelo tibi ad custodiam deputato : *Non est providentia :* id est, Deus non habet curam et providentiam actuum humanorum. Quo dato, sequitur nec angelos hominibus custodiendis desuper missos. Quocontra ait Apostolus :
Hebr. I, 14. Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis? Imo etiam in
Matth. XVIII, 10. Evangelio Dominus : Angeli, inquit, eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei. Sicque tale verbum, est verbum blasphemiæ atque perfidiæ et ingratitudinis maximæ, non solum in Dei, sed et in angelorum redundans injuriam. Potest tamen per angelum, etiam sacerdos intelligi, jux-
Malach. II, 7. ta illud Malachiæ : Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini est. *Ne forte iratus Dominus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum,* id est, destruat cuncta quæ habes, sicque ostendat per effectum, providentiam se habere; dissipet quoque opera manuum tuarum, id est, bona tua præterita, propter hanc culpam privet mercede æterna. De taliter enim loquentibus atque dicentibus
Is. XXII, 13. illud in Isaia, Comedamus et bibamus, cras
Ibid. 14. enim moriemur, Dominus ait : Revelata est iniquitas ista in auribus meis. Si dimittetur (id est non dimittetur) vobis iniquitas hæc donec moriamini. Unde ad Ezechie-
Ezech. IX, 9, 10; XXV, 17. lem Dominus loquitur : Peccatum domus Israel magnum est valde nimis. Dixerunt etenim : Reliquit Dominus terram, et Dominus nos non videt. Propterea et ego non parcam, nec miserebor, sed arguam in furore.

6 *Ubi multa sunt somnia,* ibi *plurimæ sunt vanitates, et sermones innumeri.* Hoc intelligendum est de his qui somniis suis faciliter credunt, et quidquid eis in somno apparet, repræsentatur, occurrit, putant mysticum esse, et aliquid significare, atque a Deo vel angelo revelari. Quibus contingunt multæ deceptiones; et ipsi de suis somniis plurima fabulantur, et tandem fiunt phantastici. Ideo in Ecclesiasti-

A co inducitur : Somnia extollunt impru- *Eccli.* XXXIV, 1-3, 6, 7.
dentes. Quasi qui apprehendit umbram, et persequitur ventum, secundum hoc visio somniorum. Sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit visitatio emissa. Multos errare fecerunt somnia. Unde in Jeremia et Ezechiele Dominus loquitur de pseudoprophetis : Erra- *Jer.* XXIII, 27, 25; *Ezech.* XIII, 10, 6.
re fecerunt populum meum propter somnia sua, quæ narrat unusquisque proximo suo, dicens : Somniavi, somniavi. Verumtamen ista non sunt intelligenda, quasi som-
B nia sint semper spernenda aut deceptiva. Sunt enim quandoque a Deo per angelos, interdum ex causa pure naturali. Unde in Numeris Dominus ait ad Aaron : Si fuerit *Num.* XII, 6.
inter vos Propheta, in visione apparebo ei, aut per somnium loquar ad eum. In libro Job quoque legitur : Per somnium in *Job* XXXIII, 15, 16.
visione nocturna, aperit Deus aures virorum. In Evangelio etiam legitur sæpe an- *Matth.* I, 20; II, 13, 19.
gelus apparuisse Joseph in somnis. De hac materia super Genesim plenius scripsi, et super præallegatum Ecclesiastici capitu-
C lum, suo loco (præstante Domino) scribam. Hæc pro nunc tetigisse sufficiat. *Tu vero time Deum* filiali timore, non somnia vana, imaginationesque stultas : a quarum deceptione ora liberari a Domino.

Si videris calumnias egenorum, quas 7
sustinent a divitibus atque potentibus, *et violenta judicia,* id est censuras, pœnas, similesve effectus, quos impii judices ac potentes jubent per violentiam infirmioribus inferioribusque inferri, *et subverti*
D *justitiam in provincia,* ita quod innocentes opprimuntur, et justi persecutionibus infestantur ; *non mireris super hoc negotio,* id est, de istis eventibus non mireris admiratione immoderata, turbativa, aut diffidentiali. Solent enim quidam pusilli nondum satis illuminati vel in Scripturis exercitati, vehementer mirari, fluctuare, deficere, dum cernunt quosque justos, sapientes, innocentes ac sanctos, a pessimis tribulari, spoliari, fugari, occidi, quasi Scri- *Ps.* XXXIII, 20.
ptura non dicat : Multæ tribulationes ju-

Digitized by Google

Act. xiv, 21. storum; et, Quia per multas tribulationes A
oportet nos intrare in regnum cœlorum;
Matth. v, 10. et rursus, Beati qui persecutionem pati-
untur propter justitiam. Siquidem in hac
vita electi et justi per impiorum manus
purgantur, exercentur, et ad cœleste re-
gnum mittuntur. De hac re Cassianus primo
libro Collationum, in collatione abbatis
Theodori de Nece Sanctorum, tractat dif-
fuse. Unde in talium pusillorum sic admi-
Cf. Habac. i, 13, 3. rantium persona Habacuc loquens : Quare
non respicis, inquit, Domine, super ini-
que agentes, et taces devorante impio ju- B
stiorem se?

Quia excelso excelsior est alius : id est,
unus in potestate atque officio constitu-
tus, est alio officiato sublimior, sicque
si justus est, potest illius errata corrige-
re; vel si tyrannus est ille excelsior, po-
tens est inferiorem opprimere. *Et super
hos quoque eminentiores,* id est excelsio-
res, *sunt alii :* quemadmodum super baro-
nes et comites, sunt duces et reges, seu
angeli qui præsunt provinciis, nec susti-
nerent talia fieri, nisi præstolarentur di- C
8 vini tempus judicii. *Et insuper universæ
terræ rex,* id est monarcha totius regni,
imperat servienti, id est suis ministris: ad
quem pertinet aliorum emendare injurias
et errata. Vel, per Universæ terræ regem,
intelligitur Deus omnipotens : de quo ait
Ps. xciv, 3. Psalmista, Quoniam Deus magnus Domi-
nus, et rex magnus super omnem terram.
Qui prætacta mala non sineret fieri, nisi
suo tempore vellet et posset universa di-
judicare, et male judicata rejudicare. Qui
Ps. lxxiv, 3. ait : Quum accepero tempus, ego justi- D
tias judicabo. De quo et in Job scriptum
Job xxiv, 12. est : Deus inultum abire non patitur;
Eccli. v, 4. et in Ecclesiastico, Altissimus est patiens
redditor.

9 *Avarus non implebitur pecunia,* id est,
affectus avari non satiatur pecuniis : quo-
niam quo plures acquirit, plures deside-
rat, sicut hydropicus, quanto plus bibit,
tanto plus sitit. De hoc dicta sunt multa. *Et
qui amat divitias* temporales immoderate,
et tanquam finem, seu propter se ipsas,
fructum non capiet ex eis, id est usum
salubrem : quia non proficiunt ei ad salu-
tem, sed obsunt; et vix audet eis ad suf-
ficientiam uti, ac Deo de eis ingratus est,
nec communicat pauperibus. Idcirco in
Ecclesiastico scriptum est : Nihil iniquius Eccli. x, 10.
quam amare pecuniam. Et Salvator in
Evangelio : Quam difficile, inquit, qui pe- Luc. xviii, 24, 25.
cunias habent, intrabunt in regnum cœ-
lorum! Facilius est camelum per foramen
acus transire, quam divitem intrare in
regnum cœlorum. Porro divitiæ in tan-
tum possunt amari, in quantum utiles ac
necessariæ sunt ad spiritualia bona, hoc
est ad bene vivendum, ad serviendum Al-
tissimo, ad habendum necessaria vitæ, ad
cultus virtuosos, ad Dei honorem. *Et hoc
ergo vanitas. Ubi multæ sunt opes, multi* 10
et qui comedunt, id est consumunt, *eas.*
Quod frequenter contingit. Quidam tamen
divites tenent secum perpaucos, et opes
reponunt. *Et quid prodest possessori, nisi
quod cernit divitias suas oculis suis?* Sic-
que ex earum apprehensione delectatur
inaniter, et est sicut Tantalus in mediis
undis.

Dulcis est somnus operanti, post suum 11
laborem, *sive parum sive multum come-
dat.* Nam propter lassitudinem et diutur-
num laborem, natura indiget recreatione.
Similiter occupato in exercitiis virtuosis,
et vitæ activæ operibus, dulce est interdum
quieti contemplationis vacare, præsertim
si cum Apostolo sciat abundare et penu- Philipp. iv, 12.
riam pati, saturari et esuriem sustine-
re. *Saturitas autem divitis non sinit eum
dormire* diu et quiete : quia ex saturitate
dyscrasiam, torsiones, ægritudinesque in-
currit; est quoque propter divitias suas
sollicitus. Similiter carnalis sua saturitas
impedit eum ab obdormitione in Deo per
contemplationis soporem; nec dicere po-
test, In pace in id ipsum dormiam et re- Ps. iv, 9.
quiescam. Verum, ut Seneca in Proverbiis
suis testatur, bene dormit, qui non sentit
quam male dormit.

Est et alia infirmitas, id est enervatio 12
ac debilitas cordis, robori virtutum con-

Digitized by Google

traria, *pessima,* id est valde mala, *quam* A
vidi sub sole : divitiæ conservatæ in ma-
lum domini sui, id est, quod ipse dives,
præsertim avarus, frequenter congregat et
reservat divitias in damnum et periculum
sui ipsius, dum fures, raptores, latrones
et tyranni, insidiantur ei propter suas di-
vitias, et tollunt eas, aut etiam ipsum oc-
cidunt. Ideo Seneca dixit : Maximo pericu-
13 lo custoditur, quod multis placet. *Pereunt*
enim in afflictione pessima, id est, divitiæ
auferuntur suo possessori cum amara ejus
tristitia et desolatione, quia invitissime eas B
amittit. *Generavit filium, qui in summa*
egestate erit : quia opes patris direptæ
14 sunt, nec eas potest recuperare. *Sicut*
egressus est nudus ille possessor sic spo-
liatus, seu filius ejus bonis paternis pri-
vatus, *de utero matris suæ; sic revertetur*
pauper et nudus in terram, *et nihil aufe-*
ret secum de labore suo, dum moritur, id
est de suis bonis terrenis, laboriose acqui-
sitis. Attamen opera, id est merita ac de-
merita, singulos eos sequuntur, juxta illud
Apoc. xiv, 13. in Apocalypsi : Opera illorum sequuntur C
Ps. LXXV, 6. illos. Hinc fertur in Psalmo : Dormierunt
somnum suum, et nihil invenerunt omnes
viri divitiarum in manibus suis. Job quo-
Job XXVII, 19, 20. que : Dives (inquit) quum dormierit, nihil
secum auferet; apprehendet eum quasi
I Tim. VI, 7. aqua inopia. Ideo ait Apostolus : Nihil in-
tulimus in hunc mundum; haud dubium
15 quia nec auferre quid possumus. *Misera-*
bilis prorsus infirmitas! Quo modo venit,
sic revertetur. Quid ergo prodest ei quod
laboravit in ventum, id est inaniter et in-
16 certe? *Cunctis diebus vitæ suæ comedit* D
in tenebris cordis, id est in malis pœnæ
et culpæ, *et in curis multis,* quæ men-
tem affligunt et pungunt ut spinæ, *et in*
ærumna atque tristitia, id est anxietate
et mœrore.

Spiritualiter, divitiæ conservantur in malum domini sui, dum quis ad tempus spiritualiter crescit in scientia atque virtutibus, et non perseverat usque in finem. Imo bona cooperantur ei in malum, et
II Petr. II, 21. melius ei esset non cognovisse viam justitiæ, quam post agnitionem reverti retrorsum. Similiter accidit ei qui de spirituali opulentia meritorum suorum extollitur, nec permanet gratus Deo, humiliterque subjectus. Talis generat filios, id est discipulos ac subditos, pauperes, quia scandalizantur in eo, et recidivationem ejus sequendo, pereunt simul cum ipso : sicut de talibus ait Apostolus, Errantes et in er- II Tim. III, 13.
rorem mittentes.

Hoc itaque visum est mihi bonum, ut 17
comedat quis et bibat, et fruatur lætitia
ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole
numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei
Deus : et hæc est pars illius : id est, melius
est temperate et delectabiliter uti terrenis,
quam tam anxie propter ea sollicitari, et
in tenebris prætactis uti eisdem. Frui au-
tem, frequenter pro Uti accipitur. Nam
proprie non est fruendum nisi Deo. *Et* 18
omni homini, cui Deus dedit divitias at-
que substantiam, id est mobilia et immo-
bilia bona, *potestatemque ei tribuit ut co-*
medat ex eis, et fruatur parte sua, et
lætetur de labore suo, id est, delectabiliter
sua portione utatur : *hoc est donum Dei,*
id est quoddam beneficium ejus, et melius
usu prætacto : et ex gratia id procedit,
quod homo temporalibus ordinate utatur.
— Spiritualiter, bonum est refici sacra-
mentis Christi, pane lacrimarum, et actibus
virtuosis, atque ex eis et gratia Dei, præ-
stolari vitam beatam, ejusque exspectatio-
ne gaudere.

Non enim satis recordabitur dierum vi- 19
tæ suæ, id est, tempus vitæ suæ non
videbitur sibi valde longum, nec tædiosum, *eo quod Deus occupet deliciis cor ejus,* id est, vitam jucundam ei concedat, secundum modum nunc introductum. His autem qui in deliciis vivunt, tempus videtur breve, quamvis sit longum : sicut econtrario, his qui desolatam, tristem, amaram ducunt vitam, tempus, quamvis breve, videtur longum, ut in damnatis maxime patet. His quoque qui conantur quotidie multa expedire et agere, dies valde breves apparent, quia non valent satisfacere suo

Digitized by Google

affectui. Conformiter hominibus virtuosis, A contemplativis, perfectis, tempus breve videtur, quia in assidua mentis tranquillitate, et bonæ conscientiæ securitate, spiritualique gaudio serviunt Deo; et quoniam quidquid hic agere queunt, quantumcumque diu vixerint, permodicum reputant intuitu et amore retributionis futuræ. Interdum tamen præ desiderio dissolvendi *Philipp* I, 23. et exsistendi cum Christo, ac perfruendi beatifice Deo, tempus potest eis longum apparere, ita ut dicant : Heu mihi ! quia *Ps.* CXIX, 5. incolatus meus prolongatus est; et, Quando *Ps.* XLI, 3. veniam et apparebo ante faciem Dei?

ARTICULUS VI

EXPLANATIO CAPITULI SEXTI : EST ET ALIUD MALUM QUOD VIDI SUB SOLE.

RURSUS cupidorum et divitum vani- B
1 tatem, miseriasque describit. *Est et*
aliud malum quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines, id est sæpe
contingens hominibus. Deinde exprimit il-
2 lud. *Vir cui dedit Deus divitias et substantiam,* id est bona mobilia ac immobilia,
bona terrena, opesque naturales ac artificiales, *et honorem,* id est dignitatem
præsidentiæ, famam, et humanæ reverentiæ exhibitionem; *et nihil deest animæ*
suæ, id est personæ ejus, sumendo partem
pro toto, seu vitæ animali, *ex omnibus* C
quæ desiderat, id est de his quæ ad temporalem spectare videntur prosperitatem.
Nec tribuit ei potestatem Deus ut comedat
ex eo, id est, tempus vitæ ei non præstat,
sed subtrahit eum per mortem; *sed homo*
extraneus vorabit illud, id est, bona ejus
consumet. *Hoc vanitas,* id est instabilitas,
et miseria magna est. Non tamen est culpa
in se, nec ex parte Dei subtrahentis, nec
ex parte subtracti, nisi forsan ob culpam
suam tam cito tollatur.
3 *Si genuerit quispiam centum liberos.* In D
Scripturis autem (ni fallor) non legitur
quis genuisse ultra septuaginta filios, nisi
forsitan addito uno aut duobus, sicut in
Judic. IX, 5. libro Judicum recitatur Abimelech filius
Gedeonis occidisse septuaginta viros fratres suos filios Gedeonis. Quibus tamen
Ibidem. superstes fuit Joatham frater illorum, imo
et ipse Abimelech. Similiter quarto Regum
narratur Jehu occidisse septuaginta filios IV *Reg.* X, 6, 7.
Achab : ante quos occiderat filium ejus *Ibid.* IX, 24.
Joram. Verumtamen aliqui habuerunt plures quam septuaginta duas proles, ut patet
de Roboam rege, qui viginti octo genuit II *Par.* XI, 21.
filios, sexagintaque filias. *Et vixerit multos annos, et plures dies ætatis habuerit,*
sicque fecunditatem habeat prolis, ac vitæ
diuturnitatem, *et anima illius,* id est ipsemet, *non utatur bonis substantiæ suæ,* necessaria vitæ sumendo ex ipsis, eo quod
sibi subtracta sint, vel ipse in captivitatem traductus, *sepulturaque careat :* sicut
de Joakim rege Jeremias prædixit, Sepul- *Jer.* XXII, 19.
tura asini sepelietur. *De hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortivus :* qui
actualiter non peccavit, et ad limbum puerorum deducitur. Hæc autem intelligenda sunt, faciendo comparationem istorum
ad invicem, quantum ad mala vitæ præsentis. Potest tamen contingere, quod aliquis dives spolietur et captivetur, atque in
tantis adversis sit patiens, ac Deo intentus, sicque melior sit ac felicior abortivo.
Porro sequentia dupliciter exponuntur :
Primo, de abortivo. *Frustra enim venit* in 4
uterum et ad conceptum, quia non potuit
pervenire ad nativitatem ex utero, nec ad
vitam beatam; *et pergit ad tenebras,* id est
ad limbum, quem dicunt aliqui tenebrosum, vel quia in eo est pœna damni; vel,

Digitized by Google

Ad tenebras, id est ad sepulcrum; *et obli-*
vione delebitur nomen ejus, id est, ipsemet
cito erit a memoria hominum omnino de-
letus, nec habuit nomen sibi impositum.
5 *Non vidit solem,* id est, quia non prodiit
vivus ex ventre ad lucem; *neque cognovit*
distantiam boni et mali, id est, differen-
tiam inter bonum et malum non est exper-
tus in mundo, quia non venit ad usum
rationis in vita præsenti. — Secundo, ex-
ponuntur hæc de homine divite, diu viven-
te, fecundo, nec tamen potente uti divitiis
suis : qui *frustra venit* ad opes, vel in
mundum, in quo non est consecutus feli-
citatem, *et pergit ad tenebras,* id est ad
tormenta ac desolationes; *et oblivione dele-*
bitur nomen ejus : eo modo quo in Prover-
Prov. X, 7. biis dictum est : Nomen impiorum putre-
Ps. IX, 6. scet; et in Psalmo, Nomen eorum delesti
in æternum, et in sæculum sæculi. *Non*
vidit solem, id est, prosperitatem atque
lætitiam non est expertus, nec Solem justi-
tiæ consideravit; *neque cognovit distan-*
tiam boni et mali : id est, sola adversa
expertus est, non prospera, et ita non no-
vit utrumque perfecte : quia (ut fertur
communiter) qui non est paupertatem aut
infirmitatem expertus, nescit quid sit opu-
lentia aut sanitas. Vel, Non cognovit di-
stantiam boni et mali, id est, non discrevit
inter virtutes et vitia. Imo quæ illicita
sunt, licita reputavit.
6 *Etiam si duobus millibus annis vixerit*
homo : quum tamen nemo in Scripturis
legatur mille annis vixisse; sed Mathusa-
lem qui ceteris diutius invenitur vixisse,
Gen. V, 27. annis nongentis sexaginta novem vixisse
narratur in Genesi; *et non fuerit perfru-*
itus bonis, sed jugiter malis, adhuc ta-
men abortivo miserior est, præsertim si
non fuerit perfruitus bonis gratiæ ac vir-
tutum. *Nonne ad unum locum properant*
omnia?
7 *Omnis labor hominis in ore ejus :* id est,
quidquid laborando acquirit de rebus ter-
renis, ore seu comestione consumit; *sed*
anima ejus non implebitur : id est, cor
ejus plura desiderabit, nec sufficientia erit

A contentum (potissime loquendo de cupi-
do), ac postea iterum cupiet manducare.
— Spiritualiter, omnis labor hominis est
in ore ejus, quando jugiter laborat addi-
scere aliquid, ut instruat alios, vel ut or-
nate loquatur, et sapienter eloqui videatur.
Quid habet amplius sapiens a stulto? et 8
quid pauper, supple, a divite? id est, in
quo excedit sapiens decoratus sapientia
(quæ est donum seu notitia Scripturarum
cum impletione earum) stultum, id est ini-
quum in quo puerilitatis vitium viget?
B Unde in Proverbiis dictum est : Usquequo Prov. I, 22
stulti ea quæ sibi nociva sunt, cupient?
Propter quod admonet Paulus : Nolite pue- I Cor. XIV
ri effici sensibus. Et in quo pauper spi- 20.
ritu, id est humilis, seu propter Deum
libenter egenus, excedit divitem cupidum?
Nisi ut pergat, tam sapiens talis, quam
pauper, *illuc ubi est vita* gloriæ, id est
beatitudo æterna, cui nihil de mortalitate
et calamitate miscetur. Unde scriptum est :
Neminem diligit Deus, nisi qui cum sa- Sap. VII, 28.
pientia inhabitat. Et in Isaia : Non est po- Is. XXVII, 11.
C pulus sapiens, ideo non miserebitur ejus,
qui fecit illum. Et in Matthæo loquitur
Veritas : Beati pauperes spiritu, quoniam Matth. V, 3.
ipsorum est regnum cœlorum; atque in
Psalmo, Parcet pauperi et inopi, et animas Ps. LXXI, 13.
pauperum salvas faciet. Sed, heu! multi
sunt, in quibus detestanda puerilitas re-
gnat. Propter quod Seneca protestatur :
Multa bona nostra nobis nocent. Adhuc
enim in nobis non pueritia, sed quod est
gravius, puerilitas remanet. Et hoc qui-
dem pejor est, quod auctoritatem senum
D habemus, et vitia puerorum.
Melius est videre, id est cognoscere, 9
quod cupias, id est, quod merito et salu-
briter appetere debes, videlicet ultimum
finem, et omnia necessaria seu utilia ad
eum adipiscendum, *quam desiderare quod*
nescias, id est, quod tibi expedit ignorare
magis quam scire, ut sunt superstitiosa,
magica, frivola. Falsum quoque non sci-
tur, quamvis sciri putetur, ut ait Philoso-
phus. *Sed et hoc vanitas est, et præsumptio*
spiritus, scilicet desiderare quod nescias :

Digitized by Google

10 juxta expositionem nunc tactam. *Qui futurus est, jam vocatum est nomen ejus :* id est, omnium qui nascentur nomina Deo præcognita sunt; vel, alii qui præcesserunt, similes illis in specie, similia nomina habuerunt. *Et scitur quod homo sit,* id est, de omnibus illis scitur, quod mortales et fragiles creaturæ sunt, fuerunt, aut erunt. Idcirco non debent se ultra mensuram sui gradus et status seu conditionis extendere ad vana, præsumptuosa et curiosa. *Et non possit contra fortiorem se in judicio contendere :* id est, Creatori suo non poterit respondere, vanitatem et culpam propriam defendendo, aut aliquid contra Dei providentiam efficaciter allegando. Unde ait
Rom. ix, 20. Apostolus : O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? Hinc
Job ix, 4, 3. fertur in Job : Sapiens corde est, et fortis robore. Quis restitit ei, et habuit pacem? Si voluerit homo cum eo contendere, non poterit respondere unum pro mille. Hoc
Is. xlv, 9. est quod in Isaia scriptum est : Væ qui contradicit factori suo. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis?

11 *Verba sunt plurima,* eorum qui secreta et incomprehensibilia, seu curiosa et superstitiosa scire cupiunt et scrutantur : qui frequenter verbis utuntur superfluis. De
II Tim. iii, 7. qualibus ait Apostolus : Semper discentes, et nunquam ad veritatis notitiam perve- A nientes; et Isaias, Ubi sunt augures tui, qui Is. xlvii, 13.
contemplabantur sidera, ut ex his annuntiarent tibi quæ ventura sunt? *Multamque in disputando habentia vanitatem :* quia errant in multis, et argumentis topicis ac frivolis, tanquam demonstrativis ac solidis, innituntur et occupantur. Hoc clarissime patet in multis philosophis atque astronomis, qui contra fidei christianæ veritatem plurima conscripserunt ac disputaverunt : qui enormiter sunt mentiti, et in rudissimos ac nefandissimos corruerunt errores, B sicut Averroes peripateticus, qui tandem in disputationibus suis contra Catholicos, negavit providentiam Dei, et animam humanam dixit esse mortalem, ac unum numero intellectum in cunctis hominibus. Similiter Porphyrius Platonicus, qui licet concesserit legem Moysi datam a Deo, nihilo minus idololatriam approbavit, quæ tamen in lege Moysis apertissime reprobatur. Al- Exod. xx, 3-5.
bumasar quoque astrologus in Introductorio majori, et Alkindus in sua Theorica, et libro de Radiis stellicis, mirabiliter ac C miserabiliter erraverunt. De talibus ad Timotheum scribens Apostolus, ait : Quem- II Tim. iii, 8, 9.
admodum Jannes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient : insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.

ARTICULUS VII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : QUID NECESSE EST HOMINI MAJORA SE QUÆRERE?

CAPITULUM istud sententiis atque moralibus documentis est plenum, in quibus non vanitas, sed via ac meritum ad
1 veram consistit salutem. *Quid necesse est homini majora se quærere,* id est, ea scrutari et comprehendere velle, quæ intellectus sui capacitatem transcendunt? Unde D in sequentibus dicitur : Non plus sapias vers. 17.
quam necesse est, ne obstupescas. Et in Ecclesiastico legitur : Altiora te ne quæsi- Eccli. iii, 22, 23.
eris; non enim tibi necesse est ea quæ abscondita sunt, videre oculis tuis. *Quum ignoret quid conducat sibi in vita sua,* id est, quid sibi conveniat seu utile necessa-

Digitized by Google

riumve exsistat in isto exsilio ad beati-
tudinem impetrandam. Nam et Apostolus
Rom. viii, 26. ait : Quid oremus sicut oportet, nescimus.
Quocirca sciendum, quod quædam ex
suo genere bona sunt et necessaria ad sa-
lutem, ut præcepta Dei atque Ecclesiæ;
vel ad salutem utilia, ut evangelica Christi
consilia. Et de talibus scimus quid nobis
conducat in vita nostra. Quædam vero sunt
indifferentia in se, quibus possumus bene
et male uti; nec cunctis expediunt, sed
nec semper : ut infirmitas, sanitas, opu-
lentia, paupertas externa. De quibus ne-
scimus quid, sicut oportet, oremus, et quid
nobis magis conveniat. Unde Dominum ex-
orare debemus, ut de talibus provideat
nobis quod amplius nobis expediens est,
et ipse inspirare dignetur quid appeta-
mus. A cognitione autem et consideratio-
ne necessariorum et utilium salubriumve
saluti, frequenter nos impedit curiosa, sub-
tilis, seu præsumptuosa investigatio altio-
rum talium. Idcirco vitanda est, et nociva.
Eccli. iii, 22. Et illud Ecclesiastici est servandum : Quæ
præcepit tibi Deus, illa cogita semper. Hinc
ait et Seneca : Cito a corpore ad animum
redi. Illum excole et exorna. Modico labore
colitur ille. Bonum illud apprehendere cu-
ra, quod vetustate fit melius. Non te jubeo
libro et pugillaribus jugiter imminere :
dandum est animo aliquod intervallum.
Hinc Plato loquitur in Timæo : Hoc meis
sit precibus comprehensum, ut potissi-
mum ea dicantur, quæ Deitati sunt placita.
Itaque nescit homo quid conducat ei in
vita sua *numero dierum peregrinationis
suæ,* id est conversationis præsentis, qua
tendit ad patriam Beatorum, sicut ait Apo-
II Cor. v, 6. stolus : Dum sumus in corpore, peregrina-
mur a Domino. Unde et Jacob patriarcha
Gen. xlvii, 9. in Genesi : Dies, inquit, peregrinationis
meæ super terram, centum triginta anno-
rum sunt. *Et tempore quod velut umbra
præterit.* Quemadmodum quodam loco Da-
I Par. xxix, 15. vid loquitur Deo : Peregrini sumus coram
te et advenæ, sicut omnes patres nostri;
dies nostri quasi umbra super terram, et
nulla est mora. Sanctus quoque Job ait :
A Homo quasi flos egreditur et conteritur, et Job xiv, 2.
fugit velut umbra, et nunquam in eodem
statu permanet.
*Aut quis ei poterit indicare quid post
eum futurum sub sole sit?* id est, quis ho-
minum poterit alteri prædicere quid cer-
tive post ejus mortem continget (loquendo
de futuris pure contingentibus)? Scimus
tamen ex Scripturis multa quæ fient post
nos; sed præfata contingentia certe præ-
scire ac prænuntiare, Deo appropriatur.
Propter quod in Isaia inducitur : Quæ fu- Is. xli, 23.
B tura sunt, annuntiate, et sciemus quia dii
estis. Hinc in Scripturis quidam vocantur
divini, qui de talibus prænuntiandis et re-
velandis secretis se intromittunt.
Melius est nomen bonum, id est fama 2
ædificatoria et honesta, *quam unguenta
pretiosa.* Nam bonum nomen est ad gloriam
Dei, ædificationemque proximi, et ei qui
bonæ famæ est, ad multa accommodum. Id-
circo, secundum Augustinum, qui negligit
famam, crudelis est, quoniam quantum in
se est, interimit proximos qui audiunt ma-
C lum de eo. Deo itaque debemus conscien-
tiam puram, proximo bonam famam. Hinc
ait Apostolus : Christi bonus odor sumus II Cor. ii,
in omni loco. Et Seneca contestatur : Ho- 15, 14.
nestus rumor, alterum est patrimonium.
Verumtamen multi devoti doctores affir-
mant pertinere ad humilem, ut velit ab
omnibus vituperari, contemni, et concul-
cari. Quomodo igitur appetit nomen bo-
num? Et respondendum, quod quantum in
se est, ex consideratione suorum pecca-
minum, ac desiderio conformandi se ali-
D qualiter Christo propter se passo, appetit
talia; sed ne alii scandalizentur in ipso,
atque ex hoc Deus inhonoretur, bonam de-
siderat famam.
Et dies mortis, die nativitatis. Dies na-
tivitatis est, qua generamur in culpa, et
natura filii iræ, atque ad multa pericula et Ephes. ii, 3.
tormenta ac vitia. Unde Sancti quidam, ta-
li diei maledixisse leguntur, præsertim Job
et Jeremias, dicentes : Maledicta dies in Job iii, 3;
qua natus sum. Hinc Jeremiæ quintodeci- Jer. xx, 14.
mo dicitur : Væ mihi, mater mea; quare Jer. xv, 10.

Digitized by Google

me genuisti, virum rixæ, virum discordiæ? Porro in die mortis evadimus mala ista : ideo melior nuncupatur. Verumtamen, quoniam esse et vivere, sunt naturaliter appetibilia valde, et mala pœnæ possunt ad salutem proficere, atque in vita hac possumus virtutes sortiri, beatitudinemque mereri, et filii adoptivi fieri Creatoris; ideo secundum istum respectum, non est dies mortis melior die nativitatis, sicut nec mors melior vita : nisi intelligatur de electis et Sanctis, quorum dies mortis, vocatur dies natalitius eorum, quia tunc incipiunt feliciter vivere, et confirmati esse
Ps. xxxiii, 22. in bono. Mors autem peccatorum, pessima. Dies quoque mortis eorum, qui egressi de corpore, purgatorio deputantur, quantum ad hoc, melior est die nativitatis : quia ex tunc assecurantur de æterna felicitate, et immobilitantur in gratia, evadentes multa ac magna pericula. Sed in quantum pœnæ purgatorii valde acriores sunt pœnis vitæ præsentis, nec in purgatorio quis potest mereri, videtur dies mortis illorum non esse melior die nativitatis eorum qui regenerantur in Domino. Reprobis vero expediret magis non nasci, quam ad tot peccata et ad æterna supplicia gigni. Cur ergo Dominus creat eos? Respondet Damascenus : Quoniam Deus facit quod ad suam pertinet bonitatem, nec decet eum omittere hoc ob abusionem et ingratitudinem nostram. Multa quoque bona ex eis et ex eorum elicit damnatione.

3 *Melius est ire ad domum luctus,* ubi deploratur defunctus, vel ad pœnitentium et sua peccata lugentium congregationem, vel ad locum seu templum ubi fit sermo de novissimis hominum, de stultitiis quoque peccantium, de enormitatibus et turpitudinibus vitiorum, ex quorum prædicatione, audientes inducuntur ad luctum salubrem; *quam ad domum convivii :* quia in convivio resolvitur cordis compunctio, fitque frequenter excessus in cibo et potu, in verbis, jocis ac risibus, ex quibus oriuntur incitamenta lasciviæ. Unde Judas
Judæ 12, 13. apostolus in sua fatur Canonica : Hi sunt

A in epulis suis convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, despumantes suas confusiones : quibus procella tenebrarum conservata est in æternum. In Exodo quoque asseritur : Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere. Exod. xxxii, 6. Propterea dicit Gregorius : Sicut impossibile est ignem in aqua ardere, sic impossibile est in convivantibus compunctionem vigere. Cur autem sit melius ire ad domum luctus, subjungitur :

In illa enim, puta in domo luctus, *finis*
B *cunctorum admonetur hominum :* id est, ex defuncti præsentia inducuntur qui adsunt, ad meditandum de sua morte, quæ finis est vitæ mortalium. Quod etiam ex verbis atque sermonibus fit in congregationibus pœnitentium, et in locis sermocinantium. *Et vivens cogitat quid futurum sit* sibi, scilicet qualiter morietur et judicabitur a Deo, ac punietur acerrime nisi in præsenti expurgatus fuerit plene. Hæc autem consideratio mortis et concomitantium eam, efficacissima est ad vitandum
C omne peccatum, ut Climacus scribit. Hinc Plato in Phædone disseruit : Meditatio philosophorum est separatio et dissolutio animæ a corpore. Et rursus : Revera philosophantes, morti se præparant. Si quem videris graviter ferre quum debeat mori, nullo modo erat philosophus. Mors aliud non est quam animæ corporisque divisio. Hæc Plato. Seneca quoque in suis testatur Proverbiis : Omnes vitam differentes, id est diu vivere se putantes, incerta mors prævenit : ideo omnis dies tanquam ulti-
D mus ordinandus est. Hoc est quod sanctus pater Macarius docuit, ut semper tam discrete et timorate ac pure vivamus, quasi die quolibet morituri, et quasi centum annis victuri.

Melior est ira risu. Hoc intelligendum 4
est de ira per zelum, qua contra propria ac proximorum peccata movemur, ac ea punimus. Sicque (ut Tullius loquitur) vindicativa est pars quædam justitiæ. De hac ira laudabili fatur Chrysostomus : Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec ju-

Digitized by Google

dicia stant, nec crimina compescuntur. A Itaque qui, dum causa est, non irascitur, peccat. Patientia enim irrationabilis vitia seminat, nec solum malos, sed et bonos ad malum invitat. Verumtamen grandi moderatione uti oportet circa hanc iram, ne immoderantius exardescat. Propter quod affirmat Gregorius, quod non debet quasi domina rationem præcedere, sed tanquam ancilla post tergum sequi. Ira quippe per zelum vocatur, quam ratio per imperium sibi assumit, quatenus actum virtutis efficacius exsequatur. Melior ergo est ira B hæc risu : quoniam magis caritativum, pium, et justum est peccanti irasci, quam arridere : quemadmodum pater filio suo dilecto ac delinquenti irascitur; qui autem non diligit ipsum, de ejus culpa et insipientia ridet. Hinc subditur : *quia per tristitiam vultus,* quam ira per zelum causat in facie, *corrigitur animus delinquentis :* dum pensat alium ob suum contristari excessum, præsertim quando advertit illum sic contristari ex caritate illius ad se, aut ex zelo justitiæ. Unde ait Bernardus, C quod animus probus, videns alium pro se ita sollicitum, erubescit illo præsente reprehensibiliter se habere. Hinc etiam in
Prov. xxv, 23. Proverbiis dictum est : Ventus Aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Dum ergo quis non audet corripere delinquentem, ad minus ostendat ei faciem tristem, ut sic perpendat quantum culpa sua sibimet noceat, quæ alium sic contristat.

5 *Cor sapientium, ubi tristitia :* id est, sapientium est de malo culpæ tristari, pec- D cantibus condolere, mundi hujus miserias deplorare, præsens deflere exsilium, præsertim quod Deus omnipotens indesinenter tam graviter ac multipliciter inhonoratur, offenditur, atque tot animæ pereunt ac damnantur. Hac ex causa (secundum Basilium in regula sua) non licet modo ridere. Hæc est bona et ordinata tristitia :
II Cor. vii, 10. de qua fatetur Apostolus, Quæ secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Tristitia vero sæcularis inordinata, quæ est de propria injuria, infirmitate, temporalive damno, est vitiosa. De qua idem dixit Apostolus : Sæculi tristitia mortem operatur. II Cor. vii, 10. De qua in Proverbiis dictum est : Sicut tinea vestimento, sic tristitia nocet cordi. Prov. xxv, 20. Denique sapiens contristatur de propria imperfectione, et pronitate in malum, et quod tam longe distat a perfectione optata, cœlestique gloria.

Et cor stultorum, ubi lætitia : id est, stultorum est inaniter gloriari, sibi ipsi placere, de aliorum ruina ridere. Unde dictum est supra : Risum reputavi errorem, Eccle. ii, 2. et gaudio dixi : Quid frustra deciperis ? Stultissimorum autem est gaudere quum Prov. ii, 14. male fecerint, et in rebus pessimis exsultare, seque de iniquitate jactare. Similiter oblivisci periculorum quibus expositi sumus, et risibus, jocis, choreis, lusibusque vacare, insaniæ est. Idcirco de talibus in Job scriptum est : Tenent tympanum et Job xxi, 12, 13. citharam, et gaudent ad sonitum organi ; ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad infernum descendunt. (Verum est alia bona lætitia, in contemplatione, dilectione cultuque Dei, et actione virtutum consistens. De qua ait Scriptura : Gaudete in Philipp. iv, 4. Domino semper; et iterum, Servite Domino in lætitia. Ps. xcix, 2.) Hinc etiam docuit Christus : Beati qui lugent; et, Væ vobis qui Matth. v, 5. ridetis. Luc. vi, 25.

Melius est a sapiente corrigi, id est ver- 6
bis ac disciplinis castigari, *quam stultorum,* id est iniquorum et callidorum, *adulatione decipi :* qui laudant peccatorem Ps. x, 3, sec. Hebr. in desideriis animæ suæ, et blandiendo quærunt placere, ac propria commoda consequi, non autem peccantem curare. Hinc Seneca dixit : Admonearis libenter, reprehensionem sume gratanter ac patienter. Si merito objurgarit te aliquis, scito quod prodesse voluit. Non dura, sed adulatoria verba verearis. Esto vitiorum fugax, aliorum vero neque curiosus scrutator, nec reprehensor acerbus, sed sine exprobratione corrector, ita ut admonitionem hilaritate prævenias. Quocirca inquiri potest, qualiter dicat admonitionem hilaritate

Digitized by Google

prævenienđam, nec reprehensionem debere acerbam esse, quum jam dictum sit, per tristitiam vultus corrigi animum delinquentis, et quædam vitia acriori indigeant increpatu. Et respondendum, quod admonitionem dicit hilaritate præveniendam, non increpationem. Vel si nomine admonitionis increpationem includit, dicendum quod superiores, et benevoli cito flexibiles, et ex infirmitate peccantes, prævia hilaritate sunt arguendi seu admonendi. Quod si tali non acquieverint reprehensioni et informationi, durius sunt tractandi, præsertim si subditi sint. Idcirco dicit Isidorus : Qui blando verbo castigatus non emendatur, necesse est ut acrius arguatur. Et cum dolore sunt abscindenda, quæ non possunt levi castigatione arceri.

7 *Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla* est vehemens atque confusus, *sic risus stulti* est inconditus et dissolutus, ac cachinnativus, etiam in peccato et ruina alterius. Unde communiter dicitur : Per risum multum, poteris cognoscere stultum. De hoc Seneca scripsit : Reprehensibilis risus est, si immodicus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus. Odibilem quoque hominem facit risus, aut superbus et clarus, aut malignus et furtivus, aut alienis malis evocatus. Non sit tibi scurrilis, sed grata urbanitas ; risus sine cachinno, vox sine clamore, incessus sine tumultu, quies sine desidia ; et quum ab aliis luditur, sancti et honesti aliquid tracta. *Sed et hoc vanitas.*

8 *Calumnia,* id est illatio magnæ injuriæ, *conturbat sapientem, et perdet robur cordis ejus,* id est, patientiam et constantiam ejus dejiciet. Quomodo verum est hoc, quum scriptum sit alibi, Non contristabit justum, quidquid ei acciderit ; et sapientis sit, in adversis gaudere, ac passionibus dominari ? Gregorius quoque, Justorum (inquit) sapientia est, mala libentius tolerare quam facere, nullam injuriæ ultionem quærere, contumeliam propter veritatem illatam, lucrum putare. Seneca etiam loquitur : Non ex vocibus spectandi sunt sapientes, sed ex perpetuitate virtutis atque constantiæ. Verum ad istud patet responsio, ex verbis Albini et Glossæ, dicentium : Sapiens perfectus nulla arguitione indiget, nulla turbatur calumnia : ideo de sapiente adhuc in profectu constituto, istud est accipiendum, qui aliquando turbatur de iniquitate humani judicii, quando Deus statim non punit. Et de taliter bono seu virtuoso disseruit Seneca : Mutat se bonitas, quum irritatur injuria ; et rursus, Bonus animus læsus, gravius multo irascitur. De virtuoso autem et sapiente perfecto, fatetur : Contumeliam pati nec fortis nec ingenuus potest ; et denuo, Ingenuitas non recipit contumeliam.

Prov. XII, 21. — *Jacob.* I, 2.

9 *Melior est finis orationis, quam principium.* Finis enim est consummatio rei, et a fine res præcipue sumit denominationem atque virtutem. Unde dicitur : Dum finis bonus est, totum bonum est. Nempe si oratio a devotione incipiat, et in distractione terminetur, invalida esse, aut parum valere censetur. Si autem a distractione inchoetur, et in recollectione, devotione, et fervida unione finiatur, idonea judicatur. Et quamvis principia dicantur maxima esse virtute, et plus quam media totorum, finis tamen primatum sortitur. Propter quod adstruit Veritas : Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hinc Dominus in Levitico jussit sibi caudam in sacrificium immolari. — *Melior est patiens arrogante.* In patientia enim anima possidetur, in superbia perditur. Atque per arrogantiam maxime fit homo servus, membrum filiusque diaboli, qui est rex super omnes filios superbiæ.

Matth. XXIV, 13. — *Lev.* III, 9 ; VII, 3. — *Luc.* XXI, 19. — *Job* XLI, 25.

10 *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu,* id est corde, *stulti requiescit.* Siquidem eo ipso, quo quis iram per vitium, de qua intelligitur istud, non solum admittit, sed etiam intra se retinet ita quod quiescit in eo, stulto assimilatur et luce sapientiæ caret : ac stultus est, non solum eo modo, quo omnis qui in mortali

est culpa, stultus asseritur; sed et tanto specialius, quo ira mentem intus magis excæcat, et hominem in apparatu vultus, exteriorique gestu, stulto, imo et furioso facit similiorem. Hinc fertur in Job : Virum stultum interficit iracundia. Et congrue ait, Interficit : quoniam ex suo genere peccatum est mortale, tam ratione immoderatæ suæ impetuositatis, qua rationi penitus dominatur, quam propter excessum ultionis, quam expetit seu infligit : quæ dum offensæ injuriam vehementer transcendit, directe contrariatur justitiæ æqualitati. Ideo ait Hieronymus : Quid iracundo furor suus confert, quem sævissimis exagitat stimulis passionis, et ita ab omni consilio ac mente deturpat, ut dum irascitur, insanire credatur? Amplius, quam nociva, turbativa, et intolerabilis ira exsistat, pandit Gregorius, dicens : Per iram justitia relinquitur, gratia vitæ socialis amittitur, mititas superatur. De hoc dictum est plenius super illud Proverbiorum, Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Et sicut Seneca Tulliusque testantur, menti furore ebriæ rectum videtur, quidquid judicat et operatur; perversumque arbitratur, quidquid judicio suæ commotionis contrarium ei denuntiatur. Ista ira omnino vitanda est. Et si primi motus non præveniantur, ne oriantur, reprimantur tamen, ne augeantur aut immorentur. Nam (ut Seneca fassus est) in bono viro cito moritur iracundia. Qui iterum ait : Esto tardus ad iram, promptus ad misericordiam. Nempe quum ira ex suo genere sit mortalis, consuetudo irascendi periculosissima est, quum et irrefrenata venialium consuetudo, mortalis perhibeatur.

Job v, 2. — *Prov.* xviii, 14.

11 *Ne dicas : Quid putas causæ est, quod priora tempora meliora fuere quam nunc sunt? Stulta est enim hujusmodi interrogatio.* Dies namque in se ipsis vel ex sua natura, nec boni nec mali sunt; sed quo homines sub tempore aliquo exsistentes, sunt meliores aut deteriores, eo dies meliores aut pejores sunt. Hinc in Michæa habetur : Non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est. Ista autem eminentia bonitatis, et excessus malitiæ, ex libero dependent arbitrio. Ideo Salomon istud inducit contra illorum amentiam, qui impietates suas volunt excusare, retorquendo eas in malitiam temporis. Propterea dicit Hieronymus : Ne dicas : Priora tempora meliora fuerunt quam nunc sunt. Virtutes faciunt dies bonos, vitia malos. Hinc hortatur Apostolus ut dies malos faciamus bonos, dicendo : Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Glossa quoque : Sic (inquit) vivere debes, ut dies præsentes semper sint tibi meliores quam præteriti. Nempe ex consideratione malorum præcedentis diei, cautiores merito efficeremur. Propter quod Seneca loquitur : Discipulus est prioris diei dies posterior.

Mich. ii, 3. — *Ephes.* v, 16.

Denique, loquendo in generali, triplex ponitur tempus, scilicet : tempus legis naturalis, ab Adam usque ad Moysen; exinde, tempus legis scriptæ, usque ad dationem evangelicæ legis a Christo : sub quo est tempus evangelicæ legis, usque ad finem mundi. In quolibet etiam horum trium temporum, potest distingui prius et posterius. Dicunt igitur aliqui, quod tempus evangelicæ legis fuit melius præcedentibus duobus temporibus : quia in eo est data lex perfectissima, et abundantia gratiarum præcipua (propter quod, tempus gratiæ nuncupatur), et plures quam ante crediderunt in Deum. Similiter tempus legis scriptæ, dicunt melius fuisse tempore legis naturæ : quia in tempore legis scriptæ, multa et magna gratiarum charismata hominibus sunt collata, magis quam ante. Sicque affirmant posteriora tempora fuisse prioribus meliora. — Alii dicunt, quod prima pars temporis legis naturæ, fuit melior quam pars ejus posterior : quoniam tempore Adæ, et diu postea, ipse et posteritas ejus, pro magna parte coluerunt unum verum Deum; postea vero, circa tempora Noe, cœperunt communiter ad carnis vitia declinare, prout in Genesi narratur quod

Digitized by Google

Gen. vi, 12. omnis caro corrupit viam suam; et post diluvium ad idololatriam corruerunt. Idem dicunt de tempore legis scriptæ, quod scilicet tempora meliora fuerunt sub Moyse et Aaron ac senioribus, sub quibus facta sunt mirabilia multa et magna; et sub Josue, diuque postea, filii Israel Domino servierunt. Similiter in exordio primitivæ Ecclesiæ, maxima data est copia gratiarum, et innumerabilia tunc fiebant miracula : ideo tempus illud dicunt posteriori tempore melius exstitisse. Sicque affirmant tempora priora fuisse meliora, comparando partem unius temporis, ad aliam ejusdem temporis partem. Verumtamen Boetius videtur sensisse, tempora priora absolute fuisse meliora, dicendo :

> Felix nimium prior ætas,
> Contenta fidelibus arvis.

Unde et Seneca : Quotidie, inquit, deterior est dies posterior.

Hinc videtur dicendum ac respondendum, sub triplici distinctione. Prima est, quod dies dicuntur deteriores seu meliores, non solum propter mala culpæ, sed et propter mala pœnæ. Secunda est, quod dies dicuntur meliores seu pejores dupliciter, utpote intensive et extensive : intensive, propter gratiarum seu prosperitatum exuberantiam; extensive, propter multitudinem suppositorum servientium Deo. Tertia, quod uno et eodem tempore dies apud quosdam sunt meliores, et apud alios deteriores. Ex qua distinctione multæ sumi possunt considerationes ad dissolvendum propositam quæstionem. Siquidem tempore Apostolorum intensive erant tempora meliora, Evangelio nondum undique divulgato : quo sic divulgato, meliora erant extensive. Rursus, tempore primitivæ Ecclesiæ, durante persecutorum tyrannide, tempora erant pejora, loquendo de malo pœnæ. Sed instante Antichristi adventu, erunt pejora, tam malitia culpæ, quam pœnæ. Postremo, tempore evangelicæ legis, Christus in Ecclesia sua magnam frequenter fecit reformationem, nunc in una parte Christianitatis, jam in alia. Sicque quibusdam, tempora posteriora facta sunt aurea et prioribus meliora.

Utilior est sapientia cum divitiis, quam 12
sine eis. Nam bonum creatum additum bono creato, efficit ipsum majus. Sapiens autem divitiis bene scit uti, et per eas succurrit egenis. Verumtamen istud dictum videtur secundum cursum et tenorem legis Mosaicæ, in qua indigentia seu paupertas valde fuit horrori, juxta illud Deuteronomii : Omnino indigens et mendicus non erit inter vos. (Deut. xv, 4.) Unde et alibi legitur : Melius est mori, quam egere. (Eccli. xl, 29.) Christus autem legem perfecit, et paupertatem exemplo ac verbo edocuit; illamque prædicavit esse altissimam, in qua nec in generali, neque in speciali proprium quid habetur. (Matth. viii, 20; v, 3.) Universa quoque terrena docuit atque consuluit esse derelinquenda, viam perfectionis ingredi cupienti. (Ibid. xix, 21.) Quamvis enim divitiæ non sint malæ in se, multas tamen et magnas habent occupationes et curas annexas : sed et valde difficile est, eis uti sine excessu. Hi quoque qui eas propter Deum omnino relinquunt, nec propria retinent, aliunde multo majora virtuosarum actionum subsidia consequuntur, videlicet gratiarum charismata, quam sint ipsæ corporales divitiæ. Itaque melior est sapientia cum evangelica, spontanea religiosaque paupertate, quam cum divitiis. Hinc gloriosissimus et sapientissimus princeps Apostolorum locutus est claudo ex utero : Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi surge et ambula. (Act. iii, 6.) Vas quoque electionis : Altissima, inquit, paupertas eorum, abundavit in divitias simplicitatis eorum. (II Cor. viii, 2.)

Præterea quæritur, quomodo Salomon dicat hic, Utilior est sapientia cum divitiis, quum in Proverbiis dixerit, Mendicitatem et divitias ne dederis mihi. (Prov. xxx, 8.) Et respondendum, quod per divitias potest hic sufficientia terrenorum intelligi, ibi vero, superfluitas. Regibus quoque et in magnis officiis constitutis, necessariæ sunt divi-

Digitized by Google

tiæ. Illud vero Proverbiorum, in persona eorum qui de communi sunt statu, potest accipi dictum.

13 *Et magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia* sapientem, contra insidias visibilium ac invisibilium adversariorum. Propter quod in Proverbiis Prov. II, 7. dictum est : Sapientia protegit gradientes simpliciter. Sapientia etenim facit hominem oculatum, custoditum, Deoque inhærentem : et ita meretur divinum subsidium. *Sic protegit et pecunia,* id est bonus ac prudens usus pecuniæ, utpote misericordiæ opera; et per eam acquiruntur ac nutriuntur auxiliarii contra hostes. Unde Luc. XVI, 9. in Evangelio loquitur Dominus : Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. *Hoc autem plus habet eruditio,* quæ est actus sapientiæ, *et sapientia,* quæ est donum Spiritus Sancti, *quod vitam tribuunt possessori suo,* id est, causa meritoria sunt vitæ gratiæ, ejusque incrementi, et vitæ gloriæ. Quod quamvis usus præfatus pecuniæ etiam faciat, non tamen ita principaliter et directe. Pecunia enim non est virtus. Sapientia vero uno modo est virtus intellectualis, et alio modo dicitur donum.

14 *Considera opera Dei,* id est secreta et incomprehensibilia ejus judicia, et effectus circa homines, qualiter unum misericorditer vocet intusque trahat (sicut in Joann. VI, 44, 45. Evangelio Joannis asserit Christus : Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum; omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me) ; alium vero juste Rom. IX, 18. relinquat. Unde ait Apostolus : Cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Hinc rursum Dominus in Exodo aperte ac terribiliter Exod. XXXIII, 19. protestatur : Miserebor cui voluero, et clemens ero in quem mihi placuerit. Hæc autem consideranda sunt reverenter ac timorate et sobrie, in quodam generali, absque scrutinio rationum eorumdem in speciali. In communi etenim potest ratio assignari, Rom. IX, 23, 22. quia vult Creator omnipotens in quibusdam declarare suam misericordiam et suæ pietatis perfectionem, in aliis suam justitiam, prout ad Romanos plenius docet Apostolus. Tamen in speciali, cur scilicet istum magis quam illum elegerit seu prædestinaverit, ratio a nobis assignari non valet, si totus prædestinationis effectus simul sumatur, prout Richardus de Mediavilla super primum Sententiarum declarat. Certum est tamen, quod Deus altissimus essentialiter bonus, sapiens, justus, nil irrationabiliter injusteve agat, sed rationem dignissimam sui operis intra se intuetur.

Itaque, Considera opera Dei, et scito *quod nemo possit corrigere,* id est per verba aut disciplinas seu alio modo convertere, ita ut finaliter perseveret in bonis, *quem ille,* utpote Deus, *despexerit.* Porro dupliciter despicit peccatorem. Primo, secundum præsentem justitiam. Sicque despicit omnes qui in mortali sunt culpa, juxta illud Psalmi : Sprevisti omnes discedentes a justitiis tuis. Ps. CXVIII, 118. Secundo, per præscientiam æternalem et reprobationem finalem : de qua aspernatione jam sermo. Et quem sic spernit, nullus finaliter corrigere potest, quamvis ad tempus ad pœnitentiam emolliatur. Cujus reprobationis et aspernationis probabile signum, est obduratio hominis in peccato. Quem dum quis talem experitur, debet ab ejus correptione cessare, saltem ad tempus, et orare pro ipso : si tamen sit subditus suus, debet ei opportuno tempore, quod ex officio obligatur, impendere, et propter conservationem boni communis, peccantem arguere seu punire.

In die bona fruere bonis, id est, tempore 15
prosperitatis et gratiæ, utere donis Dei jucunde et moderate; *et malam diem præcave,* id est, diem ultionis, tentationis seu adversitatis stude effugere, ita ut non condemneris, nec tentationibus obruaris, nec adversis frangaris in ea. Unde in Oratione dominica dicimus : Et ne nos inducas in Matth. VI, 13. tentationem, sed libera nos a malo; atque in Psalmo : Beatus qui intelligit super egenum et pauperem; in die mala liberabit Ps. XL, 2.

Digitized by Google

eum Dominus. Quidam exponunt sic : *In* A
die bona, id est in diebus solennibus,
fruere bonis, id est cibis et potibus lau-
tioribus. Quod tunc licet, juxta illud Ne-
II *Esdr.* VIII, 10. hemiæ : Ite, comedite pinguia, et bibite
mulsum, et mittite partes his qui non præ-
paraverunt sibi, quia dies sanctus Domini
Tob. II, 1, 2. est. Unde et in Tobia legitur : Quum esset
dies festus Domini, et factum esset pran-
dium bonum in domo Tobiæ, dixit filio
suo : Vade, et voca aliquos de tribu nostra
timentes Deum, ut epulentur nobiscum.
Et malam diem præcave, id est, a talibus B
deliciis cave diebus deputatis afflictioni
atque jejuniis : quemadmodum in Levitico
Lev. XXIII, 29. fertur de die expiationis, Omnis anima
quæ afflicta non fuerit die hoc, peribit de
populis suis. Sed non apparet quod dies
festi, virtutum actibus deputati et sacri,
vocentur in Scripturis mali.

Sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus.
Utramque enim diem instituit Deus ad
actus congruos illis. Et sicut dies prospe-
ritatis ac meritorum, est effectus pietatis
divinæ; sic dies judicii et ultionis seu ad- C
versitatis, opus est divinæ justitiæ. *Ut non
inveniat homo contra eum justas queri-
monias,* id est, ne rationabiliter conqueri
possit, quod Deus injuste quemquam con-
Ps. CIII, 24. demnet, aut inconvenienter disponat. Om-
nia enim in sapientia fecit, et tempus
pœnitendi ac promerendi largitur, nec ali-
cui injuriatur. Certamen quoque requirit
a suis ministris, ut in tentationibus et ad-
versitatibus viriliter prælientur contra ho-
II *Tim.* II, 5. stes suæ salutis : quoniam non meretur
coronari, nisi qui certat legitime. Hinc in D
Evangelio, murmuranti legitur respondis-
Matth. XX, 13. se : Amice, non facio tibi injuriam. Et
Job II, 10. sanctus Job dixit : Si bona suscepimus de
manu Domini, mala quare non sustinea-
mus? Angelus quoque Tobiæ locutus est :
Tob. XII, 13. Quia acceptus eras Deo, necesse erat ut
tentatio probaret te. Consequenter probat
præcavendum malum diem, juxta sensum
inductum, et quod sit factus a Domino.

16 *Hæc quoque vidi in diebus vanitatis
meæ,* id est transitoriæ ac miseræ vitæ
meæ. *Justus perit in justitia sua :* id est,
juste vivendo, et propter suam justitiam
persecutiones mortemque patitur; *et im-
pius multo vivit tempore in malitia sua :*
ita quod vitiose vivendo, prosperatur in
mundo. Unde Isaias testatur : Justus perit, *Is.* LVII, 1.
et non est qui recogitet. Et tamen istud
videtur divinæ derogare justitiæ ac provi-
dentiæ provisoris æterni. Et utique dero-
garet, si non esset vita alia post præsen-
tem, nec futurum Dei judicium, qui juste
ac sapienter ista permittit seu agit, quate-
nus electi et justi taliter patiendo a suis
culpis in hac vita purgentur, majoremque
gloriam consequantur, ac aliis in exem-
plum ponantur; impii autem ac reprobi,
majora suæ perversitatis sortiantur tor-
menta. Tamen quia de isto multi solent
mirari, in eorum persona loquitur Jere-
mias : Justus quidem tu es, Domine, si *Jer.* XII, 1.
disputem tecum; verumtamen justa loquar
ad te. Quare via impiorum prosperatur?
Talibus quoque per Malachiam loquitur
Deus : Invaluerunt super me verba vestra, *Malach.* III, 13-15.
et dixistis : Vanus est qui servit Deo; et
quod emolumentum, quia custodivimus
præcepta ejus, et quia ambulavimus tri-
stes coram Domino? Ergo nunc beatos di-
cimus arrogantes, siquidem ædificati sunt
facientes impietatem.

Noli esse justus multum. Justitia virtus 17
est : quæ tanto fuerit major, tanto et me-
lior. Quomodo ergo ait, Noli esse justus
multum? Et respondendum, quod quamvis
justitia sit virtus in se, in qua directe non
est excessus, quia augmentatio ejus est
sua completio; tamen in exercitiis et acti-
bus, quibus ad justitiam seu ejus profe-
ctum pertingitur, et quæ ad eam pertinere
putantur, potest excessus superfluitasque
accidere, sicut et circa caritatem et absti-
nentiam. Itaque homo non debet se immo-
deratis, indiscretis, et sibi importabilibus
vigiliis, jejuniis, disciplinis, et consimili-
bus fatigare amore justitiæ obtinendæ aut
perficiendæ, vel desiderio proficiendi in
caritate aut devotione. Nec debet circa
justitiam, per nimium rigorem seu auste-

Digitized by Google

ritatem excedere, sed medium observare, A faciliter indulgere, ac circa proximos potius declinare ad minus, quam ad majus : virtus namque moralis, est quædam medietas inter duo vitiosa extrema; estque clementia justitiæ contemperanda. Juxta hunc modum in Proverbiis dictum est : Prudentiæ tuæ pone modum; et in Jeremia, Quia plus fecit quam potuit, idcirco periit. (Prov. XXIII, 4. Jer. XLVIII, 36.) Hinc ait Chrysostomus : Circa vitam tuam esto austerus; circa aliorum vitam, benignus. Audiant te homines parva præcipientem, et grandia operantem.

Severitas autem (ut Cicero loquitur) est, per quam judiciaria potestas aut ultio in aliquem districtius exercetur. Qualis vero debeat esse intentio judicis justique correctoris, idem Cicero pandit, dicendo : In corrigendo seu vindicando hæc tria lex secuta est, quæ princeps quoque sequi debet : ut eum quem punit seu reprehendit, emendet; aut pœna ejus ceteros meliores reddat; aut ut iniquis sublatis, ceteri vivant securius. Quantum vero severitas sit vitanda, patet ex verbis Senecæ, qui fatetur : Severitas assiduitate auctoritatem amittit; et rursus : Vide si adhuc malus es, et similibus parce; verum si esse desisti, quare aliis locum emendationis abscindas?

Circa hunc locum ait Albinus : Qui nunquam fraternis ignoscere vult peccatis, sed omnia vindicare secundum impetum animi sui, plus et aliter justus est quam deceat. Quum enim dicat Salvator, Nolite judicare, ut non judicemini; et, Si dimiseritis hominibus, dimittet vobis Pater cœlestis delicta vestra : (Matth. VII, 1. Ibid. VI, 14.) nec nimis rigidus, nec nimis solutus debet esse prælatus, sed via regia ingredi, et considerare diligenter quid cui conveniat ad salutem animæ suæ.

Neque plus sapias quam necesse est : id est, non coneris de secretis et incomprehensibilibus plus intelligere quam convenit tibi : sicut in exordio hujus capituli dictum est, Quid necesse est homini majora se quærere? Neque de tua sapientia aut justitia immoderate præsumas; sed potius te ipsum humilia, propriæ fragilitatis mensuram considera, et Deum formidare non cesses : sicut hortatur Apostolus, Noli altum sapere, sed time. (Rom. XI, 20.) *Ne obstupescas,* id est, ne mentis stuporem hebetudinemque incurras ex tali scrutinio, aut reputatione tui ipsius.

18 *Ne impie agas multum.* Hoc dicit, non licentiando ut impie agamus, dummodo non multum hoc faciamus, sed ut studeamus omnino vitare mortalia, si venialia in toto vitare non possumus. Omnia equidem, B sed non singula, vitare valemus. Sequitur : *et noli esse stultus,* id est divini transgressor præcepti, et temporalia ac terrena Creatori tuo præponens, quod prorsus stultissimum est; *ne moriaris in tempore non tuo,* id est præfixo tuæ periodo, si sapiens esses : hoc est, ne peccando merearis per leges humanas cito occidi, et ne Deus propter facinora tua tuam acceleret mortem. Quemadmodum in Job de quibusdam dicitur : Semitam sæculorum calcaverunt viri iniqui, qui ante tempus suum sublati sunt; (Job XXII, 15, 16.) C et in Psalmo, Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. (Ps. LIV, 24.) Sic mortui sunt tempore non suo Dathan et Abiron, Core et Hon. (Num. XVI, 1, 32.) Nempe (ut Augustinus in libro de Doctrina christiana declarat) Deus a quocumque homine vel populo æquanimiter sustinet certum aliquod pondus culparum : quo impleto, ultra non tolerat. Hinc (ut in Genesi habetur) dixit Deus ad Abraham : Nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum. (Gen. XV, 16.) Jeremias quoque asserit : Non poterat vos Dominus ultra portare propter D malitiam studiorum vestrorum. (Jer. XLIV, 22.)

19 *Bonum est te sustentare justum,* id est, laudabile est, ut virtuosos pie refoveas, et in temporalibus ac spiritualibus misericordiæ actibus pro posse eis subvenias : quemadmodum in Ecclesiastico scriptum est, Benefac justo, et invenies retributionem magnam. (Eccli. XII, 2.) Ad Galatas quoque Apostolus : Dum tempus (inquit) habemus, operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei. (Galat. VI, 10.) *Sed et ab illo ne subtrahas manum tuam,* id est, consilium et subsidium ne

Digitized by Google

deneges justo, ne Deum inhabitatorem illius, qui istud præcepit, offendas; *quia qui timet Deum, nihil negligit.* Qui enim filiali, aut saltem initiali timore Deum veretur, nullum omittit præceptum, secundum quod talis; tamen, in quantum liberi exstat arbitrii, potest peccare. Itaque timor Dei retrahit a negligentiis et peccatis. Estque timor iste, diligentiæ sollicitator atque custodiæ pater, ita quod quanto plus in timore isto [quis] excreverit, tanto vigilantior ac sollicitior est ad vitandum om-
Ps. xxxiii, 10. nem negligentiam et offensam. Ideo nihil deest ita timenti Deum.

20 *Sapientia,* quæ est donum, et præsertim increata Sapientia, quæ est Deus, *confortavit sapientem super decem principes civitatis,* id est, fecit eum spiritualiter fortiorem quibuscumque civitatum rectoribus, sapientiam non habentibus: quoniam tales a vitiis protinus superantur. Vel, Super decem principes, id est, plus roboravit sapientem, quam a quibuscumque principibus possit confortari: quia, ut scriptum
Jer. xvii, 5. est, Maledictus homo qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Ideo ait Psalmi-
Ps. cxvii, 9. sta: Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. Hinc ait Scriptura:
Sap. vi, 1. Melior est sapientia, quam vires; et item,
Ibid. vii, 30. Sapientia vincit malitiam. *Non est enim*
21 *homo justus super terram qui faciat bonum, et non peccet:* id est, nemo in hac vita (secundum legem communem) tam virtuosus est, aut tam intentus diligenter actibus bonis, quin aliquando peccet, saltem venialiter. Nam et multæ distractiones, imperfectiones, ac negligentiæ admiscentur actibus nostris bonis. Propter quod
Is. lxiv, 6. loquitur Isaias: Quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ. Hinc quoque fer-
Job xv, 14. tur in Job: Quid est homo ut immaculatus sit, et justus appareat natus de muliere? Quod quum ita sit, omnes indigemus sapientia confortante.

22 *Sed et cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum:* id est, mentem auremque cordis non adhibeas per consen-
A sum aut credulitatem universis verbis quæ audis, videlicet verbis detractoriis, accusatoriis, mendosis, dolosis, et apparentiam non habentibus, aut discordiæ seminativis, nec verbis malis quæ percipis esse dicta de te, inquirendo an sint dicta adversus te, sicut narratur tibi: quia ex his orirentur in te inquietudo, indignatio, ira, impatientia, rancor, contra male loquentes de te. Et præsertim non est credendum de facili narrantibus crimina magna de aliis.
Hinc enim ait Joannes apostolus: Carissimi, I Joann. iv, 1.
B nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus si ex Deo sint. Seneca quoque: Rumoribus, inquit, criminationibus, suspicionibus minime sis credulus, sed potius oppositissimus malignis qui per speciem simplicitatis ad nocendum subrepserint. Iterum protestatur: Difficilem oportet habere aurem ad crimina. Unde Dominus, quasi vix credens tanta esse in Sodomitis facinora, ait in Genesi: Descendam, et Gen. xviii, 21.
videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut
C sciam. Itaque magna mala parit credendi facilitas. Tamen in hac re uti oportet discretione. Nam et Godolias fuit occisus ab IV Reg. xxv, 25; Jer. xli, 2; xl, 13, 14.
Ismaele, quia non credidit verbis Johanan sibi insinuanti insidias Ismaelis. In talibus equidem abundans cautela non nocet, ut quasi non credendo credatur, et qualis sit ipse qui loquitur, consideretur.

Ne forte audias servum tuum maledicentem tibi, eo quod cunctis verbis adhibeas aurem; vel, ne percipias servum tuum tibi maledixisse, id est, mala tibi impre-
D catum fuisse, sicque habeas contra eum grandem commotionem. Etenim qui adhuc faciliter passionantur, sibimetipsis magnam procurant turbationem atque tentationem, de omnibus verbis, præsertim de ipsis (ut eis narratur) dictis, quærendo, et an dicta
sint, inquirendo. *Scit enim conscientia* 23
tua, quia et tu crebro maledixisti aliis: ideo patienter ferre debes, si et alii maledixerint tibi, juxta illud: Sicut fecisti, fiet tibi. Porro, conscientia teste ac judice, nemo nocens absolvitur. Ideo Seneca dixit:

Digitized by Google

Neminem magis verearis, quam conscientiam tuam. Nam aliorum notitiam potes effugere, sed non tuam.

24 *Cuncta tentavi in sapientia :* id est, sapienter, et per sapientiam universa probavi et investigavi ut potui, quatenus de omnibus certam obtinerem notitiam. Unde
I Thess. v, 21. Apostolus : Omnia (inquit) probate; quod bonum est, tenete. Experientia namque exigit multa. *Dixi : Sapiens efficiar :* id est, fiduciam habui pertingendi ad sapientiam magnam ex inquisitione et studio. *Et ipsa longius recessit a me :* id est, quanto plus profeci in ea, tanto limpidius cognovi eminentiam ejus, et vidi quantum ab ejus plenitudine distem. Sapientia etenim proprie est, cognitio divinorum : et quanto in hac vita Deum sublimius contemplamur, tanto perspicacius intuemur quam infinite ab ejus comprehensione deficimus; et tandem per mysticam theologiam conjungimur ei tanquam prorsus ignoto, quantum ad quid est. Propter quod divinus et magnus Dionysius libro de Mystica theologia disseruit : Hoc est Deum vere cognoscere, supersubstantialem supersubstantialiter per omnium ablationem laudare.
25 *Multo magis quam erat :* id est, transcendit meam capacitatem multo plus quam ante mihi innotuit.

Et alta profunditas, id est, imperscrutabilis altitudo in Deo est, præsertim quantum ad superbeatissimæ Trinitatis mysterium; *quis investigabit eam?* id est, nullus poterit eam plene scrutari aut scire. Unde
Exod. xxxiii, 20. ad Moysen Dominus dixit : Faciem meam videre non poteris; non enim videbit me homo, et vivet. Et Christus in Evangelio :
Matth. xi, 27. Nemo novit Patrem nisi Filius. Ideo dixit
Ps. cxxxviii, 6. Psalmista : Mirabilis facta est scientia tua ex me; confortata est, et non potero ad eam. Quum enim scire, sit rem per causam cognoscere, ens illud æternum, independens ac infinitum, infinite excedit omnem mentis creatæ capacitatem. Quapropter
I Cor. xiii, 12. ait Apostolus : Videmus per speculum in ænigmate. Denique (juxta Philosophum) unumquodque tantum habet de

A cognoscibilitate, quantum habet de actualitate. Ideo, sicut Deus incomparabilis et immensus, est infinitæ actualitatis, ita et infinitæ cognoscibilitatis. Propter quod plene comprehendi ac sciri non potest, nisi ab intellectu perspicacitatis et virtutis penitus infinitæ, utpote a se ipso.

Lustravi, id est, considerando circuivi, 26
universa animo meo, ut scirem, et considerarem, et quærerem sapientiam et rationem de singulis rebus atque eventibus; *et ut cognoscerem impietatem stulti,* ad evi-
B tandum et reprobandum eamdem, *et errorem imprudentium,* quatenus et mihi ac aliis inde caverem. *Et inveni amariorem* 27
morte mulierem : id est, hoc reperi, quod mulier amarissimam faciat separationem mentis a Deo : quæ separatio morte corporali amarior est, quia incomparabiliter pejor, et damnationis perpetuæ inductiva, juxta illud Jeremiæ : Scito et vide, quia Jer. ii, 19.
malum et amarum est te reliquisse Dominum Deum tuum. *Quæ laqueus venatorum est :* quia per mulierem dæmones,
C qui animas venantur ad mortem, fallunt et capiunt adolescentes et juvenes atque viros. Unde in Psalmo : Ipse liberabit me Ps. xc, 3.
de laqueo venantium. *Et sagena cor ejus.* Est equidem rete diaboli : et sicut sagena capit quoslibet pisces, sic cor mulieris lascivæ appetit omnes sibi allicere. *Vincula sunt manus illius :* quia per manuum suarum contactum et amplexus, vinculo concupiscentiæ ligat virum. Quemadmodum enim asserit Augustinus, Nihil virilem sic dejicit animum, sicut feminea
D blandimenta, corporumque contactus. Libido quoque ferreas domat mentes. *Qui placet Deo, effugiet illam,* id est vir timoratus et castus. Interdum tamen et talis dejicitur, quemadmodum David per Beth- II Reg. xi, 2-4.
sabee. Unde Augustinus fatetur : Vidi cedros Libani cecidisse, de quorum ruina non magis suspicabar, quam de casu Hieronymi et Ambrosii. *Qui autem peccator est, capietur ab illa.* Peccator enim adjiciet Eccli. iii, 29.
ad peccandum, et unum peccatum pondere suo trahit ad aliud; nec talis meretur

Digitized by Google

retrahi per gratiam Dei. — Spiritualiter, per mulierem istam, hæretica pravitas designatur, quæ amarissime vulnerat corda, et per quam hæresiarchæ maledicti ac dæmones, plurimos deceperunt.

28 *Ecce hoc,* quod jam dictum est, *inveni,* id est, considerando et inquirendo cognovi, *dixit Ecclesiastes, unum et alterum,* id est, ista et illa discutiendo, *ut invenirem rationem* de singulis, sicut jam tactum est :
29 *quam adhuc quærit anima mea.* Nam, sicut homo videns a longe rem pulchram, appetit eam clarius cernere, et desiderio quodam accenditur; ita qui studet pro veritate intelligenda, dum incipit eam cognoscere, inflammatur ad pleniorem ejus notitiam obtinendam. *Et non inveni* eam perfecte. Vix enim possumus de aliqua creatura universas ejus causas assignare aut scire, omnesque ejus proprietates et vires dignoscere, quemadmodum expositum est super illud, Cunctæ res difficiles. (*Eccle.* I, 8.)

Virum de mille unum reperi : id est, tantam inveni in hominibus defectuositatem, quod de mille viris vix reperi unum nomine viri dignum, utpote virtuosum, perfectum, feminea blandimenta spernentem. In quibus verbis ponitur numerus determinatus pro indeterminato, ad innuendum paucitatem bonorum respectu malorum, quemadmodum ait Salvator : Multi sunt vocati, pauci vero electi. Et Apostolus ait : Omnes quæ sua sunt quærunt. Atque in Psalmo : Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt. (*Matth.* XX, 16; XXII, 14. *Philipp.* II, 21. *Ps.* LII, 4.) *Mulierem ex omnibus non inveni :* id est, in feminis tantam inveni fragilitatem, ut nulla in eis virtuosa appareat. Non quod penitus nulla sit virtuosa, sed respective et per hyperbolen dictum est hoc : quia quod modicum est, pro nihilo reputatur, et quia in naturalibus mulieres imperfectiores sunt viris communiter, quamvis non sit ita de singulis. Sicque per verba hæc videtur insinuari, quod plures sint virtuosi viri quam feminæ. Et credibile satis apparet, quod plures sint viri perfecti, quam feminæ, sicut et in naturalibus viri præfulgent. Unde in regula sua beatus ait Hieronymus, quod quantumcumque virtuosa sit mulier, si virtus in viro deficiat, tandem deficit et in muliere.

Solummodo, id est præcipue, *hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum :* 30
id est, protoplastum parentem in originali justitia condidit, scientiis virtutibusque perfectum; vel, quemlibet hominem Deus efficit rectum, id est in naturalibus bonum, ad virtutes dispositum, habentem in se quamdam inchoationem scientiarum atque virtutum concreatam. De primo tamen homine magis potest intelligi, ut ex Genesis primo ac secundo capitulis elucescit. Nam et alibi asseritur : Deus creavit hominem inexterminabilem. (*Sap.* II, 23.) In Ecclesiastico quoque de primis parentibus legitur : Creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit corda illorum. (*Eccli.* XVII, 6.) *Et ipse se infinitis miscuerit quæstionibus,* id est innumerabilibus, non solum quæstionibus utilibus, fructuosis et licitis, sed insuper curiosis, superstitiosis, illicitis : per quarum occupationem negligit quæ sunt salutis, et tempus infructuose consumit.

Quis talis ut sapiens est? Secundum Glossam videtur hoc Salomon implicite et oblique dicere de se ipso, ut sit sensus : Quis talis ut sapiens est? id est, quis tantæ scientiæ, ut ego Salomon, qui antonomastice Sapiens vocor? et tamen in rerum plenaria perscrutatione in tantum deficio. Ideo alii debent de immoderato et curioso scrutinio supersedere. *Et quis cognovit solutionem verbi,* id est difficilium quæstionum per verba propositarum? Vel, Solutionem verbi, id est rei significatæ per verba. Sic enim verbum pro re frequenter accipitur, ut ibi : Quod est verbum quod factum est? (*II Reg.* I, 4.) Quasi dicat : Talem solutionem ego præ aliis scio, nec tamen respondere ad omnia valeo : quanto magis alii debent manum superponere ori? Vel sic : Quis talis ut sapiens? id est, quum tam arduum sit et rarum, ad sapientiam pervenire, quis talis, id est, quis in sæculo isto

Digitized by Google

tam appretiandus et commendandus, sicut vir qui ad sapientiam veram pertingit? Et quis novit solutionem verbi, nisi hujusmodi sapiens?

1 (cap. VIII) *Sapientia hominis lucet in vultu ejus,* id est in apparatu atque modestia faciei. Interiora namque per exteriora noscuntur, et dispositio ac qualitas mentis, in vultu et oculis præcipue repræsentantur,
Eccli. XIX, 26. juxta illud Ecclesiastici : Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. De hoc dictum est super illud
Prov. XXVII, 19. Proverbiorum : Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus. Insuper, Sapientia hominis lucet in vultu ejus, id est, per oris responsionem innotescit sapientia intellectus : similiter per gestus ipsius vultus, sicut per risus refrenationem, dum vana et frivola videntur et audiuntur; per bonam mœstitiam, dum verba detractoria aut lasciva seu consimilia proferuntur; per diligentem auscultationem verborum ad rem spectantium. *Et Potentissimus faciem illius commutabit :* id est, Deus omnipotens faciem sapientis interiorem et exteriorem ad placitum suum diversimode alterabit, afficiet et movebit, nunc jucunditatem, nunc tristitiam, nunc spei fiduciam, nunc timoris vehementiam infundendo. Unde in Proverbiis scriptum est : Cor regis in manu Dei est; *Prov.* XXI,
quocumque voluerit, vertet illud; atque in Job, Qui immutat cor principum terræ. *Job* XII, 24.
Hinc loquitur Isaias : Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. *Is.* XL, 31.

ARTICULUS VIII

EXPOSITIO CAPITULI OCTAVI : EGO OS REGIS OBSERVO, ET PRÆCEPTA JURAMENTI DEI.

DIXIT Salomon in fine præcedentis capituli : Potentissimus faciem illius, scilicet hominis, commutabit. Ideo docet hic, quid ipse ad hoc egit, et quid nobis agendum sit, ut facies nostra commutetur in melius, atque in resurrectione communi faciem gloriosam recipiamus a Domino. Nam (ut ait Apostolus) omnes quidem
I Cor. XV, 51. resurgemus, sed non omnes immutabimur.

2 *Ego os regis observo,* id est, verba a Deo omnipotente procedentia, diligenter adverto, et mandata Decalogi ore ejus prolata custodio; *et præcepta juramenti Dei,* id est etiam præcepta cærimonialia ac judicialia : quæ contulit Deus cum juramento seu firma assertione, quod obedientibus sibi conferret præmia copiosa. Quæ etiam præcepta populus Israel accepit cum grandi affirmatione, quod obediret, juxta illud
Exod. XXIV, 7. in Exodo : Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. Porro cærimonialia legis præcepta, Evangelio divulgato, jam cessaverunt, quoniam erant figurativa rerum nunc impletarum. Præcepta quoque judicialia, populum Israel specialiter concernebant.

Ne festines recedere a facie ejus, id est 3
ab ipso Deo omnia intuente, seu ab ejus sapientia, per inobedientiam atque stultitiam, seu per aversionem mentis tuæ a consideratione et honorificentia gratiosæ ac summæ præsentiæ ejus: sicut Cain, qui egressus a facie Domini, habitavit profugus in terra, ut dicitur in Genesi. Jonas *Gen.* IV, 16.
quoque peccavit surgendo ut fugeret a facie Domini. *Jonæ* I, 3.
Denique quidam peccant ex infirmitate, id est passionis vehementia et fragilitate humana : qui ad horam resistunt, sed superari se sinunt. Isti non festinant a facie Dei recedere, sed recedunt. Alii vero peccant ex consuetudine prava, ex deliberatione, ex proposito et certa

Digitized by Google

scientia. Isti festinant a Deo recedere, et A currunt ad vitia ac infernum. De quibus *Jer.* v, 3. apud Jeremiam legitur : Induraverunt facies suas supra petram, et noluerunt reverti. De quibus Deus, quasi de eorum perversitate admirans, rursus per Jere- *Ibid.* VIII, 5. miam locutus est : Quare aversus est populus iste aversione contentiosa? Unde et *Zach.* VII, 11, 12. Zacharias de talibus ait : Noluerunt attendere, et averterunt scapulam recedentes ; et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. *Neque permaneas in opere malo,* vel in omissione operis boni. B Quamvis enim humanum sit peccare, diabolicum tamen est in vitio permanere. Qui autem ex infirmitate aut ignorantia peccant, facta informatione et passione cessante, faciliter pœnitent ; qui autem ex habitu pravo, difficulter et raro.

Quia omne quod voluerit Dominus, *faciet.* Est enim omnipotens et infinite beatus, ideo voluntati ejus nil deest. Qui per *Is.* XLVI, 10. Isaiam testatur : Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Propter quod *Ps.* CXXXIV, 6. ait Psalmista : Omnia quæcumque voluit C Dominus fecit, in cœlo et in terra, in mari
4 et in omnibus abyssis. *Et sermo illius potestate plenus est,* id est efficax ad agendum, præsertim sermo ejus in ipso ma- *Gen.* I, 3, 6, 7, 9, 11, 14, 15, 24. nens. Unde sæpe in Genesi dicitur : Dixit Deus, Fiat hoc aut illud ; et factum est ita. Proprie autem sermo Dei loquentis, est unigenitus Filius ejus, sermo ac Verbum æterni Patris. De quo ad Hebræos ait *Hebr.* IV, 12. Apostolus : Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. Hic sermo omnipotens est sicut et Pater ; D et utriusque, imo totius superessentialis, incomprehensibilis et supergloriosissimæ Trinitatis, est una et indivisa potestas. De *Sap.* XVIII, 15. hoc sermone alibi sic habetur : Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedi- *Ibid.* XII, 18. bus venit. Hinc dixisse Dei, fecisse est : cui, quum voluerit, subest posse. *Nec dicere ei quisquam potest : Quare ita facis?* Hoc, de jure et licite seu per resistentiam efficacem, nullus potest dicere Deo, qui est causa, mensura et regula prima omnis juris et virtutis ac totius ordinis rerum, juxta illud Isaiæ : Cum quo iniit consilium, et *Is.* XL, 14. instruxit eum, et viam prudentiæ ostendit illi? Unde ait Apostolus : Ex ipso, et per *Rom.* XI, 36. ipsum, et in ipso sunt omnia. Cui alio loco dicitur : Virtus tua, justitiæ initium *Sap.* XII, 16. est. Quum ergo nequeamus Omnipotenti resistere, nec ejus sapientiam aut judicia increpare, nec manum ejus effugere, nec appellare ab ipso ; hoc solum restat et consulendum ac necessarium nobis est, ut confugiamus ad ipsum, obediendo eidem humiliter, sine discussione temeraria præceptorum, consiliorum et judiciorum ipsius. Ideo dixit Propheta : Quo ibo a spiritu *Ps.* CXXXVIII, 7. tuo? et quo a facie tua fugiam? Sed et sanctus Job istud perpendens, ait : Deus *Job* XXIII, 13, 15. solus est, et cogitationem ejus nemo avertere potest ; et anima ejus quodcumque voluit, hoc fecit. Idcirco a facie ejus turbatus sum, et considerans eum, timore sollicitor. Hinc saluberrime ait, et sapientissime consulit Scriptura, dicendo : Acquiesce Deo, et habeto pacem, et per hoc *Ibid.* XXII, 21. habebis fructus optimos.

Qui custodit præceptum, id est universa 5
præcepta Dei, et vicariorum ipsius. De quibus denuntiat : Qui vos audit, me au- *Luc.* X, 16. dit ; et qui vos spernit, me spernit. Qui *Jacob.* II, 10. autem offendit in uno, fit omnium reus. *Non experietur quidquam mali,* id est, nihil sustinebit supplicii in futuro, dummodo perseveraverit usque in finem, et tam perfecte ea impleverit, ut nihil purgandum deferat secum. Quod si lignum, fœ- *I Cor.* III, 12, 13. num, stipulam portaverit secum, purgatorium sustinebit ; ac (juxta Apostolum) salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Et *Ibid.* 15. non solum nil mali experietur, sed et plenam beatitudinem consequetur.

Tempus et responsionem cor sapientis intelligit, id est, considerat quid cui tempori congruat, et quod ipsum tempus incessabiliter currat ac defluat. Tempus quoque judicii pensat, et qualiter debeat respondere, advertit. Attendit quoque aliorum responsa, ut proficiat ex eisdem, vel erronea reprobet. Hinc princeps Apostolorum

Digitized by Google

I Petr. III, 15. hortatur : Parati semper ad satisfactionem A
omni poscenti vos rationem de ea, quæ in
vobis est, fide et spe. Mansuete ergo, op-
portune ac sapienter est respondendum.
Job XV, 2. Propter quod in Job scriptum est : Num-
quid sapiens respondebit quasi in ventum
loquens, et implebit ardore stomachum
6 suum? *Omni negotio tempus est et oppor-
tunitas : id est, unumquodque opus fieri
debet suo loco et tempore opportuno. Lo-
cus quippe et tempus, sunt circumstantiæ
generales in omni actu virtutis humanæ.
Eccle. III, 1. Propter quod dictum est supra : Omnia B
tempus habent. Hinc legi naturæ et sacra-
mentis ac sacrificiis ejus, successit lex Mo-
ysis cum sacramentis et sacrificiis suis :
quibus evangelica lex cum sacrificiis et
sacramentis suis successit. Unde et in Es-
Esther XVI, 9. ther scriptum est : Nec æstimare debetis,
si pro temporum varietate diversa jubea-
mus, ex animi nostri levitate venire, sed pro
qualitate et necessitate temporum, ut rei
publicæ poscit utilitas, ferre sententiam.
7 *Et multa hominis afflictio, quia ignorat
præterita, et futura nullo potest scire nun-* C
tio. Circa hoc quidam scribit : Futura præ-
mia non potest homo scire per se, vel per
alium humana investigatione : et hoc cau-
sat afflictionem aliquam in adimpletio-
ne præceptorum. Si enim sciret futura
præmia, non esset aliqua afflictio in im-
pletione præceptorum, sed magis consola-
tio. Istud inidonee dictum videtur. Primo,
quoniam quamvis futura præmia demon-
strative non scimus, tamen indubitanter
hæc credimus. Et quamvis major dicatur
certitudo scientiæ, quam fidei, loquendo D
de certitudine evidentiæ; loquendo tamen
de certitudine adhærentiæ, fides certior
exstat scientia. Secundo, quoniam afflictio
in actibus bonis fidelium, non consurgit
ex defectu nescientiæ seu incertitudinis
præmiorum, de quibus nil ambigunt; sed
ex rebellione sensualitatis ac fomite, et
vitiorum reliquiis, et gravitate ac lassitu-
Sap. IX, 15. dine corporis, quod aggravat animam, ex
dæmonum etiam tentamentis. Tertio, quia
II Cor. XII, 4, 7. et Paulus præmia illa clare intuitus et ex-
pertus, reversus ad se, interdum sensit
afflictiones in actibus bonis : quia et sti-
mulum carnis sustinuit, et diversa pœna- II Cor. XI 10.
lia, quæ ad Corinthios narrat.

Est itaque exponendum : *Et multa ho-
minis afflictio, quia ignorat præterita.* Si
enim sciret præterita, qualiter ab initio
mundi, electi et sancti Dei passi sunt mul-
ta et magna adversa, et qualiter Deus sæpe
ac dire etiam in sæculo isto punivit ini-
quos, et consolatus est coronavitque ju-
stos; posset se consolari in multis, et bo-
nis actibus alacriter immorari, vitiisque
indefesse reniti. *Et futura nullo scire po-
test nuntio :* id est, nullus hominum, nisi
super hoc informatus, potest ei prænunti-
are pro certo futura pure contingentia, si-
bi aliisque ventura. Ideo sæpe sibi occur-
runt tristia et adversa, dum speravit læta
et prospera. Sicque dupliciter affligitur :
quoniam improvise talia ei occurrunt (ja-
cula enim prævisa minus affligunt), et
quia spei suæ inveniuntur contraria. Un-
de et Jeremias locutus est : Sustinuimus Jer. VIII, 15; XIV, 19.
pacem, et non venit; et tempus curatio-
nis, et ecce turbatio. Et Poeta :

Nescia mens hominum fati sortisque futuræ.

Semper igitur simus ad quæcumque ad-
versa parati, ac clypeo patientiæ præmu-
niti.

Non est in hominis ditione, prohibere* 8 *potestate
spiritum : id est, in potestate ac dominio
hominis non est, aliorum corda seu spiri-
tum ad suum libitum immutare, ac prohi-
bere a conceptu et opere eis placentibus;
nec potentiorum animos valet reprimere a
persecutione et oppressione infirmiorum,
nec propriam mentem a fluctuatione co-
gitationum et varietate affectionum. Pro-
pter quod ait Bernardus : Non puto quod
animum clausit a cogitationibus, qui cœ- III Reg. XVII, 1, 7.
lum clausit orationibus, puta Elias. Nec
his obstat quod ait Apostolus : Spiri- I Cor. XIV, 32.
tus Prophetarum, Prophetis subjecti sunt.
Hoc etenim dixit contra quosdam hæreti-
cos, asserentes Prophetas esse locutos tan-
quam arrepticios et insanos. Contra quod

Digitized by Google

A docet Apostolus, quod per liberum usum rationis dominabantur sibimetipsis, quemadmodum et nos possumus cogitationibus affectibusque perversis resistere, quamvis eorum ortum non valeamus jugiter prævenire ac prohibere. Insuper non est in hominis ditione, prohibere spiritum suum quum suo tempore recedat a corpore. Ideo subditur : *nec habet potestatem in die mortis* retinere animam suam in corpore. Horum quoque qui persequuntur nunc et opprimunt alios, tunc cessat potestas. *Nec sinitur quiescere ingruente bello :* quia B dum homo impugnatur a dæmonibus, mundo, aut acie vitiorum, non potest quiescere, sed oportet eum resistere aut succumbere. Quod bellum tempore mortis a dæmonibus fortissime ac periculosissime excitatur in homine. *Neque salvabit impietas impium :* imo gravabit atque damnabit eum. Quidam autem in suis simulationibus, fraudibus, malitiisque confidunt, quasi per talia queant salvari. Qui dicunt in Isaia : Posuimus mendacium spem nostram, et mendacio protecti sumus. (*Is.* xxviii, 15.) C De quibus et apud alium Prophetam legitur : Væ qui lætamini in nihili, et dicitis : Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? (*Amos* vi, 14.)

9 *Omnia hæc* præinducta ac subsequentia *consideravi, et dedi cor meum,* id est, applicui illud ad considerandum, *in cunctis operibus,* id est in quibusdam de cunctis generibus operum, *quæ fiunt sub sole :* præsertim inter homines. *Interdum dominatur homo homini in malum suum,* id est ad majorem suam damnationem, quando vi- D delicet negligenter, carnaliter, scandalose, aut superbe se habet in officio præsidentiæ suæ : quia tunc Dominus requirit de manu ipsius animas pereuntium subditorum sub ipso. (*Ezech.* iii, 18, 20; xxxiii, 6, 8.) Et quo ejus gradus est altior, et quo pluribus præest, eo ruina ipsius est gravior. Et unusquisque prælatus ac præsidens tot mortibus, tot damnationibus dignus est, quot subditi scandalizantur sub eo, et ex ejus vitiis periclitantur, ut ait Gregorius. Nempe qui coram aliis male agit, quantum in ipso est, eos a quibus videtur, occidit, ut asserit Augustinus. Denique taliter præsidens, dominatur subditis etiam in magnum malum ipsorum : quia sub ejus regimine pereunt, prout in Jeremia fertur : Quia stulte egerunt pastores, omnis grex eorum dissipatus est. (*Jer.* x, 21.)

10 *Vidi impios sepultos,* id est sepultos quosdam, qui ante et usque ad mortem iniqui fuerunt, nec pœnituerunt; *qui etiam quum adhuc viverent, in loco sancto erant,* id est in sacris officiis constituti, ita quod erant Dei vicarii ac ministri, *et laudabantur in civitate quasi justorum operum,* id est, a subditis suis commendabantur ut justi, vel ex adulatione, vel ex timore, vel proprii commodi cupiditate, vel ex ficta justitia. Ex his namque et consimilibus causis, multi subditorum suos laudant superiores, quamvis iniquos. *Sed et hoc vanitas est :* quia (ut ait Gregorius) culpa vehementer diffunditur, dum is qui peccat, propter sui dignitatem officii honoratur.

11 *Etenim, quia non cito profertur contra malos sententia* divini judicii : Deus enim pluribus diu parcit, ut convertantur, juxta illud Sapientiæ, Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam; (*Sap.* xi, 24.) *absque ullo timore filii hominum perpetrant mala.* Hoc de intimoratis et excæcatis hominibus est intelligendum : qui ex dilatione vindictæ, fiunt ad peccandum audaciores, non considerantes rigorem divini judicii, vel persuadentes sibi vanissime quod postea pœnitebunt, vel quod sufficiat pœnitere in fine vitæ, quemadmodum per Ezechielem Dominus loquitur : Quacumque hora peccator ingemuerit, omnium peccatorum suorum non recordabor. (*Ezech.* xviii, 21, 22.) Et quoniam vident alios diu impune peccasse, putant sibi quoque periculum non instare. Isti ingrati ac obdurati, non pensantes occulta ac metuenda Dei judicia, abutuntur patientia Dei. Quibus ad Romanos loquitur Paulus : Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? (*Rom.* ii, 4, 5.) Secundum duritiam autem tuam, et impœnitens cor tuum, the-

Digitized by Google

saurizas tibi iram in die justi judicii Dei. A O quam paucissimi eorum, qui tempore sanitatis ac juventutis Deum tam intimorate et irrefrenate offendunt, in fine aut senio veraciter pœnitent! Verumtamen ex tanta dilatione punitionis pravorum, non debet quis pronior esse ad culpam. Propterea subditur :

12 *Attamen peccator ex eo quod centies,* id est diu ac sæpissime, *facit malum,* id est peccata mortalia, etiam bona debita omittendo. Itaque numerus determinatus pro indeterminato hic ponitur, quum dicitur,
Matth. XVIII, 22. Centies : sicut in Evangelio : Non dico tibi, Usque septies; sed, Usque septuagesies septies. *Et per patientiam sustentatur,* id est, misericorditer sustinetur, conservatur, et nutritur a Deo in vita naturæ, non obstantibus tot et tantis ejus sceleribus. *Ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum* filiali timore, *qui verentur faciem ejus* omnia intuentis, ita quod dicere queunt :
Ps. CXVIII, 168. Servavi mandata tua et testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo. Si enim Deus iniquis ac reprobis, ingratis et pessimis largitur et diu conservat dona naturæ, bona fortunæ, et beneficia multa in præsenti hac vita, non dubium quin gratis, justis, ac timoratis dabit bona incomparabiliter meliora, videlicet charismata gratiæ in præsenti, et
I Cor. II, 9. dona gloriæ in futuro, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Hinc per Malachiam ait Al-
Malach. III, 18; IV, 1, 2. tissimus : Convertimini, et videbitis quid sit inter justum et impium; et inter servientem Deo, et non servientem ei. Ecce enim dies veniet succensa quasi ignis, et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem, stipula, et inflammabit eos; et orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ, et sanitas in pennis vestris.

Præterea, quia iniqui et reprobi, indigni et ingrati sunt prætactis beneficiis Dei,
13 Salomon zelo justitiæ subdit : *Non sit bonum,* id est temporalis prosperitas, *impio :* quia abutitur ea; *nec prolongentur dies ejus,* id est, non diu vivat : quia quo vivit diutius, peccat enormius, et graviorem sibi damnationem mercatur. *Sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini,* quem tam graviter inhonorant, et alios scandalizant. Itaque transeant quasi umbra, non diu tendendo ad mortem, sed cito corruendo in eam. Istud itaque dicitur non zelo invidiæ aut vindictæ, sed potius ex amore et zelo justitiæ. Ideo non repugnat verbo Psalmistæ, dicentis : Noli æmulari in malignantibus. *Ps.* XXXVI, 1.

B *Est et alia vanitas, quæ fit super terram :* quia in casu qui sequitur, quamvis sit justa ac sapientialis dispositio Dei, tamen in eodem est etiam inordinatio culpæ, sicut patebit. *Sunt justi quibus mala* 14
pœnæ *proveniunt :* multæ enim tribulationes justorum; *quasi opera egerint impiorum,* id est, ac si peccando meruerint illa pati, et omnino injusti sint. Unde amici Job, videntes eum tam dire percussum, putaverunt eum fuisse hypocritam et iniquum, ac pro suis percussum sceleri- C bus : quemadmodum et amici ac uxor Tobiæ, visa excæcatione ejus tam inopinata. *Ps.* XXXIII, 20. *Job* IV, 7-11; VIII, 11-19; XI, 14; XX, 4, 5; XXII, 5-10; XXXIV, 7, 8, 36, 37; XXXVI, 17. *Tob.* II, 15, 16, 22, 23.
Quum enim pœna debeatur culpæ, dum justi sic affliguntur, putantur suis id meruisse peccatis : sed Deus infligit pœnas suis electis non solum propter eorum demerita, sed etiam ut exercitentur, aliisque in exemplum ponantur, et incrementa gratiæ in præsenti, ac gloriæ in futuro obtineant; vel, ut in curatione seu liberatione eorum, potestas Dei monstretur, sicut de cæco nato ait Salvator : Neque hic pecca- *Joann.* IX, 3, 2.
D vit, neque parentes ejus, ut scilicet cæcus nasceretur; sed ut manifestentur opera Dei in illo. De Lazaro quoque ait : Infirmitas hæc non est ad mortem, sed ad gloriam Dei. *Ibid.* XI, 4. *Et sunt impii qui ita securi sunt,* id est tam immunes ac liberi ab adversis, et tam parum aut nihil formidantes de inferni suppliciis, *quasi justorum facta habeant,* id est, tanquam suis meritis istam securitatem sortiti sint. Nam et perfecta caritas justorum, excludit timorem suppliciorum. *I Joann.* IV, 18. *Sed et hoc vanissimum judico,*

Digitized by Google

quod scilicet impii tam periculosa securitate fruantur.

Verumtamen, quod justi præfata sustineant mala, ex providentia venit divina. Nec malum est, nisi ex parte affligentium justos, qui eos persequendo, enormiter peccant. Verumtamen iste eventus sæpe perturbat et in admirationem convertit pusillos, qui ad præsentia oculos habent, nec pensant quam multipliciter atque ineffabiliter prosit electis et justis, tribulationibus exerceri in vita præsenti. Idcirco in pusillorum persona loquitur Habacuc
Cf. Habac. I, 13, 3. Deo : Mundi sunt oculi tui, ne videas malum; et respicere ad iniquitatem non potes. Quare non respicis contemptores, et taces conculcante impio justiorem se? Sed Gregorius in persona viri perfecti fatetur: Quamvis mira sint judicia Dei, dum justis adversa, et impiis prospera in mundo isto eveniunt; mirabiliora tamen sunt, dum hic justis prospera, et reprobis adversa contingunt.

15 *Laudavi igitur lætitiam, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod comederet et biberet, atque gauderet; et hoc solum secum auferret,* id est, consequeretur, nec aliud desuper præmium præstolaretur, *de labore suo omnibus diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.* Si istud, ut textus videtur prætendere, intelligatur de carnali lætitia, et corporali manducatione atque potatione; tunc Salomon loquitur ista in carnalis viri persona, ut dictum est sæpe. Si vero hæc spiritualiter exponantur, possunt pertinere ad sapientem : ad quem spectant conscientiæ bonæ lætitia, esus et
Eccli. xv, 3. potus sacramentalis, panisque vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris.

16 *Et apposui cor meum ut scirem sapientiam, et intelligerem distinctionem,* id est discretionem variumque eventum, qui contingit hominibus : ita quod unus prosperatur, alter adversis affligitur; unus prævenitur a Domino, et gratiis adimpletur ab eo, iste indesinenter peccare, ac obdurari

A permittitur; unus cæcus, alter surdus, aut claudus generatur sive efficitur : *quæ versatur in terra. Est homo qui diebus et noctibus somnum* sufficientem modicum, *non capit oculis* suis. Quod autem modicum est, reputatur pro nihilo. Talis igitur vigilat, ut studendo, considerando, sciscitando, valeat horum invenire rationem et causam in speciali : quod curiosum superfluumque consistit. Quamvis enim monstruosorum effectuum quasdam rationes assignent philosophi, talia tamen princi-
B paliter referenda sunt ad providentiam Dei. Nec potest quis tradere rationem distinctam, cur anima ista infundatur corpori monstruoso, alia corpori integro, sed ignobili, alia corpori nobili et illustri. Hinc subditur : *Et intellexi quod omnium ope-* 17
rum Dei, videlicet talium abditorum, *nullam possit homo invenire rationem eorum quæ fiunt sub sole. Et quanto plus laboraverit ad quærendum* talium rationem in particulari, *tanto minus inveniet :* quia justo judicio Deus permittet eum errare,
C et falsa pro veris inducere : sicut Origeni accidisse timetur. Qui, quum post Apostolos esset præcipuus doctor Ecclesiæ, voluit considerationem suam circa talia nimium profundare; atque ex hoc videtur magnos incidisse errores, sicut in libris Periarchon et Stromatum, et super Threnos, ac Danielem, locisque aliis invenitur. *Etiamsi dixerit sapiens,* id est in Scripturis eruditus, et qui inter homines sapiens reputatur, aut esse se credit, *se nosse* talium rationem, *non poterit invenire* rationem
D illorum.

Omnia hæc tractavi in corde meo per diligentem considerationem, *ut curiose intelligerem* talium rationem. Quod tamen vitandum est, dicente Apostolo : Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? Rom. xi, 33, 34. In Jeremia quoque scriptum est : Quis adfuit in consilio Domini, et vidit, et audivit sermonem ejus? Jer. xxiii, 18.

Digitized by Google

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : SUNT JUSTI ATQUE SAPIENTES.

HIC reprimit hominem ab omni vana securitate, elatione et præsumptione, eo quod nesciat an placeat Deo, an habeat caritatem infusam, an finaliter sit salvandus.

1 *Sunt justi atque sapientes* habentes sapientiam quæ est donum; *et opera eorum in manu Dei* sunt, id est, actus eorum interiores et exteriores, ab ipsis oblati, exhibiti, et commissi sunt Deo, tanquam creatori ac judici. Sunt quoque opera eorum in manu Dei, quia conservantur a Deo, et ipse potest judicare de eis ut vult. *Et tamen nescit homo,* id est, certitudinalem notitiam de isto non habet, videlicet *utrum amore an odio dignus sit.* Hoc, inquam, nescit homo, quamvis virtuosus ac sapiens sit : quoniam nescit an sit in caritate et statu salutis, an in peccato mortali; sicque ignorat an mereatur et dignus sit amari a Deo, an odio haberi ab eo. Et quamvis experiatur sė Deum diligere, ignorat tamen an diligat Deum caritate infusa, an solum naturali et acquisito amore : eo quod tanta sit similitudo et convenientia actuum harum duarum dilectionum, quod homo non valet inter eos certo discernere, ut communiter dicunt doctores. Verumtamen multi pro certo sciunt, aut scire possunt, se esse in peccatis mortalibus, atque ob hoc Deo esse odibiles secundum præsentem justitiam; quid autem finaliter fiet de eis, ignorant.

2 *Sed omnia in futurum reservantur incerta :* id est, Deus interim ista occultat hominibus, sed in futuro generali judicio omnibus innotescet quis a Deo electus sit et dilectus, et quis præscitus; *eo quod universa,* scilicet prospera et adversa, vita longa et brevis, vitia et virtutes, *æque,* id A est indifferenter, quantum ad apparentiam exteriorem, quamvis coram Deo diversa sit ratio, *eveniant justo et impio,* quantum ad virtutes infusas, et vitia eis contraria, *bono et malo,* id est habenti virtutes morales, et eis carenti, *mundo,* per fidem et sapientiam, *et immundo* per hæresim, perfidiam et errores, *immolanti victimas, et sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic et peccator* habet jam dicta. Nam et quidam electi quandoque vitiis sunt subjecti. Similiter virtuosi et electi interdum prospe- B rantur in sæculo, et divitiis ac honore abundant, et reprobi quidam premuntur adversis. *Ut perjurus, ita et ille qui verum dejerat,* id est, valde affirmat, et multum assertive jurat, prout primo Regum habetur : Addidit Jonathas dejerare David. 1 *Reg.* xx, 17.

3 *Hoc est pessimum inter omnia quæ fiunt sub sole, quia eadem cunctis eveniunt,* id est, similia contingunt quibusdam de omni genere hominum. Sed quum istud ex divina providentia, non sine rationabili C causa procedat, quomodo pessimum est? Et respondendum, quod pessimum est, id est valde periculosum quampluribus, atque occasio vitiorum multorum. Propter quod subditur :

Unde et corda filiorum hominum implentur malitia, id est, in vitiis perseverant ac habituantur, sine timore peccando, ut dictum est, quum videant omnia quasi indifferenter bonis et malis hominibus evenire. Verumtamen talia, quæ in se non sunt bona aut mala moraliter, quæ D scilicet justis et injustis communia sunt, philosophi vocant bona media seu indifferentia; sed vulgo sæpe pessima, aut etiam optima esse videntur. Siquidem do-

Digitized by Google

na gratiæ gratis datæ, ut potestas faciendi miracula, donum prophetiæ, genera linguarum, maxime reputantur a plebe communi. Sapientes autem dona gratiæ gratum facientis, incomparabiliter amplius magni pendunt et appetunt. Implentur etiam *et contemptu in vita sua,* ita quod ex superbia se invicem aspernantur, vel superiores suos et eorum jussiones despiciunt, et circa præcepta Dei tam parvam aut nullam habent curam et diligentiam, quod ipso facto ostendunt se præcepta Dei, imo et Deum præcipientem, contemnere. Talibus Dominus per Jeremiam ait (*Jer.* II, 20) : A sæculo confregisti jugum, rupisti vincula, et dixisti, Non serviam; et rursus per Osee (*Osee* IV, 16), Sicut vacca lasciviens declinavit Israel. *Et post hæc ad inferos deducentur.* Quibus dicturus est Judex (*Matth.* XXV, 41) : Ite, maledicti, in ignem æternum. Interim vero, quantum ad animas, in infernum dejiciuntur, quemadmodum in Ezechiele habetur (*Ezech.* XXXII, 24, 27) : Omnes hi descenderunt ad terram ultimam; et portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum; et descenderunt ad infernum.

4 *Nemo est qui semper vivat* vita naturæ in sæculo isto : quia oportet omnem hominem solvere debitum mortis, quum constet ex contrariis elementis, et propter reatum originalis peccati. Unde et quotidie famem, sitim, et consimilia naturæ incommoda, tanquam quotidianas sustinemus infirmitates : contra quas cibo, potu, somno, tanquam medicinalibus remediis utimur. Hinc ait Psalmista (*Ps.* LXXXVIII, 49) : Quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? Et impii dum moriuntur, in infernum labuntur. *Et qui hujus rei habeat fiduciam.*

Melior est canis vivus leone mortuo. Hoc juxta superficiem litteræ constat, quod res viva, quamvis ratione carens, melior sit, non moraliter, sed bonitate rei, ente non vivo atque cadavere. Iste tamen non est sensus litteralis; sed Salomon metaphorice loquens, per canem vivum, intelligit hominem in carne viventem, utpote peccatorem, qui propter iracundiæ impetum, aut animi sui irrationabilitatem, canis vocatur. Unde de quibusdam in Isaia dicitur (*Is.* LVI, 10) : Speculatores ejus cæci omnes; canes muti, non valentes latrare. Per leonem vero mortuum, intelligit hominem iniquum, superbum, jam mortuum corpore : quo melior dicitur peccator adhuc vivens, quoniam potest se emendare, ac vitam promereri beatam; nec est obstinatus in malo totaliter, sicut qui in mortali decesserunt peccato. Hinc subditur :

5 *Viventes enim sciunt se esse morituros :* ideo ex consideratione suæ mortalitatis, possunt per pœnitentiam corrigere vitam, seque parare ad mortem; *mortui vero, nihil noverunt amplius.* De injustis mortuis loquitur Salomon : quos affirmat nil amplius scire, videlicet in inferno, eo sensu quo infra ait in isto capitulo (*vers.* 10), quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos : quod paulo post exponetur. Nil quippe salubriter sciunt, quo ad consolationem, relevamen aut pœnitentiam possint juvari. *Nec habent ultra mercedem :* quia damnati sunt, nec sunt in statu merendi ac demerendi. In hac autem vita, etiam vitiose vivendo, habuerunt quamdam mercedem : quoniam pro quibusdam bonis ex genere, quæ interdum egerunt, contulit eis pius et justus Deus aliquid temporalis prosperitatis, vitæve longioris. Unde diviti condemnato Abraham dixit (*Luc.* XVI, 25) : Recepisti bona in vita tua. Verum post vitam hanc, cessat hujusmodi merces. *Quia oblivioni tradita est memoria eorum :* id est, Deus oblitus est eorum, ita quod misericordiam suam aufert ab eis in sempiternum, juxta illud Job (*Job* XXIV, 20) : Obliviscatur ejus misericordia; dulcedo illius, vermes. Unde in Osee Dominus loquitur (*Osee* IV, 6) : Quia oblitus es mei, obliviscar et ego tui. Hanc oblivionem misericordiæ Dei merentur iniqui, non Deo, sed vanitatibus inhærendo, quemadmodum scriptum est (*Jonæ* II, 9) : Qui custodiunt vanitates, frustra misericordiam suam derelinquunt. Quocontra dicitur de electo (*Ps.* CXI, 7) : In memoria æterna erit justus. Verumtamen

Digitized by Google

punivntur citra condignum, idcirco non A
penitus privantur misericordia.
6 *Amor quoque, et odium, et invidiæ simul*
perierunt : id est, inordinatæ et vitiosæ
eorum affectiones, quibus quosdam car-
naliter amarunt, et Deum aut justos odio
habuerunt, jam cum ipsis damnatæ sunt,
nec possunt eos juvare. *Nec habent partem*
in hoc sæculo : id est, a corpore Ecclesiæ
sunt omnino abscisi, nec caritatis commu-
nionem aut participationem cum viventi-
bus habent, nec possidere possunt aliquid
hujus mundi; *et in opere quod sub sole* B
geritur, id est, in operibus pietatis, quæ
pro mortuis fiunt, non habent partem,
quia per suffragia talia non juvantur.

Præterea, per canem vivum, quidam in-
telligunt pauperem justum, vilem repu-
tatum, tamen instar canis Domino suo
fidelem, et pro Deo contra peccata latran-
tem : qui melior est leone mortuo, id est
potente sæculi hujus defuncto. — Spiri-
tualiter, per canem vivum, designatur po-
pulus gentilis, in fide et gratia Christi vi-
vens. Unde ad Chananæam dixit Salvator : C
Matth. xv, 26. Non est bonum sumere panem filiorum, et
mittere canibus. Canis iste melior est leo-
ne mortuo, id est populo Judæorum sua
incredulitate perempto, et jam corporali-
ter pro maxima parte destructo : qui de
veritatibus fidei catholicæ nil aut parum
agnoscit, atque a Deo relictus est. Quorum
amor inordinatus ad legem, et odium ac
invidia contra Christum et ejus Apostolos,
perierunt.
7 *Vade ergo, et comede in lætitia panem*
tuum, et bibe cum gaudio vinum tuum : D
id est, corporalem ac spiritualem refectio-
nem sume cum hilaritate in Deo : sicut
istud jam sæpe præhabitum est; *quia Deo*
placent opera tua, si feceris ita, et quia
hoc ipsum potes sperare, et vivere cum
8 jucunditate in spe. *Omni tempore sint ve-*
stimenta tua candida, id est, opera tua,
quibus anima vestitur, decoratur, protegi-
tur, sint pura et casta. Unde in Apocalypsi
Apoc. III, 5. legitur : Qui vicerit, vestietur vestimentis
Ibid. 4. albis. Ubi et Dominus protestatur : Qui

non inquinaverunt vestimenta sua, ambu-
labunt mecum in albis. De hujusmodi ve-
stimentis sanctus Job loquitur Deo : Si Job IX, 31.
fulserint velut mundissimæ manus meæ,
tamen sordibus intinges me, et abomina-
buntur me vestimenta mea. Atque in Eze-
chiele Dominus loquitur Synagogæ : Indui Ezech. X 10, 8.
te discoloribus, et posui amictum meum
super te. *Et oleum de capite tuo non defi-*
ciat, id est, pietas nunquam a tua mente
recedat, nec unctio gratiæ mentem illu-
strans, tibi desit. Potest quoque per oleum
spiritualis lætitia, sed et claritas bonæ fa-
mæ intelligi, quum de Christo legatur :
Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ Ps. XLIV,
participibus tuis; et in Isaia, Oleum gaudii Is. LXI, 3
pro luctu; atque in Canticis, Oleum effu- Cant. I,
sum nomen tuum.

Perfruere vita cum uxore, quam dili- 9
gis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ,
qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore
vanitatis tuæ. Hæc est enim pars tua *in*
vita, et in labore tuo. Quidam dicunt istud
ad litteram spiritualiter et metaphorice
esse intelligendum, ita ut per uxorem, in-
telligatur mentis sponsa, videlicet Sapien-
tia increata, aut sapientia salutaris infusa,
quæ est donum, per quam contemplamur
cum gustu interno divina. Unde de sapien-
tia illud dicitur : Quæsivi sponsam eam Sap. VIII, 2
mihi assumere, et amator factus sum for-
mæ illius. Cum hac perfruendum est vita,
id est, occupandum est cor in amplexu,
contemplatu, amore et quiete Sapientiæ
æternalis, sicut ibidem additur : Intrans Ibid. 16.
in domum meam, conquiescam cum illa.
Alii exponunt hæc de uxore legitima : cum
qua, qui omnino continere non potest, aut
non vult, debet delectabiliter vivere cum
honestate et castimonia conjugali, ut om-
nem fornicationem devitet. Sicque conver-
sari cum contorali, est pars sua, id est
præcipuum quid ad suam spectans voca-
tionem.

Quodcumque potest facere manus tua, id 10
est, quidquid boni agere valet tua potestas
seu virtus operativa, *instanter operare,* id
est, sine dilatione et cessatione proseque-

Digitized by Google

re et adimple : quia, ut in Evangelio ait A Joann. IX, 4. Christus, Venit nox, quando nemo potest Marc. XIII, 35, 36. operari. Unde et ipse idem : Vigilate, inquit (nescitis enim quando Dominus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu), ne, quum venerit repente, inveniat vos dormientes. Ideo subjungitur :

Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia, erunt apud inferos, quo tu properas. Albinus et alii quidam, per inferos intelligunt mortem, in qua ista non sunt, sed suspenduntur præ nimia mortis Ps. VI, 6. angustia, juxta illud : Quoniam non est in B morte qui memor sit tui. — Alii, per inferos intelligunt limbum patrum : quia Salomon loquebatur Judæis pro tempore illo, quo justi omnino purgati, descenderunt in limbum illum seu Abrahæ sinum : in quo limbo non erant opus, ratio, sapientia, aut scientia ad promerendum, sed bene ad alia. Et pro tempore isto, per inferos intelligunt purgatorium, in quo etiam nullum istorum ad promerendum consistit. Nam Salomon loquitur justo, qui non properat inferno* damnatorum. Hæc au- C tem duo loca creduntur esse in superiori parte inferni, et quandoque inferni nomine designantur, sicut et limbus puerorum. — Porro doctores super quartum Sententiarum communiter auctoritatem istam allegant de inferiori reproborum inferno : in quo non est opus, id est aliqua meritoria actio, nec ratio, id est usus rationis ad discernendum salubriter, nec sapientia ad contemplandum divina, nec scientia ad considerandum pœnitentialiter propriam conditionem. Sapientia quoque et scientia, D ut sunt dona, nequaquam sunt in damnatis, sicut nec caritas. Atque, ut aliqui opinantur, ratio ex vehementia suppliciorum totaliter absorbetur in illis, præsertim post diem judicii. Sed obviare videtur, quod Luc. XVI, 27. dives epulo positus in inferno, deprecatus est Abraham, ut mitteret Lazarum in domum patris sui. Dæmones quoque, quamvis damnati, valde vigent acumine intellectus. Thomas autem super quartum testatur, quod ea quæ augent dolorem, et

* ad infernum

infernalium miseriarum sunt augmentativa, damnati possunt considerare, imo considerant; non autem ea quæ alleviativa sunt tormentorum. Unde super Apocalypsim scribit Albertus, quod damnati acrius affliguntur in mente, dum attendunt miseriam suam æternaliter duraturam, quam ab igne tartareo. — Porro Salomon intendebat instruere in his libris, non solum Judæos, sed et universos fideles. Idcirco, quod ait, Quo tu properas, dixit comminando, vel advisando, vel asserendo. Nam et verbum istud potuit dirigere ad iniquum, imo ad quemlibet hominem, quia et venialiter peccando, properat homo ad infernum dispositive. Vel, quod ait, Quo tu properas, intelligendum est sub conditione implicita, utpote, nisi emendes te, seu obedieris Deo.

Verti me ad aliud considerandum, videlicet, an homines viribus suis possint 11
implere quod monui, dicens, Quodcumque potest manus tua, instanter operare. *Et vidi sub sole,* id est, Deo illustrante cognovi, *nec velocium esse cursum,* id est, veloces et fervidos in actibus bonis, suis viribus non posse bona meritoria agere, ita quod cursus, id est expedita actio virtuosa, et conversatio fervida, qua non solum eunt, sed etiam currunt ad beatificum finem, non est eorum, id est, ipsis adscribenda non est principaliter, sed Deo et ejus gratioso auxilio, sicut ait Apostolus : Gratia Dei sum id quod sum. Rursus quo- I Cor. XV, 10. que quum dixisset, Plus omnibus laboravi; mox addidit : Non autem ego, sed Ibidem. gratia Dei mecum. Unde Salvator : Sine Joann. XV, 5. me, inquit, nihil potestis facere. Et in Osee : Perditio tua ex te; in me tantum- Osee XIII, 9. modo auxilium tuum. Et juxta hunc sensum subjungitur :

Nec fortium bellum : id est, resistentia ac triumphus servorum et militum Dei, contra invisibiles hostes vitiorumque aciem præliantium, non ipsis, sed Deo et ejus pio subsidio, sunt adscribendi. Cui ait Propheta : In te eripiar a tentatione, et in Deo Ps. XVII, 30. meo transgrediar murum. Imo et in cor-

Digitized by Google

porali bello ab ipso datur victoria, sicut *I Mach. III, 19.* ait Scriptura : De cœlo victoria est. *Nec sapientium panem :* id est, panem vitæ et intellectus, et omnem salubrem refectionem, qua sapientes prælati prædicatores reficiunt audientes ac subditos seu se ipsos, a Deo habent, non a se. Imo in vanum laborat lingua prædicatoris, si desit inspi- *Is. L, 4.* ratio Creatoris. Ideo loquitur Isaias : Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo. Propter quod etiam orat Apostolus : *Ephes. VI, 19.* Ut detur mihi sermo in apertione oris mei. *Nec doctorum divitias,* id est, spirituales opes doctorum, esse Domino attribuendas. *Prov. XIII, 8.* De quibus in Proverbiis dictum est : Redemptio animæ viri, divitiæ ejus; atque *Ps. CXI, 3.* in Psalmo, Gloria et divitiæ in domo ejus. *Nec artificum gratiam,* id est, acceptabilitatem prudentiamque artificum, qui industriose fabricant in se et in aliis structuram virtutum, perfectionisque turrim, non esse eorum, sed donum Dei.

Sed tempus casumque in omnibus : id est, in universis prædictis inveni variam mutationem, per temporum intervalla : quoniam unus a celsitudine gratiæ labitur ad bassitudinem culpæ. Et qui hodie vincit, cras vincitur; et qui nunc docet et corripit alium, paulo post indiget increpari. Ideo nullus debet præsumere, neque inaniter gloriari : tum quia quidquid gratiæ et virtutis seu meriti habet, a Deo accepit; tum quia ignorat quam diu perseverabit in eis, et quia indesinenter eget conservatione ac protectione divina. Pro- *I Cor. X, 12.* pter quod Paulus hortatur : Qui stat, videat ne cadat. Denique huic Salomonis senten- *Jer. X, 23.* tiæ consonat illud quod Jeremias ait : Scio, Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet et dirigat gressus *Rom. IX, 16.* suos. Similiter illud ad Romanos : Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.

Quidam exponunt hunc passum superficialiter valde, dicendo : *Vidi nec velocium esse cursum :* quia quandoque contingit, quod velocior cursor non venit prior ad

A terminum; *nec fortium bellum :* quia quandoque fortior a minus forti superatur; etc. Verum de tali cursu non loquitur hic Scriptura, sed magis de eo de quo ait Apostolus : Cursum consummavi; et item, Sic *II Tim. IV, 7.* currite, ut comprehendatis; et Psalmista, *I Cor. IX, 24.* Viam mandatorum tuorum cucurri. *Ps. CXVIII, 32.*

Nescit homo finem suum, id est terminum vitæ præsentis, seu diem et horam mortis, nisi reveletur a judice Deo, vel jure humano aut per violentiam tradatur ad mortem, ita quod prænuntietur ei quan- 12

B do sit moriturus. Hinc orat Psalmista : Notum fac mihi, Domine, finem meum, et *Ps. XXXVIII, 5.* numerum dierum meorum, quis est. Nescit etiam homo finem suum supernaturalem : quoniam Deus qui est objectum beatitudinis nostræ, seu finis objectalis, incomprehensibilis est. Similiter beatifica visio Dei, quæ est finis et salus nostra formalis, tanta res est, quod ejus dignitatem ac eminentiam in hac vita plene agnoscere non valemus, juxta quod scriptum est : Oculus *Is. LXIV, 4.* non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti

C exspectantibus te. *Sed sicut pisces capiuntur hamo* improvise, *et sicut aves laqueo comprehenduntur* deceptorie; *sic capiuntur homines,* id est, de vita hac subtrahuntur, *tempore malo,* id est hora diræ mortis ac particularis sui judicii, *quum eis extemplo,* id est repente, *supervenerit.* Ideo Dominus admonet : Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus *Matth. XXIV, 42, 44.* sit; itemque, Estote parati, quia qua hora *Luc. XII, 40.* non putatis, Filius hominis veniet.

Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, 13

D id est sapientialem seu prudentem effectum : quia quod sequitur, potuit esse res gesta, vel ponitur pro exemplo : quamvis et aliter exponatur, sicut tangetur; *et probavi maximam,* id est valde magnam. *Ci-* 14
vitas parva, et pauci in ea viri. Venit contra eam rex magnus, et vallavit eam, exstruxitque munitiones per gyrum, et perfecta est obsidio. Inventusque est in ea vir 15
pauper et sapiens, et liberavit urbem per sapientiam suam, dando consilium, qualiter hostibus multis pauci cives prævale-

Digitized by Google

rent, vel adjutorium implorarent a Deo, A
vel adversariis persuaderent recedere. Tale
quid accidit sæpe. *Et nullus deinceps* ci-
vium urbis illius, *recordatus est hominis*
illius pauperis. In quo patent eorum insi-
16 pientia, ingratitudo, improbitas. *Et dice-*
bam ego, meliorem esse sapientiam forti-
tudine corporali. Sapientia quoque quæ
donum est, est dignior fortitudine quæ
est donum. Similiter sapientia quæ est vir-
tus intellectualis, dicitur dignior fortitu-
dine quæ est virtus cardinalis. *Quomodo*
ergo sapientia pauperis contempta est ab B
illis ingratis, *et verba ejus non sunt audi-*
ta ab ipsis, cessante necessitatis articulo?
Nam durante obsidione, fuerunt audita.
17 *Verba sapientium audiuntur in silentio,* id
est a quietis prudentibusque hominibus,
in quibus est tranquillitas mentis, non pas-
sionum et vitiorum inquietudo : ideo stul-
ti non audiunt ea; *magis,* id est attentius,
quam clamor principis inter stultos, id
est passionatos et imprudentes, qui non
advertunt nisi sibi placentia.

Præterea, per civitatem hanc parvam, C
multi intelligunt Ecclesiam humilem, pro-
pria reputatione parvam, et quæ in exor-
dio suo fuit parva, sicut in Evangelio ait
Luc. XII, 32. Salvator : Nolite timere, pusillus grex. Con-
tra quam venit rex magnus, id est diabo-
Zach. IV, 7. lus : cui in Zacharia dicitur : Quis tu, mons
magne, contra Zorobabel in planum? Quem
Joann. XII, 31. Christus principem mundi hujus appel-
Job XLI, 25. lat : qui est rex super omnes filios super-
biæ. Hic per se et angelos suos, ac per
tyrannos, per heresiarchas atque philoso-
phos, multipliciter oppugnavit Ecclesiam. D
II Cor. VIII, 9. Christus autem propter nos pauper factus,
per evangelicæ legis sapientiam, liberavit
Luc. XXI, 15. Ecclesiam : Ego, inquiens, dabo vobis os
et sapientiam, cui non poterunt resistere
et contradicere omnes adversarii vestri. In
Ecclesia autem sunt pauci viri virtutum,
et pauci electi; sed paucissimi deinceps
Philipp. II, 21. sunt memores Salvatoris : quoniam om-
nes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ
Christi. — Insuper potest per urbem is-
tam, intelligi quilibet homo : in quo sunt
pauci viri, id est boni cogitatus atque af-
fectus viriles; in quo rex est ratio; quem
circumdat diabolus : et fomes tanquam ty-
rannus impugnat eumdem. Sed vir pau-
per, id est intellectus aut synderesis, li-
berat eum, remurmurando iniquitati, et
erudiendo qualiter sit resistendum. Habita
autem victoria, interiores exterioresque
sensus, et appetitus irascibilis ac concu-
piscibilis, tanquam fatui cives, censuram
intellectus atque synderesis respuentes,
cito ac faciliter recidivant.

Melior est sapientia, quam arma belli- 18
ca corporalia, aut etiam, quam arma bel-
lica quædam spiritualia (de quibus ait
Apostolus : Accipite armaturam Dei, ut *Ephes.* VI, 13.
possitis resistere in die malo), id est, quam
morales et inferiores virtutes intellectua-
les. Siquidem ex sua specie, et ratione sui
objecti, est illis præstantior. Plus etiam
valet ad obtinendum victoriam tam in spi-
rituali quam corporali pugna, quam belli-
ca arma. *Et qui in uno peccaverit,* id est,
quodcumque mortale peccatum inciderit,
multa bona perdet : quia peccando amittit
caritatem, ceterasque virtutes infusas for-
matas, ad minus quantum ad esse earum
formatum : quoniam formantur et deco-
rantur, atque ad operandum meritorie red-
duntur idoneæ a caritate, quæ est forma,
vita, decor et vertex virtutum, motrix et
imperatrix earum. Amittit etiam omnia
merita sua præhabita, communionemque
mystici corporis Christi; et desinit esse
membrum, minister ac miles Dei, fitque
servus et membrum diaboli. Sed et sum-
mum et incommutabile bonum, Deum cre-
atorem ac salvatorem suum amittit, et
pretiosissima bona gloriæ æternalis. Ideo
Jacobus dixit apostolus : Quicumque to- *Jacob.* II, 10.
tam legem impleverit, offendat autem in
uno, factus est omnium reus. Ecce quan-
ta est peccantis stultitia, qui pro modica
voluptate incurrit et infligit sibi ipsi tot
damna, et sapientiam aspernatur. Videat
sibi unusquisque, ne sapientem despiciat,
aut sapientiam parvi pendat : quoniam
hoc est unum de maximis malis, quæ ge-

Digitized by Google

runtur sub sole; et plane tam malum, ut in A Ecclesiastico dicatur: In duobus contristatum est cor meum: vir bellator deficiens per inopiam, et vir sensatus contemptus. *Eccli.* xxvi, 25, 26.

Circa præhabita quæritur, an homo posset certo scire se esse in caritate, et per consequens quod dignus sit amore, id est amari a Deo. Ad hanc quæstionem pro utraque parte multæ possent auctoritates adduci. Quod enim posset hoc scire, etiam sine revelatione, apparet ex eo quod princeps Apostolorum in sua ait Canonica: B Per bona opera certam faciatis vocationem vestram. *II Petr.* I, 10. Joannes quoque in sua prima affirmat epistola: In hoc scimus quia in Deo manemus, et Deus in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis; *I Joann.* III, 24. et rursus, Scimus quia ex Deo sumus. *Ibid.* IV, 6. Paulus etiam fatetur: Non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *I Cor.* II, 12. In oppositum est auctoritas hujus capituli; et quod alibi Salomon loquitur: Quis gloriabitur mundum se habere cor? *Prov.* XX, 9. Et demum, C quod beatus Job protestatur: Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam. *Job* IX, 11.

Ad hanc quæstionem Antisiodorensis in secunda parte Summæ suæ respondet: Aliqui dicunt, quod quidam sciunt se non habere caritatem: ut qui sunt in proposito vel actu peccandi. Aliqui dubitant se caritatem habere, quoniam habent rationes æque fortes pro parte utraque: ut qui incipiunt facere quod in ipsis est, et proponunt non peccare de cetero. Alii pu- D tant se habere caritatem: ut qui jam fecerunt multa bona opera, et diu est quod non fuerunt in proposito vel actu peccandi. Tamen adhuc sustinent primos motus, et turpia imaginantur, patiunturque inquietudinem muscarum morientium, quæ perdunt suavitatem unguenti (id est cogitationum distractiones, quæ orationis dulcedinem tollunt). *Eccle.* X, 1. Alii sciunt se caritatem habere: qui scilicet gustant dulcedinem Dei, et in quibus fomes fere exstinctus est, ut in Maria Magdalene et Maria Ægyptiaca, post plurimos fletus. Denique duplex est scientia, scilicet experimenti, quæ est per signa; et scientia proprie dicta, videlicet cognitio alicujus per se noti, ut in primis principiis, vel alicujus ex illis deducti. Primo modo potest quis scire se caritatem habere, puta per signa; quæ sunt tria, videlicet jucunditas spiritualis, desideria bona, et opera bona. Secundo modo nullus potest scire se caritatem habere, nisi ex revelatione. Sciendum est etiam, quod duplex est dilectio Dei, videlicet naturalis, et gratuita: quæ tantam habent affinitatem et conjunctionem ad invicem, quod non potest aliquis discernere utrum suum diligere sit motus dilectionis naturalis, an gratuitæ. Nam et naturalis dilectio habet delicias suas. Itaque voluit Deus nos aliquo modo scire, quod simus in caritate, tribus de causis: prima, ut aliquam consolationem habeamus in miseriis sæculi hujus; secunda, ut Deo gratias referamus; tertia, ut provocemur ad meliora. Voluit quoque nos istud aliquo modo nescire, ut cautiores simus, et magis solliciti de nostra salute. Auctoritatem autem Salomonis, dicentis, Nescit homo an amore sit dignus, *vers.* 1. quidam exponunt de amore prædestinationis. Hæc Antisiodorensis.

Præterea, super primum Sententiarum, distinctione 17, S. Thomas respondet: Potentias et habitus non possumus cognoscere, nisi per actus et conatus qui proportionantur eorum naturæ, et actus per objecta. In actu autem animæ, est plura considerare, scilicet speciem actus, quæ sumitur ab objecto, et modum, ac effectum. Si ergo accipiamus actum caritatis, qui est diligere Deum et proximum, ex specie actus, non discernitur an sit a caritate gratuita, vel naturali, quia utraque versatur circa idem objectum. Modus vero, quem ponit habitus in opere, est facilitas et delectatio. Per hunc autem modum non discernitur an sit a caritate infusa, vel naturali seu acquisita. Proprius vero effectus caritatis seu actus caritatis, est

Digitized by Google

in virtute merendi : quod nullo modo cadit in nostram cognitionem. Ideo nemo certitudinaliter scire potest se esse in caritate. Hæc Thomas. Cui Richardus de Mediavilla satis concordat.

Porro Petrus de Tarentasia, præallegata ait distinctione : Illos habitus, qui habent actus omnino diversos, et dissimiles ab aliis, ut fides et spes, possumus cognoscere sub propria ratione. Illos vero, qui habent actus similes actibus aliorum habituum, vel innatorum, vel acquisitorum, ut caritas, non possumus cognoscere cognitione perfecta in propria ratione, sed solum in universali. Unde scire possumus habere nos dilectionem, sed non caritatem. Et hoc, quadruplici ratione : primo, quia caritas importat Dei acceptationem, quæ nos latet; secundo, quia intellectus noster obumbratus ex carne, hebes est ad supernaturalia; tertio, quoniam actus caritatis similis est actui dilectionis acquisitæ et naturalis; quarto, propter judicium Dei, qui ad humiliandum nos, vult nos bona nostra latere. Proprium quoque effectum caritatis, quem addit supra naturalem dilectionem, scire non possumus, quia hic effectus, est quædam ineffabilis unio ad Deum : de qua Salvator loquitur ad Patrem, Ut sint unum sicut et nos. Hæc *Joann. xvii, 11, 22.* Petrus. — Postremo ad idem probandum, Alexander de Hales et Dominus Antisiodorensis adducunt hoc argumentum : Spiritum Sanctum esse in te, et caritatem esse in te, sunt duo convertibilia. Primum nescis, quoniam Spiritum Sanctum esse in te, non est scibile, sed credibile : ergo nec secundum scis.

De hac materia, et de signis per quæ probabiliter scitur, quod caritas habeatur, multum consolatorie loquitur S. Bernardus; et multa de his dici possent. Sed prolixitas est vitanda : ideo pro præsenti sufficiant ista.

ARTICULUS X

EXPLANATIO CAPITULI DECIMI : MUSCÆ MORIENTES PERDUNT SUAVITATEM UNGUENTI.

MULTA moralia documenta in isto continentur capitulo. Nec est hic continuatio ejusdem materiæ, sicut nec in
1 Proverbiis. *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* Ad litteram, dum musca infirma cadit in unguentum suave, manendo et moriendo in illo, destruit ejus valorem atque odorem. Sic, qui in uno reus est, plurima perdit bona; et tota meritorum congeries, uno mortali peccato destruitur. Unus quoque perversus et scandalosus ac pestilens, totam perturbat ac inficit communitatem. Propter quod ait *I Cor. v, 6.* Apostolus : Modicum fermentum totam massam corrumpit. — Spiritualiter, muscæ morientes, sunt cogitationes vanæ, inutiles, affectiones illicitæ, distractiones morosæ, præsertim in divino Officio : quæ perdunt suavitatem unguenti, id est experimentalem dulcedinem spiritualium exercitiorum, quæ sentiri solet in orationibus, meditationibus, contemplationibus, psalmodiis, recollecta ac stabili mente Deo oblatis. Imo in cunctis actibus virtuosis hanc utique tollit et impedit muscarum istarum admixtio, hoc est misera et detestanda illa distractio, ita quod homo sine sapore et gustu, vaga et vana mente orat, psallit et meditatur, ac cetera bona exercet. Hinc in Summa sua Antisiodorensis disseruit : Psalmista ait : In custodiendis *Ps. xviii, 12.* illis, scilicet Dei mandatis, retributio multa. Non enim tantum pro custodiendis, sed etiam in custodiendis mandatis Dei, retri-

Digitized by Google

butio multa. Et hoc, propter jucunditatem mentis, et prægustationem dulcedinis Dei, quæ habetur in divinorum custodia mandatorum.

Pretiosior est sapientia, parvaque gloria, id est cum gloria modica, seu cum parvo honore, *ad tempus stultitia,* id est temporali insipientia : quamvis ei adjuncta sit honorificentia magna, quemadmodum dictum est supra (Eccle. IV, 13) : Melior est puer pauper et sapiens, rege sene et stulto. Vel : Pretiosior est sapientia, quæ simplicitate et innocentia decoratur, parvaque gloria, id est humilis gloriatio de Deo in ipso, vel de se in Deo, juxta illud (I Cor. I, 31; II Cor. X, 17), Qui gloriatur, in Domino glorietur; ad tempus stultitia, id est superba sui ipsius exalta-
2 tione atque jactantia. — *Cor sapientis, in dextera ejus :* id est, ratio et intentio sapientis, dirigitur et versatur circa spiritualia et cœlestia bona, ut bene conversando, obtineat ea; *et cor stulti,* id est iniqui, est *in sinistra illius,* id est, circa carnalia et terrena, animæ suæ nociva, intentum est. Per dexteram enim, bona et prospera; per sinistram vero, designantur adversa et noxia. Hoc (ni fallor) est, quod in Matthæo (Matth. VI, 22) ait Salvator : Si oculus tuus fuerit simplex, id est recta intentio, totum corpus tuum lucidum erit, id est, operum tuorum congeries erit virtuosa et clara, et nomine sapientis eris condignus, atque ad dexteram Judicis stabis; si autem (Ibid. 23) oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.
3 *Sed et in via stultus ambulans,* id est peccator in sæculo degens et conversans, *quum ipse insipiens sit,* constituendo sibi finem in rebus carnalibus et caducis, *omnes stultos æstimat,* id est, omnes reputat similes sibi, seu omnes putat peccare, et alicui vitio deservire, sicut et ipse : sicque ex qualitate sui ipsius, accipit formam judicandi de aliis. Hinc sæculares, communiter reputant religiosos aut avaros, aut invidos, aut alicui vitio simili obnoxios. Vel, Omnes æstimat stultos, qui aliter sentiunt quam ipse, et terrena ista despiciunt, quæ ipse maxime appretiatur. Unde, ut legitur quarto Regum, quum unus ex filiis prophetarum unxisset ipsum Jehu in regem, principes dixerunt (IV Reg. IX, 11) : Quid venit insanus iste ad te? Ideo et in Job (Job XII, 4, 5) dicitur : Deridetur justi simplicitas; lampas contempta apud cogitationes divitum, parata ad tempus statutum. Et Apostolus (I Cor. IV, 10) : Nos, inquit, stulti propter Christum. Unde, ut in Evangelio legitur (Luc. XVI, 13), Christo contra avaritiam et ambitionem prædicante, Scribæ et Pharisæi qui erant ambitiosi ac cupidi, audientes, deriserunt (Ibid. 14) eum, dicentes (Joann. X, 20) : Insanit; quid eum auditis? Hinc reprobi tandem dicturi sunt illud Sapientiæ (Sap. V, 3, 4) : Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati, vitam illorum æstimabamus insaniam. Non igitur contristetur vir bonus, nec doleat sapiens, quando ab imprudentibus et carnalibus, a negligentibus et intimoratis contemnitur, deridetur, vituperatur. Hinc in Proverbiis suis Seneca protestatur : Malis displicere, laudari est; et rursus, Nondum felix es, si nondum te turba deridet. Causam quoque hujus tam erronei judicii impiorum, tangit Seneca, dicens : Omnis affectus habet, ut in quo ipse insanit, ceteros furere putet. Hinc sancti patres Cassianus et Climacus dicunt, quod qui alicui passioni aut vitio subjacet, pronus est alium de eadem passione aut vitio judicare.
Si spiritus potestatem habentis ascen- 4
derit super te : id est, si impulsus diaboli tentaverit et impugnaverit te, ut ex mystico corpore Christi trajiciat te in corpus suum, hoc est in ecclesiam malignantium, ut te faciat membrum et servum suum; vel, Si spiritus potestatem habentis, id est exagitatio fomitis, quæ pluribus dominatur, impugnaverit te; vel, Spiritus, id est indignatio, habentis potestatem, id est alicujus te fortioris, ascenderit super te, ut te persequatur et opprimat ; *locum tuum ne dimiseris :* id est, a mystico corpore Christi, a congregatione devota, a statu gratiæ ac stabilitate virtutum, a patientia sancta, nequaquam recedas, nec

Digitized by Google

acquiescas iniquis; sed invoca Deum, et A
per virtutes resiste, ac tanto instantius
occupa te in bonis, quanto acrius impu-
Jacob. IV, 7. gnaris. Hinc Jacobus exhortatur : Resisti-
te diabolo, et fugiet a vobis. Et Paulus :
Rom. XVI, 20. Deus, inquit, pacis conteret Satanam sub
pedibus vestris velociter. Porro diabolus
potens est valde. De quo Christus, victor ip-
Luc. XI, 21. sius, fatetur, Dum fortis armatus custodit
atrium suum; et de quo in Job asseritur,
Job XLI, 24. Non est potestas super terram quæ com-
paretur ei. Denique, si hæreticus potens
in philosophia aut in Scripturis, aut tyran- B
nus insurgat adversum nos, locum et do-
ctrinam Ecclesiæ nullatenus dimittamus.

Quia curatio, id est resistentia talis
contra peccata, qua anima a læsione præ-
servatur, et sanitatem recuperat; vel, Cu-
ratio, id est fomitis sanatio, seu mitigatio
per resistentiam contra concupiscentiam;
Curatio quoque, id est contritio seu pœ-
nitentia de peccatis, et superatio interioris
tentationis; *cessare faciet peccata maxi-
ma,* id est vitia multa atque enormia, quæ
ex fomite et interiori tentatione nascun- C
tur, nisi idonee resistatur. Nempe, ut Ja-
Jacob. I, 14, 15. cobus ait, Unusquisque tentatur a concu-
piscentia sua abstractus et illectus: deinde
concupiscentia, quum conceperit, parit pec-
catum; peccatum vero, quum consumma-
tum fuerit, generat mortem. Unde Hierony-
mus ait : Primum peccatum est, cogitasse
quæ mala sunt, cum mora superflua, aut
complacentia aliqua; secundum est, cogi-
tationibus acquievisse; tertium, quod de-
terius est, opere complevisse; quartum,
post peccatum non pœnitere, et in suo si- D
bi complacere delicto. Merito igitur dixit
Ps. XVIII, 14. Propheta : Si mei non fuerint dominati,
tunc immaculatus ero, et emundabor a
delicto maximo.

5 *Est* et aliud *malum quod vidi sub sole,
quasi per errorem egrediens a facie prin-
cipis.* Si per principem intelligatur Deus
omnipotens, tunc malum istud quod se-
quitur mox in textu, non egreditur ab eo
veraciter per errorem, sed quasi per er-
rorem : quia insipientibus videtur erro-
neum et injustum, quum tamen juste per-
mittatur a Deo. Si vero per principem
intelligatur quicumque princeps terrenus,
sic malum quod subditur, vere ex errore
pravitateque accidit sæpe : videlicet, *posi-* 6
tum stultum in dignitate sublimi. Vitiosi
enim, ambitiosi, imperiti, frequenter ad
officia promoventur, melioribus derelictis.
De quibus subjungitur : *et divites sedere
deorsum,* id est, spiritualibus gratiis locu-
pletes et virtuosos, subesse. *Vidi servos in* 7
equis, id est, ignobiles et vitiis subditos,
per violentiam ad præsidentiam ascendis-
se; *et principes ambulantes super terram
quasi servos,* id est, eos quibus ex jure
competebat præesse, oppressos et pulsos
ab impiis illis. Istud Deus fieri sinit pro-
pter subditorum flagitia : quia frequenter
dantur hominibus principes ac prælati se-
cundum ipsorum demerita hominum. Id-
eo per Osee Dominus loquitur : Dabo tibi Osee XIII, 11.
regem in furore meo, et principes in indi-
gnatione mea. De quo etiam in Job indu-
citur : Qui regnare facit hominem hypocri- Job XXXIV, 30.
tam propter peccata populi. Verumtamen,
quod talia non sint directe et effective a
Deo, constat ex hoc, quod ipse rursus in
Osee testatur : Ipsi regnaverunt, et non Osee VIII, 4.
ex me; principes exstiterunt, et non co-
gnovi. Aliqui tamen sua promotione fue-
runt digni, et directe a Deo promoti; sed
tempore procedente, potestate abusi sunt,
et tyranni effecti, sicut et Saul.

Qui fodit foveam, incidet in eam : id 8
est, qui alteri quærit nocere, et deceptio-
nis laqueum præparare atque extendere,
lædit se ipsum in anima, et debitas luet
pœnas, ac similia patietur. Hinc in Pro-
verbiis scriptum est : In insidiis suis ca- Prov. XI, 6.
pientur iniqui. Et iterum ait Scriptura :
Qui expandit laqueum, capietur in illo. Eccli. XXVII, 29.
Etenim uniuscujusque malum redundat
in suum auctorem; et propriam linguam
detractor coinquinat; propriam mentem
invidiosus exulcerat, se ipsum iracundus
conturbat. Ideo ait Psalmista de impio :
Lacum aperuit, et effodit eum; et incidit Ps. VII, 16.
in foveam quam fecit. Denique qui vitio-

rum occasiones non vitant, sed sponte assumunt, sibi ipsis foveam parant, et in eam labuntur, dum ex occasionibus talibus corruunt in peccata : sicut qui pergunt ad loca suspecta, et prava admittunt consortia. *Et qui dissipat sepem, mordebit eum coluber*. Hoc corporaliter quandoque sic accidit. Sed sensus est, quod qui canonicas Patrum sanctiones et ecclesiasticam disciplinam, quibus muniuntur fideles, transgreditur, a dæmone punietur : Gen. III, 1, 4, 13, 14. qui in Genesi serpens vocatur. Unde et Amos v, 19. alibi scriptum est : Mordeat eum coluber.

9 *Qui transfert lapides* de loco suo ad locum indebitum, *affligetur in eis :* id est, qui fideles (qui sunt lapides vivi, ex quibus ædificatur Ecclesia) fallit, et de Ecclesia ad hæreticorum, aut schismaticorum, aut perversorum consortia trahit, enormiter peccat et tormenta sustinebit perpetua, ecclesiasticis quoque percutietur censuris. De talibus lapidibus loquitur beatissimus I Petr. II, 5. Petrus in prima sua epistola, dicens : Et vos tanquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre hostias spirituales, acceptabiles Deo per Jesum Christum. Unde per Is. LIV, 11. Isaiam Dominus promisit Ecclesiæ : Fundabo te in sapphiris. *Et qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis*. Per ligna quoque et arbores, passim signantur credentes. Unde Matth. XII, 33. ait Salvator : Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. Qui itaque ligna scindit, id est, credentes scandalizat, et pusillos a bono incepto avertit, atque a Christo præscindit; nunc vulnera incidit vitiorum, passurus deinceps vulnera inferIbid. XVIII, 7. nalium suppliciorum. Nempe, Væ homini per quem scandalum venit. Et in ProverProv. XIX, 29. biis dictum est : Mallei percutientes præparati corporibus stultorum.

10 *Si retusum fuerit ferrum,* id est, si acumen suum amiserit securis aut clavus ex percussione super saxum, *et hoc non ut prius,* id est, non parum ita acciderit, *sed hebetatum fuerit,* id est omnino obtusum, *multo labore exacuetur*. Quod autem istud non dicatur ad litteram de ferro, sed metaphorice de homine negligente ac duro, constat ex eo quod subditur : *et post industriam sequetur sapientia*. Tanquam dicat : Si homo acuti ingenii, et in Scripturis competenter instructus, postposito eo quod novit, in superbiam aut luxuriam corruat, et mente obtenebrata, hebes ac deses fiat ad ea quæ Dei sunt ac suæ salutis; non faciliter ad veram pertinget contritionem, nec recuperabitur levi labore, sed ex intimo corde oportet ingemiscere eum, et omnem carnalitatem hebetantem abjicere, atque ad spiritualem consurgere intellectum, considerando Dei justitiam, et sua novissima : sicque post talem industriam et laborem sequetur sapientia, et ipse sapientiam assequetur. Ideo monet Apostolus : Surge, qui dormis, et exsurge Ephes. v, 14. a mortuis. Unde per Ezechielem Dominus contestatur : Multo labore sudatum est, ut Ezech. XXIV, 12. auferretur ab ea nimia rubigo ejus; et iterum, Non mundaberis priusquam requi- Ibid. 13. escere in te faciam indignationem meam.

Periculosum est ergo peccare; periculosius, in peccatis manere; periculosissimum, usque ad mortem, aut infirmitatem vel senium, pœnitentiam ipsam differre : quia tunc vix aliquis veraciter pœnitet, inveterata consuetudine pressus et victus, de qua ex fundo cordis resipiscere, difficulter nimis contingit, nisi quod per omnipotentis Dei gratiam prævenientem faciliter fieri potest, quod per naturam vix effici valet. Et tamen ipse Omnipotens, apud quem non est impossibile, imo nec Luc. I, 37; Jer. XXXII, 17, 27. difficile, omne verbum, in hoc ipso difficultatem quamdam ostendit, asserens per Prophetam : Abominabilis facta es, quia Ezech. XXIV, 13. mundare te volui, et non es mundata; et per Isaiam iterum, Præbuisti mihi labo- Is. XLIII, 24. rem in iniquitatibus tuis. Et in Malachia habetur : Laborare fecistis Dominum in Malach. II, 17. sermonibus vestris.

11 *Si mordeat* mordens *serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit* fratri suo : id est, sicut letaliter nocet corpori serpens qui morsu occulto ei infundit venenum, ita detractor propriam

Digitized by Google

animam detrahendo occidit. Similiter ani- A
mam audientis, quantum in ipso est, et
eum cui obloquitur, occidit, quantum ad
esse bonæ reputationis ac famæ, quod in
cordibus habuit proximorum. Unde, ut
S. Clemens refert, sacratissimus Petrus as-
seruit, tria esse homicidii genera : unum
corporale, aliud odium, tertium detractio-
Rom. i, 30. nem. Merito igitur detractores sunt Deo
odibiles; et, Jacobo protestante apostolo,
Jacob. iv, 11. Qui detrahit fratri suo, detrahit legi. Præ-
terea, per serpentem silenter morden-
tem, intelligi potest diabolus, pestifera sug- B
gestione mentem inficiens : quam necat
silentio, dum eam sic detinet in peccato,
quod vitia sua excusat, nec confitetur.
Audi hoc, o detractor malevole et infe-
lix; vide cui assimileris. Certe non solum
terreno, sed infernali colubro comparat
te Scriptura. Resipisce ergo, insipiens;
et quod tibi fieri indignaris, non facias
proximis.

12 *Verba oris sapientis, gratia,* id est gra-
tiosa et accepta, facientia eum Deo homi-
nibusque benevolis amabilem et placen- C
Eccli. xx, 13. tem, juxta illud Ecclesiastici : Sapiens se
ipsum in verbis amabilem facit. Unde de
Luc. iv, 22. Christo refert Evangelista : Mirabantur om-
nes in verbis gratiæ quæ procedebant de
Ps. xliv, 3. ore ejus. De quo Psalmista prædixit : Dif-
fusa est gratia in labiis tuis. *Et labia in-
sipientis præcipitabunt eum* in foveam
vitiorum, deinde in voraginem tormento-
rum. In multa quoque damna, pericula,
afflictionesque cordis et corporis incidit
homo ex verbis suis insipientibus, pungi-
tivis, mordacibus. Unde in Proverbiis di- D
Cf. Prov. xiii, 12. ctum est : Labia insipientis supplantabunt
Ibid. xiii, 3. eum; itemque, Qui inconsideratus est ad
13 loquendum, sentiet mala. *Initium verbo-
rum ejus, stultitia,* id est, stulte incipit
loqui, et sine deliberatione ac considera-
Ibid. xv, 2. tione matura, sicut alibi dictum est : Os
fatuorum ebullit stultitiam. *Et novissi-
mum oris illius, error pessimus :* quia
quanto plus ac diutius loquitur, tanto gra-
vius peccat loquendo; et tandem ad detra-
ctiones, mendacia, perjuria, contentiones,

contumeliosaque verba prorumpit. Multi
quoque per suam facundiam vel potius lo-
quacitatem, inciderunt hæreticam pravita-
tem. Ideo, qui imponit stulto silentium, Prov. xxvi, 10.
mitigat iras, et præcidit varias culpas.

Stultus verba multiplicat. Non enim 14
habet in loquendo discretionem; et sæpe
per verba superflua nititur et intendit su-
am jactare scientiam, quum potius suam
pandat stultitiam. Ideo in Proverbiis con-
scriptum est : Totum spiritum suum pro- Ibid. xxix, 11.
fert stultus. Compendiose ergo loquendum
est, nec sine necessitate, fructu, seu ratio-
nabili causa protrahendus est sermo. In Ibid. x, 19.
multiloquio enim non deest peccatum.
Ignorat homo quid ante se fuerit. De mul-
tis enim præteritis ignorantiam habemus;
et quæ ex relatione, scripturis, aut chro-
nicis agnoscimus de præteritis, pauca et
modicissima sunt respectu horum quæ ne-
scimus de talibus. Et præsertim stultus
non studiosus, de talibus est ignarus. *Et
quod post se futurum est, quis ei poterit
indicare?* quasi dicat, Hominum nullus :
loquendo de futuris omnino contingenti-
bus, nec a Deo in sacro eloquio, aut alias
revelatis. Ideo stultus, horum tam nescius,
non debet verba multiplicare, nec apud
imperitos per loquacitatem velle doctus
videri. Qui enim moderatur labia sua, pru- Ibidem.
dentissimus est; vir autem linguosus non Ps. cxxxix, 12.
dirigetur in terra.

Labor stultorum affliget eos : id est, ina- 15
ne et immoderatum studium iniquorum,
quod habent in curiosa inquisitione, orna-
ta locutione, illicita actione, ingeret eis
pœnam, tam in sæculo isto, quam in fu-
turo. Multam enim in talibus inquietudi-
nem, molestiam, sollicitudinem, patiun-
tur. Ideo dicunt illud Sapientiæ : Lassati Sap. v, 7.
sumus in via iniquitatis et perditionis, et
ambulavimus vias difficiles. De qualibus
ait Psalmista : Labor labiorum ipsorum Ps. cxxxix, 10.
operiet eos. *Qui nesciunt in urbem perge-
re,* id est ad patriam tendere Beatorum, et
incorporari Ecclesiæ militanti per fidem
et caritatem. De qua urbe fertur in Psal-
mo : Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Ps. lxxxvi, 3, 7.

Digitized by Google

Sicut lætantium omnium habitatio est in A te. Et in Apocalypsi : Civitas non eget sole (*Apoc.* xxi, 23.) neque luna. Et in Ezechiele : Nomen civitatis, Dominus ibidem. (*Ezech.* xlviii, 35.) Interdum autem civitas in malo accipitur, ut quum Dominus ait per Osee prophetam : Non ingrediar civitatem. (*Osee* xi, 9.) Denique labor hæreticorum, paganorum et philosophorum, præsertim eorum qui contra Religionem christianam verbis et scriptis plurimis acriter disputaverunt, ut Porphyrius atque Averroes, æternaliter eos affliget. (*Jer.* iv, 22.) Qui sapientes fuerunt ut facerent mala, bene facere autem, id B est civitatem Domini virtutum ingredi, nescierunt.

16 *Væ tibi, terra,* id est politia seu regnum, *cujus rex,* id est princeps, dux, comes, aut prælatus, seu præsul, *puer est,* non solum ætate, sed et moribus et inexperientia ac imperitia. Dum enim supremus in populo, talis est, multa pericula, damna, turbationes imminent subditis. Nam, ut ait Philosophus, in omni genere oportet primum esse potissimum et perfectum. Et quo pluribus aliquis præsidet, eo ampliori pru- C dentia virtuositateque eget. Pueri autem sunt inexperti, et per consequens imprudentes : quia, ut Aristoteles docet, ad prudentiam experientia requiritur. Hinc rursus in Politicis scribit, quod nemo eligit pueros in principes. *Et cujus principes mane comedunt,* id est, gulæ ac luxui vacant, nec sobrietati student atque prudentiæ, abstinentes quousque causas ac judicia expedierint subditorum : ad quod ante comestionem aptiores essent, quam postea. Hanc eamdem sententiam allegat Tullius D a Platone dictam et scriptam, sicut et eam quæ subditur.

17 *Beata terra, cujus rex nobilis est,* non solum carnis propagine, quæ nobilitas (secundum Aristotelem in libro Politicorum) non est nisi antiquata opulentia, sed et sapientiæ ac virtutum præclaritate. De qua in Actibus Apostolorum sic dicitur : (*Act.* xvii, 11.) Nobiliores ex eis susceperunt verbum Dei cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas. Dum hæ duæ nobilitates in eodem concurrunt, se invicem ornant, dicente Gregorio : Dum una alteri sociatur, quasi gemma carbunculi in ornamento auri locatur. *Et cujus principes,* scilicet judices et ceteri officiati, *vescuntur in tempore suo,* expeditis pro posse causis reipublicæ et litibus subditorum, *ad reficiendum* corpora sua moderate, post laborem et fatigationem pro bono communi, *et non ad luxuriam :* per quam ratio maxime obscuratur : ideo summe principibus et prælatis cavenda. De talibus præsidentibus in Isaia inducitur : Princeps ea quæ digna sunt (*Is.* xxxii, 8.) principe, cogitabit; et ipse super duces stabit. Hinc Antigonus dixisse legitur Alexandro : Indignus es imperare, propter incontinentiam tuam et juventutem. — Allegorice, Beata terra, id est militans Ecclesia : cujus rex nobilis est, scilicet Christus Filius Dei Patris ac reginæ Virginis Matris; cujus principes, id est Apostoli, sobriissimi exstiterunt, primum quærentes (*Matth.* vi, 33.) regnum Dei et justitiam ejus, incessabiliterque intenti ad procurandam hominum universorum salutem.

In pigritiis humiliabitur contignatio. 18
Contignatio vocatur conjunctio seu coaptatio lignorum et tignorum in ædificio domus. Quemadmodum ergo contignatio talis humiliatur, id est, dissolvitur et cadit, ex pigritia rectorum ac civium urbis, qui ex sua ignavia permittunt turres et domos civitatis perire; sic ex acedia uniuscujusque hominis, perit in eo virtutum constructio, et caritatis prosternitur altitudo. Ex negligentia quoque prælatorum sic deformatur Ecclesia, et munimenta ipsius labuntur. De quibus ait Bernardus : Arcem Sion obtinuerunt, et potestative deinceps totam tradunt incendio civitatem. Misera eorum conversatio, plebis tuæ, o Domine Jesu, subversio est. Non jam ornant Ecclesiam, sed spoliant, scandalizant, evertunt. Hinc est quod Ecclesia hispida est, exsanguis, deformis, et facie miseranda.

Et in infirmitate manus, perstillabit domus :* id est, ex remissione et debilitate

* manuum

manuum ad operandum, et reparandum A
confracta in tecto, contingit quod guttæ
cadunt per tectum. Sic ex caritatis defectu
et tepefactione virtutum anima ictibus pas-
sionum colliditur, imbribus adversitatum
et ventis tentationum dejicitur, quemad-
Matth. vii, 26, 27. modum in Matthæo ait Salvator : Omnis
qui audit verba mea, et non facit ea, si-
milis erit viro stulto, qui ædificavit do-
mum suam super arenam : et descendit
pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt
venti, et irruerunt in domum illam; et ce-
cidit, et fuit ruina ejus magna. Hinc tepi- B
Apoc. iii, 15, 16. do in Apocalypsi dicitur : Utinam calidus
esses aut frigidus; nunc autem quia tepidus
es, incipiam te evomere ex ore meo. Atque
Is. xxxv, 3. in Isaia Dominus loquitur : Confortamini,
manus fatigatæ, et, genua debilia, robora-
Hebr. xii. 12, 13. mini. Paulus quoque : Manus, inquit, re-
missas erigite, et rectos facite gressus
pedibus vestris.

Conformiter ex carnalitate, perversita-
te et negligentia prælatorum et prædica-
torum, contingunt hæc mala in singulis
quibusque Ecclesiis : quoniam deformata, C
lapsa, infirma, confracta non reformant,
erigunt, roborant, neque consolidant. Sed,
19 sicut subjungitur, *In risu faciunt panem
et vinum :* id est, cum jucunditate carnali
procurant et præparant sibi victualia deli-
cata, et populo blandiuntur, atque placen-
tia potius quam salubria sermocinantur,
ut propria commoda consequantur. De qui-
Osee iv, 8. bus in Osee conqueritur Dominus : Peccata
populi mei comedunt, et ad iniquitatem
sublevant animas eorum. Vix aliquem pro
suis peccatis caritative et juste corripi- D
unt, ne temporalium detrimentum incur-
rant. Propter quod subditur, *ut epulentur
bibentes.* De quibus per Isaiam loquitur
Is. lvi, 11, 10. Deus : Ipsi pastores ignoraverunt intelli-
gentiam, videntes vana, et dormientes,
canes impudentissimi, nescientes saturita-
Ezech. xxxiv, 2, 3. tem; et iterum per Ezechielem : Nonne
oves pascuntur a pastoribus? Lac comede-
batis, et lana operiebamini; gregem autem
meum non pascebatis.

Et pecuniæ obediunt omnia : id est,
quia per pecuniam omnia ista delectabi-
lia, utilia et honesta hujus sæculi procu-
rantur; ideo omnes avaritiæ student, et
amore pecuniæ relinquunt justitiam. Nec
hi qui præsunt, subditis debitam adhibent
disciplinam, ne illis offensis, aut certe
correctis et juste agentibus, cessent adi-
pisci ab eis pecuniam. Sunt equidem qui-
dam tam obtenebrati et sceleratissimi, ut
malint subditos peccare atque in vitiis
perseverare, quam pecuniarum (quas loco
emendationis accipiunt) emolumenta amit-
tere. Quocontra Seneca ait : Pecuniæ im-
perare oportet, non obedire. Et sanctus
pater Bernardus : Filii Adam, genus ava-
rum et ambitiosum, audite : Quid vobis
cum terrenis divitiis, quæ nec veræ nec
vestræ sunt? Aurum et argentum quid
sunt, nisi terra alba et rubea, quæ homi-
num error pretiosiora facit, quam sunt?
Verumtamen veri et perfecti discipuli Chri-
sti, aurum arbitrantur ut lutum, et pecu-
niam aspernantur ut stercora, in tantum ut Philipp. iii,
nec tangere eam dignentur, et videre vix 8.
acquiescant.

In cogitatione tua regi ne detrahas, et 20
*in secreto cubiculi tui ne maledixeris di-
viti :* id est, tam diligenter præcave oblo-
qui superioribus tuis, principibus ac præ-
latis, et potentioribus, ut nec in corde
tuo murmures contra eos, aut obtrectare
proponas, nec in secretissimo loco id fa-
cias, quamvis iniqui sint; sed committe
eos divino judicio, et superioribus suis
quos habent in terra, aut summo Pontifici,
seu synodo generali, ubi ordinate poterunt
accusari. Dic ergo cogitatui tuo : Ecce ipsi
sunt judices mei, non ego eorum. Non est
meum judicare meos superiores, quibus
(quamvis dyscolis) oportet me obedire, et I Petr. ii,
cum reverentia subdi, intuitu et amore il- 18.
lius a quo omnis potestas, cujus vicarii Rom. xiii, 1.
sunt. *Quia et aves cœli portabunt vocem
tuam, et qui habet pennas annuntiabit
sententiam :* id est, quocumque modo ipsi
superiores tui percipient tuam detractio-
nem et maledictionem : quia quod sæpe
cogitaveris, tandem effundes, quoniam ex

Digitized by Google

Matth. xii, 34. abundantia cordis os loquitur. Et quoniam A
multi quærunt placere majoribus suis, ali-
qui deferent verba tua (te ignorante) ad
eos, sicque improvise punieris ab eis. Sic-
que quod dicitur, Aves cœli, etc., est
hyperbolica locutio, et tropicus sermo :
quemadmodum Christus dixit ad Phari-
Luc. xix, 40. sæos, Si hi tacuerint, lapides clamabunt.
Habac. ii, 11. Et Propheta : Lapis, inquit, de pariete
clamabit. Et communiter dicimus : Parie-
tes non celabunt.

Possunt autem per aves cœli, intelligi
homines leves, garruli, inconstantes, quem-
admodum in Matthæo, per aves cœli, desi- *Matth.* xiii, 4, 19.
gnantur dæmonia. Et, habens pennas, vo-
catur superior, potestate se erigens : qui
contra detrahentem sibi proferet damna-
tionis sententiam. — Porro mystice, pro-
hibemur obloqui, murmurare, maledicere
Regi sæculorum omnipotenti, omnia in-
tuenti, ne a dæmonibus accusemur apud
eumdem.

ARTICULUS XI

EXPLICATIO CAPITULI UNDECIMI : MITTE PANEM TUUM SUPER TRANSEUNTES AQUAS.

HIC ad opera misericordiæ spiritualia B
1 ac corporalia admonemur. *Mitte pa-
nem tuum,* id est, corporalem ac spiritua-
lem refectionem effunde, *super transeuntes
aquas,* id est super pauperes mendicantes,
atque domesticos inopes : qui instar aqua-
rum multi sunt, et moventur hinc inde, ac
pergunt ad ultimum finem. Unde et in
Apoc. xvii, 15. Apocalypsi legitur : Aquæ multæ, populi
Is. lviii, 7. multi. Hinc admonet Isaias : Frange esu-
Ibid. xxxii, 20. rienti panem tuum. Et iterum : Beati, in-
quit, qui seminatis super omnes aquas.
Quia post multa tempora invenies illum, C
id est, fructum et præmium consequeris
Prov. xix, 17. inde in die mortis atque judicii tui. Qui
enim miseretur pauperis, fœneratur Domi-
Tob. iv, 8, 10-12. no. Propterea in Tobia asseritur : Quomo-
do potueris, ita esto misericors. Præmium
enim bonum tibi thesaurizas in die neces-
sitatis, quoniam eleemosyna ab omni pec-
cato et a morte liberat, et non patietur
animam ire in tenebras. Fiducia magna
coram summo Deo, est eleemosyna omni-
bus facientibus eam. Hinc Christus in die
Matth. xxv, 40. judicii misericordibus dicet : Quamdiu uni D
ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.
2 *Da partes septem, necnon et octo.* Per
hos duos numeros determinatos, designari
videtur numerus indeterminatus : ad insi-
nuandum, quod de omnibus quæ super-
sunt, copiose sit communicandum pauperi-
bus, sicut ad Timotheum scribit Apostolus:
Divitibus hujus sæculi præcipe, divites *I Tim.* vi, 17-19.
fieri in bonis operibus, facile tribuere,
communicare, thesaurizare sibi fundamen-
tum bonum in futurum. Ideo tamen expri-
mit septenarium numerum et octonarium,
quoniam opera misericordiæ septem sunt
in genere, per quæ ad octo beatitudines
pervenitur; vel quoniam septimus dies in *Exod.* xii, 16.
lege celebris fuit, videlicet sabbatum (ut *Ibid.* xvi, 26.
patet in Exodo), et die octavo fiebat cir-
cumcisio, juxta illud Genesis : Infans octo *Gen.* xvii, 12.
dierum circumcidetur in vobis. At vero,
secundum expositores catholicos, ideo ait,
Septem, et, Octo, ut innuat utriusque Te-
stamenti Scripturam in debita veneratione
habendam. Vetus enim Testamentum si-
gnificatur per Septem, propter septimi
diei celebritatem; et novum, per Octo,
propter resurrectionis octavam. *Quia igno-
ras quid futurum sit mali super terram,*
id est quæ tribulationes et angustiæ, quæ
pestes et prælia, seu quando et qualiter
morieris. Ideo indiges facere misericordiæ
opera, ut tunc adjuveris ac eruaris : quia,

Digitized by Google

I Tim. IV, 8. ut ait Apostolus, pietas ad omnia utilis
est, promissionem habens vitæ quæ nunc
est, et futuræ. Nempe, ut ait Salvator,
Matth. V, 7. Beati misericordes, quoniam ipsi miseri-
cordiam consequentur. Ideo ait Psalmista :
Ps. XL, 2. Beatus qui intelligit super egenum et pau-
perem ; in die mala liberabit eum Dominus.
3 *Si repletæ fuerint nubes* exhalationibus
ac vaporibus humidis, *imbrem,* id est plu-
viam, *super terram effundent :* ita et tu,
exemplo naturæ, de plenitudine tua im-
pertire pauperibus. — Spiritualiter, nubes
sunt virtuosi prælati, contemplativique vi-
ri, et prædicatores sancti : qui instar nu-
bium elevantur a terra, et ad cœlestia vo-
lant. Quæ quum fuerint rivis sapientiæ ac
doctrinæ repletæ, et supernis charismati-
bus redundantes, verba sapientialia, instar
stillarum, audientibus influunt, et corda
eorum irrigant ac fecundant; luceque sa-
pientiæ eis infusæ illuminant proximos,
Job XXXVII, 11-13. juxta illud in Job : Nubes spargunt lumen
suum : quæ lustrant cuncta per circuitum,
quocumque eas voluntas gubernantis du-
xerit, ad omne quod præceperit illis super
faciem orbis terrarum, sive in una tribu,
sive in terra sua, sive in quocumque loco
misericordiæ suæ eas jusserit inveniri. De
Is. LX, 8. quibus loquitur Isaias : Qui sunt isti, qui
ut nubes volant? Quarum pluviam, id est
doctrinam et prædicationem, Deus aufert
ingratis, quemadmodum in Isaia testatur :
Ibid. V, 6. Mandabo nubibus, ne pluant super eam
imbrem. Unde et in Actibus Apostolorum
Act. XVI, 6, 7. sic legitur : Vetati sunt (Paulus et sui) a
Spiritu Sancto, loqui verbum Dei in Asia;
et non permisit eos Spiritus Jesu.

Consequenter insinuat, quam necessa-
rium sit in præsenti vita operibus insiste-
re virtuosis, quia in morte cessant tempus
et status merendi ac demerendi. *Si cecide-
rit lignum,* id est, si homo per mortem
corruerit, atque devenerit *ad austrum,* id
est ad ardorem Solis justitiæ, ad nume-
rum, partem atque consortium electo-
rum, *sive ad aquilonem,* id est ad frigus
iniquitatis, et ad caritatis omnimodam
exstinctionem, et ad partem ac numerum
A reproborum. Unde Antisiodorensis in Sum-
ma sua, per austrum intelligit regionem
Spiritus Sancti; per aquilonem, regionem
diaboli. *In quocumque loco ceciderit,* id
est, in qualicumque affectione dispositio-
neque cordis obierit, *ibi erit,* id est, in ea
æternaliter et inconvertibiliter permane-
bit. Si enim recesserit anima a corpore in
caritate et conversione ad Deum, inaverti-
biliter manebit ad ipsum in æternum con-
versa; si autem in aversione seu culpa
mortali, inconvertibiliter et inflexibiliter
B manebit aversa a Deo.

Ideo asserit Damascenus, libro secundo :
Quod angelis fuit ruina, hoc hominibus
est mors. Quemadmodum enim angeli te-
nebrarum immutabiliter manent in illa af-
fectione et aversione, in qua erant pec-
cando, et corruendo ex cœlo; ita et anima
jugiter manet in dispositione et affectione
qua recessit a corpore hora mortis. Nam
tota hæc vita et tota ejus duratio, est via
et peregrinatio ad futuram : cujus viæ ter-
minus mors est. Idcirco post mortem non
C manet status aut duratio promerendi aut
demerendi. Nec damnati unquam pœnitent
de suis peccatis, in quantum fuerint of-
fensiva inhonorativaque Dei; nec cupiunt
esse cum Deo ex aliquo ejus amore, vel ad
laudem et gloriam ejus. Imo summe et
ineffabiliter odiunt Deum, et inæstimabi-
liter invident gloriæ ejus. Sed quantum in
ipsis est, cuperent æternaliter frui rebus
creatis caducis, quibus in hac vita finali-
ter inhæserunt, et in quarum libidinoso
amore recesserunt a corpore. Verumta-
D men, in quantum esse cum Deo, esset
damnatis evasio tormentorum suorum, for-
sitan vellent esse cum eo. Hinc quoque
asserit Augustinus : In quo quemque in-
venerit suus novissimus dies, in hoc eum
comprehendet mundi novissimus dies :
quoniam qualis in die hoc moritur, talis
in illo judicabitur. Et Psalmista : Non mor- Ps. CXIII, 17.
tui laudabunt te, Domine, neque omnes
qui descendunt in infernum. Et sanctus
Job : Viam (inquit) per quam non rever- Job XVI, 23.
tar, ambulo.

Digitized by Google

Denique homo vocatur arbor seu li-
Matth. III, 10. gnum, juxta illud Evangelii : Jam securis ad radicem arboris posita est; omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Unde et Chri-
Luc. XXIII, 31. stus in passione : Si in viridi (inquit) ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Philosophi quoque dicunt hominem esse arborem eversam. Nam sicut in arbore radix est loco oris, attrahendo nutrimentum humoris, et est in parte inferiori; sic in homine os, quo sumitur alimentum, est in parte superiori, prout etiam secundo de Anima tangit Philosophus. Rursus, sicut arbor ramos suos extendit sursum, sic homo crura ac brachia sua veluti ramos extendit deorsum. Amplius, quoniam sole ad austrum ascendente, cuncta virescunt in terra, diesque prolongantur, et dies fit clarior, ardor quoque lucis solaris in terra augetur : recte per austrum, pars electorum et regio Spiritus Sancti, seu fervor exprimitur caritatis; per aquilonem vero, portio reproborum et regio inimici, quoniam sole illinc elongato, frigora oriuntur durissima, et venti inde perflant acerrimi. Unde Hieronymum sequens Albinus, fatetur quod auster in Scripturis communiter in bonam partem accipitur, aquilo autem
Cant. IV, 16. in malam, juxta illud in Canticis : Surge, Aquilo (id est recede), et veni, Auster. Et
Jer. I, 14. in Jeremia : Ab aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.

4 *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metet :* id est, qui incerta pericula nimis anxie metuit, nunquam faciet opera bona tempore opportuno ; sed differt ea ex timore eventus periculorum incertorum, et sic postea aptum non reperiet tempus. Per quod innuit, quod opera misericordiæ non sunt differenda ex timore futuræ caristiæ, præsertim dum signa probabilia non apparent, nec ex simili irrationabili excusatione. Similiter qui in ipsis pauperibus curiose discernit, an sint digni recipere, an vere indigeant, an nil mali intendant, sæpe falletur, et eis frequenter negabit

A quibus est dandum. Hinc docuit Christus sollicitudinem immoderatam abjicere, nec temere judicare, nec inordinate timere : imo in omni eventu sperare in Domino, nec de futuris immoderatam assumere conjecturam. *Matth.* VI, 25-34; X, 31; *Joann.* VII, 24. Propterea ait et Seneca in libro de Quatuor virtutibus* : Plura sunt quæ nos terrent, quam quæ premunt. Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus, quum illa quæ imminere formidas, nunquam fortasse ventura sint. Primum respice, an certa sint argumenta mali futuri : plerum-
B que suspicionibus laboramus. Nescio quomodo magis vana perturbant : vera enim modum suum habent. Verisimile est aliquid mali futurum; non tamen statim est verum. Quam multa non exspectata venerunt ! quam multa exspectata nunquam comparuerunt ! Habet etiam mala fortuna levitatem. Satis cito dolebis, quum venerit; interim meliora confide. Hæc Seneca. Qui et in suis ait Proverbiis : Stultum est timere quod vitari non potest.

* in Epist. 1a lib. II.

Quomodo ignoras quæ sit via spiritus, 5
C id est, quæ sit operatio animæ, an scilicet procedat ex caritate, an non; vel qualiter anima sit producta, et de non esse ad esse deducta, corporique infusa. Quamvis enim sciamus quod anima creando infunditur, et infundendo creatur; tamen ipsam creationem comprehendere non valemus, qualiter solo divinæ voluntatis imperio quid esse incipiat, quod prorsus non fuit. *Et qua ratione,* id est qua manerie, quo processu, influxu et ordine, *ossa* infantuli *compingantur,* id est, formentur et invi-
D cem connectantur, *in ventre prægnantis ;* et venarum ac ossium varietatem ignoras, quomodo ex immundo et modico semine formetur corpus humanum in diversos artus et lineamenta atque effigies, ac de eodem semine aliud quidem mollescat in carnibus, aliud induretur in ossibus, aliud in venis palpitet, aliudque ligetur in nervis; *sic nescis opera Dei* occulta, *qui fabricator est omnium.* Nam sicut faber per instrumenta diversa, ex una materia efficit aliud sic, aliud aliter; sic Deus omni-

Digitized by Google

potens per ministeria corporum cœlestium A et motorum motuumque eorum, producit inferiora hæc mixta ex elementis. Omnia tamen originaliter fecit ex nihilo. Et juxta hunc modum loquitur Plato in primo Timæi : Dicendum (inquiens) cur conditor fabricatorque universi, omne hoc instituendum putaverit. Itaque opera Dei ignoras, imo et nescis quando et qualiter seu qua via spiritus tuus exibit de corpore tuo. Non ergo omittas aut differas misericordiæ opera, spe vitæ longævæ in sæculo, quasi personaliter indigens bonis tuis B in posterum.

His consonat quod secundo Machabæorum, virilis et sancta ac venerandissima illa septem filiorum martyrum mater, legitur ad illos in martyrio constitutos, di-
II. Mach. vii, 22, 23. xisse : Nescio qualiter in utero meo apparuistis ; neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, et singulorum membra non ego compegi, sed creator mundi, qui omnium invenit originem.

6 *Mane semina semen tuum :* id est, cito et sine dilatione, moxque in irradiatione C lucis gratiæ super te, opera bona exerce, agrum cordis tui fecunda, verbum Dei annuntia, ita ut mentem tuam in primis a sentibus, spinis, ac tribulis passionum ac vitiorum emundes. Hinc in Osee scriptum
Osee x, 12. est : Seminate vobis in justitia, et metite
Jer. iv, 3. in ore misericordiæ; ac in Jeremia, Novate vobis novale, et nolite serere super spinas. *Et vespere ne cesset manus tua :* id est, assidue actibus virtuosis insiste, ut nullam temporis tui partem, nullamque durationis tuæ ætatem infructuose expen- D das, sed in pueritia, adolescentia, juventute, ac senio adhæreas, obsequarisque Domino; *quia nescis quid magis oriatur,* id est, in qua temporis parte, vel in qua ætate migrabis a corpore, seu quid amplius Deo complaceat de te, *hoc, an illud; et si utrumque simul* oriatur, seu placeat Creatori, *melius erit,* id est, multo plus apud Deum erit meritorium, si ei serviveris in utraque, seu qualibet tua ætate, et tam mane quam vespere. Quasi dicat : Dato quod diu victurus sis, non tamen nocebit tibi, sed proderit, quod cito et mane incepisti ei servire : imo gratissimum ei est, si quis juventutis et adolescentiæ suæ florem, vigorem, et vivacitatem sibi obtulerit, et in sua sancta servitute expenderit.

Dulce lumen, et delectabile est oculis, 7
videre solem. Potest hoc superficialiter accipi, quod lumen istud sensibile sit amicum naturæ, et perfectio quædam visus exterioris, ideoque suave hominibus. Similiter vita præsens, quæ luminis nomine designatur, dulcis appetibilisque consistit, et delectabile est oculis videre solem. Propter quod dixit Tobias : Quale mihi gau- Tob. v, 12.
dium est, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video?

Melius autem exponuntur hæc de lumine increato, ita quod Salomon tangit hic breviter præmium actuum misericordiæ, omniumque virtutum, quo inflammari debemus ad bene agendum. *Dulce lumen,* id est, Deus qui est lux increata, immensa, superpurissima, vere et incomparabiliter dulcis est in se ipso et universis perfruentibus eo : in cujus clara facialique visione beatitudo nostra est sita, sicut in Joanne ait Salvator : Hæc est vita æterna, ut co- Joann. xvii, 3.
gnoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. De quo subditur: *et delectabile est oculis* interioribus plene purgatis, *videre* clare per speciem *solem* justitiæ, unigenitum Filium Dei. De quo Pater per Malachiam loquitur, dicens : Ori- Malach. iv, 2.
etur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ. Unde et Sapientiæ quinto impii sero pœnitentes, fatentur : Justitiæ lumen Sap. v, 6.
non luxit nobis, et Sol sapientiæ* non est *intelligentiæ
ortus nobis. Qui Sol suam intuitionem promittit pro præmio, dicendo : Qui dili- Joann. xiv, 21.
git me, diligetur a Patre meo; et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum. Denique, quum delectatio consurgat ex unione potentiæ cum convenienti objecto, ipseque intellectus sit nobilissima vis animæ, et objectum hoc æternum ac increatum sit infinitæ omnino amœnitatis ac

Digitized by Google

convenientiæ; delectabilissimum plane est, A ipsum fruitive conspicere. Ideo de electis (Ps. xxxv, 9, 10.) ait Psalmista Deo : Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos : quoniam apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen. Tantæ igitur beatitudinis spe et amore, simus semper bonis ferventer intenti; et timore separationis ab ea, studeamus semper ad mortem esse parati. Propterea subditur :

8 *Si annis multis,* id est, quantumcumque diu, *vixerit homo, et in his omnibus lætus fuerit,* id est, prospera habens, et gaudens B in bonis, *meminisse debet tenebrosi temporis,* id est horæ mortis, sibi indesinenter appropinquantis : quæ ob suam amaritudinem ac terribilitatem, nox et tenebrosa vocatur; *et dierum multorum,* id est durationis futuri sæculi, quæ fine carebit. (Eccli. xi, 27.) Hinc in Ecclesiastico legitur : In die bonorum ne immemor sis malorum. Et Gregorius : Sic agenda est præsentis vitæ lætitia, ut amaritudo mortis, ac districtio sequentis judicii, nunquam recedant a memoria. Hinc Seneca dixit : Omnis dies vel- C ut ultimus ordinandus est. *Qui quum venerint, vanitatis arguentur præterita,* id est, in futuro sæculo, et statim post mortem fiet uniuscujusque particulare judicium, et mala quæ gessit ostendentur vana fuisse, et reprehendentur, damnabuntur ac punientur.

9 *Lætare ergo, juvenis, in adolescentia tua, et in bono sit cor tuum in diebus juventutis tuæ, et ambula in viis cordis tui, et in intuitu oculorum tuorum.* Secundum superficiem litteræ, videtur hic Salomon D admonere ad vivendum voluptuose, juxta desideria cordis et concupiscentiam oculorum. Et si littera ita sumatur, dicunt expositores, quod dicat hæc verba ironice. Nam statim subjungit : *et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium.* Vel in persona carnalium dixit hæc. Quasi dicat : Quum tot mala sint et adversa, interim voluptatibus fruere. Nihilo minus textus potest exponi in sensu salubri. *Lætare, juvenis, in adolescentia tua,* id est, tempore adolescentiæ Deo servi in lætitia: sicut ait Apostolus ad Philippenses, Gau- (Philipp. iv, 4.) dete in Domino semper; et Psalmista, Ser- (Ps. xcix,) vite Domino in lætitia. *Et in bono* honesto, id est actu virtutum, *sit cor tuum* jugiter occupatum *in diebus juventutis tuæ.* Nam et mores hominis meliores sunt in juventute, quam in adolescentia vel senectute, prout in libro Politicorum docet Philosophus. In adolescentia namque sanguine fervente, passiones sunt fortiores, quibus ratio offuscatur; in senectute vero natura declinat, et ratio incipit debilitari communiter. *Et ambula in viis cordis tui,* id est exercitiis internis ac bonis, quibus mens tendit in Deum, *et in intuitu oculorum tuorum,* id est secundum dictamen et judicium oculorum interiorum, et conscientiæ atque synderesis; *et scito quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium,* id est, copiosam dabit mercedem, quum approbaverit sua judiciali sententia hujusmodi vitam tuam. Unde et Apostolus Corinthios exhortatur : Stabiles estote, (I Cor. xv, 58.) abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino.

Aufer iram per vitium *a corde tuo,* id 10
est, appetitum vindictæ refrena, et cito indulge, quatenus Deus in suo judicio tibi indulgeat : qui in Evangelio protestatur, Si (Matth. vi, 15; xviii, 35.) non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris, nec Pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra. Unde et in Levitico jussum est : Non quæras ultio- (Lev. xix, 18.) nem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. In Genesi quoque Joseph fratribus suis legitur injunxisse : Ne irascamini in (Gen. xlv, 24.) via. Et in Job præcipitur : Non te superet (Job xxxvi, 18.) ira, ut aliquem opprimas. *Et amove malitiam,* id est adulterium et omnem luxuriam, *a carne tua.* Qui enim fornicatur, (I Cor. vi, 18.) peccat in corpus suum; et se ipsum in Baptismate Deo consecratum, facit diaboli servum ac membrum. *Adolescentia enim et voluptas, vana sunt :* quia a summo et incommutabili bono avertunt, impediunt, et elongant. Adolescentia tamen, prout est

Digitized by Google

pars ætatis, non est vitiosa in se; sed in ea incitatur homo potissime ad inania ac lasciva. Voluptas vero illegitimæ copulæ est iniqua.

Postremo, circa illud, Lætare, juvenis, in adolescentia tua, posset quis quærere, qualiter possit juvenis in adolescentia sua lætari, quum juventus et adolescentia sint A distinctæ partes ætatis, ita quod tempore juventutis, adolescentia jam defluxit: nisi forsan dicatur juvenis delectari in ea secundum esse quod habet in apprehensione. Et respondendum, quod juventus quandoque, sicut et hic, extense accipitur, prout ad adolescentiam se extendit. Et sæpe pro eodem sumuntur.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : MEMENTO CREATORIS TUI IN DIEBUS JUVENTUTIS TUÆ.

HORTATUR jam Salomon ad virtuose agendum celeriter, ex consideratione brevitatis vitæ præsentis, et corruptionis assiduæ corporis nostri, imminentisque mortis. Et loquitur in isto capitulo multum metaphorice et obscure; sed ex verbis quæ tandem subjungit, dat occasionem intelligendi quid dicere velit.

1 *Memento Creatoris tui,* non superficiali, rara, informi, sed cordiali, assidua, et formata recordatione : ita ut ejus majestatem toto posse honores, ejus bonitatem super omnia fervide diligas, ejus justitiam expavescas, infinitam excellentiam ejus jugiter laudes, veritatem et sapientiam ejus reverenter ac limpide contempleris, beneficia et promissa ipsius attendas, et gratus esse totis viribus semper coneris. Sic igitur Dei præsentiam incessabiliter penses *in diebus juventutis tuæ,* id est statim ab exordio ætatis adultæ, hæc aliqualiter incipiendo. Et quanto plus creveris ætate, ad pueritiam adolescentiamque perveniendo; tanto perfectius impleas jam prædicta. Itemque juventus hic sumitur, prout contra senectutem distinguitur, et totum tempus adultæ includit ætatis. Denique, protestante S. Hilario, id potissime Deo tenemur, ut sicut totum quod sumus, possumus et habemus, ab ipso accepimus; sic nos ipsos et omne quod valemus ac B possidemus, ejus obsequio mancipemus, atque ad ejus ordinemus amorem et cultum. Sicque ratione beneficentiæ nobis ab ipso exhibitæ, debemus nos totos dilectioni et honorificentiæ ejus : et multo plus, quoniam ipse prior dilexit nos; et I Joann. IV, 10, 19.
maxime propter infinitam dignitatem ac honorabilitatem ipsius, sed et propter liberalissima ejus promissa. Nequaquam ergo obliviscamur ipsius, sed in omni ejus obsequio pensemus majestatem ipsius, quatenus cum ingenti reverentia eum exoremus, C laudemus, colamus, et veneremur in omnibus. In omni quoque tentatione reminiscamur suæ gloriosæ et supervenerandæ præsentiæ, ut erubescamus, vereamur, et omittamus in ejus præsentia ipsum offendere, et viliter nos habere.

Antequam veniat tempus afflictionis tuæ, id est angustiæ, adversitatis, et senectutis : in quibus Deo servire, et ad ipsum confugere, est quodammodo necessitatis, nec ex mera libertate puraque caritate videtur procedere, ideo Deo minus acceptum D est; *et appropinquent anni de quibus dicas : Non mihi placent.* Isti sunt anni ætatis decrepitæ et mortis amaræ, imo et quotidianæ : quia, ut beatus asserit Augustinus, quando ætas vergit ad occasum, senex plenus est querelis et nullis gaudiis. Et rursus testatur : Quum homines cupiunt

Digitized by Google

senectutem, quid aliud optant, nisi longam infirmitatem? Sanctus quoque Gregorius : Ipse (inquit) defectus corruptionis, quid est, nisi quædam prolixitas mortis?

2 *Antequam tenebrescant sol et lumen et stellæ et luna.* Quemadmodum Rabbi Moyses ille Ægyptius, magnus philosophus atque theologus, fassus est, consuetudo Scripturæ est, ut luminaria cœli et orbes cœlestes, propter homines condita, dicantur obtenebrari, mœrere, et quasi in deterius variari, dum homines in præcipuas labuntur adversitates, calamitates et mortes. Unde in Ezechiele Dominus loquitur regi Ægypti : Operiam, quum exstinctus fueris, cœlos, et nigrescere faciam stellas ejus; solem nube tegam, et luna non dabit lumen suum; omnia luminaria cœli mœrere faciam super te. Similiter in Isaia, quum dixisset Scriptura, Interfecit eos, etc., mox adjecit : et complicabuntur sicut liber cœli, et omnis militia eorum defluet. Itaque juxta hunc modum loquendi potest intelligi, quod homine in angustiis senii constituto, et propinquante ad mortem sol lumenque ejus, luna ac sidera tenebrescunt, quia non fulgent homini tali ad ejus solatium. Verumtamen expositores, per solem et lunam, communiter intelligunt oculos corporales : qui omnibus membris lucent, ducatumque præbent per lumen visuale et vim visivam, quæ connata sunt oculis ac resident in pupilla, senectutisque tempore, præsertim in morte, per debilitationem obtenebrescunt. Per stellas vero, alii sensus intelliguntur : qui ornant caput sicut sidera cœlum, et illuminant aliqualiter hominem, quemadmodum astra mundum, quia cognitio nostra intellectiva, a sensitiva sumit exordium, atque per sensuum apprehensionem dirigitur homo in agendis ac evitandis.

Ezech. XXXII, 7, 8. — *Is.* XXXIV, 2. — *Ibid.* 4.

Et revertantur nubes post pluviam. Per aquas et flumina ac nubes, in Scripturis quandoque significantur gratiarum fluenta, divinorum charismatum dona, et rivi sapientiæ atque scientiæ. De quibus in Joanne loquitur Christus : Qui credit in

Joann. VII, 38.

A me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; et in Apocalypsi, Qui vult, accipiat aquam vitæ gratis; et in Isaia, Miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos; itemque in Psalmo, Fluminis impetus lætificat civitatem Dei. Interdum per ista, in Scripturis exprimitur tribulatio magna, et impetus angustiæ copiosæ : sicut in Psalmo, Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam; et rursus, Salvum me fac, Domine, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam

B meam; atque in Isaia, Adducet Dominus super eos aquas multas et fortes, regem Assyriorum. Et ita hoc loco per nubes, insinuantur caligines inundationesque afflictionum, quibus agonizantes copiosissime ac mœstissime involvuntur in corpore et anima, in singulis membris ac viribus : quibus tanquam nubibus densis ac tempestuosis operiuntur. Quæ nubes tunc revertuntur post pluvias, id est post præcedentes tribulationes, timores, pressuras.

Apoc. XX[II], 17. — *Is.* XLIX, 1[0]. — *Ps.* XLV. — *Ps.* XCII. — *Ps.* LXVI[II], 2. — *Is.* VIII, 7.

Quando commovebuntur custodes domus, 3

C id est costæ : quibus intestina vallantur, et tota ventris mollities conservatur, ne intra se corruens comprimatur. Possunt quoque custodes domus, intelligi sensus exteriores : per quos custoditur domus, id est corpus, quod est animæ habitaculum, a diversis periculis. Rursus, custodes domus, id est hominis, in quo Deus per gratiam commoratur, vel diabolus residens dominatur, sunt intellectus et voluntas : qui imperant inferioribus viribus, et ab adversis multis custodiunt hominem; sed

D morte instante, multiplici concutiuntur horrore. Custodes quoque habitaculi, in quo agonizans jacet, tunc commoventur compassione, terrore et angustia. *Et nutabunt viri fortissimi,* id est, crura ac tibiæ, quæ totius corporis sustentant ac deferunt pondus, præ infirmitate vacillabunt ac titubabunt. Quæ dicuntur viri fortissimi, quia robustissime præ ceteris quæ in homine sunt, consolidant teneritudinem carnis. Vel : Viri fortissimi, id est, qui antea robustissimi erant, tunc præ ægritu-

Digitized by Google

dine nutant. *Et otiosæ erunt molentes,* id est, dentes, qui instar molæ comminuunt cibos, tunc ab officio suo deficient, non valentes conterere cibum, *imminuto numero* * : quia tunc solent excidere, et numero minorari in senectute; *et tenebrescent videntes per foramina,* id est, oculi caligabunt : qui per organa sua in capite sita ac profundata, tanquam per foramina cernunt. Unde in Genesi leguntur suis oculis Isaac et Jacob præ senectute non potuisse clare videre.

* in minuto numero

Gen. XXVII, 1; XLVIII, 10.

4 *Et claudent ostia in platea, in humilitate vocis molentis.* Ostia hominis sunt, os ejus et labia, ac ceteræ viæ seu aperturæ, per quas ejiciuntur superfluitates naturæ. Unde orat Propheta : Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. In Ecclesiastico quoque habetur, Ori tuo facito ostia : id est, labia tua ab illicita locutione refrena. Hæc ostia, morte instante, clauduntur, dum loqui non prævalent, et præ angustia afflictionum invicem comprimuntur. Ideo additur : In humilitate, id est exilitate et dejectione, vocis molentis, id est aerem confringentis : quia tunc vix loqui possunt exiliter ac depresse. Hoc ostium positum est in platea, id est in planitie ac latitudine vultus. Vel, Claudent ostia in plateis : quoniam senes ægrotantes ac agonizantes, faciunt januas domus suæ claudi; nec egredi queunt, nec ludentium jocis alludunt.

Ps. CXL, 3.

Eccli. XXVIII, 28.

Et consurgent ad vocem volucris, id est, in galli cantu evigilabunt ac surgent, vel necessitudine urinandi, a qua diu nequeunt abstinere, vel quia diu in uno latere non valent jacere. Nempe frigescente jam sanguine, et siccato humore, quibus materia alitur somni, ad levem evigilant sonum; deficiente quoque vigore naturæ, non possunt diu tenere urinam. *Et obsurdescent omnes filiæ carminis,* id est aures : quæ in melodiis et cantibus delectantur, propter quod filiæ carminis
5 nuncupantur. *Excelsa quoque timebunt, et formidabunt in via :* id est, ipsi infirmi senes et morti appropinquantes, verebuntur secreta et alta judicia Dei, atque ignotam ingredi metuent regionem. Vel : Excelsa, id est supremæ vires animæ, scilicet intellectus et voluntas, expavescent mortis discrimen, et viam universæ contrement carnis. Vel, lapsis poplitibus ac tremiscente vestigio, etiam in plano fluctuantes itinere, defectum ac offendicula gressuum formidabunt.

Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, et dissipabitur capparis. Hæc tria, puta amygdalus, locusta, et capparis, per metaphoram seni conveniunt : amygdalus, ratione canitiei; locusta, propter crurum dolorem, ac pedum tumorem. Locusta quippe est animal breve et parvum, in cruribus debile : cujus proles est bruchus, qui quum alatus fuerit, et volare inceperit, locusta vocatur, ut dictum est super illud Joelis : Residuum erucæ, comedit locusta. Joel I, 4. Capparis, propter libidinis infrigidationem. *Florebit* ergo in sene *amygdalus,* id est, caput capillorum canitie quasi floribus suis operietur; *impinguabitur locusta,* id est, crura dolebunt, et pedes indigestis humoribus tumidi fient ac gravabuntur, ac tibiæ intumescent. Aliqui tamen per locustam teneram, intelligunt mollem ventrem, qui tempore senii, incoctis solet impinguari humoribus, deficiente calore ad consumendum. *Et dissipabitur capparis,* id est, libido frigescet, et concupiscentia exstinguetur : quæ nomine capparis designatur, eo quod capparis herba sit excitans luxum, et renibus valet, in quibus libido viget. Propter quod ait Salvator : Sint lumbi vestri præcincti. Luc. XII, 35. Porro (ut legitur) capparis est genus fruteti conforme lentisco, habens in summitatibus seminis sui rotunda capitula, nascens in aridis locis, et petræ adhærens; et super omnia medicamina juvat. Semen ejus sali compositum, cibis est aptum; ventrem mollit, provocatque urinam. Radix ejus potata, paralyticis mirifice prodest, menstruis imperat. Semen ejus cum aceto coctum, et ore retentum, dolorem dentium mitigat. Radix ejus si masticetur, dolorem eumdem

Digitized by Google

* Quoniam compescit. *Quando* * *ibit homo in domum* A *æternitatis suæ,* id est statum et mansionem futuri sæculi, cujus duratio finem non habet, *et circuibunt in platea plangentes,* id est propinqui et amici, defunctum ad tumulum deferentes, ejusque mortem in via deflentes.

6 *Antequam rumpatur funis argenteus.* In omnibus his repetendum est illud : Memento Creatoris tui. Itaque reminiscere Dei tui indesinenter, antequam rumpatur funis argenteus, id est splendida vita ista, instar funiculi diu protracta, seu elemen- B torum commixtio, instar funiculi in tuo corpore colligata : hoc est, antequam dissolvatur complexionis tuæ harmonia. *Et recurrat vitta aurea,* vel, ut aliqui legunt, Vita aurea. Per vittam auream, quidam intelligunt animam pretiosam, variis viribus proprietatibusque intextam. Et auream vitam, quidam accipiunt vitam futuram justis promissam, et vitiis perditam : quæ ita se habet ad vitam præsentem, sicut aurum ad argentum. Potest quoque per vittam auream, significari nobilissima illa C harmonia, quæ in resurrectione futura tribuetur electis, et aliqualiter fuit ante lapsum in primis parentibus. Itaque antequam anima recurrat ad suum conditorem, et antequam vita beata reddatur, memor sis Dei.

Et conteratur hydria super fontem, id est, vesica humorum aquaticorum contentiva, destruatur ad stomachum : ex quo, velut ex fonte, suscipit talem humorem. Ut enim ait Cyrillus in suis Proverbiis, quatuor digestionibus cibus percoquitur, ut D deinde membris purior atque veracior tribuatur. Omnis etenim cibus, antequam substantiæ carnis incorporetur, quatuor digestionibus expurgatur. Primo vadit ad stomachum, et ibi digeritur, et sequestratur purum ab impuro, et impurum emittitur per secessum. Deinde purum relictum ad hepar emittitur, ac ibi digeritur; fitque sanguis, et sequestratur purum ab impuro : impurum emittitur per urinam, ac purum relictum, a venis attrahitur. Et ibi tertio digeritur, sequestraturque purum ab impuro : et impurum emittitur per sudorem et sputum; deinde purum relictum, per membra spargitur. Et in membris quarto digeritur, sequestraturque purum ab impuro : et illud impurum, quod quasi purum est, servatur in vasis spermaticis, et in generatione emittitur; purissimum autem relictum, convertitur in membrorum substantiam, factum vivum, atque substantia vitæ.

Et conteratur * *rota super cisternam,* id * confringatur
est caput, instar rotæ rotundum, superpositum cordi, quod est fons caloris ac
vitalium origo spirituum. *Et revertatur* 7
pulvis in terram suam unde erat, id est, caro resolvatur in terram : quæ, quantum ad materiam, prædominatur in corpore; *et spiritus redeat ad eum* * *qui dedit illum,* * Deum id est ad Creatorem, ut judicetur et remuneretur. Qua auctoritate confunduntur Apollinaris et sui sequaces, dicentes animas cum corporibus propagari, descindi, ac seminari, non ab extra infundi; et quidam philosophi ac Sadducæi, qui dixerunt animas hominum mori cum corpore.

His metaphorice ac parabolice dictis, ad principium redit hujus voluminis : *Vanitas,* inquiens, *vanitatum, dixit Ecclesiastes, et omnia vanitas :* sicut in primo capitulo expositum est. Tanquam dicat : Quum omnis homo ad finem istum venturus sit, ut corpus redigatur in pulverem, et anima revertatur ad Creatorem; vanissimum est, in rebus caducis, in deliciis et mundi honoribus occupari, beatitudinem quærere, et constituere finem in talibus. 8

Quumque esset sapientissimus Ecclesiastes : prout tertio Regum et secundo Paralipomenon, supra quoque expositum est. Loquitur autem de se ipso, quasi de alio, ut moris est auctoribus Scripturarum in propriis loqui libris. Se quoque commendat, non ad propriam laudem, sed ad Dei honorem et nostram ædificationem, ut certius ei credamus, ejusque verba attentius contemplemur. *Docuit populum* Israeliticum sibi commissum, præsertim domesti- 9 III Reg. iv, 29-34; II Par. ix, 23; Eccle. i, 16.

Digitized by Google

cos suos, ac alios ad ipsum pro informa- A
tione accedentes, sicut reginam Saba; *et*
Eccle. II, passim. *enarravit quæ fecerat :* ut patuit supra se-
cundo capitulo. *Et investigans* veritatem
Ibid. I, 13. de singulis, prout supra fuit expositum,
composuit parabolas multas, videlicet tria
III Reg. IV, 32. millia, ut legitur tertio Regum. Quæ tamen
non sunt omnes descriptæ, ut dictum est
10 in expositione libri Proverbiorum. *Quæsi-
vit verba utilia* ad salutem, *et conscripsit,*
per se vel per alios, *sermones rectissimos,*
id est ab omni falsitate et injustitia alienos,
ac veritate plenos : quantum ad ea quæ B
dixit ex ratione et absoluta assertione,
non autem quantum ad ea quæ in isto
protulit libro in persona carnalium : un-
Eccle. III, 19. de est illud, Nihil habet homo amplius
jumento, etc.

11 *Verba sapientium,* qui libros sacræ edi-
derunt Scripturæ, et aliorum veraciter sa-
pientium, sunt *sicut stimuli :* quoniam
pungunt et excitant tardos, negligentes ac
somnolentos; *et quasi clavi in altum de-
fixi,* id est, firma et immobiliter vera, sic-
ut clavi profunde incussi manent firmis- C
sime suo in loco, vel tam sublimiter fixi,
quod nequeunt attingi aut extrahi. Altum
autem, pro profundo frequenter accipi-
Ps. LXVIII, 3. tur : sicut in Psalmo, Veni in altitudinem
Joann. IV, 11. maris; atque in Joanne, Puteus altus est.
Sunt etiam quasi clavi, quia acuta ad
increpandum, penetrativa ad inflamman-
dum, efficacia ad interimendum omne pec-
catum. Unde in Jeremia Dominus loqui-
Jer. XXIII, 29. tur : Nonne verba mea sunt quasi ignis,
et quasi malleus conterens petram? Per
Is. XLIX, 2. Isaiam quoque Christus testatur : Posuit D
me quasi sagittam electam, et posuit os
meum quasi gladium acutum. *Quæ* verba
sapientium, *per magistrorum consilium
data sunt a pastore uno :* id est, a Deo
provisore universorum, et fidelium suo-
rum summo pastore, data sunt per Moysen
et Prophetas, qui consuluerunt et docue-
runt hæc observari. Quasi dicat : Non per
me solum aut principaliter data sunt. Dein-
de in novo Testamento per Apostolos et
Evangelistas a Christo donata sunt, qui est
princeps pastorum, et dixit : Unus est ma- Matth. XXIII, 8, 10.
gister vester, Christus.

His amplius, fili mi, ne requiras, id 12
est nil quod non contineatur aliquo modo
in Scripturis. *Faciendi plures libros nul-
lus est finis :* quia ex una consideratione
oritur alia, et jugiter novæ considerationes
occurrunt. Et qui cessare proposuit atque
quiescere uno quocumque libro completo,
antequam illum compleverit, ex conside-
rationibus interim sibi occurrentibus in-
citatur ad alios componendos. *Frequensque
meditatio,* id est diligens consideratio, as-
sidue necessaria ad libros componendos,
carnis afflictio est, id est, corpus mole-
stat, caput debilitat, et interiores exa-
gitat sensus, qui rationi subserviunt, et
similitudines atque phantasmata repræ-
sentant : sicque (ut Commentator fatetur)
vere fortiterque laborant. Talis quoque
meditatio est sæpe laboriosa spiritui, cui
difficile est quædam difficilia intellige-
re, de quibus vult scribere. Sed et corpus Sap. IX, 15.
corruptibile aggravat animam, et terre-
na habitatio deprimit sensum multa cogi-
tantem.

Finem loquendi pariter omnes audia- 13
mus, id est summam omnium Scriptura-
rum, saluberrimumque compendium, in
cujus adimpletione tota pendet Scriptura.
Deum time filiali timore, *et mandata ejus,*
tam negativa, quibus vitia prohibentur,
quam affirmativa, quibus virtutum actus
præcipiuntur, et præsertim præcepta cari-
tatis Dei ac proximorum, *observa,* perseve-
rando usque in finem. *Hoc est enim omnis
homo :* id est, ad hoc conditi sunt homines
universi, et in hoc consistit eorum salus
atque perfectio maxima, in plena obser-
vatione præcepti caritatis divinæ. *Cuncta* 14
quæ fiunt, adducet Deus in judicium : id
est, omnium hominum actus interiores et
exteriores judicabit Omnipotens, imo et
bonorum actuum omissiones; *pro omni
errato,* id est, ad puniendum quidquid er-
ronee et inique est commissum, et omnem
errorem fidei sanctæ contrarium. *Sive bo-
num, sive malum sit.* Hoc refertur ad il-

Digitized by Google

lud, Cuncta quæ fiunt : ut sit sensus, Omnia judicabit tam bona quam mala. Vel si refertur ad illud, Pro omni errato, sensus est, quod omne erratum dijudicabit et puniet, sive sit bonum ex genere, sed perversa factum intentione, ut ire ad ecclesiam ob laudem humanam; sive sit malum ex propria ratione. Hinc ait Apostolus : Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque A prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum.

II *Cor.* v, 10.

Dicunt Hebræi, quod propter hanc ultimam auctoritatem, liber hic Salomonis receptus sit in sanctarum canone Scripturarum. In aliis enim videbatur sæpius deviasse; hic vero Omnipotentis justitiam declaravit, et qualiter serviendum sit ei, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN ECCLESIASTEN

Digitized by Google

ENARRATIO
IN CANTICUM CANTICORUM
SALOMONIS

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

GAUDEBIT *sponsus super sponsam.* Is. LXII, 5.

Christum esse sponsum, testatur beatissimus Joannes Baptista, paranymphus et amicus sponsi ipsius, loquens : Qui habet sponsam, sponsus est. Et de se ipso *Joann.* III, ibidem subjungens : Amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet 29. propter vocem sponsi. Hinc in Evangelio de se ipso loquitur Christus : Numquid pos- *Matth.* IX, sunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum ipsis est sponsus? De cujus puro et felici con- 15. nubio in Apocalypsi legitur : Quia venerunt nuptiæ Agni. Quamvis autem tota superbe- *Apoc.* XIX, nedicta adorandaque Trinitas, imo et quælibet divina æterna et increata Persona, possit 7. vocari sponsus uniuscujusque rationalis et intellectualis creaturæ, in gratia aut gloria exsistentis; specialiter tamen et appropriate competit unigenito Dei Filio incarnato, esse ac dici sponsum Ecclesiæ militantis : quoniam sponsus et sponsa, solent esse ejusdem naturæ: Ipse autem nostram assumpsit naturam in unitate personæ, non Pater nec Spiritus Sanctus.

Præterea, quamvis triumphanti Ecclesiæ et unicuique menti beatæ in cœlo, competat esse sponsam Verbi æterni excellentius, quam Ecclesiæ militanti, mentique viatrici seu animæ rationali in fide et gratia consistenti, ut infra patebit; communiter tamen fertur, quod triplex sit sponsa Christi, videlicet : tota universalis Ecclesia militans, quæ vocatur sponsa Domini Jesu Christi generalis; et quælibet anima fidelis et amorosa, quæ dicitur Christi sponsa particularis; itemque beatissima virgo Maria Christifera, quæ Christi sponsa singularis censetur. Nec solum universalis Ecclesia, sed et quæcumque particularis Ecclesia, sponsa est Christi, et respectu animæ potest dici sponsa communis. Unde quemadmodum Pontifex summus vocatur sponsus Ecclesiæ : sponsus, inquam, vicarialis Ecclesiæ universalis; sic episcopi dicuntur Ecclesiarum particularium sponsi, et unusquisque eorum Ecclesiæ sibi conjunctæ dicitur sponsus.

Itaque, sicut sancti Patres, illuminatissimique doctores, ab exordio Ecclesiæ primitivæ testati sunt et scripserunt, Salomon ante ruinam suam Spiritu Sancto repletus, prophetiæque spiritu fulgens, cognovit in spiritu mysteria Christi, incarnationem, manifestationem, prædicationem, passionem, resurrectionem, ascensionem ipsius; et cur omnia ista assumeret, ac genus liberaret humanum; quanta quoque et qualia dona gratiæ in præsenti, et dona gloriæ in futuro suis conferret electis, quam amorose et intime associaret et uniret se illis, quam ardenter et suspiriose præstolarentur ipsius adventum, quam gratanter ac fervide amplecterentur ipsum advenientem. Et de omnibus his edidit Salomon librum istum, qui propter eminentiam suæ compendiositatis, altitudinemque suæ sententiæ, et ob jucunditatem suæ cœlestis materiæ, appellatur Cantica canticorum.

Digitized by Google

Unde elicitur eos errasse, qui librum istum putaverunt ad litteram et historialiter exponendum de Salomone et sponsa ipsius filia Pharaonis, allegorice autem de Christo atque Ecclesia. Sic enim materia hujus libri esset vilis, carnalis, permodica, non spiritualis, mystica, præstantissima, et cœlestis; nec esset liber propheticus, sed potius amatorium quoddam carmen : quum tamen liber iste sit spiritualissimus, ac de sincerissimo tractans amore, ac perfectis conveniens. Denique Salomon filiam Pharaonis duxit uxorem in pueritia sua, antequam quartumdecimum attigit annum, secundum Josephum; imo, secundum alios Hebræorum doctores, diu ante : nec in illa ætate credendus est composuisse hunc librum, sed postea diu. Si ergo de se et filia Pharaonis ista ad litteram expressisset, fuisset narratio rei gestæ, non vaticinium futurorum, neque descriptio spiritualium nuptiarum : cujus oppositum sancti et illuminati doctores, in quibus Spiritus Sanctus habitare et loqui, et per eos Ecclesiam informare elegit, testantur.

Præterea, quoniam super hæc Cantica canticorum tot et tanta a sanctis et sapientissimis viris conscripta sunt, ut vix alicui vacet legere universa; non intendo in expositione tam sententiosi voluminis nimium immorari, sed potius ex floribus Patrum flosculos quosdam colligere, et quæ obscurius dicta sunt, clare exprimere. Verumtamen ad intelligendum dicenda, necesse est quædam præmittere.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS

QUOD HEBRAICE SIR HASIRIM DICITUR

DE CHRISTO ET ECCLESIA, DE ANIMA CUJUSLIBET JUSTI, DEQUE BEATA MARIA.

ARTICULUS PRIMUS

AN LIBER ISTE AD LITTERAM EXPONENDUS SIT DE DEO ET SYNAGOGA, VEL POTIUS DE CHRISTO ET ECCLESIA.

In omni scientia oportet in primis scire, quæ sit materia seu subjectum aut genus scibile libri illius scientiæ : sic jam de libro isto necesse est cognoscere, de quo tractet. Et de hoc sic narrat Nicolaus de Lyra : Hebræi dicunt, quod liber iste loquitur parabolice de amore Dei et plebis Judaicæ, quam sibi desponsavit in legis datione, sicque habuit eam in sponsam prædilectam. Expositores vero catholici dicunt communiter, quod liber iste loquitur parabolice de amore Christi et Ecclesiæ, accipiendo Ecclesiam prout dividitur contra Synagogam : quæ Ecclesia processit de latere Christi dormientis in cruce, sicut Eva formata fuit de costa dormientis Adæ. Et sic tam isti, quam illi, nituntur ad suas intentiones litteram applicare. Sed salvo meliori judicio, utrique videntur in aliquo deficere. Primo, quod sponsam accipiunt nimis stricte Judæi, dicentes sponsam esse præcise plebem Hebraicam cum plebe conversa ad ipsam, Catholici vero plebem christianam : quia in hoc libro ponuntur aliqua, quæ non videntur convenienter exponi, referendo ad statum veteris Testamenti; et econverso aliqua, quæ non possunt exponi convenienter de statu novi. Ex hoc sequitur defectus alius, quo Judæi aliqua ad statum novi pertinentia, inconvenienter exponunt de statu veteris; et econverso Catholici aliqua ad vetus Testamentum pertinentia, minus convenienter exponunt de statu novi. Hæc Lyra. Cujus verba non videntur idonea, quibus ait indeterminate, quod catholici expositores dicunt hunc librum loqui de amore Christi et Ecclesiæ, accipiendo Ecclesiam prout contra Synagogam dividitur.

Joann. xix, 34. Gen. ii, 21, 22.

Antiqui enim et sancti præcipuique expositores, affirmant hunc librum tractare de Christo atque Ecclesia, prout Ecclesia

Digitized by Google

Synagogam includit, imo prout designat electorum omnium ab exordio mundi congregationem et cœtum electorum. Etenim Origenes, qui tam eleganter super Cantica scripsit, ut Hieronymus protestetur, quod quamvis in ceteris scriptis cunctos, qui ante eum fuerunt, doctores excesserit, tamen super hæc Cantica se ipso excellentior fuit, ait : Ecclesia sit desiderans Christo conjungi (Ecclesiam autem, cœtum omnium adverte sanctorum) : hæc ergo Ecclesia sit quasi una omnium persona, quæ loquatur et dicat : Omnia habeo; repleta sum muneribus, quæ sponsaliorum titulo ante nuptias sumpsi. Dudum enim dum præpararer ad conjugium filii Regis, primogeniti omnis creaturæ, ministraverunt mihi angeli sancti ejus, deferentes ad me legem sponsalis muneris loco. Hæc Origenes. Certum est autem, istud non convenire Ecclesiæ, nisi ex persona et parte Synagogæ.

Insuper Anselmus Cantuariensis archiepiscopus in prologo suo super Cantica, scripsit : Sub prophetia (quæ fit de præterito, ac præsenti, et futuro) liber iste supponi dicitur, quia ostendit cum quanto desiderio fidelis Synagoga adventum Christi desiderabat et exspectabat : quod modo transactum est. Ostendit etiam cum quanto gaudio hi qui tempore gratiæ exstiterunt, adventum Filii Dei susceperunt, et qualiter Ecclesia, plenitudine gentium intrante, sit aucta : quod nunc cernitur. Insinuat quoque qualiter tandem reliquiæ Israel salvæ fient : quod constat esse futurum. Iterum ait Anselmus : Materia hujus libri seu operis, est sponsus et sponsa, id est Christus et sancta Ecclesia tam adventum Christi præcedens, quam subsequens. Quamvis enim Patriarchæ et Prophetæ ceterique fideles ante adventum Christi exsistentes, dicti sunt fidelis Synagoga; tamen propter unitatem fidei, possunt et ipsi dici Ecclesia. Deinde post hæc Anselmus subjecit : De hac materia tam beata, ita agit hic Salomon, quod in primis ostendit quantopere sancti patres ante legem et sub lege exoptaverunt Christi adventum, et quam

Rom. IX, 27.

A gratulanter susceperunt eumdem qui fuerunt tempore gratiæ.

Amplius, S. Bernardus in exordio secundi sermonis super Cantica, loquitur : Ardorem desiderii patrum suspirantium Christi in carne præsentiam, frequentissime cogitans, compungor et confundor in memetipso, et nunc vix contineo lacrimas : ita tædet teporis torporisque miserabilium temporum horum. Cui namque nostrum tantum ingerit gaudium gratiæ hujus exhibitio, quantum Sanctis veteribus ac-
B cenderat desiderium promissio? Et sicut consequenter docet Bernardus, in illorum patrum veteris Testamenti persona in exordio hujus dicitur libri, Osculetur me osculo oris sui, videlicet in persona Synagogæ, vel Ecclesiæ Synagogam comprehendentis. Subdit quippe Bernardus : Illorum ergo desiderium flagrans et piæ exspectationis affectum, sonat mihi vox illa, Osculetur me osculo oris sui. — Præterea sanctus Gregorius circa exordium expositionis libri istius, apertissime dicit :
C Ponamus ante oculos omne genus humanum, ab exordio mundi usque ad finem ejus, totam videlicet Ecclesiam esse unam sponsam, quæ arrhas spirituali dono per legem perceperat; sed tamen sponsi sui præsentiam quærebat, quæ dicit : Osculetur me osculo oris sui.

Ecce tot et tantorum Patrum catholicorum testimoniis elucescit, quod liber hic tractet de Christo atque Ecclesia : non prout Ecclesia contra Synagogam dividitur, sed prout Synagogam includit; et non
D Synagogam dumtaxat, sed et Sanctos qui ab exordio mundi fuerunt, ante legem scriptam sub lege naturæ. Non ergo doctores catholici ab una parte ponendi sunt, tanquam nimis extremi, contra doctores Hebræos quasi ab alia parte nimis extremos : ita ut quis modernis temporibus se ponat quasi in medio inter illos, tanquam verum intellectum libri hujus præ omnibus illis introducturus. Nam et præallegatos doctores præcipuos secuti sunt expositores posteriores; nec recolo me in aliquo exposi-

Digitized by Google

tore catholico notabili et famoso legisse, A quod liber iste loquatur de Ecclesia contra Synagogam distincta, et præcise de plebe christiana. Et dato quod aliqui, respectu prædlegatorum parvæ aut nullius auctoritatis, hoc dicerent : ob hoc non esset indeterminate dicendum, quod expositores catholici dicant hoc.

ARTICULUS II

QUALES DEBEANT ESSE LECTORES ET AUDITORES LIBRI ISTIUS.

ORIGENES in prologo suo super Cantica scribit : In verbis Cantici canticorum ille est cibus, de quo ait Apostolus : Perfectorum est solidus cibus. *Hebr. v, 14.* Si vero aliquis accesserit, qui secundum carnem tantummodo vir est, huic tali non parum ex hac Scriptura discriminis periculique nascetur. Audire enim pure et castis auribus amoris nomina nesciens, ab interiori homine ad exteriorem et carnalem virum, omnem deflectet auditum, et a spiritu convertetur ad carnem, nutrietque in semetipso concupiscentias carnis, et occasi- C one divinæ Scripturæ, ad carnalem libidinem videbitur incitari. Ob hoc moneo et consilium do omni, qui nondum carnis et sanguinis caret molestiis, neque ab affectu naturæ materialis abscedit, ut a lectione libelli hujus, eorumque quæ in eo dicentur, penitus temperet. Aiunt enim observari etiam apud Hebræos, quod nisi quis ad ætatem perfectam maturamque pervenerit, libellum hunc nec in manibus quidem tenere permittatur. Sed et illud ab eis accepimus custodiri, quoniam qui- D dem moris est apud eos, omnes Scripturas a doctoribus et sapientibus tradi pueris, similiter et eas quas δευτερώσεις appellant ; ad ultimum vero quatuor ista servari, principium Genesis, et primum capitulum Ezechielis, et finem ejus, scilicet visionem de ædificatione templi, atque hunc librum, scilicet librum hunc Cantici canticorum. Hæc Origenes. Cujus recitationi de hac Hebræorum consuetudine consonat, quod B super Ezechielem refert Hieronymus, apud Hebræos nullum admitti ad prætactas quatuor partes Scripturarum veteris Testamenti, quousque tricesimum attigerit annum ætatis.

Præterea Gregorius in proœmio suo super Cantica loquitur : Nominantur in hoc libro oscula, ubera, genæ, et femora : in quibus verbis non irridenda est sacra Scriptura, sed misericordia Dei pensanda est, quam mirabiliter et misericorditer operetur nobiscum, qui ut cor nostrum ad investigationem sacri amoris accenderet, usque ad turpis amoris nostri verba descendit. Sed unde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat : quia ex sermonibus hujus amoris discimus, qua virtute in Deitatis amore ferveamus. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne quum verba exterioris amoris audimus, ad exteriora sentienda moveamur ; et machina quæ ponitur ut levet, ipsa magis opprimat ne levemur. Debemus ergo in verbis istis corporeis, quidquid interius est quærere, et loquendo de corpore, quasi extra corpus esse. Debemus ad has nuptias sponsi et sponsæ cum intellectu intimæ caritatis, id est cum veste nuptiali, venire, ne *Matth. xxii, 12, 13.* in tenebras ignorantiæ repellamur. Qui igitur librum hunc legit aut audit, nihil passibile aut sensuale habeat in corde, ut secundum interiorem hominem nova creatura sit. Sacra etenim hæc Scriptura mons est, quem si bestia tetigerit, lapidabitur. *Exod. xix, 12, 13; Hebr. xii, 20.* Bestia quippe tangit montem, quando ir-

Digitized by Google

rationabilibus dediti motibus, celsitudini sacræ Scripturæ propinquant, et eam non secundum quod debent, pure spiritualiterque intelligunt, sed irrationabiliter ad suæ voluptatis intelligentiam flectunt.

Insuper Cancellarius Parisiensis, per quem in toto opusculo isto magistrum Joannem de Gerson doctissimum virum intelligo, in editione sua super Cantica fatur : Credulitatem secretissimorum sensuum et castissimorum affectuum, quos fumus litteralis includit, nullus abhorreat, neque scandalum fœdæ carnalitatis incurrat. Puderet referre quid expertus audivi : offenderet enim pias aures.

Ecce tot prudentissimis et expertissimis testibus constat, quales oporteat esse lectores et auditores hujus libri, qui in superficie carnalissimus esse videtur, sed in vera intelligentia spiritualissimus comprobatur. Oportet, inquam, ut sint reformati atque a sensualibus affectibus depurati, ne vocabula ista rerum carnalium advertentes, carnalia imaginentur, sed mox ad intellectualia et spiritualia eleventur : alioqui intus lædentur. Quid ergo agendum est multis religiosis atque canonicis et aliis in sacris Ordinibus, qui in ecclesia et divino Officio hæc audire seu legere habent, quum nondum sint taliter emundati, et sine fœda imaginatione in tali loco et hora vix legunt et audiunt ista, imo spiritualem et veram eorum intelligentiam vix attingunt? His arbitror consulendum, ut pro posse studeant librum hunc vere et pure intelligere, sicut oportet, vel saltem in generali cognoscant et pensent, omnia verba libri istius spiritualiter ac purissime esse intelligenda : sicque ad memoriam Dei, ad considerationem Domini nostri Jesu Christi, ac suæ Ecclesiæ et Virginis gloriosæ, mutuique eorum amoris mundissimi, elevent corda sua, meditando de talibus saltem in quodam communi, atque ab omni indecenti imaginatione mox abstrahant se.

ARTICULUS III

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI ; DE CHRISTO ET UNIVERSALI ECCLESIA.

Hebr. I, 1. MULTIFARIE multisque modis Deus Pater, omnipotens, æternus, ab exordio mundi per verba et signa, per visiones, figuras, oracula, unigenitum suum Filium prædixit incarnandum, ac liberaturum genus humanum. Et hoc ipsum in lege naturæ ab Adam usque ad Moysen et legis scriptæ collationem, cognoverunt præcipui Patriarchæ et sancti viri, Adam, Seth, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Isaac, Jacob, multique alii homines virtuosi, ex revelatione divina aut patrum suorum narratione : qui omnes Salvatoris adventum et Christi incarnationem, apparitionem, redemptionemque mundi ardentius optaverunt, quam æstimare valemus. Denique in monte Sinai revelata sunt desuper Moysi mysteria Christi, et qualiter de Christo facta fuit promissio illa, In semine tuo benedicentur omnes gentes, non solum Abrahæ, sed etiam Isaac et Jacob, prout in Genesi Moyses ipse descripsit. (*Gen.* XXII, 18; XXVI, 4; XXVIII, 14.) Postea vero sub lege per David, Salomonem, Isaiam, aliosque Prophetas prænuntiata et descripta sunt mysteria Salvatoris multo diffusius, quam sub lege naturæ : ita quod Judæi sub lege Moysis communiter crediderunt explicite, Salvatorem generis humani venturum in mundum. Quod totum constat ex eo, quod Christus in Evangelio

Digitized by Google

Luc. x, 23, 24. suis ait discipulis : Beati oculi qui vident A quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi reges et Prophetæ et justi voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt, et audire quæ auditis, et non audierunt.

Itaque in persona universorum illorum fidelium, qui sub lege naturæ legeque scripta fuerunt, et Christi adventum ar-
1 dentissime cupierunt, nunc dicitur : *Osculetur me osculo oris sui :* id est, Salvator mundi, Filius Dei, mihi tam diu totiesque promissus, per incarnationis mysterium personaliter veniat, naturam meam in uni- B tate personæ assumat, se ipsum mihi facie ad faciem repræsentet, ore ad os mihi loquatur, inter homines conversetur :
Ps. LXXIII, 12. sicque in medio terræ meam operetur salutem. Denique, quam æstuanter Sancti antiqui istud desideraverunt, perpendere possumus : Primo ex dignitate et excellentia sponsi istius, cujus nobilitas est immensa, speciositas infinita, sapientia prorsus interminabilis, opulentia illimitabilis, incircumscripta suavitas, supercopiosissima pietas, et beatitudo sine termino et men- C sura. Non itaque mirum, si tali ac tanto tam infinitæ excellentiæ atque dulcedinis sponso, optavit uniri et desponsari hæc sponsa. Secundo id ipsum perpendere possumus ex magnitudine indigentiæ sponsæ istius. Erat namque damnata exsilio, ejecta de paradiso, jugo peccati gravata, servituti ac potestati diaboli aliquo modo subjecta, atque æternæ beatitudinis jucun-
Ps. XXXIX, 3. ditatibus destituta; in lacum miseriæ lutumque fæcis erat projecta, nec erat qui manum porrigeret adjutricem, per sub- D ventionem completam et redemptionem finalem. Tertio idem pensare valemus ex miro, copioso et saluberrimo fructu, qui provenit Ecclesiæ ex prætacto osculo sponsi istius : quia per ipsum a cunctis malis præinductis est liberata, ad sanctam libertatem reducta, amica, sponsa, filia, heres, consors sui Creatoris effecta, charismatibus gratiarum mirifice decorata.
I Petr. II, 9. Per ipsum facta est gens sancta, populus acquisitionis, genus electum, regale sacerdotium, præ cunctis nationibus gloriosa.

Præterea, sicut in sponso isto, Domino Jesu Christo, est duplex natura, divina videlicet et humana, ita et duplex os, puta divinum et increatum, humanum quoque et creatum. Os Christi divinum et increatum, est intellectus seu sapientia ejus æterna, per quam loquitur omni menti bene dispositæ, juxta illud Psalmistæ : Audiam quid loquatur in me Dominus Deus. Ps. LXXXIV, 9.
In Job quoque legitur : Semel loquitur Job XXXIII, 14.
Deus, et secundo id ipsum non repetit. Unde quibusdam improperat per Prophetam, dicentem : Væ, filii desertores, ut facere- Is. XXX, 1, 2.
tis consilium, et non ex me, et os meum non interrogastis. Amplius, hoc increato ore suo loquitur Unigenitus Dei universis Beatis in patria immediate ea, quæ ad essentiale præmium pertinent eorumdem. Nempe hæc locutio non est nisi manifestatio qua eis ostendit clare se ipsum, seu divinam essentiam, ad intuendum ac perfruendum. Estque locutio ista toti supergloriosissimæ Trinitati communis, quemadmodum et idem numero intellectus est in tribus adorandis superdignissimisque Personis. Actiones etenim Dei ad extra, communes sunt summæ et individuæ Trinitati. De effectibus autem suis loquitur Verbum æternum quædam immediate superioribus angelicis mentibus, per quas et inferiores angelicas illuminat mentes de talibus; et per sanctos angelos loquitur inde hominibus : prout in libris de Angelica et Ecclesiastica hierarchiis docet Dionysius Magnus.

Itaque, dum Verbum æternum, Unigenitus Dei, sibi ipsi conjunxit naturam humanam hypostatica unione, assumendo eam ad suum esse personale æternum et increatum, tunc immediate tetigit, circumplexus et osculatus est eam, et per eam osculatus est omnes nos. Propter quod ad Hebræos scribit Apostolus : Nusquam an- Hebr. II, 16.
gelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Deinde visus in terris, et cum Baruch III, 38.
hominibus conversatus, osculatus est nos,

Digitized by Google

per se ipsum alloquendo, instruendo, consolando fideles, eosque Deo Patri reconciliando. Denique discipulos suos ad se redeuntes consuevit in osculo sancto etiam corporali recipere. Unde per Zachariam
Zach. II, 10, 11. prophetam prædixit : Gaude et lætare, filia Sion, quia ecce ego venio, et habitabo in medio tui ; et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa. Hinc etiam in
Baruch III, 35-38. alio Propheta fuit prædictum : Qui fecit stellas, hic est Deus noster ; hic adinvenit omnem viam disciplinæ, et dedit illam Jacob puero suo, et Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

Quæri etiam potest, qualiter Ecclesia humilis, ausa fuit tantæ majestatis sponsi osculum flagitare, cui exercitus cœli cum tremore adsistit, quem Cherubim Seraphimque adorant ; de quo in Job legitur :
Job XXXVII, 23, 24. Magnus fortitudine, et judicio, et justitia ; et enarrari non potest : ideo timebunt eum viri, et non audebunt contemplari omnes qui videntur sibi esse sapientes. Ad quod breviter respondendum, quod duo specialiter incitaverunt Ecclesiam ad postulandum nuptiale hoc osculum. Primum, quoniam ipse benignissimus sponsus tam gratiose eam prævenit, suam incarnationem et adventum ei prænuntiando ac promittendo : et ex hoc ipsa concepit fiduciam id petendi. Secundum fuit ardentissima caritas Ecclesiæ ad hunc sponsum. Caritas autem, separationis impatiens est, unionisque avida, et frequenter prædominando rationem transcendit ; et ingerit se dilecto, quem quanto æstuantius amat, tanto propinquius, imo et intimius appetit ei uniri ; ac grandem parit fiduciam, respicitque dilectum potius ut dilectum, quam ut dominum aut majorem. Potest addi et tertium, videlicet magnitudo necessitatis, quæ lege non stringitur. Indiguit enim vehementissime salvatore, nec salvari potuit nisi per istiusmodi sponsum.

Consequenter sponsa hæc, universalis Ecclesia, causam aperit suæ petitionis, et a tertia persona convertitur ad secundam,
A et eum jam alloquitur quasi præsentem, dicendo : *quia meliora sunt ubera tua vino :* de quo, tanquam de absente, præmisit, Osculetur me osculo oris sui. Quæ enim suspiriose cupit cœlestis sponsi præsentiam, eo ipso quo sic ad ipsum afficitur, aliqualem ejus præsentiam mox meretur : siquidem prope est Dominus omnibus *Ps.* CXLIV, 18.
invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate. Noverat quoque hæc sponsa sponsum suum, nec loco, nec tempore circumscribi, sed esse ubique præsentem.
B Ideo ut præsentem confidenter alloquitur : et quæ quasi orando dixit ad Patrem sponsi sui æternum, Osculetur me osculo oris sui, o Pater æterne, Unigenitus tuus ; mox sponsi amore plus quam ante succensa, non quivit diutius ab ejus alloquio abstinere. Nempe qui ardentissime amat, sui sermonis variat modum ac ordinem, secundum diversum sui amoris impulsum ac tactum et flammam. Ideo super Cantica asserit Alexander : Modum sui sermonis non continet amor, directo tenore non graditur.

C Itaque ait : *Meliora sunt ubera tua vino.* Per ubera sponsi, secundum Origenem, intelliguntur arcana cordis seu pectoris Christi, hoc est thesauri sapientiæ et scientiæ in ipso absconditi, quibus alit suorum corda fidelium. Possunt quoque per duo ubera sponsi, intelligi duo caritatis præcepta ; item vetus Testamentum spiritualiter intellectum, ac novum ; et rursus præcepta Salvatoris, et evangelica ejus consilia ; similiter misericordia ejus et veritas ; itemque gratia præveniens, et subse-
D quens. Hæc ubera meliora sunt vino, id est doctrina legis ac Prophetarum, et rigore contento in lege, litteralique sensu ipsius, atque cærimonialibus ac judicialibus legis præceptis. Magna equidem est eminentia evangelicæ legis, quæ est lex caritatis, et gratiam continens ac conferens, et opere exhibens quod prædicebatur ac promittebatur in lege atque Prophetis, super ipsam legem, quæ fuit lex timoris, nec gratiam continebat, ac nihil ad perfectum adduxit. *Hebr.* VII, 19.
Ideo in Evangelio Joannis scribitur : Lex

Digitized by Google

Joann. I, 17. per Moysen data est; gratia et veritas per Je- A
sum Christum facta est. Propter quod tem-
pus evangelicæ legis, tempus gratiæ nun-
2 cupatur. *Fragrantia unguentis optimis,*
id est pretiosissimis charismatibus gratiæ
ac virtutum, ac sacro septenario Spiritus
Sancti : quibus Christus secundum natu-
ram assumptam fuit excellentissime inun-
ctus, repletus et fragrans, sicut per Isaiam
Is. LXI, 1. testatur : Spiritus Domini super me, eo
quod unxerit me. Cui cantamus in Psal-
Ps. XLIV, 8. mo : Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ
præ participibus tuis. De quo in Actibus B
Apostolorum sacratissimus princeps Apo-
Act. X, 38. stolorum fatetur : Unxit eum Deus Spiritu
Sancto et virtute. Insuper ubera Christi, id
est documenta, præcepta, et evangelica
ejus consilia, fragrant optimis unguentis,
id est ecclesiasticis sacramentis : quæ sunt
medicinalia vasa gratiarum cœlestium con-
tentiva, quibus præceptorum violationes
curantur, et quorum auxilio ipsa præce-
pta atque consilia prompto animo adim-
plentur : quæ optima unguenta ex fon-
te pectoris sponsi fluxerunt, imo et ex C
ejus latere in cruce perforato emanasse
dicuntur.

Circa hunc locum scribit quidam spe-
cialiter super illud, Quia meliora sunt ube-
ra tua vino : In Hebræo habetur, Quia
meliores sunt amores tui. Nomen enim
Hebraicum hic positum, est æquivocum
ad amores et ad ubera. Hebræi sequuntur
unam significationem, translatio nostra
aliam. Sed in hoc Hebræi videntur me-
lius dicere, quia secundum proprietatem
Hebraici sermonis, sponsa hic alloquitur D
sponsum. In commendatione autem spon-
si, non videtur convenienter mentio fieri
de uberibus. Est igitur sensus secundum
Hebræos, quod amores sponsi sunt sapidi-
ores menti devotæ, quam quodcumque sa-
pidum corporale gustui corporali. — Cir-
ca hæc reor dicendum, quia si nomen illud
Hebraicum est ad utrumque istud æqui-
vocum, non potius habetur in Hebræo,
Amores, quam, Ubera. Insuper videtur
dicendum, quod Hieronymus aptius trans-
tulit, Ubera, ad insinuandum quod spiri-
tualis sit intellectus, non sensus carnalis.
Spiritualia etenim ubera, magis conveniunt
sponso quam sponsæ, imo et uberibus sui
alitur sponsi : et istud Cassiodorus tangit.
Amplius Occam allegat Augustinum dicen-
tem, quod viris proprie conveniunt ma-
millæ, feminis mammæ, pecoribus ubera :
imo ubera pro mamillis et mammis accipi
solent : sicque asserit Hugo, quod ubera
data sunt viris in corporis ornamentum,
non ad necessitatem. Ergo et ubera pro-
prie competunt sponso : et certe sponsa
in sponso libenter commemorat quod ip-
sa in se ipsa esse cognoscit, quatenus ex
amborum similitudine, amor validius ac-
cendatur.

Denique adhuc sponsi laudibus immo-
ratur, et cur ejus osculum cupiat reserans,
protestatur : *Oleum effusum nomen tuum :*
id est, non solum tu ipse, o sponse, instar
olei fusi, suavis et splendidus es; sed et
nomen tuum, quodcumque sit illud, dul-
citer resonat in auribus meis, et ex sola
nuncupatione tua dulcescit anima mea,
reficitur, exhilaratur, clarescit. Insuper no-
men tuum, id est fama excellentiæ tuæ
toto orbe terrarum diffusa, fulget ac redo-
let, estque bonus odor Dei Patris, imo to- II Cor. II, 15.
tius superpræstantissimæ Trinitatis in om-
ni loco : sed et prædicatio majestatis tuæ
coruscat, suaviterque odorat ut oleum va-
se fusum; et sicut oleum ceteris humori-
bus supernatat, sic nomen tuum præemi-
net universis. Quemadmodum etiam oleum
ceteris cibis fert condimentum, influitque
saporem, sic nomen tuum condimentum
est Scripturarum, et spiritualibus eduliis
animarum confert suavitatem. Rursus, sic-
ut oleum lenit dolores ac vulnera sanat,
sic nomen tuum, o sponse cœlestis, fu-
gat a corde mœrorem, et vitiorum læsioni
medetur.

De salubritate nominis hujus, angelus
sanctus dixit ad Joseph : Vocabis nomen Matth. I, 21.
ejus Jesum; ipse enim salvum faciet po-
pulum suum a peccatis eorum. Siquidem
Jesus interpretatur salvator : qui in Isaia

Digitized by Google

Is. XLV, 21. sic effatur : Deus justus et salvans non est præter me. Atque in alio Propheta : *Osee* XIII, 4. Ego Dominus Deus tuus; et salvator non est præter me. Etenim Domino Jesu Christo secundum suam deitatem convenit salvare, propria et increata auctoritate et potestate : cui ex divina natura convenit peccata dimittere, dona gratiarum per creationem infundere, beatitudinemque æternam largiri. Porro secundum assumptam humanitatem, convenit ei salvare, ut causæ instrumentali, meritoriæ, eminenti, et tanquam mediatori ac satisfactori. Nam sicut corpus nostrum comparatur ad animam nostram, ut animæ instrumentum conjunctum, animatum, et proprium; sic humanitas Christi comparatur ad ejus deitatem et ad Verbum æternum quod eam assumpsit, velut instrumentum ipsius deitatis ac Verbi immediatum, conjunctum, animatum, et proprium : ut asserit Damascenus. Insuper, quam singulare, salubre et efficax sit nomen sponsi istius, pandit *Act.* IV, 12. princeps Apostolorum, sic dicens : Nec enim aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. De cujus nominis majestate Vas ait ele- *Philipp.* II, 9, 10. ctionis : Dedit ei Deus Pater nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum.

Præterea, *Oleum effusum nomen tuum :* id est, tu ipse, o illustrissime sponse, oleo compararis, et bonitas tua omni oleo exstat suavior, nobilitas tua omni oleo invenitur splendidior, unctio tua reficit mentes, pietas tua medetur animarum corporumque vulneribus, consolatio tua lenit pœnitentialem mœrorem, et omnem inordinatam fugat tristitiam; *ideo adolescentulæ dilexerunt te,* id est particulares Ecclesiæ, et animæ spiritualiter renovatæ, atque incipientium mentes, et gentes olim paganæ, superbæ, carnales, inverecundæ, sed per gratiam tuam conversæ, et sobriæ, pudicæ, humilesque effectæ. Ad litteram quoque virgines sacræ, electæ puellæ, virtuosæ juvenculæ : quarum multæ pro tuo

A amore non solum totius mundi divitias, oblectamenta, honores, omnemque externum ornatum, vanitatem ac levitatem femineam contempserunt; sed et crudelissima mortis genera virilissime pertulerunt, ac felicissime triumpharunt : quemadmodum sacratissima Catharina, præclarissima Ursula, et eis consimiles. Aliæ demum innumerabiles, in virginitate mentis ac corporis tibi constantissime servierunt ; et usque in præsens quasi innumeræ tales, in adolescentia sua relinquentes hoc sæ- B culum nequam cum omni ejus fallacia, ingrediuntur cœnobia et reclusoria sancta, in quibus perpetuo clausæ manentes, tuis castissimis in spiritu vacant amplexibus.

Trahe me post te. Istud in persona Ec- 3 clesiæ sub evangelica lege viventis, proprie sumitur : quæ sciens suum sponsum venisse, humanæ redemptionis mysteria complevisse, et ascendisse in cœlos, appetit sequi eum; sed recolens sponsum suum dixisse, Sine me nihil potestis face- *Joann.* XV, 5. re, invocat gratiosum ejus auxilium, di- C cens : Trahe me post te, id est, excita et tolle meum torporem, accende in me tuæ caritatis ardorem, qui jugiter trahit sursum, quemadmodum ignis levatur in altum ; tuæ increatæ atque immensæ suavitatis sapore me affice*, ut ad te solum pure jugiterque afficiar, tibi semper adhæream, ad te indesinenter adspirem : quatenus illam sancti tui Apostoli exhortationem adimpleam : Quæ sursum sunt quærite, *Coloss.* III, 1, 2. ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super D terram. Scio enim te, Domine Jesu, dixisse : Si exaltatus fuero a terra, omnia tra- *Joann.* XII, 32. ham ad me ipsum ; et rursum, Nemo po- *Ibid.* VI, 44. test venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Nec dubito quin Deus Pater tuus, et tu Unigenitus ejus, sitis unus tractor, sicut et unus creator. Rursus, novi vere ab Apostolo dictum : Non sumus suffi- *II Cor.* III, 5. cientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.

* allice

Ecce, o sponse cœlestis, dulcissime Jesu, conatur spiritus meus tibi fideliter adhæ-

Digitized by Google

rere, in te conquiescere, tibi per contemplationem amorosam et contemplativum amorem sincere vacare; sed retrahunt, retardant, impediunt mille impedimenta. Intellectus enim instabilis est, ratio debilis, voluntas ad vana ac mala proclivis, sensualitas trahit deorsum, quotidianæ necessitates in terrenis me occupant sensibilibusque involvunt, exteriorum sensuum objecta alliciunt, acies vitiorum, mundus, et dæmonum turbæ, undique nos impugnant : et certe ambulo in medio laqueorum, in agmine gravissimorum periculorum, sed et moles miseræ carnis me deprimit. Quid igitur mihi incumbit? nisi ad tuam confugere gratiosissimam opem, et ex intimo cordis affectu orare : Trahe me post te, incessabiliter tange, perfunde, illustra, adjuva et conforta cor meum. Tu enim per Osee prophetam dixisti : In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis; item per Jeremiam : In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te miserans. Prævaleat in me, Domine, tractus iste; absit semper longe a me omnis tractus adulterinæ affectionis, et omnis irrationabilium passionum, suspicionum ac vitiorum impulsus.

Osee XI, 4.

Jer. XXXI, 3.

Curremus in odore unguentorum tuorum : id est, si ita attraxeris me, ego et filiæ meæ ac animæ recenter conversæ, quibus gratiam mihi communicatam impertiri studebo, celeriter appropinquabimus tibi, et viam mandatorum tuorum curremus, igne amoris succensæ. Æstuanter quippe amanti nihil difficile, et ei qui gustavit quam multa sit abundantia dulcedinis tuæ, nihil molestius quam retardari a te, et a caritatis cursibus impediri. Curremus (inquam) in odore unguentorum tuorum, id est affecti gustu interno supernorum charismatum, gratia et effectibus ecclesiasticorum sacramentorum, prægustatione cœlestium gaudiorum, affluentiaque donorum Spiritus Sancti. Hæc sunt unguenta valde suavia et præclara : ad quæ ut pertingere valeamus, oportet nos sequi vestigia in primis sanctæ humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, passionisque Christi; et per veram contritionem cum beatissima Magdalene prosterni ad pedes sponsi cœlestis, eosque pœnitentiæ lacrimis ubertim lavare ac osculari; et inde per satisfactionem condignam, per spiritualem profectum, et jugem cordis custodiam, ad oscula manuum ejus consurgere : sicque ordinate per puræ ac fervidæ caritatis affectiones flammigeras, per incommutabilis Veritatis contemplationes sinceras, ad osculum oris ejus mundissimi cum summa veneratione accedere; nec cum impiissimo traditore, polluta mente ad summæ Sanctitatis os deosculandum nos ipsos ingerere.

Ps. CXVIII, 32.

Ps. XXX, 20.

Luc. VII, 38.

Matth. XXVI, 49.

Quidam præinducta exponit de Synagoga, quantum ad exitum ejus de terra Ægypti. Quod non videtur congruere : quoniam Sancti veteris Testamenti, nec principaliter nec finaliter optaverunt liberationem illam ab Ægyptiaca servitute; sed redemptionem a jugo peccati, a servitute diaboli, a reatu culpæ originalis, a spoliatione gloriæ æternalis : cujus redemptionis figura fuit liberatio ex Ægypto.

Sequitur vox Ecclesiæ ad adolescentulas. *Introduxit me rex in cellaria sua :* id est, per lucem et gratiam contemplationis erexit me ad incerta et occulta sapientiæ suæ intelligenda, in mysticos intellectus, ad theorias sublimes, ad intuenda abdita Scripturarum, ad speculandum consilium superbeatissimæ Trinitatis de modo salvationis generis humani, per incarnationem et passionem Verbi æterni. Deditque mihi fidem formatam cum rationibus credendorum et purificatæ mentis intelligentia, ut queam ea quæ fidei sunt, evangelizare, persuadere, declarare, defendere. Sicque introduxit me in sanctuarium suum, in amplitudinem divinarum illuminationum; et per eminentem gradum doni sapientiæ, fecit me quasi secretariam et consiliariam suam rex meus et Deus meus. Insuper, Introduxit me in cellaria sua, ad contemplandas mansiones cœlestes ac gaudia civium supernorum, ut sciam non solum per

Ps. L, 8.

Digitized by Google

fidem, sed etiam per prælibationem suavem, per experientiam certam, per revelationem supernaturalem, quæ sit spes vocationis nostræ, (*Ephes.* I, 18.) ita ut voce filiorum meorum pronuntiem : (II *Cor.* III, 18.) Nos autem revelata facie gloriam Domini contemplantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem. Nonne in ista cellaria fuit perductus Paulus usque in tertium cœlum (*Ibid.* XII, 2, 4.) raptus, ubi audivit verba arcana, quæ non licet homini loqui?

Exsultabimus et lætabimur in te : id est, in contemplatione divitiarum gloriæ tuæ immensæ, et in amore bonitatis tuæ penitus infinitæ, tam vehementer lætabitur cor nostrum, non solum in patria, sed item in via, quod jucunditas ista redundabit in corpus : juxta illud Psalmi, (*s.* LXXXIII,) Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum. In spe quoque et prælibatione ac arrha felicitatis futuræ jam gloriamur, dicente Apostolo : (*Rom.* V, 2.) Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei; et rursus : (II *Cor.* V, 1.) Scimus quoniam si terrena domus nostra habitationis hujus dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Etenim si in infimis istis sensibilibus rebus videtur alicui gloriandum, nonne incomparabiliter potius videtur gloriandum in superditissimo et superpulcherrimo fonte totius boni? in quo est omnium bonorum desiderabilium et pulchrorum plena et infinita possessio, in quo solo tota nostra salus consistit, de quo prædulci et decoro versiculo cantat Propheta : (*Ps.* LXI, 8.) In Deo salutare meum, et gloria mea; Deus auxilii mei, et spes mea in Deo est. Lætabimur ergo in te, o sponse inclyte et decore, *memores uberum tuorum,* id est beneficiorum gratiæ tuæ, documentorum et præceptorum ac consiliorum tuorum, de quibus jam plenius dictum est, quibus nos alis, *super vinum.*

Recti diligunt te, non solum amore naturali et acquisito, sed potius amore gratuito, supernaturali, infuso. Quum enim sis ipsa bonitatis essentia, bonitas pura et infinita, in infinitum pulchrior, dulcior, (A) convenientior, amabilior universis ac singulis, a quo quidquid bonum et amabile est, omnem suam bonitatem ac amabilitatem sortitum est; quicumque non diligit te, sicut tu ipse jussisti, toto corde, omnino (*Matth.* XXII, 37.) curvus, perversus, ingratus, insipiensque esse convincitur. Recti itaque, id est justi, qui exhibent unicuique quod ei tenentur, te diligunt : quoniam exhibent tibi se ipsos, et amori tuo ac cultui mancipant jam se totos, ad quod non solum ex tua bonitate, sed et ex beneficiis tuis quæ (B) susceperunt, tenentur; et quia tu prior amasti eos, (I *Joann.* IV, 10, 19; *Joann.* XIV, 3.) et præparasti eis te ipsum in præmium.

4 *Nigra sum, sed formosa,* o *filiæ Jerusalem.* Ecclesia nigram se nominat : Primo, quoniam multi imperfecti, fragiles et infirmi ac peccatores in ea sunt : propter quod Christus comparat eam sagenæ missæ (*Matth.* XIII, 47.) in mare, et ex omni genere piscium congreganti. Secundo, quia et ipsi electi ac boni, quotidie et frequenter in venialibus peccant, et eorum justitiæ quasi pannus (*Is.* LXIV, 6.) (C) menstruatæ censentur. Tertio, quia in vita hac variis tribulationibus, tentationibus, adversitatibus exercentur. Verumtamen ipsa se formosam fatetur, quoniam semper multi virtuosi et sancti in ea consistunt, et omnes qui ei vere incorporantur, caritate virtutibusque infusis ac donis Spiritus Sancti ornantur. Habet etiam sacramenta, quibus quotidie renovatur ac pulchrificatur. Itaque, Nigra sum, sed formosa, o filiæ Jerusalem, id est, animæ, seu adolescentulæ ac particulares Ecclesiæ, (D) *sicut tabernacula Cedar :* qui fuit secundus (*Gen.* XXV, 13.) filius Ismaelis, et habitavit ipse Cedar cum sobole sua atque familia in tabernaculis et in solitudine, seu deserto; sicque tabernacula ejus foris quandoque deformia, utpote ventis imbribusque exposita, intus erant divitiis et pecoribus plena; *sicut pelles Salomonis :* quibus ipse domum suam thalamumve ornavit, aut tabernaculum Dei seu vasa ejus operuit. Melius tamen per Salomonem intelligitur Christus : cujus pelles sunt speciosi vestitus

Digitized by Google

ministrorum suorum, et ornamenta cultus A
divini, mores quoque et exteriores gestus,
incessus et apparatus ipsius Christi, qui-
bus se ejus sponsa conformat pro posse.
His etenim tanquam optimis pellibus ve-
stitur ac decoratur Ecclesia. Denique, per
tabernacula Cedar possunt intelligi perfi-
di et gentiles, quibus infidelis Judæa si-
milem reputavit Ecclesiam, contemnens
eamdem.

5 *Nolite me considerare, quod fusca sim,*
id est obscura seu denigrata, juxta sensum
quo dixi, Nigra sum; *quia decoloravit me* B
sol, id est, comparatione sanctitatis, per-
fectionis ac sapientiæ sponsi mei, qui est
Sol sapientiæ atque justitiæ, fuscam me
fateor : qui etiam legem tantæ perfectionis
contulit mihi, quod a perfecta ejus obser-
vatione deficio; sicque legis suæ splendore
me fuscam demonstrat. Rursus, Decolora-
vit me sol, id est, intuitu et amore solis
istius, videlicet sponsi, exposui me tribu-
lationibus, persecutionibus ac aspernatio-
nibus impiorum, laboribusque diversis ac
multis doloribus : propter quos videor de- C
colorata, et quasi relicta a sponso. Sed
hæc omnia intus me ornant : idcirco noli-
te ista in me ita considerare, ut metu sus-
tinendi talia, recedatis a fide et obedien-
tia mea; sed præmia illa æterna pro his
momentaneis afflictionibus exhibenda, per-
pendite, et gaudete in talibus, sicut in
Matth. v, 12. Evangelio sponsus hortatur : Gaudete in
illa hora et exsultate, quoniam merces
vestra copiosa est in cœlis. Postremo, per
solem hoc loco quidam æstum tribulatio-
nis intelligunt. D

Filii matris meæ pugnaverunt contra
me. Ecclesia primitiva ex Judæis atque
gentilibus fuit collecta, sicque mater Ec-
clesiæ partim fuit ipsa gentilitas, partim
plebs Judæorum. Ipsam autem Ecclesiam
primitivam multis annis acerrime impu-
gnaverunt tam infideles ac obstinati Ju-
dæi, quam gentiles increduli, prout in
Actibus Apostolorum partim describitur,
atque in chronicis, historiis et legendis
Sanctorum plenius continetur. Judæi au-
tem impugnaverunt eam tam allegationi-
bus Scripturarum veteris Testamenti, quam
persecutione reali. Similiter gentiles phi-
losophi, ratione naturali variis modis con-
tra Ecclesiam dimicarunt; reges vero et
tyranni fecerunt hoc gladio materiali. Et
sicut sponsus prædixit, tradebantur cre- *Luc.* xxi, 16.
dentes in eum a parentibus, fratribus, co-
gnatis et amicis, et morte afficiebantur ab
eis. — Insuper universalis Ecclesia in per-
sona particularium Ecclesiarum, hoc est
quæcumque particularis Ecclesia, dicere
potest : *Filii matris meæ,* hoc est hæretici
qui ad tempus fuerunt universalis Eccle-
siæ filii (de quibus in prima sua Canonica
ait Joannes apostolus, Ex nobis exierunt, I *Joann.* ii, 19.
sed non erant ex nobis), *pugnaverunt con-*
tra me, quia valde fuerunt infesti Catholi-
cis, potissime Ariani : qui et corporaliter
pluribus annis persequebantur et jugula-
bant fideles. Similiter impii Christiani,
schismatici, principesque iniqui et vitiosi
prælati pugnant adversus Ecclesiam, justos
vexando, pusillos ac subditos scandalizan-
do, injusta prælia suscitando, aut eccle-
siasticis non obediendo mandatis. Et certe
pia mater Ecclesia, quæ a malignis spiri-
tibus et ab infidelibus populis incessanter
gravissime impugnatur, non mediocriter
contristatur, dum filios suos, qui se debe-
rent mutuo contra prætactos hostes acer-
rimos adjuvare, videt contra se matrem
ipsorum et contra se invicem decertare.

Posuerunt me custodem in vineis : id
est, infideles Judæi me in terra sua perse-
quendo, atque ex ea me repellendo, fue-
runt occasio, quod cœpi per totam genti-
litatem dispergi, atque gentilibus toto orbe
terrarum evangelizare : in quibus innume-
rabilia millia paganorum converti, et mul-
tas fundavi particulares Ecclesias, tanquam
vineas Dei, quas pastorali sollicitudine cu-
stodivi, excolui, fecundavi. Hinc in apo-
stolicis Actis Paulus et Barnabas obduratis
loquuntur Judæis : Vobis oportebat pri- *Act.* xiii, 46, 47.
mum loqui verbum Dei; sed quia repuli-
stis illud, et indignos vos judicastis vitæ
æternæ, ecce convertimur ad gentes : sic

Digitized by Google

Is. XLIX, 6. enim præcepit nobis Dominus, Posui te in A
lucem gentibus, ut sis salus mea usque ad
ultimum terræ. *Vineam meam non custodivi :* id est, Synagogam mihi commissam
juste reliqui : et hoc, propter obstinationem, rebellionem, et incorrigibilitatem
ipsius. Primitivæ namque Ecclesiæ, id est
Apostolis et eorum adjutoribus, jussit Christus primo prædicare Judæis. Nam ante
Matth. x, 5, 6. passionem suam præcepit : In viam gentium ne abieritis; sed potius ite ad oves,
quæ perierunt, domus Israel. Post resurrectionem vero præcepit eisdem Apostolis : B
Marc. XVI, 15. Euntes in mundum universum, prædicate
Evangelium omni creaturæ. Nihilo minus
intentio Christi fuit, ut adhuc primo ad
tempus prædicarent Judæis : quod et pene
per tredecim annos fecerunt pro majori
parte ipsi gloriosi Apostoli, quousque divisi sunt. Interim tamen a tempore perse-
Act. VIII, 1. cutionis factæ sub Stephano, sub qua (præter Apostolos) omnes discipuli fuerunt
dispersi, cœperunt per totam Galilæam atque Samariam prædicare, sicut et Paulus
ac Barnabas alibi : attamen Judæis dum- C
Ibid. XIII, 46. taxat, sicut in Actibus Apostolorum manifeste habetur. Tandem Judæis undique
obduratis, ad gentilium conversionem profecti sunt.

Insuper Ecclesia ex persona carnalium
ac negligentium prælatorum dicere potest : *Posuerunt me custodem in vineis :* id
est, Christus et ejus Apostoli præceperunt
mihi, cum omni diligentia præsidere ac
providere particularibus Ecclesiis Dei. Sic
namque princeps Apostolorum hortatur :
I Petr. V, 2. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei. Et D
Rom. XII, 8. Paulus : Qui præest, in sollicitudine, supple, præsit. *Vineam meam,* id est vineas
mihi commissas, *non custodivi :* per singulare intelligendo plurale, ut moris est
in Scripturis. Circa hæc ait Anselmus :
Quemadmodum vineæ quatuor modis læduntur præcipue, sic sanctæ Ecclesiæ totidem adversa, maxime in suis membris teneris, solent nocere. Vineæ etenim obest
asperum frigus, et urens ventus, spissaque
grando, et nimia pluvia. Sic sanctæ Ecclesiæ in suis membris aliquando nocet frigus seu torpor exemplorum malorum : quoniam sicut frigus seu gelu stringit atque
exterminat vineæ florem, sic malum exemplum aufert a tenero corde conceptæ devotionis amorem. Aliquando etiam ei obest
ventus diabolicæ suggestionis, adurens renes mentis et corporis. Nocere etiam maxime solet grando pessimæ detractionis et
dissensionis, quæ dissipat florem fraternæ
dilectionis. Pluvia quoque pravæ doctrinæ,
et prosperitatis assiduæ, solet plerumque
statum mentis dissolvere, et ad amorem
mundi reflectere. Sicut econtrario prodest
vineæ suavis aura cum dulci rore, sic prodest Ecclesiæ pax cum salubri sermone.
Præterea, sicut vinitores non custodiunt vineas, qui eas non putant, non considerant,
non excolunt, nec fructum ex eis colligere
enituntur; ita prælati qui sibi commissis
pravos mores, inordinata colloquia, opera
illicita non præcidunt, nec qualiter subditi
circa divinorum observantiam præceptorum se habeant, intuentur; nec corripiendo, corrigendo, exhortando, docendo, obsecrando, comminando, et orando pro eis,
reformare eos conantur, neque exemplis
neque verbis satagunt fructum virtutum
et spiritualem assiduumque profectum ex
ipsis producere, nequaquam ut tenentur
vineas Dei commissas sibi custodiunt. Ideo
sanguinem pereuntium Dominus requiret Ezech. XXXIII, 6, 8.
ab eis.

Sed quoniam primitiva Ecclesia a Judæis
dispersa, et per gentilitatem divisa, innumerabiles persecutiones sustinuit, sicut et
Paulus in suis epistolis de se patefecit, II Cor. XI, 23-27.
recte subjungit Ecclesia : *Indica mihi,* 6
*quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi
cubes in meridie :* id est, tu, sponse cœlestis super omnia prædilecte, mihi dignanter ostende ubi tu gratiose commoreris, in
quorum cordibus pabula internæ refectionis exhibeas, quos pastoraliter nutris. Indica etiam mihi ubi cubes, id est, stabiliter requiescas, quorum mentes tibi
carissimas luce contemplationis perfundas : ita quod per contemplativæ exercitia

Digitized by Google

vitæ, te intra se jugiter complectuntur, A
retinent, nec offendunt, ita ut illud Deu-
Deut. xxxiii, 12. teronomii impleatur in eis : Amantissimus
Domini habitabit confidenter; in eo quasi
in thalamo tota die morabitur, et inter
humeros illius requiescet. Indica (inquam)
mihi, ubi sic pascas, sic cubes in meridie,
id est in præcipuo gratiæ tuæ splendore,
in magno caritatis fervore, in illuminatio-
ne præclara : quemadmodum in Regum li-
II Reg. xxiii, 2, 4. bris David fatetur : Spiritus Domini locutus
est per me, sicut meridiana lux clara est
et absque nubibus rutilat. Quamvis autem B
sponsus inter cives regni cœlestis potissi-
me cubet, qui meridiana ejus cognitione
lætantur, atque per beatificam visionem
sponso gloriæ inavertibiliter ac tranquil-
lissime sunt intenti; attamen etiam in hac
vita in viris contemplativis, perfectis, he-
roicis, aliqualiter cubat : quibus scripsit
Coloss. iii, 15. Apostolus, Pax Christi exsultet semper in
cordibus vestris; quorum unusquisque di-
Ps. iv, 9. cere potest, In pace in id ipsum dormiam
et requiescam. Unde et ipse per Isaiam lo-
Cf. Is. lxvi, 1, 2. quitur : Super quem requiescet spiritus C
meus, nisi super quietum et humilem?

Hæc itaque petit sibi indicari Ecclesia,
quatenus ex eorum consideratione con-
soletur et glorietur in Domino inter tot
adversitatum suarum pressuras, et ut vi-
deat ipsa pia mater, in quibus prædicatio
sua fructificet. Ideo quoque postulat sibi
ista monstrari, quoniam scit se sua exte-
riori prædicatione in audientibus nil posse
proficere, nisi sponsus in illorum cordi-
bus intus loquatur, suaque unctione doci-
les et attentos faciat eos : ob hoc appetit D
invenire ac scire hujusmodi auditores. Un-
de subjungit : *ne vagari incipiam*, id est,
ne infructuose discurram, *post greges so-
dalium tuorum*, id est ad conventicula re-
proborum, post multitudines obstinatorum
Tit. iii, 10. atque hæreticorum : qui post unam et se-
cundam correptionem vitandi sunt. Unde
Eccli. xxxii, 6. in Ecclesiastico scriptum est : Ubi non est
auditus, non effundas sermonem. Et Salo-
Prov. xxiii, 9. mon : In auribus insipientium ne loqua-
ris, quia despicient doctrinam eloquii tui;
itemque, Qui erudit derisorem, ipse sibi Prov. ix, 7.
injuriam facit. Nam et sponsus in Evange-
lio jussit : Nolite sanctum dare canibus, Matth. vii, 6.
neque margaritas vestras projiciatis ante
porcos. Verum quamdiu ignorat Ecclesia,
quis docilis indocilisve exsistat, debet om-
nibus prædicare, sicut in simili loquitur
Augustinus : Nescientes quis ad electorum
aut reproborum societatem pertineat, de-
bemus beneficium fraternæ correptionis
impendere cunctis.

At vero per sodales, quidam intelligunt
hæresiarchas et seductores ac impios præ-
sidentes, qui sibi subjectos damnationi se-
cum involvunt : et sodales sponsi vocan-
tur, vel quia se nominant ejus vicarios, et
vocant se Christianos; vel quia in potesta-
te seu prælatione cum eo communicant,
aut quia in natura humanitatis cum eo
conveniunt. Alii, per sodales intelligunt
angelos sanctos, qui singulis gentibus et
communitatibus præsunt, quemadmodum
in Ecclesiastico legitur : Rectorem in una- Eccli. xvii, 14.
quaque præposuit gente. Unde et in Da- Dan. x, 13, 20.
niele de principe Græcorum et principe
Persarum aliqua continentur. Per quos
(sicut divinus docet Dionysius) angeli san-
cti de choro Principatuum designantur :
qui sunt sodales Christi per gloriæ com-
munionem et prælationis participationem.

Amplius sic potest exponi, quod sponsa
precatur sibi a sponso indicari ubi in me-
ridie cubet, ita quod, quamvis sciat per
fidem sponsum in mentibus Beatorum cu-
bare, nihilo minus petit sibi hoc clariori
illuminatione monstrari : quatenus since-
riter contemplando gloriam Beatorum, et
quam dignantissime, intime atque dulcis-
sime sponsus requiescat in eis, consola-
tionem accipiat, et ad laborandum infati-
gabiliter animetur, nec deviet sequendo
errantes.

Postremo per appropriationem dicere
possumus, quod sponsus in activis ho-
minibus pascit, in contemplativis cubat.
Activi namque non sunt tam diu tamque
frequenter intenti actualiter sponso, ut
contemplativi; sed certis horis pascit eos,

pasciturque ab eis in membris suis vel in A
se ipso, dum de eorum bonis gaudet operibus, atque eorum congratulatur pro-
Apoc. III, 20. fectui. Unde in Apocalypsi testatur : Ego sto ad ostium et pulso : si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo, et ipse mecum. In contemplativis autem cubat, id est quiescit, quoniam contemplativi stabilius frequentiusque vacant sponsi amplexibus, et pulchritudinem vultus ejus prospiciunt.

Sequitur sponsi responsio ad præinduc-
7 ctam sponsæ petitionem. *Si ignoras te,* B
o pulchra inter mulieres, id est, quia ignorare te ipsam non debes, nec in toto te nescis, o Ecclesia, præ ceteris gentibus gratia ac virtutibus speciosa. Sæpissime equidem in Scripturis accipitur *si,* pro
Job XXXI, 9. *non,* ut quum sanctus Job loquitur : Si deceptum est cor meum super muliere, et si ad ostium amici mei insidiatus sum. Certum est autem, quod Ecclesia quæ teste sponso censetur pulchra, non ignoret se ipsam : imo scit quid per naturam exsi-
stat, quod a sponso redempta sit, et Bapti- C
smate renovata, variisque gratiarum charismatibus redempta. Itaque, quoniam non ignoras te, *egredere,* id est, in actum virtutum et in officium prædicationis procede; *et pasce hœdos tuos,* id est, non solum justos et simplices, qui oves vocantur, sed etiam peccatores et impios instrue, nutri, guberna, *juxta tabernacula pastorum,* id est ad imitationem præcedentium patrum, et juxta documenta Apostolorum, qui indifferenter universis prædicaverunt : sic-
que *et abi post vestigia gregum tuorum,* id D
est, virtutes et opera electarum congregationum sectare, ne inutiliter evageris. Optimum enim est et valde securum, tritam Sanctorum incedere viam, et eorum inhærere vestigiis, qui cursum suum feliciter compleverunt. Noli ergo immoderate discutere aut velle cognoscere, in quibus ego per gratiam habitem, aut qui electi sint et digni ut eis prædicatio fiat : imo quo aliqui magis corrupti sunt, eo plus stude eis succurrere : quia etsi contigerit eos perire, tu tamen fructu tuorum non carebis laborum. Juxta præhabitum sen-
sum ait Apostolus : An ignoratis vos ipsos? II Cor. XIII, 5.
nisi forte reprobi sitis. Et denuo fassus
est : Omnibus debitor sum, sapientibus Rom. I, 14.
et insipientibus. Verumtamen multi hunc passum aliter ac prolixe exponunt; sed explanatio ista facilior aptiorque videtur.

Equitatui meo in curribus Pharaonis 8
assimilavi te, amica mea : id est, o sponsa carissima, ego conformavi et similem feci te exercitui filiorum Israel in dejectione et submersione curruum ac equitum
regis Ægypti : quem cum suis in mari Exod. XIV, 28-30.
Rubro submersi, et exercitum Israel per medium maris illius eduxi ac liberavi. Sic te de potestate diaboli angelorumque ejus
redemi. Et sicut filios Israel pavi manna Ibid. XVI, 35; XVII, 6; Num. XX, 11.
ac aqua de petra educta; sic te pane cœlesti, corpore et sanguine meo, enutrio, aqua sapientiæ poto. Et sicut illos per solitudinem ad terram promissionis sub ve-
lamento nubis in die, et in splendore ignis Exod. XIII, 21, 22.
in nocte deduxi; sic te per desertum sæculi hujus exsilii, ad cœlestem dirigo paradisum, sub protectione auxilii ac rore refrigerii mei, et in luce fidei ac claritate illustrationis supernæ ac caritatis fervore inter prospera et adversa. Quemadmodum
etiam filiis Israel in monte Sinai per Moy- Ibid. XIX, XX.
sen legem dedi; sic tibi in monte terræ promissionis per me ipsum Evangelicam
contuli legem. Hinc in Isaia asseritur : Su- Is. IV, 5, 6.
per omnem gloriam protectio; et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem, et in absconsionem a turbine et a pluvia.

Insuper, per equitatum Dei, possunt intelligi angelicæ potestates et angeli sancti : qui in Scripturis ubertim appellantur exercitus et castra atque militia Dei, juxta
illud Psalmi : Currus Dei decem millibus Ps. LXVII, 18.
multiplex. In Genesi quoque narratur : Ja- Gen. XXXII, 1, 2.
cob abiit via qua cœperat, fueruntque ei obviam angeli Dei. Quos quum vidisset, dixit : Castra Dei sunt hæc. Unde et alibi
legitur : Multa sunt nimis castra Dei for- Joel II, 11.
tia, et facientia verbum ejus. Porro per

Digitized by Google

equitatum Pharaonis, bene accipiuntur adversariæ potestates, et angeli tenebrarum, ac acies vitiorum. Potest itaque et sic exponi : O *amica,* id est, universalis Ecclesia, *assimilavi te equitatui meo,* id est angelis sanctis, *in curribus Pharaonis,* id est per hoc, quod præstiti tibi virtutem resistendi ac prævalendi malignis illis spiritibus, quibus et angeli sancti restiterunt ac prævaluerunt in exordio sæculorum, non acquiescendo elationi illorum, sed potius expellendo ipsos de statione cœlesti : juxta illud (secundum unam expositionem) in Apocalypsi : Factum est prælium in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone, et draco pugnabat et angeli ejus; et non prævaluerunt, neque inventus est locus eorum amplius in cœlo. Hinc in Evangelio sponsus promittit Ecclesiæ : Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones et supra omnem virtutem inimici. Cui et in Psalmo promittitur : Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis; itemque, Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. Ideo Paulus disseruit : Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.

Apoc. XII, 7, 8. — Luc. X, 19. — Ps. XC, 7, 13. — Rom. XVI, 20.

9 *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Circa hoc loquitur Origenes : Paulus apostolus ait : Corpus non est unum membrum, sed multa; vos autem estis corpus Christi, et membra de membro. Et iterum : Nemo carnem suam unquam odio habuit; sed fovet et nutrit eam, sicut et Christus Ecclesiam : quia membra sumus corporis ejus. Per hæc igitur edocemur, quomodo sponsa Christi (quæ est Ecclesia) sit corpus Christi et membra. In quibus membris [sicut] sunt aliqui qui dicuntur oculi, pro intelligentiæ sine dubio et scientiæ lumine; et alii aures, pro audiendo verbo doctrinæ; alii manus, pro bonis operibus religiosisque ministeriis : ita sunt aliqui qui et genæ ejus vocantur. Genæ autem [partes] vultus dicuntur, in quibus honestas et verecundia animæ cognoscuntur : per quod sine dubio illi in membris Ecclesiæ declarantur, qui castitatis et pudicitiæ excolunt honestatem. Pro iis ergo ad totum corpus Ecclesiæ dicitur : Quam pulchræ sunt genæ tuæ! quarum pulchritudinem accepit ex osculo sponsi. Ex tunc enim castitas et pudicitia atque virginitas, quæ prius non fuerant, per Ecclesiæ genas miro decore diffusæ sunt : quæ genarum formositas turturi comparatur. Turturum enim fertur esse natura, ut neque masculus præter unam feminam adeat aliam, neque femina amplius quam unum patiatur marem, ita ut compare exstincto, superstiti cum conjuge exstinctus sit concubitus amor. Convenienter igitur similitudo turturis aptatur pulchritudini, id est pudicitiæ ac castitati, genarum Ecclesiæ : quia Ecclesia alterius viri post Christum nescit conjugium, et quoniam abundantia pudicitiæ ac continentiæ viget in ea. Hæc sententialiter Origenes. — Porro Anselmus et alii, per genas sponsæ intelligunt doctores ac prædicatores Ecclesiæ, quoniam genæ dentes intra se continent, et per eos masticant, terunt et in ventrem projiciunt cibum : sic boni prælati ac prædicatores verbo Dei reficiunt audientes, et difficiliora quæque eis quasi masticando et frangendo exponunt.

I Cor. XII, 14, 27. — Ephes. V, 29, 30.

Insuper genæ sponsæ dicuntur pulchræ ut turturis, quoniam ipsa Ecclesia pro suis et filiorum suorum defectibus et peccatis verecundatur, et ea cum pœnitentiali ac sapientiali pudore humiliter confitetur.

Collum tuum sicut monilia. Per membra corporea in hoc libro, et per aves ac cetera inanimata ac irrationalia, spiritualium ac rationalium rerum proprietates atque officia designantur. Sicque per collum, quo caput jungitur corpori, per quod cibus descendit in alvum, quod etiam levatur in altum, designantur prælati, qui inter Deum et populum mediant, et mysticum corpus Christi (puta Ecclesiam) suo capiti, videlicet Christo, jungunt : cui sibi commissos reconciliare tenentur, orando et sacrificando pro ipsis, eosque corripi-

Digitized by Google

endo, purgando, ac fovendo in bonis, gratiarum quoque charismata impetrando eis a Domino. Hi instar colli eriguntur in altum ecclesiastica dignitate atque prælatica potestate; et spiritualis alimonia a capite Christo descendens, per ipsos in greges ipsis creditos derivatur. Hoc collum ornatur et assimilatur monilibus. Monilia namque, sunt ornamenta ad claudendum pectus formata, suntque virginum signa desponsatarum. Et dicitur monile, a monendo: quia dum puellæ desponsatæ apponitur, eam hortatur, ne alterum amatorem admittat, sed suo fidem sponso conservet. Quum itaque boni prælati solliciti sint et laborent subditorum suorum pectora adornare, atque a pravis ea cogitationibus claudere, quatenus sponso pura et inviolata exhibeantur, nec adulterinum adspiciant seductorem diabolum, neque ad aliquem sensualiter afficiantur: recte monilibus comparantur ipsi prælati.

Porro, secundum Gregorium, in monilibus auro gemmæ imponuntur. Per aurum sapientia, per gemmas virtuosa et exemplaria opera designantur. Quum itaque prælatos oporteat per sapientiam rutilare, virtuosis quoque et exemplaribus actibus abundare, congrue monilia nuncupantur. Certum est etiam, per aurum posse intelligi caritatem : quæ sic eminet inter virtutes, sicut aurum inter metalla. Et sicut aurum habet vim lætificandi inspicientem, tristitiamque depellit, sic caritas maxime facit mentem in sponso super omnia caro gaudere, et ejus beatitudini intime congaudere. De qua in Apocalypsi legitur: Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum. [*Apoc.* III, 18.] Per gemmas vero, pretiosissima illa septem dona Spiritus Sancti sumuntur. Prælatum autem oportet præ ceteris in caritate fervere, ac septenario Spiritus Sancti fulgere. Propter quod Christus beatissimum Petrum constituturus prælatum totius Ecclesiæ, ter sciscitatus est eum : Petre, amas me plus his? [*Joann.* XXI, 15-17.] Hinc prælati dicuntur monilia. Erubescat ergo prælatus vocari, qui non satagit his ornatibus decorari : qui vel operari omittit quod docet, aut docere negligit quod a subditis suis Deus requirit. Nempe, ut ait Isidorus, tam vita quam doctrina clarescere debet in eo qui præsidet : quia doctrina sine vita efficit arrogantem, et vita sine doctrina inutilem. Pastoris sermo operibus est firmandus, ut quod instruit verbo, confirmet exemplo : turpissimum est, quempiam doctrinam suam propriis reprobare operibus.

At vero per cervicem seu collum, Origenes intelligit membra Ecclesiæ bene subjecta, et obedientiæ dedita. Cervicibus enim onera deferenda solent imponi : propter quod, rebelles et inobedientes dicuntur esse duræ cervicis, et collo male erecto incedere. [*Exod.* XXXII, 9, etc.] Unde per Prophetam Dominus ait : Scivi quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua ærea. [*Is.* XLVIII, 4.] Hinc ad insinuandum quod per collum obedientia designetur, Jeremias plurimos hortabatur, Subjicite colla vestra jugo regis Babylonis : [*Jer.* XXVII, 12.] quanto magis subjicienda sunt colla nostra jugo Christi, dicentis, Tollite jugum meum super vos? [*Matth.* XI, 29.] Hujus colli ornamenta, sunt sanctæ obedientiæ præstantissima opera. Unde quum quidam sanctorum Patrum vidisset in spiritu diversos ordines ministrantium Deo, ipsos religiosos sub obedientia viventes vidit aureos torques portare.

Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. 10 Muræna (ut legitur) piscis est, in foramine suo exsistens circulatus et conglobatus : quia dum capitur, caudam ori suo imponit, et circulum de se facit; et sustentatur non comedendo, sed humorem sugendo : ad cujus similitudinem fiunt murænulæ, id est inaures, quæ aurium sunt ornatus. Gregorius vero dicit, quod per murænulas monilia ligantur ad collum. Atque, ut aliqui dicunt, murænulæ sunt ornamenta ex filis aureis et argenteis opere plectili facta, quibus ornantur capita feminarum, et oræ vestium circa manus et collum. Sicque per murænulas intelliguntur dogmata Scriptu-

Digitized by Google

rarum ac sententiæ Patrum, grandi decore permixta, sapientiam continentia, ac amore sancto flammigera, utpote igneæ legis verba : quæ muræmulæ sunt vermiculatæ argento, id est venustate eloquentiæ hinc inde distinctæ, et varietate florum sui eloquii intermixtæ, ita quod in prædicatione et exhortatione sonant egregie, in tantum quod cordis secreta attingunt, compungunt, inflammant. Siquidem per argentum, nitor eloquii et sonoritas verbi in Scripturis signantur. Amplius, sicut in Scripturis per aurum, sapientia, id est notitia Dei, exprimitur; sic per argentum, scientia de rebus creatis notatur. Quum ergo Scriptura sacra non solum de Creatore, sed etiam de creaturis vere nos instruat, murænulæ, id est præfatæ divinorum sententiæ ac doctrinæ, recte dicuntur argento vermiculatæ. Has murænulas sponsus et ejus opifices (id est sacræ Scripturæ auctores) fecerunt Ecclesiæ, ut prædicaret ex eis, filiis suis ac subditis.

11 *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Rex regum, Christus Dominus, morte devicta, ascendit ad Patrem, et requiescit ad dexteram ejus (*Marc.* XVI, 19.): atque ex tunc nardus sponsæ, id est ejus humilitas, vel salubris doctrina, ac suavissima fama, virtusque operativa miraculorum, dedit præcipue suum odorem, et redolentia sua multos attraxit, curavit, atque salvavit. In cujus odoris figura, Isaac dixit de filio suo (*Gen.* XXVII, 27.): Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni. Denique sponso hoc corporaliter recumbente in domo Pharisæi (*Marc.* XIV, 3; *Joann.* XII, 3.), affectuosissima ejus discipula, optima illa Maria Magdalene, aromaticum suum unguentum nardi spicati pretiosi fudit super eumdem; et domus impleta est ex odore unguenti.

12 *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi.* Myrrha amara est, et a putrefactione corpus præservat. Sicque sponsa duplici ratione dilectum suum vocat fasciculum myrrhæ : Primo, propter acerbitatem suæ salvificæ passionis, quam tulit pro nobis, ut sit sensus : Sponsus meus carissimus, propter ea quæ pro salute mea sustinuit, est mihi materia amaræ compassionis, et causa ob quam multiplici dolore me ipsam conficio in pœnitentiæ actibus et lamentis, in vigiliis, disciplinis, laboribus, abstinentiis, in fame, siti et frigore, in deploratione peccantium, in anxia adspiratione ad sponsum : ita quod lacrimæ meæ sunt mihi panes die ac nocte (*Ps.* XLI, 4.), præ desiderio plenæ fruitionis ac claræ visionis ipsius, me cupiente dissolvi et esse cum ipso (*Philipp.* I, 23.). Secundo sic : Fasciculus myrrhæ, id est copiosa medicina contra putredinem vitiorum, et curativa præteritarum culparum, est dilectus meus mihi : qui suis documentis, præceptis, consiliis, infusioneque gratiæ ac virtutum, et ecclesiasticis sacramentis ac virtutum suarum exemplis, præbet remedia contra omnia vulnera vitiorum; qui primo in Baptismo, deinde in Confessione, ab omni mundat et curat inquinamento.

Ideo, *inter ubera mea commorabitur :* id est, in intimis præcordiorum meorum quiescet; et nequaquam obliviscar ipsius, sed in omni necessitate, tentatione, angustia et ruina ad ipsum confugiam, inter prospera et adversa intra me eum amplectar, eum orando, psallendo, meditando affabor. Et sicut ejus intuitu ac amore, omnem carnalem delectationem vilemque consolationem et dissolutionem puerilem despicio; ita ex ejus contemplatione, omnem inordinatum mœrorem ac mordacem tristitiam fugo ac vinco : ut nec prosperitate dissolvar, nec adversitatibus frangar. Quæ enim tribulatio me poterit superare, dum quæ et quanta ipse pro me toleravit, intueor? Humilitas ejus, mihi medicamentum est contra omnem superbiæ læsionem; consideratio patientiæ ac mansuetudinis ejus, omnem iracundiæ impetum curat, omnem impatientiam tollit; fervor suæ ardentissimæ caritatis, cunctam repellit pigritiam et teporem. Denique inter ubera mea commorabitur, quia in omni doctrina et utriusque Testamenti Scripturis ipsius recordabor, et sermoci-

Digitized by Google

nabor de eo. Universa quoque quæ pro A
mea assumpsit, fecit, pertulitque salute,
colligabo quasi in unum fasciculum: quem
jugiter intuebor, quatenus incarnatio, con-
versatio ac passio dilectissimi sponsi mei
nunquam a mea recedat memoria, juxta
Thren. III, 20. illud in Threnis : Memoria memor ero, et
tabescet in me anima mea. Ut sic cum
Galat. II, 19, 20. Apostolo dicere queam : Christo confixus
sum cruci. Vivo autem jam non ego; vivit
Ibid. VI, 14. vero in me Christus. Et denuo : Mihi au-
tem absit gloriari, nisi in cruce Domini
mei Jesu Christi. Est namque in cruce B
sponsi gloriatio, dum gloriamur in hoc,
quod ejus amore et imitatione adversum
quid patimur, et contumelias sustinemus;
et rursus, dum passionem ipsius tam fru-
ctuosissimam esse perpendimus, quod per
Rom. V, 10, 11. eam reconciliati sumus Deo omnipotenti,
et liberati a discrimine infernali. Ideo sub-
ditur :

13 *Botrus Cypri, dilectus meus mihi in
vineis Engaddi :* id est, ipse qui in pas-
sione sua factus est mihi fasciculus myr-
rhæ, in sua resurrectione, ascensione, et C
Spiritus Sancti missione, atque in quoti-
diana sua gratiosa visitatione ac conso-
latione interna, factus est mihi botrus
Cypri, id est materia exhilarationis, spiri-
tualeque vinum inebrians mentem fervore
amoris, plenitudine devotionis, exuberan-
tia internæ suavitatis : quod totum recte
per botrum Cypri insinuatur, quia in in-
sula Cypro vinum optimum generatur. Sic
demum factus est mihi botrus in vineis
Engaddi, id est loci sic dicti, quæ et ipsæ
optimæ esse feruntur. Engaddi vero, fons D
hœdi interpretatur. Hœdus autem fuit in
Exod. XII, 5. lege animal immolaticium pro remissione
culparum. Idcirco per hœdum peccatores
signantur; et per fontem hœdi, Baptismus
seu Pœnitentiæ sacramentum, in quibus
iniqui a suis peccatis lavantur : sicque
sponsus est sponsæ suæ botrus in vineis
Engaddi, hoc est in Ecclesiis renatorum
in fonte Baptismatis, seu purgatorum in
sacramento Confessionis.

Denique, quia sub speciebus panis et
vini, sponsa dilectum suum quotidie su-
mit in sacro Mysterio, recte eum comparat
botro : de quo sponso in libro Geneseos
Jacob patriarcha vaticinatur : Ligans ad *Gen.* XLIX, 11.
vineam pullum suum, et ad vitem, o fili
mi, asinam suam; lavabit in vino stolam
suam, et in sanguine uvæ pallium suum.
Idcirco in ejus ascensione sciscitati sunt
angeli sancti : Quare rubrum est indumen- *Is.* LXIII, 2.
tum tuum, et vestimenta tua sicut calcan-
tium in torculari? Quibus respondet : Tor- *Ibid.* 3.
cular calcavi solus. Christus quippe est
botrus, de quo in torculari passionis, id
est patibulo crucis, expressum est opti-
mum vinum, utpote sanguis salvificus in
Sacramento reficiens, lætificans, inebrians
communicantem. De quo sancto edulio,
salutarique poculo, in alio Propheta scri-
ptum est : Quid bonum Domini, aut quid *Zach.* IX, 17.
pulchrum ejus, nisi frumentum electo-
rum, et vinum germinans virgines? Unde
de hoc sponso, prophetatum fuit in Psal-
mo : Erit firmamentum in terra in sum- *Ps.* LXXI, 16.
mis montium. Ubi pro firmamento, alia
littera habet, Frumentum; alia vero, Me-
moriale triticum. Imo translatio Chaldaica
aptissime habet, Erit placenta tritici : quia
videlicet Christus sub forma tortulæ seu
placentæ triticeæ, offertur quotidie Deo
Patri in celebratione.

Præterea aliqui dicunt, quod Engaddi
est locus in quo balsamum crescit, et ar-
bor aromatica nomine cyprus, quæ facit
grana similia granis uvæ, atque in modum
vitis excolitur, propter quod vinea nomi-
natur : sicque Cyprus, non esset hic no-
men insulæ in mari Mediterraneo sitæ, de
qua Barnabas fuit apostolus. Hinc ait et *Act.* IV, 36.
Origenes : Uva florens, cyprus vocatur.
Species quoque extrinsecus est cujusdam
virgulti, quæ dicitur cyprus, producens
fructum in modum uvæ florentis. Sed vi-
detur magis ad fructum vitis sermo re-
spicere, quia vinearum Engaddi est facta
memoria. Engaddi autem ager est terræ
Judææ, non tantum vineis quantum bal-
samis florens. Sponsa ergo adolescentulis
loquens : Botrus (inquit) cypri, dilectus

Digitized by Google

meus mihi. Tanquam dicat, Quidquid dulcedinis in odoribus est et floribus virgultorum, superat sponsus : quatenus audientes hæc adolescentulæ, magis ac magis ad sponsi concitentur amorem. A

Insuper videns sponsus universalem Ecclesiam suo desiderio æstuantem, ac suis præconiis inhærentem, imo et aliorum animas sua caritate affectuosis sermonibus inflammantem, prorumpit in laudem ip-
14 sius, ut ad meliora provocet eam. *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.* Repetitio ista, affirmationis, affectionis, B seriositatis, ac movendæ attentionis est signum, quasi dicat : Tu, sponsa mea,
Ephes. v, 25. sancta et præelecta Ecclesia, pro qua tradidi me in mortem, tu pulchra es mente et corporis castitate. Pulchra per dona naturæ, pulchrior per charismata gratiæ. Pulchra interius, per virtutum et donorum meritorumque claritates; pulchra extrinsecus, per venustissimos mores. Pulchra sacramentorum decore, ornata ministrorum tuorum multiplici distinctione, prælatorum et religiosorum atque doctorum C multiformi gradu, statu, ac ordine; decorata non solum donis supernaturalibus gratiæ gratum facientis, sed etiam gratiæ gratis datæ. De quibus omnibus multisque
I *Cor.* XII; *Ephes.* IV, 11; V, 25-27. aliis sponsæ hujus ornatibus, in epistolis ad Corinthios et Ephesios copiose disseruit sapientissimus Paulus. Et sicut in libris de Angelica atque Ecclesiastica hierarchiis divinus testatur Dionysius, Ecclesia seu ecclesiastica hierarchia, instar hierarchiæ angelicæ exstat disposita. Propter
Apoc. XXI, 2, 10, 11. quod Joannes in Apocalypsi fatetur : Vidi D civitatem sanctam, Jerusalem novam, descendentem de cœlo, a Deo paratam, tanquam sponsam ornatam viro suo, habentem claritatem Dei.

Oculi tui columbarum : id est, columbina simplicitate, sincera intentione, acuto ac limpido ad contemplandum intuitu fulges; longe a te omnis hypocrisis, omnis duplicitas cordis, omnis perversa intentio; me solum habes præ oculis, ad meum honorem et gloriam omnia refers; non respicis ad commoda tua privata, sed imples quod jussi, Estote prudentes sicut serpentes, et *Matth.* X, 16.
simplices sicut columbæ. Etenim advertisti quod dixi : Si oculus tuus fuerit sim- *Ibid.* VI, 22.
plex, totum corpus tuum lucidum erit. Non es vaga aut lasciva, sed faceta, custodita, pudibunda adspectu, sicut honestissimam condecet sponsam : quæ erubescit in alienum sponsum figere visum, imo nec proprium, nisi cum modestia, intuetur : per quod bono contorali non mediocriter placet. Præterea multæ sunt proprietates columbæ, propter quas ei assimilatur et comparatur Ecclesia : de quibus modo pertranseo, quoniam infra magis super hoc se offeret sermo. — Quod vero nunc de columbino Ecclesiæ visu inductum est, quidam specialiter de prælatis, doctoribus, et prædicatoribus ejus exponunt : qui appellantur Ecclesiæ oculi, quia per ipsos illuminat filios suos, et prospicit eis, ac præcavet. Prospicit, inquam, de necessariis ad salutem adipiscendis, et præcavet de periculorum eventibus; et ipsos qui alios habent dirigere et docere, oportet in omni prætacta columbina simplicitate ac visus sapientiali acumine esse præcipuos.

Insuper sponsa ex tantis suis præconiis, ab infallibili sponso sibi adscriptis, nequaquam superbiens, imo magis se ipsam humilians ac sponso vicem rependens, subjungit : *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et* 15
decorus. Quasi dicat : Tibi magis laus ista debetur, tu pulcher in deitatis natura, imo pulcherrimus et superpulcherrimus ipse : cujus deitas est pulchritudo penitus infinita, fons universi decoris et gratiositatis ac ordinis, cujus comparatione omnis pulchritudo creata, est velut deformitas. Tibi quoque Unigenito Patris pulchritudo appropriatur, sicut ait Hilarius : Species est in imagine. Tu es universorum primum exemplar, tu veritas, sapientia, splendor, character, ars rationibus plena, atque imago Genitoris æterni perfecta. Tu etiam pulcher es in tua humanitate : quam præ omni creatura superbenedicta Trinitas decoravit, dans ei spiritum non ad mensu- *Joann.* III, 34.

Digitized by Google

ram, et totam ejus capacitatem adimplens A charismatibus gratiæ, virtutum, donorum, fructuum, beatitudinum, imo et beatifica fruitione, ac gratiis gratis datis. Nec decuit te, o Verbum æternum, nisi tam pulcherrimam humanitatem assumere, quam eodem instante talem fecisti ac assumpsisti. Denique ab omni peccato originali ac actuali immunis es, atque in summa sanctitate vixisti in sæculo isto, ac Patrem tuum præ cunctis creaturis plenissime
Ps. xliv, 3. honorasti. Tu speciosus forma præ filiis hominum : et quamvis propter me B
Ps. xxi, 7. Is. liii, 2, 4. factus es opprobrium hominum, non habens speciem neque decorem, similisque leproso; hoc tamen absque tuo sustinuisti demerito, nec internam tuam minuit formositatem, sed ad majorem tui corporis cessit glorificationem : et quo propter me fuisti deformior, eo in corde meo es pulchrior.

Ideo, *Lectulus noster floridus :* quia conjunctio nostra, pura et sancta est, spiritualis, divina ac cœliformis : et lectulus noster est pax pectoris, conscientiæ puri- C tas, quies mentis, contemplatio amorosa, dilectio intuitiva et amplexiva. In his libenter et benignissime mecum quiescis, dum ab omni exteriori tumultu me abstraho, ab omni sanctitatis tuæ offensa abstineo,
Ps. lxxv, 3. et tibi soli intendo. In pace etenim lo-
Is. lxvi, 1, 2. cus tuus, qui super quietum quiescis, et
Prov. viii, 31. deliciæ tuæ sunt esse cum talibus filiis hominum.

Tigna domorum nostrarum cedrina. Do- 16
mus istæ sponsi et sponsæ, sunt particulares Ecclesiæ et congregationes devotæ : quarum tigna, sunt personæ quæ præsident, et subditos caritative sustentant, confortant, stabiliunt, quemadmodum tigna domum. Quæ personæ instar cedrorum crescunt in perfectione virtutum, et eminent auctoritate prælationum ; stantque in monte Libano, videlicet candidissimo Jesu Christo, monte altissimo, cui jugiter innituntur ; abstinent quoque a putrefactione peccati, et virtutum ac documentorum suorum odore ac vigore infernales fugant serpentes : quemadmodum cedrus imputribilis est naturæ, crescens in Libano monte, atque serpentes suo fugans odore. *Laquearia nostra cypressina.* Per laquearia, quæ domum intrinsecus implent et ornant, boni subditi obedientesque filii exprimuntur : quæ cypressina dicuntur, quoniam sicut cypressus est arbor velociter crescens, bassa seu humilis, imputribilisque consistens, cujus fructus seu folia cum oleo cocta, nobile unguentum efficiunt : sic boni subditi ac obedientes, ex superiorum suorum exemplis virtuosis ac saluberrimis documentis, cito ac multum proficiunt, vitiorum infectionem devitant ; atque intra suæ vocationis humilitatem manentes, præstant proximis exempla salubria, tanquam vitalia medicamenta, ac bonæ famæ odorem, tanquam dulcissima et curativa unguenta.

ARTICULUS IV

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI, DE SPONSA PARTICULARI.

De triplici sponsa Christi, dictum est D in prologo hujus opusculi, videlicet universali, particulari, et singulari : ita quod unaquæque anima in caritate exsistens, est Christi sponsa particularis, per fidem et caritatem desponsata eidem, et ei per Baptismi gratiam consecrata : quam Dominus et Salvator brachiis caritatis adstringit, ac infusione virtutum fecundat. Hinc asserit Augustinus, quod omnis ani-

Digitized by Google

ma est Christi sponsa, vel diaboli adultera : si enim in caritate est Christi, censetur sponsa ipsius; si vero mortali subjacet culpæ, adultera reputatur diaboli. Itaque quæ in isto Salomonis volumine de universali exponuntur Ecclesia, generalique sponsa, de particulari quoque sponsa tropologice explanantur. Verumtamen, quoniam juxta præhabita, in his Canticis canticorum tractatur de amore perfecto, ideo non de quacumque anima exsistente in caritate et gratia, sed de anima heroica, divina, perfecta, ecstatice amorosa, hæc B proprie exponuntur : quam expositionem præcipue prosequitur Vercellensis venerabilis abbas, in libris divini et magni Dionysii studiosissimus, qui et eosdem in stilum planum redegit.

Igitur anima contemplativa purgata, sancto amore flammigera, in creaturis nequaquam concupitam reperiens quietem, ideoque ad verum et incommutabile bonum, ad superessentialem et superpulcherrimum sponsum totis suspirans præcordiis, ex plenitudine sincerissimæ suæ affectionis C
Ps. XLIV, 2. eructat verbum bonum amoriferum et su-
1 ave : *Osculetur me*, inquiens, *osculo oris sui*, id est sponsus ille dulcissimus, qui solus sufficit mihi, qui creavit me propter se; nec possum nisi in eo quiescere, qui solus totum meum affectum quietare potest et contentare. Hic talis ac tantus, osculetur me osculo oris sui, id est, se ipsum gratiosissime applicet mihi, meque pauperculam suæ incomparabili et infinitæ excellentiæ dignetur immediate conjungere: tangendo et illuminando apicem intelle- D ctus mei ad contemplandum majestatem et sapientiam, veritatem ac pulchritudinem ejus prorsus immensam; accendendo quoque verticem voluntatis seu affectivæ meæ superioris, ad diligendum purissime, stabiliter ac intentissime bonitatem ipsius illimitatam, ad gustandum fontanam ejus dulcedinem, omni fundo, termino, ac mensura carentem, ad quiescendum in ejus amplexu mundissimo, quatenus tota ferar, transformer, absorbearque in ipsum, A atque in suæ beatitudinis exuberantissimo et immenso oceano rapta demergar.

Sed unde, o paupercula anima, pingui materiæ huic intrusa, gravi corporis moli immersa, quæ in ordine intellectualium substantiarum es sicut materia prima in ordine rerum : unde tibi vel præsumptio, vel audacia, aut certe fiducia petendi hoc osculum ab eo, quem polus, tellus, pontusque metuunt, quem supernorum altitudines spirituum perhorrescunt, sub quo Job IX, 13.
curvantur qui portant orbem ? Denique, si præsumptuosum videtur petere osculum, non dicam gloriosissimæ virginis Mariæ Christiferæ, sed gloriosæ virginis Catharinæ reginæ, aut Ursulæ sanctæ : quanto magis præsumptuosum apparet, petere osculum Sancti Sanctorum, omnipotentisque Regis, cujus respectu totus mundus est velut pulvis exiguus? Ad hæc quid res- Is. XL, 15.
pondes, o anima, in hoc exsilio, in regione hac dissimilitudinis, in valle lacrimarum hac constituta, ubi si dixeris quod I Joann. I,
peccatum non habeas, te ipsam seducis? 8.

Responsio animæ. — Quid me revocas ab intuitu sponsi mei? Cur ab ejus amplexu me impedis? Quare ab ejus colloquio me avertis? Cur in his quæ omnem rationem transcendunt, exigis rationem? Ignoras quod caritatis ardor non arctetur lege communi? Nescis quod sicut excellentia sponsi hujus immensa est, sic et dignatio ejus prorsus sit infinita? Numquid minor est caritas ejus aut pietas, quam majestas? Nonne ipse creavit me ad obtinendum beatificum illud osculum oris sui in patria Beatorum, hoc est, ad intuendum eum per speciem, ad perfruendum æternaliter bonitate ac dulcedine sua, ad satietatem plenissimam, ab omni fastidio perenniter alienam? Ipse qui caritatem suam mihi infudit, ipse eamdem in me accendit ac stimulat, atque ad postulandum osculum oris sui excitat et inflammat. Non est volentis, neque currentis. Rom. IX, 16.
Caritas separationis impatiens, me coarctat ; consideratio, imo et experientia dignationis miserationisque sponsi, hanc

Digitized by Google

parit fiduciam; fides quoque et recolentia A præteritorum beneficiorum ipsius, me animat. II Cor. VIII, 9. Nonne ipse est, qui quum dives esset divitiis infinitis, dives omnipotentia, non Ps. CXLIV, 3. pecunia, et tam magnus quod magnitudinis ejus non est finis, propter me factus est pauper et parvus? et certe tam pauper, Matth. VIII, 20. quod non habuit ubi caput suum reclinaret; atque tam parvus, quod intra unius mundissimæ humillimæque virgunculæ viscera se reclusit; et captus est rhinoceros ille, cui nullus valet resistere, caritate ac puritate unius puellæ: qui B Is. LIII, 12. deinceps obtulit se in mortem, ut ei in æternum conjungar, et ab ipso deoscular. Job XXXII, 19, 18. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit, Ibid. 20. et coarctat me spiritus uteri mei. Loquar ergo ad sponsum, et respirabo paululum; et nunc agitante me desiderio erumpente, dicam semel, Osculetur me osculo oris sui; dicam secundo, Osculetur me osculo oris sui; addam et tertio, Osculetur me osculo oris sui.

Responsio. — Numquid ebria es, quia C sic loqueris? nec contines te saltem rubore? Nonne discretio mater est et auriga virtutum, sine qua etiam caritas ipsa præcipitat?

Anima. — Ebria sum, inebriata refectione et potu illius a quo audies infra: Cant. V, 1. Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. Denique ignara mihi videris juris ac proprietatum viriumque amoris. Non audisti Prophetam illum in utero ma- Jer. XX, 9. tris sanctificatum, dicentem, Factus est sermo Domini in corde meo quasi ignis D exæstuans, claususque in ossibus meis, et defeci, ferre non sustinens? Et rursus: Ibid. XXIII, 9. Factus sum, inquit, quasi vir ebrius, et quasi homo madidus vino, a facie Domini et a facie verborum sanctorum ejus. Si sermo Domini sic inebriat et accendit, quanto magis amor ipsius? Præterea audi quid horum expertus dicat sanctus et dulcis ille Bernardus: O quanta vis amoris! o quanta in spiritu libertatis fiducia! Desiderio feror, ratione non ducor. Non putetur præsumptio, ubi viget ac dominatur affectio. Reclamat pudor; sed superat amor. Non ignoro quod honor regis ju- Ps. XCVIII, 4. dicium diligit; sed præceps amor nec judicium præstolatur, nec consilio temperatur, nec pudore frenatur, nec rationi subjicitur. Ideo tibi respondeo, quod in hac re discretio est, esse sine discretione: quoniam fons omnis discretionis paracletus Spiritus Sanctus, qui infundit, prævenit et inflammat, ipse utique custodit, dirigit et gubernat. Sed nunc argumentatio relinquatur, ne mens mea a sponso diutius impediatur. Etenim eo ipso quo dixi, Osculetur me osculo oris sui, ab eo me tangi, affici, oscularique sensi: ideo te relicta, loquar ad ipsum.

Quia meliora sunt ubera tua vino: id est, illuminatio tuæ veritatis æternæ, qua tu ipse intellectum immediate illuminas, ungis, ac doces; et inflammatio qua in me caritatem accendis; pietas qua tam benignissime refoves, consolaris, et confortas me, desiderabiliores ac dulciores sunt mihi vino, id est omni consolatione carnali, omnique instructione angelica et
humana; *fragrantia unguentis optimis,* id 2
est spiritualibus charismatibus eis adjunctis. Nempe ubera ista ad omnium carnalium voluptatum ducunt contemptum, ad tædium terrenorum, ad desiderium exercitationis internæ, ad ampliorem cordis custodiam, ad profundiorem sui ipsius humiliationem. Et hæc unguenta sunt optima, coram Deo et omnibus Sanctis suavissime redolentia, a peccatis præservativa, omniumque invisibilium curativa languorum. Hoc beatus Augustinus expertus, disseruit: Te, Domine Jesu Christe, cor meum introeunte, irradiante et oblectante, subito factum est mihi facile voluptatibus illis carere, quas ante metuebam relinquere.

Oleum effusum nomen tuum. Tu, o sponse, vocaris virtus et sapientia Dei Patris, I Cor. I, 24. tu appellaris Filius Virginis, tu Creator Luc. II, 7, 48, 11. Salvatorque diceris; de te Isaias prædixit: Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Con- Is. IX, 6.

Digitized by Google

siliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis : et quocumque nomine designeris, dulcescit clarescitque nomen hoc mihi, fulget in corde, ac pretiosissimum reputatur a me. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te,* tua suavitate attractæ. Istæ adolescentulæ, sunt animæ proficientes, meritis quotidie abundantes : quæ increatæ dulcedinis gustum aliquantulum perceperunt, et ex eo ad meliora sunt provocatæ, et ad amandum magis accensæ, præsertim quoniam audierunt tot et tanta bona narrari de sponso. Frequenter enim contingit, quod multa laudabilia audiendo de aliquo nunquam viso, accendamur ipsius amore, et ædificemur in eo : quanto magis in amore sponsi cœlestis, ex fama ipsius debemus succendi? cujus præconia in Scripturis leguntur, cujus virtutes undique prædicantur; in quo scimus perfectionem simpliciter infinitam consistere, secundum deitatis suæ naturam qua
Philipp. II, 6. æqualis est Patri, virtutes quoque creatas, in extremo excellentiæ termino, quo possunt creaturæ inesse, et hoc, secundum ipsius humanitatem.

3 *Trahe me post te :* id est, da mihi lucem et gratiam contemplationis tam altæ, ac tantum sanctæ caritatis ardorem, ut cuncta creata transcendam, et tibi soli inhæream; sicque abstractus et absolutus ab omnibus, tam vehementer tibi intentus sim, ut ceterorum omnium obliviscar, imo neque me ipsum, nec proprias actiones advertam. Nam ut sanctus pater ait Antonius. Perfecte non orat, qui in oratione sua non ita in Deum extenditur, nec tam valenter in eum defigitur, ut immemor omnium reliquorum reddatur.

Curremus in odore unguentorum tuorum. De unguentis jam dictum est super illud, Fragrantia unguentis optimis. Præterea omnium actiones virtutum, unguenta sunt, evangelicorum quoque impletiones consiliorum : ideo unguenta optima rite censentur actus excellentissimarum virtutum, utpote fidei, spei et caritatis. Item optima unguenta, sunt actus virtutum, se-

A cundum gradum earum supremum : sic unguenta bona, sunt actus boni ac meritorii incipientium; unguenta meliora, actus laudabiles proficientium ; unguenta optima, perfectorum. Postremo unguenta bona, sunt opera virtutum moralium; unguenta meliora, virtutum intellectualium; optima, theologicarum. Porro odores unguentorum istorum, sunt delectationes puræ actibus virtuosis annexæ : in quibus odoribus currimus, quando præ gaudio spirituali et consolatione cœlesti, quas in
B Dei cultu ac honorificentia experimur, Deo cum ingenti promptitudine ac celeritate obsequimur, juxta illud Josue, Serve ei corde perfecto atque verissimo. Qui *Josue* XXIV, 14.
sic currit ad beatitudinis suæ indeficientissimum fontem, mox ut de bassitudine carnis mortalis exierit, ad cœlestis palatii perveniet montem. Ad quod exhortans Apostolus : Sic, inquit, currite ut comprehendatis. Qui sic velox est in opere suo, coram Rege cœlorum stabit; et sequetur ejus vestigia, qui exsultavit ut gigas ad *I Cor.* IX, 24. *Prov.* XXII, 29. *Ps.* XVIII, 6.
C currendam viam. Talem cursum non redarguit sanctus Job, quamvis Eliu hoc ei imposuerit, dicens : Dixit enim, Non placebit homo Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Cum ita currente, currit et sponsus : qui cum pergentibus pergit, cum currentibus currit, cum volantibus volat, suas nullibi relinquens dilectas. Ad quem cursum inter prospera et adversa infatigabiliter peragendum, hortatur nos Paulus, loquens : Curramus propositum nobis iter, adspicientes in auctorem fidei et con- *Job* XXXIV, 9. *Hebr.* XII, 1-3.
D summatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut non fatigemini animis vestris deficientes.

Sic Deus immensus, sua naturali infinitaque bonitate ac amabilitate trahit ad se et in se suos electos, quemadmodum libro de Divinis nominibus Dionysius protestatur : Deus sua supersubstantiali bonitate et appetibilitate (per quam est om-

Digitized by Google

nium attractivus) suum ingignit amorem A menti creatæ.

Denique sponsa in his exaudita, grato corde subjungit : *Introduxit me rex in cellaria sua,* id est, divitias gloriæ suæ mihi ostendit, infinitam opulentiam suam monstravit, affluentiam gratiæ mihi in præsenti paratæ, et supereffluentiam gloriæ mihi in futuro præstandæ, si ei perseveravero, revelavit. Unde et S. Agnes asseruit : Ostendit mihi thesauros incomparabiles. Hoc fit, dum mens introducitur in sanctuarium Dei, id est, luce contem- B plationis perfunditur, ad intuendum quam infinite deliciosus, perfectus et felix sit Deus altissimus in se ipso, quam inæstimabilis sit liberalitas ejus ad dandum, quam supercopiosa ad remunerandum : ex qua consideratione oritur gaudium grande. Unde subjungitur :

Exsultabimus et lætabimur in te : non in nobis, sed in te universorum bonorum datore. Gloriabimur, tuæ infinitæ felicitati congratulando : et quo quis magis te diligit, eo utique omni perfectioni et excel- C lentiæ tuæ cordialius frequentiusque congaudet. Et hæc est gloriatio optima, ex puro Deitatis amore procedens. Exsultabimus quoque, quia tu, rex cœlorum, creator universorum, prior dilexisti nos [I Joann. IV, 10, 19.]; et quia tu, noster creator ac judex, factus es noster salvator et advocatus; et quia tu, munificentissime sponse, tot et tanta nobis beneficia contulisti, majoraque promisisti, quorum nequaquam oblivisci debemus. Propter quod subditur : *Memores uberum tuorum,* id est, nos memores ex- D sistentes caritatis pietatisque tuæ et miserationum ac consolationum, illuminationum ac visitationum tuarum, quibus nos jugiter reficis, exsultabimus et lætabimur in te : juxta illud Psalmi, Memor fui Dei, et delectatus sum. Gratitudo hæc semper meretur majora, juxta quod sponsus fatetur : Habenti dabitur, et abundabit [Matth. XXV, 29.].

Insuper, quoniam memoria beneficiorum accendit amorem, secundum illud Psalmi, In meditatione mea exardescet ignis [Ps. XXXVIII, 4.], recte subjungit : *Recti diligunt te.* Tu enim es primum et summum amabile, causa et ratio omnis amabilitatis ac boni amoris : idcirco obliquus et curvus est, qui te non amat. Nec sufficit amor tuus quicumque, sed necessarius est amor spiritualis, meritorius, et infusus, quem soli recti, id est justi, habent ad te. Justi quippe sunt, qui tua observant præcepta : et hi soli vere te diligunt, sicut tu ipse testaris : Si quis diligit me, sermonem meum servabit [Joann. XIV, 23.]; itemque, Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui me diligit [Ibid. 21.]. Hæc rectitudo meretur exaudiri a Domino, juxta illud Job : Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te [Job VIII, 6.].

Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem. 4
Quanto anima fervida sanctitatem et pulchritudinem Dei ac sponsi sui limpidius contemplatur, tanto propriam parvitatem, imperfectionem, insufficientiamque clarius intuetur, humiliusque fatetur. Idcirco a contemplatione sanctissimi et superpulcherrimi sponsi sui rediens ac suspensa, nigram se clamat, sciens quod cœli non sint mundi, nec stellæ splendeant respectu illius [Ibid. XV, 15; XXV, 4, 5.]. Insuper, juxta divini Dionysii documenta in pluribus locis, perfectissima unio atque cognitio, qua mens Deo conjungitur in hac vita, est per omnem abnegationem ab ipso, ac per omnimodam ignorantiam ejus, quantum ad quid est, ita quod ei unitur tanquam prorsus ignoto. Propter quod dicitur in caligine esse : ob quam dicit se nigram, quia caligo videtur esse quædam nigredo. Nihilo minus asserit se formosam, quia hæc ipsa tam humilis propriæ defectuositatis confessio, supplet ejus defectum, et ipsam perornat. Et quamvis respectu sponsi sit nigra, tamen in suo genere est formosa : quoniam sponsus non requirit ab ea puritatem et perfectionem virtutum, nisi secundum exigentiam facultatis, professionis, vocationis, seu status ipsius sponsæ : ideo admonet eam, ut secundum suam vocationem ambulet digne Deo [Coloss. I, 10.]. Sed quomodo anima peccans quotidie asserit se

formosam ? Respondetur, quod formosa A
est secundum modum viæ, non patriæ; et
per exclusionem omnis mortalis, non venialis,
peccati; et quia de suis venialibus
assidue pœnitet ac purgatur, ita quod quotidie
amplius proficit, quam decrescat. Et
juxta hunc sensum sanctus Job fatebatur :
Job xxvii, 6. Neque reprehendit me cor meum in omni
vita mea.

Quoniam itaque comparatione sponsi,
anima sancta affirmat se nigram, adjecit :
5 *Quia decoloravit me sol,* id est, comparatione
ipsius deformem me sentio, qui B
solus incircumscriptibiliter lucet, et incomparabiliter
sanctus est.

Præterea anima contemplativa Christi
sponsa, ex parte supremæ suæ portionis intellectivæque
partis, ait : *Filii matris meæ,*
id est potentiæ et affectiones et actus sensitivæ
partis, appetitusque concupiscibilis
et irascibilis, et passiones earum, sensus
quoque exteriores et interiores, *pugnaverunt
Galat. v, 17. contra me.* Caro enim concupiscit adversus
I Petr. ii, 11. spiritum, et carnalia desideria militant
contra animam, id est contra partem C
ejus superiorem. Similiter sensus exteriores
repræsentationibus objectorum suorum
et incustodia sua mentem non parum
Jer. ix, 21. impugnant : ita quod mors ingreditur per
Thren. iii, 51. fenestras, et oculus animam deprædatur.
Porro sensitiva pars, mater intellectivæ
partis vocatur, quia cognitio nostra intellectiva
exordium sumit a sensitiva; et
omnium potentiarum, affectionum et actionum
suarum ipsa anima dicitur mater,
quia fluunt ab ea, et ipsa illarum subjectum
est et origo. Sensus etiam interiores D
suis imaginationibus atque tumultibus varia
pariunt impedimenta recollectionis devotionisque
menti. Propter quod anima
per superiores suas vires se custodire, inferioresque
vires regere necessario indiget.

Propterea subdit : *Posuerunt me custodem
in vineis :* id est, præfati filii matris
meæ compulerunt me et occasionem dederunt,
ut sim custos virium mearum, interiorumque
sensuum et appetituum sensitivorum :
quæ vineæ appellantur, quia
si debite gubernentur et excolantur, opera
proferunt virtuosa, aut disponunt ad ea.
Vineam meam non custodivi : id est, congeriem
vinearum istarum non ita diligenter
excolui, purgavi, et fecundavi, ut
debui. Vinea quoque bona, est caro in
spiritus servitutem redacta, dum membra I Cor. ix, 27.
ejus exhibentur arma justitiæ Deo, non Rom. vi, 13.
arma iniquitatis peccato. Rursus principalis
vinea animæ, est pars ejus intellectiva,
in qua summæ Trinitatis consistit
imago : quam vineam tanquam præcipuam
debet anima per legem Dei ac gratiam
custodire, juxta illud, Omni custodia cu- Prov. iv, 23.
stodi cor tuum. Verum hanc vineam non
custodit, dum distractionibus immoratur,
dum inordinatæ appetitioni dat locum,
dum januam mentis aperit hosti, aut rei
consentit illicitæ, et coram Deo negligenter
se habet, ipsamque dominam ab ancilla,
id est intellectivam a sensitiva, superari
permittit : quod anima amorosa et sancta
interdum se fecisse ac permisisse, non immerito
lamentatur.

Indica mihi, quem diligit anima mea, 6
id est ego ipsa, quæ mei sum juris per
liberi usum arbitrii; vel, Anima mea, id
est vita mea animalis seu spiritualis; *ubi
pascas, ubi cubes in meridie,* id est, in
quibus mentibus tam triumphantis quam
militantis Ecclesiæ commoreris, eas salubriter
nutriendo, atque in eis per lumen
contemplationis, aut per gloriam beatificæ
fruitionis conquiescendo : quatenus ad
mentes vere beatas suspirem ac pertingere
properem, mentes quoque viatrices
vere virtuosas et contemplativas sectari
non cessem. *Ne vagari incipiam post greges
sodalium tuorum,* id est, ne decepta, sequar
multitudinem animarum errantium :
quæ virtuosas se simulant, quum exsistant
hypocritæ : unde sub vestimentis ovium Matth. vii, 15.
et specie bonitatis decipiunt simplices. Et
tales animæ, greges sunt tuorum sodalium,
id est congregationes carnalium prælatorum
præsidentiumque pravorum : qui
in prælatione tecum communicant, et vicarii
tui dicuntur, seque tibi cohærere af-

Digitized by Google

firmant, quum potius diaboli sodales esse noscantur. Vel, Sodalium tuorum, id est angelorum sanctorum, qui et reprobis præsunt, et gloriæ tuæ consortes sunt. Expositio ista non multum differt a præinducta : idcirco non immoror.

7 *Si* (pro non) *ignoras te, o pulchra inter mulieres :* id est, quia tu, o sponsa mea, contemplativa fervensque anima, scis te superadorandæ Trinitatis imaginem, sanguine meo redemptam, per sapientiam ac virtutes reformatam, meritis copiosis fulcitam : quod totum aut certitudinaliter, aut multum probabiliter nosti ; idcirco *egredere* in actus caritatis perfectos, *et abi post vestigia gregum :* id est, peccatrices animas (quæ hic mulieres vocantur, quoniam concupiscentiis muliebriter enervantur, nec virile quid per virtutum exercitia sortiuntur) noli omnino aspernari ac fugere; sed vade post eas, earum miserias et peccata considerando, quatenus ferventius depreceris pro eis, et cordialius ipsis condoleas, mihique regratieris quod a talium societate ac pravitate te præservavi aut liberavi. Tu enim, o sponsa, tantæ es perfectionis, ut ex impiorum vitiis non scandalizeris, sed compatiaris atque proficias : imo omnia cooperantur tibi in bonum; et qui scandalizatur, pusillus est. *Et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum,* id est, motus carnales et indomitos impetus passionum reprime, et reforma secundum sanctorum Patrum doctrinam, exempla ac jussa.

Rom. VIII, 28.

8 *Equitatui meo,* scilicet angelis sanctis ac Sanctorum phalangis, *assimilavi te, amica mea,* dando tibi angelicam vitam in terris, et in Sanctorum catalogo te locando, ut dicere queas : Nostra conversatio in cœlis est. Et hoc, *in curribus Pharaonis,* id est per hoc, quod contra aciem vitiorum ac dæmonum victorialiter restitisti.

Philipp. III, 20.

9 *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis.* Habet et anima faciem suam spiritualem internam, videlicet trium superiorum virium suarum coaptationem et connexionem, seu ipsum intellectum, memoriam, voluntatem, comproportionatas : cujus faciei genæ possunt dici, intellectus speculativus et practicus, seu intellectus agens atque possibilis. Quum ergo intellectus speculativus contemplationi insistit cum casto et sapientiali pudore propriæ parvitatis, erubescens tam imperfectus ac modicus increatæ menti majestatis immensæ se repræsentare; dumque intellectus practicus virtuosis vacat operibus cum pia erubescentia, propter mala admixta et imperfectionem hujusmodi operum : tunc genæ sponsæ istius instar turturis sunt laudabiliter verecundæ, carentque amaritudinis felle et suspicionis veneno, et amant secretum, et sponso cœlesti conservant fidelitatem, qui loquitur per Prophetam : Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus. Hinc ait Gregorius : Turtur, postquam parem suum amiserit semel, nunquam se alteri jungit, sed semper solitarie habitans, in gemitu perseverat : quoniam quem diligebat quærens, non invenit. Sic sancta anima a sponso adhuc absens, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderio anhelat et gemit. Hinc hortatur Bernardus : O sancta anima, esto sola; illi soli serva te ipsam, quem tibi ex omnibus et præ omnibus elegisti; fuge publicum, fuge ipsos domesticos, secede ab amicis et inimicis. An ignoras te pudicum sponsum habere, et qui nequaquam velit ceteris suam exhibere præsentiam? Secede igitur mente, intentione et devotione, et spiritu magis quam corpore.

Osee II, 14.

Collum tuum sicut monilia. Quemadmodum solus intellectus omnium exteriorum sensuum nominibus designatur (ipse enim est visus seu oculus, quo veritas cernitur; ipse est auditus interior, quo verbum Dei mente percipitur ; ipse gustus, quo summæ bonitatis dulcedo sentitur et cibus animæ degustatur ; ipse olfactus, quo odor virtutum hauritur ; ipse tactus, quo verbum vitæ attingitur et tractatur); sic intellectus est gena et os ac collum, secundum varias suas proprieta-

Digitized by Google

tes et actiones, quibus exterioribus collo, A ori, genæ assimilatur. Est itaque collum, in quantum ad superiora erigitur, ac sua erectione a fonte totius veritatis panem intelligentiæ, gratiam contemplationis, veritatis refectionem, attrahit ac sortitur. Hoc collum est sicut monilia, quando in sua illuminatione et contemplatione ornatur humilitate et sui ipsius profundissima dejectione, nec arescit elatione aut vanitate, sicut is de quo in Job legitur, Job xv, 26. Cucurrit adversus Deum erecto collo.

10 *Murænulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* De muræna atque murænula, et qualiter per murænulam istam intelligatur distincta ac permixta notitia Scripturarum, dicendum est. Itaque per murænulam in hoc loco accipitur sapientialis illuminatio mentis de divinis : cui miscetur consideratio propriæ parvitatis ac rerum notitia creatarum. Talis quippe illuminatio aurea est, in quantum concernit divina; sed permiscetur quasi colori argenti, secundum quod respicit res creatas : estque menti valde necessaria C illuminatio de utroque, ut agnoscat non solum excellentiam Creatoris, sed et vanitatem ac dependentiam creaturæ, et insufficientiam vilitatemque sui ipsius. Hinc S. Franciscus non solum mente raptus, sed et corpore elevatus in aere, in contemplatione altissima constitutus, clamavit : O Deus meus, quid tu, quid ego? Atque, ut postea fatebatur, aperti fuerunt ei duo libri, id est illuminatio duplex, in qua et Dei sublimitatem, et propriam defectuositatem cum ingenti admiratione D conspexit.

11 *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Deus, rex noster Ps. xv, 2. ante sæcula, invariabilis, et bonorum nostrorum non indigens, utpote in se ipso infinite perfectus et deliciosus, quasi sitire videtur, dum nostram salutem desiderat. Unde in Deuteronomio per Moysen Deut. v, 29. ait : Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, et bene sit eis? Qui et per Is. xlviii, 18. alium Prophetam effatur, dicens : Utinam attendisses mandata mea. Hinc dum sanctis et salubribus actibus occupamur, a nobis reficitur, et nostro profectui congratulatur. Itaque, Dum esset rex in accubitu suo, id est, dum Dominus et Salvator in mente mea mecum cœnaret atque reficeretur, nardus mea dedit odorem suum, id est, humilitas mea erupit in actum sublimem, et suavitatem Regi gratissimam mox diffudit. Nusquam etenim anima clarius proprias deprehendit defectuositates, ærumnas et culpas, nisi dum rapitur in B lucem contemplationis, qua intuetur puritatem ac majestatem prorsus incircumscriptam luminis increati : quod quanto acutius contemplatur, eo plus parvipendit ac deprimit semetipsam. Hinc patriarcha Abraham coram majestate adsistens : Loquar, inquit, ad Dominum, quum sim Gen. xviii, 27. pulvis et cinis.

Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi. 12 Sponsus iste habet non solum amabilitatem dulcissimam, sed et metuendam justitiam, ac imperscrutabilem et superterribilem judiciorum profunditatem. Sponsa autem non semper unitur uniformiter suo sponso, sed interdum ut suavi, pulchro ac gratiosissimo sponso ; aliquando autem contemplatur eum ut metuendum et inflexibilem judicem, de quo quisque incertus est an acceptus sit ei, finaliterve salvandus, præsertim quum comparative loquendo, salventur tam pauci. Et juxta Matth. xx, 16. hanc considerationem, fit ei dilectus quasi myrrhæ fasciculus, id est bonæ amaritudinis, angustiæ ac mœroris objectum et causa. Rursus, anima zelo divini honoris accensa, videns Regem ac sponsum superhonorabilissimum a multis despici, inhonorari, relinqui, gravi mœrore afficitur, amaritudinibusque impletur. Nam et miseris ita agentibus, ac se ipsos perdentibus, vehementer compatitur, sicut Apostolus qui testatur : Quis scandalizatur, et ego II Cor. xi, 29. non uror? Sicque dilectus fit ei myrrhæ fasciculus. Verum hanc piam, amorosam et sanctam sponsæ afflictionem sponsus celeriter consolatur, et de suorum judicio-

Digitized by Google

rum dispositione facit eam contentam. Præcipue quoque eam oblectat, dum convertit iniquos et mundanos, quos ad virtuosam ac religiosam conversationem perducit : et
13 tunc sponsa dicere habet : *Botrus Cypri, dilectus meus mihi.*

Insuper dum universa quæ Christus pro nobis sustinuit, anima virtuosa in unum recolligit, et congregatione unius fascis colligata, suæ hæc memoriæ tenacissime indelebiliterque infigit, dicere potest : Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Porro, dum omnem felicitatem ac gloriam sponsi sui, tam increatam secundum quod Deus est, quam creatam secundum naturam ejus assumptam, considerat; tunc ei idem dilectus est botrus Cypri : prout hic sensus ex præcedenti expositione clarius innotescit.

14 *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra.* Quam ineffabiliter supernaturalia dona, videlicet gratia gratificans, et virtutes infusæ, ac septem dona Spiritus Sancti et actus eorum, ornent, pulchrificent atque nobilitent animam; quam etiam indicibiliter vitia eam vilificent ac deforment : hinc elucescit, quod anima virtuosa vocatur et est sponsa, filia et amica, heres ac soror Dei ac sponsi æterni, cui retribuitur pro mercede felicitas æternalis; anima vero vitiosa, inimica est Dei, atque adultera, filia, membrum, ancilla diaboli, cui æterna damnatio juste infligitur. Qualiter autem habeat anima pulchritudinem naturalem, in quantum ad Creatoris sui imaginem est creata, et multo præclariorem pulchritudinem per charismata gratiæ ac venustatem in moribus, ex præcedenti expositione de facili trahitur.

15 *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Tu quippe, o sponse, pulchritudinem meam commendas; sed ego in tua potius quam in mea pulchritudine glorior, tuum decorem, teque speciosissimum libentissime prorsus intueor : quia te magis quam me diligo, et in tuæ pulchritudinis intui-A tione, mea consistit beatitudo, atque ex pulchritudinis tuæ consideratione multiplex mihi oritur fructus, gaudium spirituale in Domino, congratulatio amorosa. Etenim tuam sanctitatem, sapientiam, perfectionem pensando, meam in omnibus imperfectionem, defectuositatemque cerno, et tui comparatione jugiter mihi vilesco. Hinc utile et salubre est, se ipsum respectu sanctiorum ac perfectiorum attendere : quatenus illorum comparatione, tanto plus se unusquisque humiliet, quanto B se illis imperfectiorem ac defectuosiorem cognoscit.

Lectulus noster floridus. Quare non ait, Lectus noster, sed tanti sponsi repausatorium, nominat lectulum? Et respondendum, quod aliqua possunt exprimi diminutive multis ex causis, videlicet ratione urbanitatis, ratione præcipuæ dilectionis, ratione magnæ humiliationis : et omnibus modis his, diminutive hic dicitur lectulus. Aliquando etiam ratione vilificationis, quandoque ad insinuandum in alio C gradum suæ parvitatis aut inferioritatis. Rursus ad designandum sponsi istius immensitatem, dicitur lectulus : quia respectu tanti sponsi, parvus est omnis, quo quiescere potest, locus etiam spiritualis. Unde et in Isaia legitur : Coangustatum est stratum. Lectulus iste quis sit, dictum est in præcedenti articulo. *Is.* XXVIII, 20.

16 *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina.* Domus spiritualis, in qua sponsus supernus cum anima demoratur, est virtutum structura, et coordinaD tio atque connexio earumdem. In qua domo fides, seu timor Dei, sive humilitas est fundamentum; pavimentum vero, est virtutum moralium ordinata locatio, quarum est passiones reprimere. Primum autem solarium, est virtutum intellectualium superlocatio : quibus dona pro secundo superponuntur solario. Spes autem et caritas Dei ac proximi, cum actibus suis, tigna sunt, totam prætactam virtutum structuram sustentantia et consolidantia; laquearia vero seu testudines, quæ implent

Digitized by Google

atque decorant domum, sunt sanctæ meditationes, virtuosæque affectiones, octo beatitudines, et duodecim fructus. Præterea virtutes theologicæ faciunt domum spiritualem per se : similiter virtutes morales, et item intellectuales. Imo unaquæque virtus per gradus et actus, delectationes ac merita sua, efficit domum suam, in qua sponsus moratur cum sponsa : quælibet etenim virtus habet pro pavimento gradum infimum, quo competit statui in- A cipientium; gradum medium, quo convenit statui proficientium; gradumque summum, quo statui congruit perfectorum. Denique spiritualia tigna et laquearia ista, cedrina dicuntur et cypressina : quoniam boni odoris et laudabilis famæ sunt diffusiva, et ex se immaterialia bona, a corruptione vitii aliena, infernalium serpentium expulsiva : prout hæc ex præhabita expositione clarius queunt elici ac patere.

ARTICULUS V

DECLARATIO EJUSDEM CAPITULI PRIMI, DE SPONSA SINGULARI.

SPONSA singularis et singulariter unica atque ineffabiliter prædilecta sponsi cœlestis, est virginea, purissima ac sacratissima Mater ipsius, ab ipso sponso unigenito Filio suo fide illuminatissima desponsata, spe certissima subarrhata, caritate ferventissima amplexata, copiosissime fecundata per exuberantissima gratiarum charismata. Hinc Cantica ista in hujus solennitatibus sponsæ, in divino leguntur Officio. Breviter ergo tangendum est, qualiter ei conveniant.

Denique de gloriosissima et incomparabili Virgine ista dignissima, ab æterno præelecta in veram Matrem veri Dei, certa fide tenendum censetur, quod multo excellentius fuit sanctificata ac Spiritu Sancto repleta in utero suæ matris, quam gloriosus Joannes Baptista, de quo Gabriel
Luc. I, 15. angelus prænuntiavit : Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ; aut
Jer. I, 5. Jeremias, cui locutus est Dominus, Priusquam formarem te in utero, novi te, et antequam exires de ventre, sanctificavi te; aut quispiam aliorum, si qui forte in utero sanctificati fuerunt, ipso incomparabiliter sancto sponso excepto. Et sicut incomparabilis atque mundissima Virgo, B fuit præ cunctis in utero matris supernis charismatibus adimpleta; ita mox ut ratione uti cœpit, assidue in eisdem præ omnibus illis profecit : sicque quo excellentiori puritate mens ejus præelecta coram Altissimo radiavit, et quo ad proficiendum in omni virtute ac sapientia vigilantior, instantior, seriosior fuit, eo eminentius ac munificentius omni hora a Spiritu Sancto ungebatur, illuminabatur, accendebatur, et incomparabiliter crevit ; et quo specialius fuit ex Deo, eo avidius C Dei verba advertit, fuitque studiosa et erudita in lege. Ac, sicut testatur Ambrosius, ipsa legit (haud dubium quin in Isaia) :
Ecce virgo concipiet. Imo, ut ex Scripturis *Is.* VII, 14.
colligitur, antequam Filium Dei concepit, noverat superbeatissimæ Trinitatis mysterium, id est, trinitatem Personarum esse in Deo. Quum enim interrogasset ab angelo, Quomodo fiet istud, quoniam virum *Luc.* I, 34.
non cognosco? responsum est ei ore angelico : Spiritus Sanctus superveniet in *Ibid.* 35.
te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. D Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. In quibus adoranda Trinitas manifeste insinuatur. Quam utique responsionem ipsa intellexit.

Credendum ergo videtur, quod ex scri-
pturis legis ac Prophetarum, potius vero
ex familiari et interna unctione instructi-
oneque Spiritus Sancti, jam noverat Deum,
imo et unicum Dei Filium, incarnandum
ac passurum ad redimendum genus hu-
manum; nec dubium quin tanto affectuo-
sius præ ceteris adventum tanti deside-
raverit Redemptoris, quanto in caritate
æstuantior exstitit illis. Et quamvis præ
inæstimabili et ex profundissima suæ tran-
quillissimæ mentis humilitate, nequaquam
præsumpserit aut putaverit de se Dei Fi-
lium incarnandum, vel ad tanta mysteria
se esse electam; nihilo minus, quum ex
angelico cognovisset alloquio, se ad hoc
esse electam, et Dei Filium concepturam,
mox tacta a Spiritu Sancto, plenarie cre-
didit, humillime quoque consensit, idque
Luc. i, 38. fieri ferventissime concupivit: Ecce, in-
quiens, ancilla Domini; fiat mihi secun-
dum verbum tuum.

De ipsa igitur optima sapientissimaque
Virguncula, ut constituta in illa hora, qua
audivit ab angelo sancto, Ecce concipies
in utero; et deinceps, Spiritus Sanctus
superveniet in te, etc., congruentissime
1 potest exponi quod dicitur: *Osculetur me
osculo oris sui:* id est, Unigenitus Dei,
sponsus cœlestis, quem tu, o paranymphe
superne, mihi promittis, ex me incarnan-
dum testaris, filium meum mox futurum
affirmas, ad me ancillam suam parvulam
dignetur descendere, seque substantiæ car-
nis meæ tam proxime et immediate con-
jungere, ut ex ea corpus sibi assumat ac
hypostatice uniat, id est, suæ increatæ
personalitati una cum anima rationali ab
ipso creanda, et corpus hoc informatura,
personali copulet unione: ut sic natura
humana ad constituendam unam perso-
nam cum Verbo æterno, assumatur ab ip-
so Verbo, Dei Patris unico Filio. — Insu-
per, *Osculetur me osculo oris sui:* id est,
tam amorose et proxime mentem meam
luce sapientiæ suæ perfundat, accendat, et
amplexetur, ut in hora ista idonea fiam
ac sim concipere Dominum Deum creato-
A rem ac salvatorem meum: quem carne
concipere quid prodesset, nisi hunc prius
mente conciperem? sicque beatior sim
concipiendo fide formata, quam carne so-
la. Siquidem maternitas ista, seu Matrem
Dei exsistere, donum est gratiæ gratis da-
tæ: quod per se, habenti non sufficit ad
salutem.

Præterea, *Osculetur me osculo oris sui:*
id est, ipse quem cœlum et terra capere II *Par.* ii, 6
nequeunt, qui nullo valet termino circum-
scribi, nullo intellectu creato comprehen-
B di, incarnatus ex me, mecum dulciter con-
versetur, meo gremio contineatur, inter
mea brachia concludatur, meisque mani-
bus contrectetur: et ita me osculetur oscu-
lo corporali sincerissimo serenissimi oris
sui. Non enim ambigitur quin tu, affectu-
osissima mater, pudicissima virgo, unicum
illum tui virginei uteri fructum, specio-
sissimum pretiosissimumque infantulum
puerum, Deum ex te natum, tibi carissi-
mum, interdum sis cum ingenti reverentia
amplexata, cum caritate maxima oscula-
C ta. Ipse quoque, qui in ætate virili suos
consuevit ad se venientes discipulos cum
osculo sancto recipere corporali, te utique
in pueritia constitutus, tanquam dilectis-
simam genitricem, consuevit nonnunquam
suaviter osculari, sanctumque collum tu-
um sacratissimis suis brachiolis stringere.
Quod si beati oculi et aures discipulo- *Matth.* xiii,
rum, qui Christum viderunt ac audierunt: 16; *Luc.* x, 23.
quanto magis tu beata, quæ ipsum conce-
pisti ac peperisti, atque maternis educasti
obsequiis, ipsumque auctoritate materna
D tractare et deosculari valebas?

Quia meliora sunt ubera tua vino, fra- 2
grantia unguentis optimis. Ista, juxta ex-
positiones præhabitas, possunt esse verba
sponsæ singularis ad unicum sponsum ac
Filium suum: quæ sui Filii spiritualia
ubera tanto specialius potuit commenda-
re, quanto mens sua ab illis fuerat exqui-
sitius, exuberantius, ac dulcius enutrita,
uncta et consolata. Possunt quoque esse
verba sponsi ad dilectissimam Matrem su-
am, ut sit sensus: Tu, o singularis spon-

Digitized by Google

sa, mater et virgo, osculum oris mei petisti, et ego tuæ petitioni libenter assentio, *quia meliora sunt ubera tua vino :* id est, caritas tua, qua zelo honoris tui Creatoris ferves, et proximos tuos orationibus atque exemplis foves; et pietas tua, qua pereuntibus condoles ac subvenire desideras : hæc, inquam, ubera tua, quibus me allicis, meliora sunt vino, id est legis rigore et omni corporali dulcore, *fragrantia unguentis optimis,* id est sublimi contemplatione, qua divinæ majestatis honorabilitatem interminabilem contemplaris, ac præclara discretione, qua cuncta ordinate decenterque peragis.

Insuper de corporalibus divinissimæ Virginis uberibus hæc queunt exponi : quæ beatissima ubera prorsus deificata sunt, ex contactu assiduo ac suctione oris adorandi incarnatique sponsi; fragrantia unguentis optimis, id est lacte virginali dulcissimo, quod Dominus universitatis sumpsit et suxit ex eis contra famem ac sitim, quas sponte ac dispensative propter nos assumpsit et toleravit. Legitur de sancto Abraham eremita et anachoreta præcipuo, quod Maria nepte ipsius ad tempus decepta ac prostituta, ipse ut eam reduceret, militarem induit chlamydem, et tanquam alienus et sæcularis, cum ea in loco turpitudinis manducavit. Quumque illa collum ejus cœpisset stringere, et vultum deosculari, mox odorata est suavissimam fragrantiam corpusculi sancti viri, quod virtute abstinentiæ ac continentiæ suæ, etiam sensibiliter suavissime redolebat : quo facto, illa protinus est compuncta. Et tale quid de aliis quoque legitur Sanctis. Quanto magis pie credendum est, innocentissimum benedictissimæ Virginis incomparabiliter sobriæ, castæ, ac virtuosissimæ, sacrosanctum corpusculum, deificataque ubera suavissimo fragrasse odore, præsertim quum tam prædominans virtus ac puritas animæ, soleat redundare ac apparere in corpore?

Ex Vitis Patrum.

Oleum effusum nomen tuum. Certum quod nomen sponsi tanto dulcius sapuit, splendidiusque effulsit in corde præclarissimæ Virginis, quo ipsum sponsum amavit ferventius, contemplabatur limpidius, ac aptior fuit ad gustandum dulcedinem sponsi istius, utpote ab omni inordinata affectione ac sensuali delectatione immunissima et intacta. Illa etenim mens apta est gustare quam dulcis sit Dominus, quæ nulla inordinata affectione inquietatur, nec ulla sensuali delectatione afficitur.

I Petr. II, 3.

Amplius, possunt hæc verba esse sponsi ad Virginem gloriosam. *Oleum effusum nomen tuum :* id est, tu ipsa, o Mater carissima, visceribus internæ suavitatis tota redundans, omni misericordia affluis; tu præclarissimæ famæ es; tu portas piæ memoriæ absque insitæ tibi dulcedinis adspersione nunquam ingrederis; recordatio tui reficit mentem : *ideo adolescentulæ,* id est animæ innocentes ac simplices, seu recenter regeneratæ aut conversæ, et adhuc pusillæ, *dilexerunt te.* Te enim præ omni pura creatura amant universæ fidelium animæ, seu cuncti fideles, tanquam summam et optimam Dominam, Sanctam Sanctarum, advocatam et matrem, præcipuumque refugium et cooperatricem reparationis humanæ, cui regnum misericordiæ est commissum.

Trahe me post te. Quamvis excellentissima Virgo fuerit sublimiter confirmata in gratia, nihilo minus fuit viatrix, et incessanter proficere poterat ac profecit in omni virtute; et quo humilior erat, eo præcordialius omne bonum, omnem gratiam ac profectum Deo suo adscripsit, cujus pietati ac gratiæ totaliter atque humillime fuit innitens, orationibusque insistens. Ideo orans dixit : Trahe me post te, id est, tu, Deus et fili ac sponse meus, præcordia animæ meæ indesinenter allice et applica tibi, cum majori perfectione, cum calidiori affectu, cum contemplatione sublimiori. Præterea, si beatus apostolus Paulus, multique alii Sancti, in hac vita desideraverunt dissolvi, et esse cum Christo : quanto magis benedictissima ac ar- 3

Philipp. I, 23.

Digitized by Google

A dentissima Virgo, præsertim post sui Filii ascensionem? Ex tunc ergo ubertim locuta est : Trahe me post te, id est, ad regnum gloriæ tuæ me transfer, et illic me tecum constitue. O quoties et quam devote ac fervide post Filii sui assumptionem ita locuta est, quando sacra loca passionis, crucifixionis, sepulturæ et ascensionis unigeniti sui Filii visitavit! Qualiter tunc suspiravit, afficiebatur, anhelabat ad ipsum! Qualiter sacri amoris æstuabat affectibus! Instante vero sua assumptione, diutius separationem non ferens, affectuosissime B protulit verba hæc. Ideo tunc per angelum denuntiavit ei Filius ejus, quod statim assumeretur.

Curremus in odore unguentorum tuorum. Constat Beatissimam hanc præ universis cursu profecisse celerrimo, et spiritualium odore charismatum allectam, indefesse ad totius fontem beatitudinis adspirasse ac festinasse; atque ad imitandum ejus vestigia, suis orationibus, meritis et exemplis innumerabiles exaltavit electas puellas, imo utriusque sexus per- C sonas.

Introduxit me rex in cellaria sua. Ex Scripturis elicitur, quod Paulus et Moyses Deum in hac vita per speciem clare et immediate viderunt. (II *Cor.* xii, 1-4; *Exod.* xxxiii, 11.) De Joanne quoque cantatur apostolo, Nunquam vidit tot secreta purus homo purius; sed pie censetur in his sacratissima Virgo excepta, atque præ cunctis privilegiata : ita quod Rex ac Filius ejus, divitias gloriæ suæ ac gloriam divitiarum suarum æternalium, increatarum, clarius, jucundius ac emi- D nentius demonstraverit suæ felicissimæ ac præclarissimæ Genitrici, quam alicui ceterorum; sicque per contemplationem introduxerit eam in cellaria sua, in secreta et abdita sapientiæ suæ, in mansiones cœlestes, in occultissimas ac profundissimas theorias, tanquam familiarissimam secretariam et consiliariam suam, et tanquam sapientissimam sponsam ac dilectissimam suam matrem, cui utique secretiora aperuit.

Exsultabimus et lætabimur in te. Hoc Virgo glorificanda in persona sua et spiritualium filiarum suarum perfectarum locuta est, quæ in sponso (sicut expositum est) gloriatæ sunt vehementer : et ipsa potissime, quæ tam pacifice, tam secretissime ac quietissime, tamque familiarissime cum ipso conversata est in terris, inspiciens et alloquens eum ad libitum, in quem sancti angeli optant prospicere; (I *Petr.* i, 12.) nec poterat affectuosissima Virgo adspectibus tam gratiosissimi, speciosissimi ac delectabilissimi Pueri, ex sua mundissima carne progeniti, satiari. — Istud quoque in persona adolescentularum, id est proficientium animarum, sacratissimam Virginem alloquentium, potest exponi : quæ valde exsultant et gloriantur in ea, tanquam in pulcherrima, præstantissima, piissima, carissima et optima Domina : referendo tamen finaliter gloriationem istam ad Deum totius salutis objectum. *Memores uberum tuorum super vinum.* Jugiter enim reminisci debent animæ nostræ spiritualium uberum Virginis benedictæ, hoc est totius caritatis et misericordiæ ejus ad nos, quibus animas nostras tanquam benignissima mater dulciter fovet. Sed et corporalium uberum ejus debemus pure et frequenter ac delectabiliter memorari. Nonne enim suavissima sunt ubera illa ad contemplandum, quæ Regem gloriæ nutriverunt, quæ universæ fecunditatis fonti alimoniam influxerunt, quæ provisori cœli et terræ sustentaculum præbuerunt, et corpus illud dignissimum, quo sumus redempti, sic alere et ad incrementa perducere sunt electa? O ubera fecundissima! O pulcherrimi fontes, ex quibus lactei rivi in os atque corpusculum adorandi Infantuli profluxerunt!

Recti diligunt te, o amabilissima sponsa, celeberrima Virgo, deificatissima Mater. Tota equidem bona, pia, dulcis, speciosa, amabilis es, nec quidquam severitatis invenitur in te.

Nigra sum, sed formosa. Fuisti enim, 4
o suavissima Virgo, nubilo dolorosissimæ

compassionis, tristitiæ ac mœroris, in omni dilectissimi Filii tui passione salvifica, *Luc.* II, 35. cooperta, impleta ac penetrata, imo doloris gladio perforata; eratque tunc in te duplicatus parturientium dolor. Et nisi te omnipotentia Filii tui conservasset, præ doloris vehementia, rupto (ut creditur) corde, mox expirasses; sed reservavit te Filius tuus Ecclesiæ suæ in magnum profectum credentium. Verumtamen in tot tribulationibus atque doloribus, in tantis angustiis ac pressuris, mansisti formosa: quia et hæc tanta compassio et afflictio tua, fuit tibi ipsi ineffabiliter meritoria, et per eam promeruisti facultatem efficaciamque præcipuam succurrendi omnibus nobis. Nempe si Paulo apostolo dicere licuit, *Coloss.* I, 24. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia : quanto plus sacratissimæ Matri Christi hoc dicere fas est? In hoc quoque resplenduit, o felicissima Domina, formositas tua, decor mansuetudinis tuæ, claritas patientiæ tuæ, profundissima tua humilitas, ac tuæ sanctitas caritatis, quod in tota tui unici prædilectissimi Filii amarissima et ignominiosissima passione, nullatenus mota es aliqua indignatione, aversione, impatientia adversus crudelissimos sceleratissimosque tui pretiosissimi Filii persecutores et crucifixores : a quibus et tu reputabaris vilis, iniqua, deformis, *sicut tabernacula Cedar,* videlicet ut impiissimi seductoris mater infelix, quum esses pulchra in anima instar pellium Salomonis, et cœliformi pulchritudine perornata, *Ps.* CIII, 2. assimilata decori veri Pacifici, qui extendit cœlum sicut pellem.

5 *Nolite me considerare quod fusca sim,* id est, considerationi angustiarum et tribulationum mearum non ita sitis intentæ, o filiæ, id est, animæ virtuosæ, ut retrahamini a mearum imitatione virtutum, formidine sustinendi afflictiones atque adversitates; *quia decoloravit me sol,* id est, amore Filii mei (qui est Sol justitiæ) omnia toleravi : cujus et vos debetis vestigia sequi, ac libenter ejus intuitu et amore aliquid sustinere, eique intime condolere, qui dignatus est tot ac tanta pro vestra pati salute.

Filii matris meæ pugnaverunt contra me : id est, sacerdotes et Scribæ ac Pharisæi, filii Synagogæ matris meæ, me acriter persecuti sunt. Siquidem quidquid injuriæ, detractionis, amaritudinis, convitii ac tormenti meo Filio intulerunt, totum intulerunt et mihi : quæ unus spiritus eram cum Unico meo, eumque plus quam me ipsam dilexi, et magis de ejus, quam de propriis persecutionibus affligebar : quoniam innocentia, sanctitas ac dignitas ejus, mihi præ cunctis innotuit. O quam ferociter contra me pugnaverunt, quando tam dilectissimum et incomparabilem Filium, sponsum, consolatorem, mihi tam immanissime abstulerunt! Et sicut Filium meum sanctissimum, ita et me impugnaverunt convitiis et tormentis, invidiæ jaculis, oblocutionum et irrisionum aculeis. *Posuerunt me custodem in vineis :* id est, crudeles impiique Judæi Filium meum pulcherrimum, regem Messiam eis promissum, tam feraliter trucidando, meruerunt finaliter relinqui a Deo, pervenitque super eos ira Dei usque in finem, *I Thess.* II, 16. quia dixerunt : Sanguis ejus super nos et super filios nostros; *Matth.* XXVII, 25. itemque, Non habemus regem nisi Cæsarem. *Joann.* XIX, 15. Idcirco et ego ab eis aversa, vineam Synagogæ deserui, de qua fui, et pro qua eram sollicita; et facta sum custos, advocata, mater et domina vinearum Ecclesiæ ex gentibus congregatæ.

Indica mihi, quem diligit anima mea, 6
ubi pascas, ubi cubes in meridie : id est, tu, præamantissime Fili, Rex gloriæ, da mihi jam interim, quamdiu in hoc sæculo nequam detineor, lucide contemplari, imo de die in diem splendidius intueri, qualiter in throno illo beatitudinis sempiternæ resideas, et in comprehensoribus lucis increatæ quiescas, eosque supersubstantiali tuæ deitatis pane reficias; atque ad gloriosam tuam præsentiam me cito digneris transferre; *ne vagari incipiam post*

Digitized by Google

greges sodalium tuorum, id est, ne inter perfidos istos Judæos diutius perseverem, qui tuam sic persequuntur primitivam Ecclesiam ex Judaismo conversam : cujus persecutio est mihi grandis afflictio. Nempe et tu, o Fili mi, inter eos adhuc con-
Matth. xvii, 16; *Marc.* ix, 18. versans, dixisti : O generatio incredula ! quamdiu inter vos ero? quamdiu patiar vos ? Qui etiam sunt greges tuorum sodalium, id est subditi pontificum, qui se jactant Dei vicarios ac ministros, quum sint pontifices synagogæ Satanæ.

Sed quoniam Dominus et Salvator voluit suam benignissimam Genitricem per aliquot annos post suam ascensionem permanere in terra ad multorum ædificationem, conversionemque Judæorum, sponsus
7 subjungit : *Si ignoras*, id est, quoniam
utique non ignoras *te, o pulchra inter mulieres*, id est, omnium perfectissima fe-
I *Cor.* ii, 12. minarum, quæ non spiritum hujus mundi, sed spiritum qui ex Deo est, accepisti, ut scias quæ a Deo donata sunt tibi. Unde
Luc. i, 48, 49. et in tuo cantico cecinisti : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes : quia fecit mihi magna qui potens est, id est, Omnipotens me suam constituit matrem. Quoniam ergo id nosti et scis, te omni puræ creaturæ prælatam in dignitate; idcirco *egredere et abi post vestigia gregum*, id est, incredulos et aversos Judæos pie considera, et eorum pericula compatienter attende; *et pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum*, id est, carnales et vitiosos Judæos tuis refove orationibus et exemplis, ut salvos facias quosdam ex eis, quatenus per sanctorum Patriarcharum fidem et spiritualem Scripturæ intelligentiam nutriantur ac informentur.

8 *Equitatui meo in curribus Pharaonis*
assimilavi te, amica mea. Hoc, secundum expositiones præhabitas, præclarissime competit Virgini gloriosissimæ : quæ universis angelicis spiritibus facta est dignior, meritis major, mercede felicior; quæ et omnem aeriarum malitiam pote-

A statum prorsus in se ipsa et in aliis multis
auxilio suo devicit. *Pulchræ sunt genæ* 9
tuæ sicut turturis. Virginem, præsertim adolescentulam, condecet pudor. Itaque castus pudor, verecundia sapientialis, non puerilis, erubescentia sancta, non anxia et mundana, sic abundabant in pectore Virginis summæ, quod et in roseo ejus vultu resplenduerunt, ejusque genas corporeas pulcherrime venustabant. Non procax, audax aut garrula, sed taciturna, timorata et verecunda exstitit optima Virgo, instarque
B turturis soli Deo in secreto intentissima fuit. Cujus *collum* fuit *sicut monilia*, id est, altitudo suæ magnanimitatis ac suæ voluntatis libertas, quæ nomine colli significantur, omni humilitate, subjectione, et obedientia ornabantur : ita quod nec magnanimitas ejus immoderate se extulit, nec humilitas ejus se inordinate depressit, nec propria libertate unquam abusa est : imo quo exstitit major, eo vere humi-
lior fuit. *Murænulas aureas faciemus ti-* 10
bi, vermiculatas argento. Per murænulas
C istas intelliguntur gloriosa præconia, quibus in Scriptura commendata est excellentissima Domina : quæ præconia aurea sunt, dum de conceptione, nativitate et educatione Filii Dei ex ea laudatur. Similiter, dum beatitudo ejus et gloria commendatur, seu quando de sua patientia, humilitate, sobrietate magnificatur, præconia ejus vermiculantur argento.

Dum esset rex in accubitu suo, nardus 11
mea dedit odorem suum. Per nardum, herbam spicosam, suaviter redolentem,
D atque naturæ calidæ exsistentem, designatur vel humillima caritas, vel ardentissima humilitas, virtuosorum actuum fructibus plena Virginis admirandæ : quæ nardus tam suavissime coram superexcellentissimo Rege fragravit, quod Regem ipsum in sinu Patris quiescentem oblectavit atque attraxit ad assumendam ex Virgine præelecta naturam humanam. Deinde Rege hoc per incarnationis mysterium in ejus utero novem mensibus commorante, aucta est fecundissimæ Virginis

Digitized by Google

gratia, virtus, devotio, seque latius diffuderunt.

12 *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi; inter ubera mea commorabitur.* Sicut Dominus Jesus Christus fuit suæ dignissimæ Genitrici materia copiosæ lætitiæ, ita et copiosæ tristitiæ. Et quidquid pro humani generis redemptione Filius ejus sustinuit, ipsa per modum fasciculi recollegit, colligavit, et cordi suo firmissime ad recolendum impressit. Et sicut quibusdam Sanctis creditur revelatum, amabilissima Virgo a Filii sui infantia gravissimos frequenter toleravit dolores, inspiciendo amantissimum suum, et manus ejus ac pedes tractando seu intuendo : quia certissime noverat et frequenter considerabat, qualiter Filius suus esset ab impiissimis crudeliter occidendus, perforandus, ac crucifigendus. Ex qua consideratione tantam interdum compassionem et afflictionem incurrit, quod venit quasi ad ecstasim et defectum : et tunc vere dicere potuit, Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi. Verum ex consideratione abundantissimi fructus passionis Filii sui, et ex gloria suæ resurrectionis, ascensionis, ac plenæ victoriæ ejus, tantam consolationem concepit, quod dicere quivit :
13 *Botrus Cypri, dilectus meus mihi.* Ipsa
II Cor. I, 5. utique plenissime habuit dicere : Sicut abundat Christi passio in me, ita per Christum abundat consolatio mea; itemque,
Ps. XCIII, 19. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Ideo autem voluit Christus Matrem suam carissimam sibi in omnibus tam præcordialissime condolere, ut ipsa per hoc copiosius mereretur pro peccatoribus innumerabilibus exaudiri, et secum gloriosius coronari : quia, ut ait
Rom. VIII, 17; II Tim. II, 12; II Cor. I, 7. Apostolus, si compatimur, et conregnabimus; et, sicut socii sumus passionis, ita et consolationis.

Hinc et jam verba bona, verba consolatoria, a Filio proferuntur ad Matrem.
14 *Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra :* quia splendore mundissimæ virginitatis incomparabiliter radians, atque supernaturali fecunditate ac genitura divina præfulgens, corporali decore, omni exteriori moralitate, cunctorum divinorum claritate charismatum coruscans. *Oculi tui columbarum,* id est, columbina ac ovina simplicitate conspicui.

Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus. 15
Non enim pulchritudo immensa infinitaque sanctitas tuæ deitatis, ullam incurrit labem aut minorationem, assumendo ex me carnis substantiam, et in medio uteri mei requiescendo, atque ex me oriendo : imo per hæc tuam pietatem, dignationem, caritatem interminabilem clarius demonstrasti, et in utraque natura tu pulcher es : ut in præinductis jam expositionibus patuit. *Lectulus noster floridus :* id est, cellula uteri mei, in qua per incarnationis mysterium quiescere elegisti, omni flore virginitatis ac fecunditatis altissime decoratur; spiritualisque lectulus noster, videlicet pax interna, conscientia pura, contemplatio sancta, gremium caritatis, floridissimus et inviolabilis jugiter fuit. In eodem quoque materiali lectulo purissima Virgo cum dilectissimo suo sponso, infantulo Jesu Christo, creditur frequenter quievisse, cum interna jucunditate : et certe floridissimus exstitit lectulus ille, in quo duo illi vernantissimi, suavissimi, et incomparabiles flores, Virgo mater et Filius Deus, conquieverunt; ubi genitrix sanctitatis et ipsa sanctitas confluxerunt.

Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. 16
Per domos istas, possunt intelligi corpus virgineum Matris sanctæ, et corpus salvificum Unigeniti ejus; per tigna vero cedrina et laquearia cypressina, varia horum corporum membra, instar cedri ac cypressi odorifera, et ab omni putrefactione et corruptione seu incineratione penitus aliena.
Siquidem caro Christi non vidit corru- Act. II, 31; XIII, 37.
ptionem : nec ambigitur quin Filius ille omnipotens, naturaliter bonus et pius, amantissimam ac fidelissimam Matrem su-

am cum corpore et anima assumpserit in gloriam : ita tamen, quod anima ejus prius per mortem fuit a corpore separata, ac paulo post rursus ei unita. Potest quoque hic locus spiritualiter explanari, intelligendo per domos has, animam Christi, in qua plenitudo divinitatis gratiosissime ac gloriosissime, imo et per unionem hypo- *Coloss.* II, 3. staticam habitavit, in qua thesauri sapientiæ ac scientiæ sunt collecti; et animam Virginis præamandæ, quæ anima cum ineffabili excellentia fuit templum Spiritus Sancti, sedes sapientiæ, domus supernorum charismatum, cella cœlicorum aromatum. Tigna domorum istarum, fuerunt virtutes perfectæ ac eminentes exsistentes in eis; earumque divinissimi actus laquearia nuncupantur.

ARTICULUS VI

EXPOSITIO CAPITULI SECUNDI : EGO FLOS CAMPI ; DE CHRISTO SPONSO ET SPONSA EJUS UNIVERSALI, QUÆ EST ECCLESIA.

LOCUTA est sponsa in fine præcedentis capituli, Lectulus noster floridus :
1 quod approbans sponsus, subjungit, *Ego flos*. Sed quia adjecit, *campi*, videtur insinuare ipsi sponsæ, non solum quiescendum esse in lectulo contemplationis, de quo ipsa jam dixerat, Lectulus noster floridus; sed interdum egredi oportere ad campum actionis. Quasi dicat sponsus : Ego per latitudinem atque planitiem orbis terrarum volo prædicari, et Evangelium meum diffundi : idcirco te primitivam Ecclesiam, et tuos prælatos ac posteros ad prædicandum idoneos, hortor lectulum *Marc.* XVI, 15. contemplationis exire, et prædicare undique Evangelium regni. Sum *et lilium convallium*, id est humilium, qui se ipsos reputant imos et viles, ac ceteris decliviores : quia in talium cordibus figor ac floreo, dulciterque odoro. Vel, Lilium convallium, id est gentilium, in imo infidelitatis ac vitiorum suorum jacentium : quibus sum evangelizandus, quatenus in me credendo, per fidem et caritatem refloreant, et actibus virtuosis redoleant. Denique per campum, qui est planities terræ, cui cultura adhibetur, Origenes intelligit populum Judæorum, qui per Prophetas colebatur, ac legem; per convallem vero, quæ solet esse saxosa atque inculta, gentilitatem. Christus ergo, qui fuit primo flos in populo Judæorum, factus est lilium in plebe gentilium conversorum : quia Judæis ob suam perfidiam derelictis, gratiam conversionis dedit gentilibus.

Insuper Christus recte flos appellatur : primo, ob suam teneritudinem; secundo, ob immarcescibilem sui cordis floritionem, in omni sapientia et virtute, in omni opere bono et fructu copiosissimo, quo genus reparavit humanum; tertio, propter suæ sanctitatis odorem et famæ fragrantiam; quarto, quoniam pulcher adspectu et delectabilis ad contemplandum, ac pulchrior ceteris, sicut flos graminibus. Dicitur quoque convenienter, flos campi : quoniam sicut in campo flos oritur sine defossione et cultura humana, ex fecundatione primordiali et influxu cœlesti; sic ex præstantissima Virgine natus est Christus absque seminatione virili. De quo Isaias prædixit : Ascendet sicut virgultum, *Is.* LIII, 2.
et sicut radix de terra sitienti; itemque, Egredietur virga de radice Jesse, et flos *Ibid.* XI, 1.
de radice ejus ascendet. Porro, secundum Gregorium, Christus flos nominatur : quoniam spinas vitiorum exterminando, mentem sponsæ ornat decore justitiæ; et

Digitized by Google

naribus cordis dum cœleste desiderium
applicat, quasi bono odore interiora ani-
mæ refocillat. Secundum Anselmum, Chri-
stus flos dicitur : quoniam sicut flos spem
fructus promittit, sic Christus omnibus in
ipso sperantibus est spes gloriæ. Qui etiam
lilium dictus est : quoniam sicut lilium
pulchrum est visu et delectabile odore at-
que adspectu, ac suo odore longe positos
reficit, et candorem foris demonstrat, sic-
que paulatim aureum colorem intus la-
tentem pandit forinsecus ; sic Dominus
Jesus ineffabiliter pulcher ac dulcis, pere-
grinantes in isto exsilio desiderio reficit
sui amoris, et natus in mundo, primo ap-
paruit homo sublimis, ac tempore proce-
dente cognitus est verus exsistere Deus.

Postremo, per florem campi, lilium-
que convallium, quidam intelligunt ipsam
sponsam sive Ecclesiam in terra hac pere-
grinantem, virtutibus floridam, conversa-
tione suavem, humilitate prostratam, ac
fama fragrantem.

2 *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea
inter filias :* id est, quemadmodum lilium
spinis multipliciter eminet pulchritudine
et odore ac aliis, et tamen inter eas ex-
oritur : ita et Ecclesia, sponsa mea caris-
sima, ceteris antefertur gentibus splende-
re virtutum, pulchritudine meritorum, et
fructificatione in aliorum conversione; et
tamen inter perfidas nationes in isto sæ-
culo conversatur, impiorumque persecu-
tione, oblocutione, invidia pungitur velut
Joann. xvi, 33. spinis : sicut Christus prædixit, In mundo
Matth. x, 16. pressuram habebitis; et iterum, Ecce ego
mitto vos sicut oves in medio luporum.
Hinc ad Philippenses scripsit Apostolus :
Philipp. ii, 15, 16. Sitis sine querela, simplices filii Dei, sine
reprehensione, in medio nationis pravæ
atque perversæ, inter quos lucetis sicut
luminaria mundi, verbum vitæ continen-
tes. At vero nomine filiæ seu filiarum,
solent ad litteram in Scripturis gentes seu
Is. xlvii, 1. populi significari : juxta illud Isaiæ, De-
scende, sede in pulvere, filia Babylon; et
Zach. ix, 9. Zachariæ, Exsulta satis, filia Sion. In Thre-
Thren. iv, 21. nis quoque legitur : Gaude, filia Edom.

A Possunt quoque per filias, ecclesiæ hæ-
reticorum designari : quæ potius dici
merentur prostibula dæmonum, quam ec-
clesiæ; nec vocantur Ecclesiæ absolute,
sed cum additamento diminuente. Catholici
autem hæreticorum argumentationibus, de-
tractionibus, persecutionibus multipliciter
sunt gravati.

Sicut malus inter ligna silvarum, sic 3
dilectus meus inter filios. Malus adjective,
idem est quod non bonus ; substantive
vero significat lignum, cui velum navis
B appenditur, et etiam arborem quamdam
silvestrem, cujus pomum vocatur malum.
Itaque sensus est : Sicut arbor illa silve-
stris, quæ dicitur malus, ceteris arboribus
silvestribus, quæ communiter infructuosæ
sunt, præfulget et antefertur visu, odore,
fructu, et gustu; sic sponsus cœlestis Do-
minus Jesus Christus, universis filiis ho-
minum præeminet omni pulchritudine et
odore virtutum, fructu operum ac doctri-
næ, gustu consolationis et refectionis in-
ternæ : cujus comparatione alii sunt quasi
C ligna silvestria, ex se ipsis sterilia, sed
per gratiam ejus fecunda, secundum quod
dixit eisdem : Sine me nihil potestis fa- Joann. xv, 5.
cere. Et denuo : Ego sum vitis vera, vos Ibid. 1, 5, 4.
palmites. Sicut palmes non potest ferre
fructum a semetipso, nisi manserit in vi-
te; sic nec vos, nisi in me manseritis.

*Sub umbra illius quem desiderabam,
sedi.* Ecclesia in hac vita quiescit et vivit
sub umbra sponsi, id est gratiosa prote-
ctione, instructione, et illuminatione ip-
sius : qui respectu beatificæ visionis et lu-
D minis gloriæ, melius dicitur umbra quam
lux, dicente Apostolo : Videmus nunc per
speculum in ænigmate, tunc autem facie
ad faciem. De hac umbra sponsus promi-
sit Ecclesiæ, dicens : Non relinquam vos Ibid. xiv, 18.
orphanos; et rursus, Ecce ego vobiscum Matth. xxviii, 20.
sum omnibus diebus usque ad consumma-
tionem sæculi. Unde et in libro Sapientiæ
legitur : Dextera sua teget eos, et brachio Sap. v, 17.
suo defendet illos. Pro qua defensione
oravit Propheta : Sub umbra, inquit, ala- Ps. xvi, 8.
rum tuarum protege me. De qua re locu-

Digitized by Google

Thren. iv, 20. tus est Jeremias : Spiritus oris nostri, A Christus Dominus, cui diximus, In umbra tua vivemus inter gentes. Sine hac umbra vivere non valemus in gratia. Hanc igitur umbram cupit Ecclesia ; imo plus cupit ipsum sponsum, et clarum facialemque ejus intuitum : a quo quoniam interim elongatur et distat dissimilitudine, appetit eum contemplari in fide per donum sapientiæ, atque ab omnium visibilium et invisibilium impugnationibus hostium, pietate ipsius defendi, angelica ope muniri, ecclesiasticis sacramentis et prælatorum B custodiis adjuvari. Nec fraudatur spe sua, sicut subjungitur.

Et fructus ejus dulcis gutturi meo : id est, refectio sua, qua modo me alit per divinorum infusionem charismatum, per spem et contemplationem futurorum bonorum, per sacra eloquia, per sacramentorum edulia, per quotidianum profectum ac aliis modis, est mihi valde suavis : ita quod æquanimius dilationem gloriosæ præsentiæ suæ sustineo : sicut testatur Pro- Ps. cxviii, 103. pheta, Quam dulcia faucibus meis eloquia C Ps. xviii, 11. tua ! Et iterum, Dulciora (inquit) super mel et favum. Hinc alibi sponsus loqui- Joann. iv, 13, 14. tur : Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et Matth. xi, 28. rursus : Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hinc quoque in Actibus Apostolorum nar- Act. ii, 46. ratur de primitiva Ecclesia : Sumebant cibum cum exsultatione et simplicitate cordis. Præterea, quam copiose et delicate reficiatur a sponso, subinfert : D

4 *Introduxit me rex in cellam vinariam,* id est in spiritualium alimentorum exuberantiam, in sacram Scripturam, et in veram ac spiritualem ejus intelligentiam, quæ sobrie inebriat mentem, in sacram communionem, qua sub speciebus panis et vini ipsemet sponsus vere incomprehensibiliterque accipitur. Introduxit me quoque in cœlestis patriæ deliciosissimam mansionem, dando mihi aliquantulam tantæ gloriæ prælibationem, et certam ipsius spem atque notitiam amorosam ac refectivam. Specialissime vero introducta fuit primitiva Ecclesia in cellam vinariam, quando in die sacro Pentecostes in cœnaculo illo, in quo Christus Cœnam suam Luc. xxii, 12. celebravit novissimam, Spiritum Sanctum Act. ii, 1-4. accepit in igneis linguis : et tanta illius plenitudine fuit potata, quod sponsum suum cum omni fiducia evangelizare incepit, in tanto fervore, quod increduli irridendo dixerunt : Musto pleni sunt isti. Ibid. 13.

Ordinavit in me caritatem, id est, præordinavit ab æterno diligere me per eximios ac præcipuos caritatis effectus, sicut jam mihi multipliciter demonstravit, personaliterque testatus est : Majorem, in- Joann. xv, 13. quiens, caritatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; et denuo, Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi Ibid. 9. vos. Imo et ipse prior dilexit me. Ordina- I Joann. iv, 10. vit quoque in me caritatem, id est, præcepit mihi ut quidquid ego fecero, toleravero, habuero, ponam sub ordine divini amoris, id est, ad caritatem Dei tanquam ad summam virtutem ordinem semper ac referam; nec aliquid agam, nisi sit ordinabile ad Deitatis amorem, id est, nisi sit tale, quod per ipsum queam in caritate proficere. Iterum, Ordinavit in me caritatem, id est, non solum præstitit mihi ipsum habitum caritatis, sed et per gratiam specialem mihi donavit ordinatum usum seu actum caritatis : ut scilicet id prius ac maxime diligam, quod primo et maxime est amandum, videlicet ipsum Deum, deinde creata sub ipso ordine congruente : quia et ordo caritatis cadit sub præcepto, ut homo in primis summe et incomparabiliter toto corde diligat Deum, deinde se ipsum, tertio loco parentes, deinceps propriam sobolem, quinto domesticos et propinquos ac benefactores : qui omnes nomine proximi designantur, sub quo etiam nomine, Beati in patria intelliguntur, imo et in purgatorio exsistentes.

Circa hoc loquitur Origenes : Omnes homines amant aliquid, et nullus est qui ad id ætatis venerit ut possit amare, et

Digitized by Google

non aliquid amet : sed hic amor seu caritas, in aliquibus suo ordine congruenter procedit; in plurimis vero contra ordinem, dum scilicet aliquid diligit, quod non debet, aut quod debet diligit, sed plus aut minus justo. In illis vero, quos valde paucos arbitror esse, qui scilicet per viam vitæ incedunt, et non declinant ad dexteram aut sinistram, in ipsis solis ordinata est caritas. Est autem mensura et ordo caritatis, ut in dilectione Dei nullus modus, nulla mensura sit, nisi hæc sola, ut totum exhibeas quantum habes. In dilectione autem proximi, aliqua est men-
Matth. xxii, 39. sura. Diliges, inquit, proximum tuum sicut te ipsum. Si ergo in dilectione Dei minus aliquid feceris quam potes, aut certe inter te et proximum non servaveris æquitatem; non est in te caritas ordinata, nec ordinem suum tenens. Nam si, ut ait Apo-
Rom. xii, 5. stolus, sumus alterutrum membra, hunc affectum erga proximum habere debemus, ut eos non quasi aliena corpora, sed ut membra nostra diligamus. Secundum hoc ergo, quod membra invicem sumus, æqualem erga omnes dilectionem habere debemus; secundum hoc vero, quod sunt in corpore aliqua membra honorabiliora et honestiora, alia vero inhonestiora et inferiora, pro membrorum meritis et honore librari debet modus dilectionis. Unde magis est diligendus, qui in via salutis nos instruit, et a peccati præcipitio ad lucem revocat veritatis, sicut ait Apostolus:
I *Thess.* v, 13. Abundantius habeatis in caritate eos qui in Dei verbo laborant. Similiter qui gratiam instruendi non habet, sed tamen innocentis et justæ est conversationis, magis amandus est eo qui impie conversatur. Et hanc materiam prolixe et pulchre declarat atque prosequitur Origenes.

Insuper Antisiodorensis in tertia parte suæ Summæ inquirit : Quis ordo observandus est in dilectione? Ad quod respondet : Ambrosius dicit : Primo debemus diligere Deum; secundo, nos ipsos; tertio, parentes; quarto, filios; quinto, domesticos; sexto, extraneos, qui si boni sunt, præponendi sunt filiis atque domesticis malis ; septimo et ultimo, inimicos. Et dicimus, quod nullus est diligendus, nisi quia bonus, vel ut sit bonus; et qui magis est bonus, magis est diligendus, ceteris circumstantiis paribus. Etenim quem scimus meliorem, debemus magis diligere, id est majus bonum ei velle; non tamen oportet ut diligamus eum magis, id est majori affectu. Nam tribus modis dicitur aliquid plus amari : primo, ad majus præmium sive ad gratiam ampliorem; secundo, majori affectu; tertio, quoad majorem exhibitionem exteriorem. Hæc Antisiodorensis : qui loco præallegato alia multa de hac materia scribit. De qua etiam Thomas in secunda secundæ per plures quæstiones scribit plenissime.

Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Universalis Ecclesia ex persona perfectorum, qui ex caritatis vehementia languent, hæc ait ad sponsi sodales, paranymphos, amicos, videlicet angelos sanctos, sive prælatos, et contemplativos ac prædicatores. Quemadmodum autem sponsa carnalis præ desiderio sponsi languescens et afflicta de illius absentia, floribus recreatur et pomis, suavi odore ac dulci sapore; ita Ecclesia perfectorum ex ferventissimæ dilectionis impetu sauciata, eo quod cupitis ac incessabilibus sui superpulcherrimi ac supernobilissimi sponsi amplexibus nequeat in vita hac frui, profert hæc verba. Quamvis enim amor faciat in dilecto lætari; tamen ob dilecti absentiam, facit tristari atque affligi : et cruciatus hujusmodi nominatur hic languor. Denique, sicut carnalis amor prædominans, qui amor ἔρως appellatur, corpori infirmitatem inducit (quia ad amorem talem consequitur transmutatio corporalis excessiva discrucians, et inquietudo imaginationis, ex quibus fit homo ad refectionem somnumque impotens); sic spiritualis amor perfectus ecstaticus parit redundantiam grandem in corpus partemque sensitivam, quia appetitus superior movet, immutat, et post se trahit appeti-

Digitized by Google

tum inferiorem, quemadmodum sphæra cœlestis superior inferiorem : ex qua redundantia, sicut ex prænominata, fit indispositio corporalis naturæ, et alteratio harmoniæ immoderata ac innaturalis, ut præcipue patet in raptu, ad quem gravis concômitatur afflictio, præcipue in reditu
Dan. VIII, 27. ad se. Unde in Daniele legitur : Langui (inquit) post visionem. Ezechiel quoque
Ezech. XLIV, 4. ait : Vidi; et cecidi in faciem meam. Et
Is. XXI, 3, 4. Isaias : Corrui, quum audirem ; conturbatus sum, quum viderem; emarcuit cor meum.

Taliter ergo spirituali ac sincerissimo languens amore Ecclesia, dicit ac deprecatur : *Fulcite me floribus,* id est, replete et expolite me contemplationibus sponsi mei consolatoriis, claris ac dulcibus; *stipate me malis,* id est, circumdate et vallate me internis refectionibus ex prælibatione futuræ salutis : quatenus totaliter recreata, vires resumam, et gloriæ dilationem, beatificique adspectus sponsi absentiam æquanimius feram. Insuper, Fulcite me floribus, id est reformationibus membrorum ac filiorum meorum, ut videam eos per gratiam reflorere, quos vidi in peccatis marcescere; stipate me malis, id est quotidianis profectibus, quibus tanquam odoriferis saporosisque pomis reficiar (malum quippe nunc pro pomo accipitur arboris mali) : sicque ex intuitu profectus mei et conversionis ac reformationis filiorum meorum, hujus incolatum exsilii sustineam patienter. Nam et Apo-
Philipp. I, 24. stolus dixit : Permanere autem in carne, necessarium propter vos.

Denique audiens sponsus piam hanc Ecclesiæ querimoniam atque petitionem, misertus ejusdem, statim subvenit, et consolatus est eam, prout ipsa fatetur, sub-
6 dendo : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Per lævam seu sinistram sponsi, significatur gratiosa consolatio, ac præsentia ejus per fidem et dona spiritualia in hac vita, per virtutes infusas, per sacramenta et prægustationem futuræ beatitudinis : per quæ

A omnia sponsus consolatur, sustentat, confortat Ecclesiam, sicut oravit Apostolus : Deus spei vos repleat omni gaudio in cre- Rom. XV, 13.
dendo, ut abundetis in virtute et gratia Spiritus Sancti. Hanc lævam tenet sponsus sub capite sponsæ, id est sub ratione et mente ipsius, illuminando, exhilarando, roborando eam per ista. Juxta hunc modum Psalmista loquitur de electo : Quum Ps. XXXVI, 24.
ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Porro per dexteram sponsi insinuatur gloriosa manifesta-
B tio ejus per speciem, qua Ecclesiam militantem finito vitæ hujus curriculo totaliter rapit in se, jucundissime amplexatur, et triumphantis Ecclesiæ societati eam innectit : sicut sponsus promisit Ecclesiæ, Ego, Luc. XXII, 29.
inquiens, dispono vobis regnum; et rursus : Pater, volo ut ubi ego sum, et illi Joann. XVII, 24.
sint mecum, ut videant claritatem quam dedisti mihi. Itemque : Vado vobis parare Ibid. XIV, 2, 3; XVI, 22.
locum; et iterum veniam, et assumam vos ad me ipsum; et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

C Præterea pius amorosusque sponsus conspiciens Ecclesiam caritate tam languidam, atque ex sua consolatione paululum repausantem, pro ea non inquietanda sollicitus est, sicut subjungitur in ejus per-
sona : *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,* id est, 7
o ecclesiasticæ personæ seu animæ adhuc fragiles et proclives ad culpas, *per capreas cervosque camporum,* id est per vestros primos prælatos, sanctos Apostolos et apostolicos viros, seu per Prophetas et Patriarchas : qui omnes per capreas desi-
D gnantur ac cervos, quoniam interioris visus acumine vigent, et virtutum montana contemplationisque alta conscendunt, in quibus pascua animarum suarum requirunt, quemadmodum capreæ cernunt valde acute, et pascendo scandunt ad montes; ac instar cervorum agiles sunt ad actus virtutum, et juvant se invicem; et sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, Ps. XLI, 2.
ita ad fontem adspirant ac sitiunt vitæ æternæ. Quemadmodum autem jurare Deo non competit, proprie loquendo, nisi per

Digitized by Google

Hebr. VI, 13. semetipsum, sicut ad Hebræos docet Apostolus, ita non competit ei proprie adjurare, nisi per se. Idcirco per cervos capreasque adjurat, in quantum aliquid divinæ perfectionis et auctoritatis in ipsis relucet. Amplius, propter proprietates quasdam irrationabilium animalium, solent homines per talia designari, prout in libro Geneseos Jacob sanctus dixisse narratur : *Gen.* XLIX, 9, 21, 14, 17, 17. Catulus leonis, Juda; Nephthali, cervus emissus; Issachar, asinus fortis; fiat Dan coluber in via, cerastes in semita; Benjamin, lupus rapax. Sicque Isaias, de Achaz *Is.* XIV, 29. et Ezechia loquens : De radice, inquit, colubri egredietur regulus, et semen ejus absorbens volucrem.

Itaque, Adjuro vos, id est, per jurationem prohibeo, *ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam,* id est, ne sponsam meam Ecclesiam, utpote perfectiores et superiores in ea, inquietetis, perturbetis, seu a tranquillitate suæ contemplationis et recollectionis in Deo impediatis aut abstrahatis, implicando eam exterioribus curis, mundanis negotiis, activæ occupationibus vitæ; et ne inter vos sitis contentiosi, aut alio modo graviter offendatis, propter quod ipsa cogatur interrumpere suæ contemplationis quietem, et circa vestram pacificationem, correctionem, refrenationem sollicitari ac distrahi; *quoadusque ipsa velit,* id est, quousque ipsa rationabiliter et sponte consentiat suscitari ac taliter occupari, videlicet tempore opportuno : quia interdum vult ipsa propter commune bonum forinsecus evocari, et opera pastoralis exercere officii, dum præcepto aut legitima electione, seu rationabili ad hoc compellitur causa. Nam et *I Cor.* VI, 4. Apostolus scripsit : Judicia si habetis inter vos, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum; et *Ibid.* X, 33. rursus, Non quæro quod mihi utile est, sed quod multis.

Circa hæc scribit Anselmus : Virtutes quas inhianter desiderare debetis, sine quibus nemo potest ad vitam pervenire æternam, in capreis ac cervis naturaliter A considerantur. Caprea namque acumine oculorum suorum herbas sibi utiles a nocivis discernit, eligit, comedit, et in suum trajicit ventrem. Pascendo quoque tendit ad montium altiora. Quod si fuerit sauciata, herbam quamdam dictamnum nomine quærit, et ejus tactu ferro expulso cum ipsa putredine, recuperat sanitatem. Sic sancti viri acumine sui ingenii, ope Spiritus Sancti salubres sententias a falsis discernunt et amplectuntur; atque se ipsos ac alios spiritualiter nutriendo, ad subli- B mitatem virtutum altitudinemque regni cœlestis toto conatu festinant. Si autem sagitta diaboli fuerint vulnerati, Christum tanquam dictamnum requirunt, et per pœnitentiam curari nituntur. Porro cervi has virtutes naturaliter habere dicuntur, quod tempore sui amoris optima pascua inquirentes, regionem suam relinquunt, alienam introeunt : et hoc, noctu, quia in die videri et capi verentur. Quod si magna aqua eis occurrerit transvadanda, sese vicarie devehunt : ita ut primus ac fortior, C super clunes suas portet caput sequentis, secundus itidem caput tertii, et ita usque ad ultimum; ultimus autem qui portatur nec portat, succedit in locum prioris, qui portat et non portatur : sicque dictante naturali amore, alter juvatur ab altero, quousque, quo pergunt, perveniant. Similiter sancti viri amore Christi ferventes, dum vitæ pascua quærunt, et per mare sæculi hujus transire habent, caritative juvant se mutuo, quousque ad concupitam cœlestis patriæ deveniant mansionem. In- D super fertur, quod si cervi obstacula quædam in via reperiant, quando a canibus insectantur, transiliunt ea, aut reflexis cornibus frangunt; sicque a canum morsibus se tuentur. Sic sancti viri per fidem et operationem, seu per duo caritatis præcepta, a dæmonum insectatione se muniunt. Legitur etiam, quod cervus caligantibus sibi præ senio oculis, manducat serpentem : quo æstuans, currit ad fontem; et eo potatus, vomit venenum, recuperat visum, ac superflua quæque depo-

Digitized by Google

nens, quodammodo reviviscit. Sic electi, si forte ex tentatione diaboli, per consensum aut effectum illicitum in se serpentem receperint infernalem, ad fontem pietatis divinæ per pœnitentiam currunt, in quo, a suis loti inquinamentis, illustrantur ac reviviscunt.

Præterea dicuntur capreæ et cervi *camporum,* quoniam sancti Apostoli et apostolici viri, per spatia orbis terrarum ad evangelizandum undique cucurrerunt, et in locis diversis quasi in campis magna habuerunt certamina, omnique virtute ac meritis tanquam camporum floribus se ornarunt; atque ab hominibus aliquando secedentes, in secretis et solitariis locis quasi in campis Deo vacantes, ibi meditabantur et hauriebant a Domino, quod postea sermocinati sunt populo.

Præterea præinductam sponsi adjurationem zelo sponsæ ad subditos inferioresque
factam, sponsa cognovit et valde gratanter
8 accepit. Unde subjungitur : *Vox dilecti
mei.* Quasi dicat Ecclesia : Adjuratio illa a sponso processit, qui in tantum me diligit, tamque libenter in meis amplexibus, in contemplationis lectulo requiescit, quod prohibuit me suscitari quousque egomet vellem. Et quasi quæreretur a sponsa, Ubi est dilectus tuus? qualiter venit ad te? et ubi eum poterimus reperire? respondet : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles :* id est, per Incarnationis mysterium venit in mundum a summo cœlo egrediens, de cœlis descendens, in ordinibus angelorum velocissime operans, per carnis propagationem a Patriarchis prosiliens. Venit quoque in montibus saliens, id est perfectissimas virtutum actiones exercens, præclarissima miracula copiosissime faciens, incomprehensibilia mysteria implens : quia divinam naturam cum humana in unitate personæ conjunxit, de Virgine natus est, inter homines vixit, qui Deus est et conditor angelorum : sicque transiliit colles, quia a Prophetarum oraculis usque ad Apostolos se deduxit, omniumque virtutes atque prodigia

Ps. xviii, 7.

A sua omnipotentia ac perfectione transcendit; sed et superbos Judæorum pontifices, Scribas ac Pharisæos ac seniores in suis dignitatibus, scientiis et officiis gloriantes relinquendo transiliit, et ad Ecclesiam ex gentilitate electam descendit. Denique saliens venit, quia de sinu Patris venit in uterum Virginis, de utero Virginis in præsepe, de præsepio in templum; deinde vectus est in Ægyptum, ac inde relatus, inter homines est conversatus; post hæc ascendit in crucem, inde descendit in mo- B numentum atque in limbum, inde resurgens apparuit suis discipulis; tandem coram ipsis scandit in cœlum, rediitque ad Patrem, a cujus sinu, corde et intellectu invariabilis ac immensus nunquam recessit.

Consequenter sponsa exponit, qualiter
suo dilecto conveniat salire in montibus,
collesque transilire. *Similis est dilectus* 9
meus capreæ hinnuloque cervorum. Hinnulus est filius cervi ac cervæ. De proprietatibus autem capreæ ac cervi, jam C dictum est. Christus itaque capreæ comparatur, quia et ipse præ cunctis acutissimo viget intuitu oculi intellectualis; et sicut caprea visu suo clarissimo herbam sibi utilem a nociva discernit, sic Christus justos discernit et separat ab iniquis. Et sicut caprea in locis montanis magnos saltus exercet atque celeriter currit; sic juxta expositionem jam introductam, Christus venit saliens in montibus, et transiliens colles. Unde assimilatur et hinnulo velocissime cursitanti ac salienti, et mon- D tium juga petenti, ac commoranti in arduis : qui et secundum carnem ex Patriarchis est natus. Patriarchæ autem et sancti viri, sicut jam patuit, cervi vocantur. Velocitas demum capreæ, secundo volumine Regum insinuatur, quo legitur : Asael frater Joab velocissimus cursor fuit, quasi unus ex capreis. Sed et propter teneritudinem suæ complexionis, Christus hinnulus nuncupatur.

II Reg. ii, 18.

En ipse stat post parietem nostrum, id est, multum approximavit nobis, ita quod

Digitized by Google

inter ipsum et nos non videtur mediare A
nisi paries noster, id est nostræ mortali-
tatis conditio, qua ab ejus claro impedi-
II Cor. v, 6. mur intuitu, et a beatifico visu : quia dum
sumus in corpore, peregrinamur a Domi-
Sap. ix, 15. no, et corpus hoc corruptibile aggravat
animam. Stat quoque post parietem no-
strum, id est caliginosum interstitium, quod
inter statum viatorum Beatorumque me-
diat : quoniam ignorantia atque obscuri-
tas nostræ cognitionis dividit inter ipsum
et nos. Item stat post parietem nostrum,
quoniam concupiscentiæ et opera carnis B
passionesque sensitivæ partis impediunt
nos ab ipso : quibus sublatis seu refor-
matis, mox ad nos plene ac splendide
introibit. Stat demum post parietem no-
strum, id est, in nostra humanitate, quam
assumpsit, nobis apparet, et tamen in ea
nobis suam deitatem celavit. *Respiciens
per fenestras,* id est per assumpti corpo-
ris sensus, et per documenta atque mira-
cula, per quæ tanquam per fenestras nos
illustrare dignatus est ; vel, Per fenestras,
id est per sanctos Apostolos, et alios præ- C
dicatores pastoresque sanctos, per quos
discutit, investigat ac edocet subditos ;
prospiciens per cancellos, id est per secre-
tas inspirationes, per arduas vias internæ
exercitationis, allocutionesque abditas, jux-
Job iv, 12. ta illud Job : Quasi furtive suscepit auris
mea venas susurrii ejus. Prospicit quoque
per fenestras, id est per directiones præ-
ceptorum, et per cancellos, id est per
suggestiones evangelicorum consiliorum.
Postremo fenestræ et cancelli, per quos
inspicit sponsam, sunt præparationes ac D
desideria cordis, quibus se ad sponsi sus-
ceptionem disponit, et ingressui ejus se
aperit.
10 *En dilectus meus loquitur mihi : Sur-
ge,* id est, de quiete et actu contemplati-
onis ad exercitia vitæ activæ procede, et
de secreto ad publicum, *propera* per ca-
ritatis fervorem et obedientiæ prompti-
tudinem, hoc ipsum festinanter implen-
do, o *amica mea* per mutuam caritatis
affectionem, *columba mea,* quæ ornaris
virtutibus, per proprietates columbæ si-
gnificatis, utpote verecunda, simplex, man-
sueta, non fellea nec invidiosa, *formosa
mea,* id est, plena decore virtutum, dono-
rum ac meritorum ; *et veni,* jam repetitis
vicibus invitata, et tam multis amorosis
expressa nominibus, ex quibus merito ca-
ritas tua ad me magis accenditur.
Jam enim hiems transiit : id est, tempus 11
infidelitatis, seu rigidæ observationis le-
gis, finem accepit ; *imber,* id est abundan-
tia tribulationis, *abiit et recessit.* De quo
imbre in Evangelio legitur : Descendit plu- Matth. vii,
via, et venerunt flumina, et flaverunt 27.
venti, et irruerunt in domum illam ; et
cecidit, et fuit ruina ejus magna. *Flores* 12
apparuerunt in terra nostra : id est, bonæ
dispositiones et inchoationes ad actus vir-
tutum in hominibus inveniuntur : sicut
Salvator dixit Apostolis, Videte regiones, Joann. iv,
quia jam albæ sunt ad messem. In flore 35.
enim spes atque initium fructus inveniun-
tur. *Tempus putationis advenit :* id est, in-
choatum nunc est tempus ab æterno præ-
ordinatum conversioni gentilium, in quo
ipsæ gentes incredulæ et iniquæ sunt spi-
ritualiter circumcidendæ, amputando ab
eis passiones et vitia, omnemque perfi-
diam, sicut a vinea absciduntur sarmenta
sterilia. *Vox turturis audita est in terra
nostra :* id est, electa pars plebis gentilis,
desiderium veræ salutis ac conversionis
cœpit habere, cœpitque se ad gratiam præ-
parare, præventa pie a Domino, vel ex
angelica inspiratione, aut ex fama et ali-
qua auditione legis Mosaicæ. Nam et ipso
Christo in terris evangelizante, multi gen- Matth. iv,
tilium confluxerunt ad eum ex Decapoli 25; Marc.
et Syria, Tyro, Sidone, et aliis locis : ut iii, 8.
ex Evangelio probatur. Atque ex Actibus
patet Apostolorum, quod eunuchus potens Act. viii,
Candacis reginæ, venit in Jerusalem ado- 27, 28.
rare, legitque Isaiam prophetam. *Ficus* 13
protulit grossos suos : id est, Synagoga
(quæ fuit aliquando arbor fici fecunda)
jam protulit sensus suos carnales, quibus
litteram sequitur occidentem, observan- II Cor. iii,
tiamque legalem in cærimonialibus : in 6.

Digitized by Google

quibus ponit spem suam, magis quam in fide et gratia Salvatoris; et putat per talia mihi placere sine interiori sinceritate ac devotione, quum talia nunquam placuerint mihi ex parte operis operati, sed operis operantis. Ficus ergo accipitur hic pro arbore fici; et grossi fici, proprie nuncupantur fructus immaturi, ineptique esui. *Vineæ florentes dederunt odorem suum:* id est, electæ congregationes ex Judaismo, conversæ seu convertendæ, et crediturae aut credentes in me, per virtuosæ suæ conversationis dulcedinem me attraxerunt ad exaudiendum preces earum, ut per earum ministerium ac doctrinam incipiam gentiles convertere.

Hoc totum est, quod in Actibus Apostolorum asserit Paulus [Act. xvii, 30.]: Tempora prioris ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat omnibus hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant. Juxta quem modum ait Psalmista ad Dominum [Ps. ci, 14.]: Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. Unde rursus testatur Apostolus [Galat. iv, 4.]: Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum; itemque [II Cor. vi, 2.], Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Hinc in Actibus princeps apostolici chori fatetur [Act. iii, 24.]: Omnes Prophetæ a Samuel et deinceps annuntiaverunt dies istos.

Itaque per prædicta videtur Christus primitivam exhortari Ecclesiam ad convertendum gentilitatem, atque ad laborandum pro proximorum salute per vitiorum amputationem et virtutum insertionem. Unde adhuc admonetur: *Surge, amica mea, sponsa mea, et veni* ad exsequendum actus præfatos: et per hanc tam frequentem ejusdem exhortationis reiterationem insinuare videtur, quod primitiva Ecclesia ex Judæis collecta, erat multum difficilis ad relinquendum Synagogam, ut gentilibus prædicaret. Nam multis annis post Christi ascensionem manserunt Apostoli in Judæa; et quum princeps Apostolorum convertit Cornelium centurionem ac suos [Ibid. x.], disceptabant adversus eum quidam ex Judæis conversi, dicentes [Act. xi, 3.]: Quare introisti ad viros præputium habentes? Paulus quoque et Barnabas, ut constat in Actibus [Ibid. xiii, 5, 14 et seq.; xiv, 1 et seq., etc.], diu hinc inde pergebant, prædicantes solis Judæis. Hinc sponsus tam amorose, blande, dulciter et frequenter primitivam Ecclesiam ad gentium conversionem exhortans, ait:

Columba mea per puram et simplicem 14
intentionem, *in foraminibus petræ,* id est habitans in firmissimis munimentis fidei et virtutum, et in profundo humilitatis, *in caverna maceriæ,* id est in abscondito protectionis divinæ, quæ est ipsis credentibus murus ac paries contra adversarios suæ salutis. Denique per foramina petræ, valde convenienter intelliguntur vulnera Salvatoris, de quo sanctus ait Apostolus [I Cor. x, 4.]: Petra autem erat Christus. Et ipsemet Dominus [Matth. xvi, 18.]: Super hanc petram, id est super me ipsum, quem tu, o Petre, confessus es, ædificabo Ecclesiam meam. Per cavernam demum maceriæ, aptissime designatur vulnus dominici lateris. In quibus vulneribus ac caverna sponsa moratur, dum dominicam passionem devote, compassive, ac sapientialiter meditatur, ejusque meritis ac virtuti innititur, ac fructum vulnerum horum sacratissimorum perpendens, in eis suam figit fiduciam, in eis omnem suam adversitatem dulcorat, in contemplatione eorum patientiam discit, et universam sponsi passionem cordi suo inscribit: quod assidue faciendo fit sponso carissima.

Ostende mihi faciem tuam: id est, stude ac satage te ipsam mihi puram et irreprehensibilem exhibere, et coram me effunde cor tuum sincere [Ps. lxi, 9.], nec in confessione sacramentali quidquam culpæ occultes. Ostende mihi faciem tuam, id est, mentem tuam converte ad me, et pura intentione coram me ambula, sicut dixi ad Abraham, Ambula coram me, et esto perfectus [Gen. xvii, 1.]; et imple quod scriptum est [Ps. xxvi, 8.]: Tibi dixit cor meum, Exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Per promptam quoque obedientiam ostende mihi faciem

Digitized by Google

tuam ; et quia te diligo, faciem tuam speciosam intueri delector. *Sonet vox tua in auribus meis :* id est, verba mihi placentia loquere, tamque sonore, sapienter, ac dulciter evangelicam legem sermocinare, et infideles converte, ut acceptum sit mihi ; subditis quoque credentibus efficaciter prædica, imo et orationibus, psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus tam ferventer, pure, stabiliterque insiste, ut mihi sit gratum. *Vox enim tua dulcis :* id est, prædicatio, oratio, psalmodia, locutio tua est virtuosa, delectabilis, et accepta. Nam et ea, quæ dicis, agis; quæ doces, adimples; et quidquid prædicas, ad meum spectat honorem hominumque salutem. *Et facies tua decora :* id est, mens tua, quæ est interior facies, per dona gratiæ, per sapientiam et virtutes est reformata ac decorata, et ad intuendum jucunda : ideo noli hanc per aliquam inobedientiam inquinare.

Ephes. v, 19.

Consequenter Christus committit prælatis et prædicatoribus sanctis :
15 *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas :* id est, ad meum honorem ac vestram salutem, apprehendite, convincite, reprobate, auferte hæreticos, schismaticos, falsosque fratres, et omnes animarum deceptores, simulatores ac callidos : qui particulares Ecclesias et congregationes devotas nituntur subvertere, plurimosque decipiunt, fingendo se mortuos huic mundo, et rigorosam vitam forinsecus prætendendo : quemadmodum vulpes famelica fingit se mortuam, et tanquam cadaver neglectum projicit se seorsum, eversis oculis, decidentibus pilis, extensisque pedibus, quatenus ignorantes et supersedentes sibi aves deglutiat. Hoc est quod in Evangelio loquor : Attendite vobis a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. *Nam vinea nostra floruit :* id est, tota Ecclesia, quæ est una vinea generalis, totalis ac integra, omnes particulares Ecclesias seu vineas in se complectens ac continens : quæ vinea est mea, tanquam domini principalis ac redemptoris et summi pastoris ac fundatoris; et vestra, tanquam agricolarum et vicarialium prælatorum atque custodum ipsius, sicut Ezechieli locutus sum : Speculatorem te dedi domui Israel. Et Isaias fatetur : Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem. Qui rursus ait ad Synagogam, tanquam sibi suo modo commissam : Tritura mea et filia areæ meæ, quæ audivi a Domino, annuntiavi vobis. Hæc, inquam, vinea crescit quotidie numero ac merito, et floret in gratia omnique decore virtutum : quod tempore Apostolorum et postea sæpius ita fuit. Ideo præcavendum, ne a vulpibus illis, quæ fingunt se humiles, et revera vilissimæ sunt, lædatur.

Matth. vii, 15. — Ezech. iii, 17. — Is. xxi, 8. — Ibid. 10.

Ad hanc jussionem respondet Ecclesia, videns se a sponso tam vehementer amari, ac incessanter curari ac protegi :
16 *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Amorosæ locutiones solent esse truncatæ, quoniam magnitudo affectionis verba abrumpit : ut quum in Evangelio ait Salvator, videns ac deflens Jerusalem : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quemadmodum igitur eloquens Aaron fuit os Moysis, ita in talibus ratio prudens debet supplere ac interpretari verba ferventis affectionis, et excessivi amoris. Sic ergo et nunc quum loquitur sponsa, Dilectus meus mihi, et ego illi, supplendum est : Dilectus meus intentus, familiaris, fidelis, amorosus atque dulcissimus mihi est ; ego quoque pro viribus meis intenta, fidelis, affectuosa, familiaris sum illi. Ideo per prælatos et filios meos non omittam capere vulpes demolientes.

Luc. xix, 42. — Exod. iv, 14-16.

Qui pascitur inter lilia, id est, in cordibus continentium ac pure viventium et in splendore virtutum delectatur, quiescit, et quasi nutriri se protestatur. Justus enim Dominus et justitias dilexit; et recti habitabunt cum vultu ipsius. Qui ait per Jeremiam prophetam : Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris. Unde

Ps. x, 8. — Ps. cxxxix, 14. — Jer. xv, 19.

Apoc. xiv, 4. in Apocalypsi de talibus fertur : Hi se-
17 quuntur Agnum quocumque ierit. *Donec adspiret dies :* id est, usque ad diem judicii, et quousque dies gloriæ æternalis adveniat, sic pascitur sponsus inter candidos viatores : quos tunc transferet ad plenissimam beatificæ fruitionis refectionem qua pascet eos ; *et inclinentur umbræ :* quia tunc cessabit imperfectio no-
I Cor. xv, 54. stræ cognitionis, et mortale hoc induet immortalitatem, nec diutius erunt electi
Luc. i, 79. sedentes in tenebris et umbra mortis. Omnis autem contemplatio vitæ præsentis, respectu beatificæ visionis, umbra est, et velut caligo ac somnus.

Revertere; similis esto, dilecte mi, etc. Hæc verba sunt sponsæ, tanquam Ecclesia in persona prælatorum ac prædicantium dicat : Tu mihi, o sponse, officium prædicationis et pastoralium exsecutionem actuum commisisti : in quibus quia parata sum tuo obedire imperio, precor ut cito digneris reverti ad me, applicando me tibi in exercitiis vitæ contemplativæ, atque in florido lectulo nostro præfato me dignanter ac dulciter amplexando. Revertaris quoque assidue ad me, per quotidianam tuæ gratiæ confortationem, ac tui gratiosi subsidii exhibitionem : ut quod mihi jussisti, digne adimpleam, quæ sine te

A nil agere queo. Insuper, revertere ad me, Joann. xv, 5. quatenus de hujus incolatu exsilii, et de tenebris umbraque mortis vitæ istius, ad diem æternitatis et splendoris, ad lumen gloriæ me transferre digneris; et in hoc, esto similis *capreæ hinnuloque cervorum,* implendo celeriter desiderium meum, sicut animalia ista (de quorum proprietatibus dictum est) velocissimi motus sunt, quoniam te clare ac fruitive intueri summe desidero : sicut dixit Apostolus : Infelix Rom. vii, 24. ego homo! quis me liberabit de corpore B mortis hujus? Sic quoque similis esto capreæ ac hinnulo *super montes Bethel,* id est in personis militantis Ecclesiæ jam perfectis : quæ cupiunt dissolvi, et aptæ Philipp. i, 23. sunt te protinus frui; et recte montes dicuntur, propter eminentiam gratiæ ac virtutum suarum, et propter altitudinem dignitatis eis concessæ; quæ etiam montes Bethel vocantur, id est montes Ecclesiæ, quæ est domus Dei. Bethel equidem, domus Dei interpretatur. Vel : o dilecte, similis esto, etc., id est, tu exsistens ac C habitans super montes Bethel, id est super omnes choros angelorum, qui sunt montes Bethel, id est triumphantis Ecclesiæ, quæ est summa, pulcherrima, ac perfectissima domus Dei : tu, inquam, similis esto capreæ, etc., sicut jam expositum est.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI SECUNDI, DE CHRISTO ET SPONSA PARTICULARI.

LOQUITUR sponsus cœlestis ad animam
1 amorosam : *Ego flos campi.* Tanquam dicat : Recte dixisti, Lectulus noster floridus, quoniam ego ipse sum flos campi, id est omnis intellectus creati devoti ac fervidi, quia in ipso tanquam in campo pulchro ac plano sto, moror, quiesco ac floreo, et ipsum adorno ac florentem efficio : et ita tu ipsa, o anima fervida, sponsa D mea, es campus floridus et decorus. Et sicut campus exterior floribus, virgultis, seminibus, fructibusque ornatur; sic tu decorata es gratia virtutibusque infusis, donis, fructibus, meritis ac beatitudinibus viæ. Et quia sincera et simplex es, tortuositatibus injustitiæ, spinis ac tribulis passionum vitiorumque carens, atque per caritatis latitudinem ad omnes etiam ini-

Digitized by Google

micos te extendens, instar campi plana ac
lata es; ideo in te tanquam in campo
amœno ac grandi libenter deambulo. Ite-
rum, sicut campus aratur, seminatur, et
colitur a domino suo; sic tu præpararis
ad gratiam, seminaris ac fecundaris a Spi-
ritu Sancto. Si itaque vis ut sim flos tui
ipsius, nequaquam permittas in agro cor-
dis tui vitia pullulare, cogitationes inuti-
les passionumque motus manere; sed mihi
reserva hunc campum, ut excolam, impin-
guem ac fecundificem eum, et in eo tan-
quam in paradiso deambulem. Ad quod
tibi necesse est, ut quo ego dignantius et
gratiosius egero tecum, eo tu exsistas hu-
milior, gratior atque subjectior, et nequa-
quam tanquam vacca lasciviens extollaris
de donis tuis : quoniam ego sum *et lilium
convallium,* id est humilium, in quorum
mentibus velut in vallibus descendunt, col-
liguntur, multiplicantur, ac fervent gratia-
rum mearum charismata, sicut in vallibus
aquarum abundant fluenta, et radii solis
plus inardescunt : et sicut lilium dulcem
reddit odorem, ejusque pars adusta medi-
cinalis efficitur; sic ego mentem quam in-
habito, dulcem, in se ipsa tranquillam,
aliisque benignam efficio. Igne quoque
passionis adustus, factus sum animarum
medela.

2 *Sicut lilium inter spinas, sic amica
mea inter filias :* id est, tu, o anima mihi
fidelis, contemplationi intenta, et fervens
amore, animabus sæcularibus (quæ aculeis
passionum suarum pungunt se ipsas, et
per iram, impatientiam, detractionem ac
consimilia vitia lacerant alios) ita præ-
stantior, pulchrior, suavior amabiliorque
consistis, ut lilium spinis : ideo sicut li-
lium ornat campum, sic tu Ecclesiam. Ve-
II Tim. III, 12. rumtamen, quoniam omnes qui volunt pie
vivere in me, persecutionem patientur;
sic oportet et te pati adversa, et irrisioni-
bus, obtrectationibus, injuriis iniquorum
quasi spinis transfigi aut tangi : quod to-
tum si æquanimiter tuleris, et bona pro
malis reddideris, dulcedinemque mansue-
tudinis ac pii et caritativi sermonis inter

A injuriantes effuderis, sicut lilium inter
spinas suavem spargit odorem, digna es
nomine lilii. Si vero remordes, irasceris,
indignaris, et malum pro malo rependis,
seu detrahendo repungis, jam desinis esse
sponsa mea; nec lilium, sed spinam te ju-
dico; nec sequeris me, qui quum maledi- I Petr. II, 23.
cerer, non remaledicebam; quum paterer,
non comminabar, imo pro crucifixoribus Luc. XXIII, 34.
meis orabam. Fac ergo similiter, nec alio-
rum improbitate vincaris; sed tua potius
caritate, mansuetudine, humilitate, bene-
B ficentia, aliorum aversionem, iram, elati-
onem injuriationemque vince, et lucrare
sic proximos tuos, ac plures mihi sponsas
acquire.

Denique, his anima virtuosa erudita do-
ctrinis, sponsum commendat, dicendo :
Sicut malus inter ligna silvarum, sic di- 3
lectus meus inter filios : quia speciosus Ps. XLIV, 3.
est præ filiis hominum, et tanta excellen-
tia in omni virtute præfulgens, ut ejus
comparatione ceteri sint quasi ligna sil-
vestria; estque lignum vitæ omnibus ap- Prov. III, 18.
C prehendentibus ipsum. Unde et bajulans
sibi crucem, ac foris jam marcidus, com-
paravit se florido et immarcescibili ligno,
dicens : Si in viridi ligno hæc faciunt, in Luc. XXIII, 31.
arido quid fiet? Et quoniam ipse incompa-
rabiliter major me est, ideo comparo eum
arbori malo, quæ ab eo comparata sum
lilio. Ipse enim non solum sua sanctitate
ac fama odorat suaviter, sed et pascit sa-
lubriter : quod ego facere nequeo, nisi
ministerialiter, in quantum id ipsum ab
ipso accepero.

D *Sub umbra illius quem desiderabam,
sedi :* id est, cordis evagationes vitavi, nec
per plura dispersi me, quum unum sit ne- Ibid. X, 42.
cessarium : idcirco sub hujus unius um-
bra quiescere studeo, quoniam umbra ejus
a concupiscentiarum fervore, a passionum
vitiorumque æstu refrigerat, et cupiditatis
ignem exstinguit. Idcirco, o Domine, sub
umbra tuæ omnipotentiæ a malignorum
potestate spirituum sim semper securus,
sub alis pietatis tuæ defende me; pone me Ps. XVI, 8.
juxta te, et cujusvis manus pugnet contra Job XVII, 3.

Digitized by Google

Rom. VIII, 31. me. Nempe si Deus pro nobis, quis contra A
Jer. XVII, 5. nos? Maledictus autem qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus. Ideo in te, Do-
Job XIII, 15. mine, etiam si occideris me, sperabo. *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Etenim fructus arboris hujus, est quidquid virtutis et gratiæ, quidquid consolationis et gaudii spiritualis in nobis exstiterit; et omnia merita nostra sunt ejus dona, sine cujus actuali motione nec aliquid meritorie possumus cogitare. Et sicut fructus ejus in patria, est beatifica illa fruitio, B qua replet, reficit, oblectat et plene contentat omnes Beatos, ac cetera gaudia eorumdem : sic fructus ejus in via, est contemplatio illa profunda, pura ac fervida, quæ appellatur mystica theologia in apice intellectivæ consistens, omnisque sinceritas, quies, oblectatio ei annexa, quæ suavissime reficit animam in hac vita; sed et sacra communio, intelligentia Scriptura-
I Petr. II, 3. rum, spiritualis profectus, et gustare quam dulcis est Dominus, ac alia multa, sunt fructus sponsi istius; similiter duodecim C
Galat. V, 22, 23. fructus Spiritus, de quibus ad Galatas scribit Apostolus.

Itaque Christus vere et excellentissime est arbor, de qua figuraliter legitur in Da-
Dan. IV, 7-9. niele : Ecce arbor in medio terræ, et altitudo ejus nimia. Magna arbor et fortis, et proceritas ejus contingens cœlum; adspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, et fructus ejus nimius, et esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia et bestiæ, et in ramis ejus conversabantur D volucres cœli, et ex ea vescebatur omnis caro. Ista tamen ad litteram de Nabuchodonosor dicta sunt; sed verba secundum se sumpta, applicari possent ad Christum multo sublimius, quam ad illum.

4 *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Cella vinaria optime saporosa, salubriter inebriativa, est mysticæ visio theoriæ, tam clara et ardens, quod elevat animam sanctam super cuncta creata, et transfert ac rapit eam in increatum illud objectum : ita quod obliviscitur sui ipsius ac ceterorum, et tota in abyssum lucis incircumscriptibilis absorbetur, afficitur, inflammatur, atque ingenti jucunditate perfunditur, ita quod ex sententia dicere valet : Torrente Ps. XXXV, 9.
voluptatis suæ potavit me; et rursus, Con- Ps. XXXVIII, 4.
caluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis. Hinc Augustinus loquitur Deo : Introducis me quandoque in quemdam saporem incognitum. Bernardus quoque : Si quis, inquit, orando obtineat mente excedere in divini arcani thesauros, unde mox redeat divino amore vehementissime flagrans, æstuansque justitiæ zelo, et spiritualibus studiis totaliter fervens; iste quum ructare cœperit crapulam vini spiritualis lætitiæ, dicere potest : Introduxit me rex in cellam vinariam.

Ordinavit in me caritatem, id est, gratiam discretionis largitus est mihi, ne ex spirituali fervore me ipsam inordinate affligerem, aut per intolerabilia mihi exercitia corpus destruerem. Hæc ordinatio est tanto plus necessaria, quanto fuerit caritatis accensio magis intensa. Zelum quoque caritatis oportet esse secundum scientiam, Rom. X, 2.
ne fervens zelator suo fervore præcipitet semetipsum ac alios. Itaque quamvis caritas Dei non posset in se ipsa esse nimis intensa, aut major quam decet : imo quo major, eo et melior; tamen ordinata debet consistere in effectibus, qui ex ea procedunt, aut potius putantur procedere. Nam, ut asserit Augustinus, Virtute nullus male utitur : quia videlicet actus ex virtute directe elicitus, nunquam est malus, sed semper bonus. Virtus tamen, præsertim intensa, est sæpe occasio operis excessivi : cujus excessus seu immoderantia non est directe ac elicitive ex virtute, sed potius ex rationis inconsideratione aut indiscretione : quoniam vehementi affectu trahitur ratio, ut minus attendat quod congruit, sicque arbitratur ex virtute procedere, quod partim ex indiscretione et inconsideratione progreditur.

Fulcite me floribus, stipate me malis, 5
quia amore langueo. Flores sunt actus

Digitized by Google

sapientiæ, et theologicarum virtutum, per quas immediate circa Deum versatur. Mala vero seu poma sic nominata, sunt opera exteriora pia ac virtuosa. Petit igitur anima caritate languescens, floribus fulciri, id est, incremento divinæ cognitionis interius perfici, summæ bonitatis dilectione calidius inflammari, in exspectatione futurorum bonorum per prælibationem suavem exhilarari, in rationibus credendorum illuminationeque fidei crescere : quatenus tantis ac talibus roborata charismatibus, queat diuturnius in sponsi amplexibus demorari, nec more solito, humana fragilitate naturalique instabilitate retrahatur ac labatur deorsum. Siquidem
Hebr. XIII, 9. optimum est talibus gratiis stabiliri cor;
Ps. CXXVI, 5. et plane beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis. Hæc igitur postulat anima radiosa, quoniam languet amore, ideo pati non valet separationem a sponso; sed quantum fieri potest, appetit tam incomparabili ac supernobilissimo bono stabiliter atque assidue frui : quæ quum desiderasset a paranymphis atque sodalibus sponsi sibi ministerialiter exhiberi, mox a sponso est exaudita, sicut subjungit.

6 *Læva ejus sub capite meo :* id est, pia et gratiosa visitatio ac consolatio sponsi, sustentat ac stabilit imbecillitatem ac labilem fluxum mentis meæ, ne pondere corporis aut propria imperfectione ab arce contemplativi intuitus ruat. *Et dextera illius amplexabitur me,* in patria : sicut expositum est in præcedenti articulo. Felix mens quæ sic in Christi pectore requiescit, atque æterni Verbi amplexibus stringitur. Quis hanc cœlestis superdignissimi sponsi caritatem, dignationem, affluentiam queat exprimere, qui animam in sinu, imo in corde suo sic facit quiescere, in quo mens taliter tranquillatur, quod
Ps. IV, 9. vere dicere potest, In pace in id ipsum dormiam et requiescam? Animam autem sic sibi conjunctam non vult sponsus importune in exterioribus occupari, vel ante tempus a sua revocari quiete. Ideo subditur :

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, id est, 7
o animæ pusillæ subditorum ac communitatis, *per capreas cervosque camporum* (juxta expositionem inductam), *ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam,* sponsam meam particularem, a suæ contemplationis quiete, *quoadusque ipsa velit :* quæ utique permittit hoc fieri congruo tempore, propter fraternam salutem, aut vitæ hujus provisionem. Innotescit ex hoc, quam periculosum ac improbum sit, animam contemplationi intentam inquietare. Si enim magnæ esset improbitatis, familiariter loquentem cum rege terreno sine regis consensu avellere, molestare, aut deridere : quanto culpabilius est, hominem omnipotenti universorum Imperatori per contemplationem, raptum, ecstasimve conjunctum, abstrahere, subsannare aut conturbare? Nam etsi hoc vitandum non esset propter hominem, ipsum tamen intuitu Dei, et propter reverentiam ejus esset omnino cavendum. Nec de tali homine expedit temere judicare : quia hoc esset inconvenienti inconveniens addere, ac discrimen augere. Verumtamen subditus exercitium suæ contemplationis non debet obedientiæ anteferre, nec caritati proximi in ejus necessitate : ideo si a superiore suscitetur, aut a proximo indigente rogetur, obtemperet quantum valet.

Vox dilecti mei, est commissio quam 8
audivi, qua commisit ne suscitem, eo quod
ipse adhuc velit me suis mundissimis ap-
plicare amplexibus, præveniendo me gra-
tiose ac præ solito copiose. Nam *ecce iste*
sponsus *venit saliens in montibus, transi-*
liens colles : id est, cum tanta celeritate ac
festinantia venit ad me, ut salire magis
quam pergere videatur; et tam familiari-
ter adjungit se mihi, quasi mihi soli velit
uniri, cohærere ac loqui. Ideo *capreæ hin-* 9
nuloque cervorum assimilo eum, quia et
ipse sic visitans me, reddit me interiori
visu acutum, et instar hinnuli ad bona
velocem. Verumtamen non se ostendit mi-
hi in propria claritate, sicuti est in se
ipso, ideo addo : *En ipse stat post parie-*

Digitized by Google

tem nostrum : juxta expositiones præta-
ctas. Quasi dicat : Habet se instar amato-
ris, qui ad domum veniens suæ dilectæ,
non statim ingreditur, sed per fenestras
cancellosque prospicit, et aliqualiter se
ostendit, quatenus majori sui desiderio ac-
cendat amicam : sic et sponsus iste infini-
tam suæ amœnitatis ac serenitatis amabi-
litatem, suavitatem ac decorem aliqualiter
mihi nunc pandit, intuendamque præbet,
ut vehementius incalescam, atque ad cla-
rum ac beatificum ejus intuitum calidius
inardescam.

10 *En dilectus meus loquitur mihi,* suo
occulto divino instinctu, et per inspiratio-
nem ac directionem angelicam, per Scri-
pturas et per homines præsidentes et sa-
pientes : *Surge* a contemplationis sopore,
propera, amica mea, id est, cum omni
promptitudine et ardore exerce exteriora
quæ tibi incumbunt, *columba mea, for-
mosa mea, et veni.* Ecce quanta est digni-
tas animæ virtuosæ ac contemplativæ, et
quam amabilem Deo faciunt virtutes crea-
turam rationalem, quæ tot amorosis nomi-
nibus invitatur ac nominatur a sponso.

11 *Jam enim hiems,* id est torpor ace-
diæ, frigus invidiæ, aut sterilitas ultionis,
transiit. Imber, id est profluvium perstre-
pentium cogitationum ac tumultuantium
desideriorum carnalium, instar imbris in-
12 cidentium, *abiit. Flores apparuerunt in
terra nostra,* id est, virtutum ornatus eru-
perunt in agro cordis tui : qui est terra
mea et tua, id est nostra : mea, per crea-
tionem, dilectionem et prædestinationem;
tua, per concessionem et possessionem.
Tempus putationis advenit : id est, hora
nunc est, ut omnem culpam quantumlibet
parvam, abscidas a te, ne quid inveniatur
in te quod meum offendat adspectum, et
lucem contemplationis obfuscet. Itaque,
sicut sole oriente fugantur caligines, expel-
lunturque tenebræ, et nebulæ dissipantur,
clarescit aer ac mundi facies decoratur; sic
Sole sapientiæ, sponso cœlesti, veniente
atque ingrediente in animam contemplati-
vam, et radiante in ea, omnis torpor ace-
A diæ propulsatur, gelu rancoris fugatur, ira
sopitur, evagationes cordis et inordinatæ
affectiones pelluntur, et serenatur atque
exhilaratur anima tota. Ideo sponso adve-
niente, protinus est surgendum et prope-
randum in ejus occursum, ut cum ingenti
reverentia suscipiatur, et quidquid gratiæ
dederit, diligentissime conservetur; nec
aurea illa suæ visitationis hora est ne-
gligenda, ne forsitan indignatus, postea
etiam, quamvis rogatus, sic advenire re-
cuset.

B *Vox turturis audita est in terra nostra :*
id est, oratio pudicæ, castæ ac solitariæ
mentis, ad aures pietatis meæ devenit, et
mihi accepta est. Hinc ad animam pœni-
tentem et gementem, et de suis culpis eru-
bescentem, benigne revertor : et ita quasi
tempus vernale resplenduit animæ. *Ficus* 13
protulit grossos suos. Per arborem fici, si-
gnificatur hic anima fructuosa, caritatis,
pietatis et devotionis suavitate referta :
quæ statim ut potuit, cœpit agere aliquid
boni ac devotioni insistere, quamvis exer-
C citia ejus essent adhuc imperfecta, im-
matura, faciliterque ex vento tentationis
seu adversitatis cujusque labentia. Propter
quod designantur per grossos, qui sunt
fructus primi, immaturi, ac levi vento ca-
dentes. *Vineæ florentes dederunt odorem
suum.* Non solum Ecclesia, sed et quæli-
bet devota anima merito vinea appellatur,
quæ in corpore suo quasi in terra planta-
ta, a Spiritu Sancto principaliter et per
ejus ministros ministerialiter colitur, a su-
perfluitate sua purgatur, et fructus vir-
D tutum jucundos spiritualiter inebriantes
producit. Bonæ quoque conversationis re-
dolet fama, et interna suavitate perfundi-
tur, per quam etiam ad proximos habet se
dulciter. Hanc vineam, id est animam su-
am, unusquisque Deo auxiliante, angelo
dirigente, Scripturis ac prælatis docenti-
bus, debet excolere, ab æstu concupiscen-
tiæ præservare, devotionis pinguedine im-
pinguare, bonis replere operibus, putare a
vitiis, atque ad perseverantiæ maturitatem
ac ubertatem perducere. Vineæ ergo flo-

Digitized by Google

rentes, id est animæ virtuosæ bene excul-
tæ, dederunt odorem suum, quo proximos
ad meliora traxerunt. Idcirco et tu, o ani-
ma quam exhortor, illarum vigilantiam ac
virtutes debes sectari, et cavere ne negli-
gens inveniaris ac fœda.

Surge, contemplando superna, *amica
mea,* per amicitiam mutuam, *sponsa mea,*
mihi per fidem, spem et caritatem de-
sponsata, a me fecundata; *et veni,* ut mi-
hi quotidie vicinius ac perfectius uniaris;
14 *columba mea,* id est, columbinis pro-
prietatibus decorata, et mihi dilecta, *in*
foraminibus petræ, in caverna maceriæ.
Præter expositiones præcedentis articuli
super hoc introductas, possunt per fora-
mina petræ, intelligi tuta ac robusta lati-
bula gratiæ, in quibus animæ virtuosæ
quiescunt, et a suæ salutis hostibus se
abscondunt durante hac vita. Hæc autem
latibula, sunt humilis recognitio propriæ
defectuositatis, spes divinæ subventionis,
timor Dei sincerus, et mortificatio sui ip-
sius, refugiumque ad Deum, ei jugiter
inhærere. Caverna vero maceriæ, est hu-
militatis profundum, seu penetrativa con-
sideratio supernorum : inter quæ et nos,
cœlum velut maceria mediat. *Ostende mi-*
Joann. x, 11. *hi faciem tuam.* Quum enim sim pastor
Prov. xxvii, 23. bonus, diligenter volo agnoscere vultum
pecoris mei : ideo mentem tuam jugiter
orna, ut coram me resplendeat gratia et
virtute, sapientia et fervore. Mihi quoque,
id est vicariis meis superioribus tuis, se-
creta tua ostende, præsertim in foro con-
fessionis, et quando tentatione, scrupulo,
Thren. ii, 19. dubitatione seu anxietate gravaris; effun-
de quasi aquam ante me cor tuum. *Sonet*
vox tua in auribus meis : id est, laudibus
meis, precibus et doctrinis insiste; et om-
ne quod loqueris, tale sit, ut acceptum
sit mihi, et per approbationem audiatur a
Joann. ix, 31. me. Impios namque non audio, neque
agnosco, eo modo quo per Prophetam eis
Is. i, 15. testatus sum : Quum multiplicaveritis pre-
ces, non audiam. In Evangelio quoque :
Matth. xxv, 12; Luc. xiii, 27. Amen dico vobis, nescio vos unde sitis;
discedite a me, operarii iniquitatis. *Vox*
A *enim tua dulcis,* videlicet clamor interior,
utpote amor, virtuosa affectio, desiderium
sanctum : quæ adeo placent Deo, ut pro-
pter ea etiam vox oris ex ipsis procedens
dulcis et placens sit Domino.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ de- 15
moliuntur vineas. Parvulæ vulpes istæ,
sunt fraus, dolus, hypocrisis, calliditas, du-
plicitas, vitia virtutum specie operta: quæ
animas virtuosas spiritualiter destruunt,
et quidquid gratiæ aut meriti habuerint,
tollunt. Similiter, pravæ suggestiones, ten-
B tationum exordia, primi motus, inchoati-
ones culparum : quæ mox in principio
sunt penitus exstirpanda, ne paulatim to-
tam inficiant animæ vineam. Has vulpes
studeant præsidentes auferre de suorum
cordibus subditorum, imo primo omnium
a se ipsis. *Nam vinea nostra floruit.* Hoc
unicuique bono pastori loquitur Christus,
dum pastor congregationi sibi commissæ
præest idonee : sicque congregatio illa
est communis vinea Christi, et ejus vi-
carii.

C *Dilectus meus mihi, et ego illi.* Circa 16
hoc ait Bernardus : O sancta anima, quid
dilectus tuus tibi, et tu, quid illi? Quæ
inter vos tam familiaris favorabilisque
locutio, ut nec penitus tacere possitis, ne-
que quod sentitis, exprimere valeatis? Ha-
bent enim suas voces ipsi affectus, quibus
se aliquando produnt, etiam quando no-
lunt : ut timor meticulosas, dolor geme-
bundas, amor jucundas. Amor etenim fla-
grans ac vehemens, præsertim divinus,
dum se intra se cohibere non valet, non
D attendit quo ordine, qua lege, quave serie
verborum ebulliat, dummodo ex hoc nul-
lum sui sentiat detrimentum. Itaque, Di-
lectus meus mihi, et ego illi, id est, spon-
sus ille dulcissimus adhæret, placet, et
congruit mihi, et ego illi. *Qui pascitur*
inter lilia, id est, mundis meditationibus,
virtuosis affectionibus, sanctis actibus de-
lectatur, inquinamenta carnis et cordis
abhorrens : quoniam non Deus volens ini- Ps. v, 5.
quitatem ipse est, et omnem aversatur im-
pietatem, imo odio sunt ei impius et im- Sap. xiv, 9.

Digitized by Google

pietas ejus. Si ergo vis sponsum istum A
reficere, et refici ab eodem, talibus li-
liis mentem tuam adorna, apprehensiones
phantasticas, cogitationesque fœdas et om-
nem turpem ac sensualem exclude affe-
17 ctum, *donec adspiret dies* in quo remune-
ret sponsam.

Revertere. Sponsus quippe interdum
dispensative subtrahit et suspendit ad tem-
pus ab anima pia consolationis suæ præ-
sentiam, devotionem sensibilem, visitatio-
nem solitam et internam, atque alacritatem
in cultu divino : ita quod anima talis in-
terdum veretur se sponsum offendisse, et
ideo esse relictam. Sponsus vero id agit,
ne ipsa ex promptitudine et opulentia
spirituali inaniter moveatur, aut securi-
tate nimia resolvatur; sed propriam pen-
set fragilitatem, seque humiliet, atque ad
sponsum suspiret frequentius : et sic gra-
tiæ mereatur augmentum, de cetero quo-
que custoditior exstet.

ARTICULUS VIII

SEQUITUR EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI SECUNDI, DE SPONSO ET SPONSA SINGULARI.

1 EGO *flos campi.* Beatissima Virgo est B
vernantissimus, pulcherrimus ac re-
dolentissimus flos campi, id est sæculi
hujus : in quo tanquam loco certaminis
Job VII, 1. sumus constituti, quia militia est vita no-
stra super terram. Ipsa quoque est flos
campi, id est horti deliciarum, videlicet
paradisi cœlestis. Et rursus, flos campi
est, id est militantis Ecclesiæ in terra pe-
regrinantis : cujus ipsa est mater, flos,
regina, et advocata, suis orationibus ac
meritis procurans Ecclesiæ ornamenta vir-
tutum ac redolentiam meritorum. Deni- C
que, ipsa est flos cujuslibet animæ devotæ
eam amantis : cujus memoriam nunquam
ingreditur sine fructu, et sine suæ diffu-
sione dulcedinis. *Et lilium convallium.*
Ipsa instar lilii præclare venustat corda
humilium. Rursus, ipsa suavissima et in-
comparabilis Virgo Deifera, est lilium con-
vallium, id est proles floridissima suorum
parentum humilium, a quibus velut spe-
Matth. VI, 29. ciosissimum lilium est exorta : nec Salo-
mon in omni gloria sua ita ornatus fuit,
ut lilium istud. Et sicut lilium est flos D
crescens in altum, et tamen repanda ac
dependentia folia granaque aurea habens;
sic optima et amabilissima Virgo crevit in
omnium arcem virtutum, et nihilo minus
excellentiam suarum virtutum per humi-
litatem depressit; fide quoque, spe et ca-
ritate ac donis Spiritus Sancti tanquam
aureis granis ornatissima exstitit. — Præ-
terea Christus est *flos campi,* id est filius
Virginis hujus, cujus uterus fuit mundis-
simus campus, omni castitate, temperan-
tia, puritate ineffabiliter decoratus; *et li-
lium convallium,* descendens ex progenie
patrum humilium ac parentum Virginis
admirandæ : inter cujus parentes fuit om-
nino honorabile connubium, et torus im-
maculatus; et specialiter in eorum con-
ventione, qua Virginem dignissimam ge-
nuerunt, omnimoda fuit honestas.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea 2
inter filias. Quamvis enim fuerint multæ
virgines sanctæ, quarum quædam martyrii
gloriam sunt adeptæ; tamen respectu hu-
jus unicæ Virginis, singularis amicæ spon-
si, quasi spinæ fuisse videntur, in quan-
tum aliquid culpæ habebant : et quamvis
in se fuerint mundæ, non tamen fuit in
eis fomes prorsus exstinctus; fuerunt et
aliis spinæ, qui ex earum intuitu, mucro-
ne concupiscentiæ pungebantur, quamvis
ipsæ virgines sanctæ, non fuerint in hoc

Digitized by Google

ipso culpabiles. Porro hæc unica Dei de- A
lectabilissima Virgo, totius superbeatissi-
mæ Trinitatis media et amica ac socia, ab
omni culpa fuit prorsus immunis : fuit in
ea fomes plene exstinctus; et tam inten-
tissima castitate erat repleta, quod intu-
entium corda sic penetravit sua inæsti-
mabili castitate virginea, quod a nullo
potuit concupisci, imo potius exstinxit ad
horam illorum libidinem.

Præterea Virgo gratissima, in qua et
cum qua esse, fuit Deo deliciosum, com-
3 mendat Filium suum, dicendo : *Sicut ma-* B
lus inter ligna silvarum, sic dilectus meus
inter filios. Nec enim ipsa sacratissima
Virgo in tantum excedit ceteras filias,
quantum unigenitus Filius ejus filios ce-
teros. Quem recte ait excedere filios, sicut
Ps. XIII, 3. malus ligna silvatica : siquidem omnes
declinaverunt, simul inutiles facti sunt;
Is. LIII, 6. et omnes nos quasi oves erravimus, unus-
quisque in viam suam declinavit. Etenim
Rom. III, 23. omnes peccaverunt, et egent gloria Dei.
Atque, ut gloriosus dixit Joannes Bapti-
Joann. III, 31. sta, Qui de terra est, de terra est, et de C
terra loquitur; qui autem de cœlo venit,
super omnes est. At vero de hac arbore
loquitur Alexander : Malus est arbor pul-
Lev. XXIII, 40. cherrima, cujus fructus sumi jubetur a
filiis Israel cum palmarum spatulis, dum
habitarent in umbraculis; et profert po-
ma coloris aerii. Nitentissimus quoque vi-
ror foliorum ipsius, ita intuentibus est
acceptus, ut quum radii solis tangunt su-
periora ejus, ex reverberatione fulgoris
videatur aureis ramis ornatus. Hæc arbor
nunquam suo fructu privatur; estque re- D
cta, alta, frondosa, delectans flore, recre-
ans odore, reficiensque sapore. Ideo recte
significat Virginis Filium, Dominum Je-
sum Christum, qui delectat nos flore suæ
sanctissimæ conversationis, recreat odore
suæ verissimæ prædicationis, et reficit sa-
pore suæ suavissimæ consolationis : in
quo nulla fuit curvitas culpæ, sed summæ
perfectionis proceritas; cujus adspectus
fuit consolatorius valde, et folia, id est
verba ipsius, auro sapientiæ radiabant.

Sub umbra illius quem desiderabam,
sedi. Humillima et quietissima Virgo, Filii
sui veram deitatem omnipotentiamque co-
gnoscens, tanto perfectius sub ejus pro-
tectione quievit, et ejus auxilio innite-
batur, quanto erat humilior. Conversando
quoque in hoc mundo cum dilectissimo
sponso ac filio suo, sub ejus pietate de-
gebat, sub ejus exemplarissima conver-
satione profecit, et coram sermocinante
resedit frequenter, verba prædicantis spon-
si intentissime advertendo, in quibus et
miro modo delectabatur, sicut subdendo
fatetur : *Et fructus ejus dulcis gutturi*
meo. Refecit utique Dominus majestatis
munificentissimus, Unigenitus Patris, su-
am præstantissimam Matrem copiosissimis
ac suavissimis refectionibus mentis, illu-
minando mirifice, inflammando deifice,
exhilarando assidue, et renovando atque
augendo in ea pretiosissima munera gra-
tiarum continue. Amplius, suavissima cor-
dis refectio fuit divinissimæ Virgini, Uni-
cum suum quotidie intueri, audire et
contrectare Verbum vitæ; et dum ipsa Do-
mina angelorum, Filium Dei ex se natum
corporaliter lactavit, educavit, deduxit, ip-
se omnipotens liberalissimus Filius, tam
capacem et dilectissimam Matrem spiritu-
aliter, copiosissime, indesinenter refecit,
accendit, implevit.

Introduxit me rex in cellam vinariam. 4
Te introduxit, o beatissima Domina! Nec
solum introduxit te in cellam vinariam;
sed et in ipsum vinum, cui totaliter te
intinxit, quia in abyssum divitiarum ac
deliciarum suarum te prorsus immersit,
omni benedictione te adimplevit, et jucun-
ditatibus inebriavit frequenter, præsertim
in annuntiatione angelica, in conceptione
Filii Dei, in nativitate ejusdem, et alias
sæpe.

Ordinavit in me caritatem : quia quid-
quid de naturali aut quocumque alio in
me fuit amore, totum plene et potestative
fuit subjectum caritati, et informatum ab
eo, ac juxta ejus imperium etiam passio-
nes appetitus sensitivi mei plenarie rege-

Digitized by Google

bantur ac movebantur; nec unquam fuit A in me inordinata affectio, neque ad Filium meum, quamvis unicum, speciosissimum, præstantissimum atque carissimum, fui unquam sensualiter affecta : sicut interdum Apostoli, propter quod audierunt
Joann. xvi, 7. ab eo : Si non abiero, Paracletus non veniet ad vos. Caritas quoque mea fuit circa sua objecta in suis actibus decentissime ordinata, ita quod Deum primo et maxime propter puram et infinitam bonitatem ipsius dilexi purissime; deinde, quoniam
I Joann. iv, 10, 19. prior dilexit me, atque ad tanta ac talia B me præ omni creatura elegit, ut scilicet essem mater ipsius, et propter cetera ejus beneficia generalia, specialia, ac singularia. Ad assumptam vero humanitatem Filii mei dulcissimi, habui caritatem valde præcipuam, imo et vehementissimum naturalem amorem gessi ad eum. Quamvis etiam a tempore quo uti cœpi ratione, valde dilexerim proximos, et in eorum caritate profecerim; tamen ab ea hora, qua propter hominum salvationem facta sum Genitrix Dei, inæstimabiliter dilexi genus C humanum, et in ejus puro amore quotidie crevi. Imo nec passionem Filii mei, in quantum erat salvativa generis humani, abhorrui.

5 *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Noverat docillima ac sapientissima Virgo, ante Filii sui passionem neminem posse ad beatificam Deitatis pertingere visionem : idcirco usque ad illud tempus patientius pertulit hujus exsilii incolatum; verum ex tunc cœpit ardentius ad cœlestem affici mansionem, D præsertim post sui dilecti ascensionem. Unde ex tunc potissime languit caritate, suspirans ad immediatum, inseparabilem, et æternum sponsi amplexum lætissimum : ideo floribus concupivit fulciri ac malis stipari, id est cœlestibus consolationibus, copiosis profectibus, ac plurimorum conversionibus interim confoveri ac recreari : quod utique copiosissime fuit consecuta, ut subditur.

6 *Læva ejus sub capite meo,* quia in præsenti me gratiosissime sustentavit; *et dextera illius amplexabitur me.* Jam namque in mea assumptione ad suam me dexteram collocavit, et assumptam cum corpore, corporaliter sibi univit; atque ad tam claram et voluptuosissimam suæ deitatis intuitionem promovit, quantam pura creatura sine personali unione videtur capere posse. Credimus quoque, o supercœlestis Domina, omnium creaturarum decus et gloria, te cum puero Jesu in sua sacra infantia (qua renovata est senectus et vetustas nostra) quandoque in eodem lecto dormivisse, atque infantulum Deum verum inter tua mundissima brachia collocasse, teque ab ejus dextera amplexatam. O quam incomparabilis et indicibilis est excellentia, beatitudo, et gloria tua! Quam propinquissima et familiarissima facta es Deo! Certe in quantum es Mater veri Dei, es dignitatis quodammodo infinitæ; et quanta fuit et est eminentia tuæ dignitatis, tanta et bonitatis, tanta quoque et felicitatis. Omnem ergo admirationem et capacitatem nostram transcendit beatitudo et gloria tua.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. 7
Post Christi ascensionem ac missionem paracleti Spiritus Sancti, multiplicatis fidelibus, et evidenti fide tenentibus sacrosanctam Virginem esse veri Dei Matrem, omnes eam in maxima et admirabili reverentia (ut vere decuit) habuerunt, atque ad ipsam in omni necessitate et rationabili causa habebant refugium : sed et plurimi magni ac sapientissimi etiam ex paganismo conversi, talem ac tantam videre et audire præcordialiter optaverunt, ut patet de S. Ignatio. Legitur item, quod grandis congregatio sanctarum virginum morabatur cum ea, ejus obsequio deputata. Commisit igitur sponsus cœlestis omnibus istis, ne importune hanc prædilectissimam sponsam et matrem suam accederent, ad revocandum eam de suo secreto et quietissimo actu et loco, ubi contemplativæ vitæ exercitiis, cum devo-

Digitized by Google

tione sibi soli ac sponso cognita, excellen-
tissime inhærebat. Verumtamen, quoniam
sponsus noverat eam in proximorum cari-
tate æstuantissimam esse, jugiterque para-
tam succurrere et suscitari pro rationabili
causa, addidit : Quoadusque ipsa velit, ut-
pote tempore congruo : in quo sine dubio
semper fuit prompta, quoniam fructum
passionis et mortis Filii sui ferventissime
semper optavit.
8 *Vox dilecti mei* est, qui modo prætacto
hortatur ne susciter. *Ecce venit saliens in
montibus, transiliens colles.* Hoc rectissi-
me dicere potuit Virgo excelsa, benedicta
Maria, quando ab archangelo Gabriele au-
Luc. I, 31. divit : Ecce concipies in utero et paries
filium, ac cetera quæ refert Evangelista.
Imo tunc uno vehementissimo saltu a thro-
no paterno in uterum prosiliit virginalem:
ob cujus celeritatem aliasque rationes
9 præhabitas, comparatur *capreæ hinnulo-*
Ps. XVIII, 6. *que cervorum.* Exsultavit enim ut gigas
ad currendam viam. *En ipse stat post pa-
rietem nostrum :* id est, in carne mundis-
sima, quam ex me assumpsit, suam latere
voluit deitatem, me quoque cum Archan-
gelo conferente, de proximo adstitit; *pro-
spiciens per cancellos,* qualiter nostrum
finiremus colloquium. Dum consentiendo
Luc. I, 38. dixissem, Ecce ancilla Domini, fiat mihi
secundum verbum tuum : dicto celerius,
imo instantanee prosiliit in me, et corpus
assumpsit ex me.
10 *En dilectus meus loquitur mihi.* Qui
enim per Gabrielem loquebatur mihi forin-
secus, per se ipsum loquebatur mihi intrin-
secus, me hortando ac incitando inspira-
tione occulta ad credendum Archangelo, ad
consentiendum ejus oraculo, ad cooperan-
dum summo ac divinissimo incarnationis
mysterio. Et dixit mihi, instinctu secreto :
Surge, a consideratione humillima tuæ
propriæ parvitatis, ad actum nobilissimæ
magnanimitatis : quatenus pietati meæ
omnipotentiæ innitendo, credas mox agen-
dum ex me, et fiendum ex te, atque com-
plendum per te, quod tibi ore nuntiatur
angelico, et omnem transcendit naturam,

A nec ulla fieri potest creata virtute. *Prope-
ra,* id est, festinanter sic age, crede, con-
senti; loquere verbum, præpara uterum,
præbe materiam, ut concipiar a te, et
gignar ex te, qui æternaliter sum conce-
ptus et natus ex Patre, in quo idem est
mihi concipi et gigni, quoniam generatio
illa, intellectualis, immaterialis, intempo-
ralis consistit. O *amica mea* singularis et
unica, cujus respectu aliæ sunt ancillæ,
quamvis et suo modo amicæ sint. *Colum-
ba mea,* in qua nunquam fuit radix ama-
B ritudinis, felleave austeritas, sed simplici-
tas sapientialis inviolata. *Formosa mea,* in
naturalibus donis valde perfecta in genere
tuo, corpore speciosa, mente ingeniosa,
optimæ indolis privilegio decorata; ex na-
turali dispositione mitissima, piissima,
honestissima, et ad omnem virtutem, imo
universarum virtutum perfectionem, in
termino excellentiæ dispositissima; venu-
stissima moribus, splendidissima muneri-
bus gratiarum infusis, opulentissima me-
ritis : et talis ac tanta, ut speciem tuam *Ps.* XLIV, 12.
C non mediocriter concupiscam, quatenus
post frequentiam angelorum, tumultuati-
onemque hominum, tandem in te requi-
escam, tua pulchritudine delectatus, tua
tranquillitate allectus.
Jam enim hiems transiit : id est, tem- 11
pus est ut rigori legis terminus impona-
tur, et per me evangelica lex tradatur;
imber abiit : id est, copia ac impetus
ultionum, quas lex transgressoribus suis
jussit infligi, mox finem accipient. Hiems
quoque et imber, sunt obscuritas veteris
D Testamenti, et tempestas in qua lex data
est; seu molestissima multitudo observan-
tiarum legalium, quod fuit grave et impor-
tabile jugum, duræ cervici convenienter
impositum, sed a lege evangelicæ liberta-
tis tollendum. Unde ait Apostolus : Nox *Rom.* XIII, 12.
præcessit. Et princeps Apostolorum : Quid, *Act.* XV, 10.
inquit, tentatis imponere jugum super cer-
vices discipulorum, quod neque nos, ne-
que patres nostri portare potuimus? *Flo-* 12
res apparuerunt in terra nostra : id est,
signa præclara ac florida mei adventus

Digitized by Google

impleri cœperunt, et deinceps abundantius implebuntur, quia jam tempus heb-
Dan. IX, 24. domadarum a Daniele prædictum advenit.
Matth. XVI, 4. Unde dixi Judæis : Faciem cœli dijudicare nostis, signa autem temporum non pote-
Gen. XLIX, 10. stis? Jam quoque sceptrum a Juda ablatum est, et dux de femore ejus defecit. *Tempus putationis advenit,* id est tempus liberationis populi Israel a suis peccatis, ut vitiorum superfluitates nunc amputentur : juxta id quod scribitur in Danie-
Dan. IX, 24. le : Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, ut consummetur prævaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum. Unde his consonanter loquitur Paulus :
Galat. IV, 4, 5. Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret.

Vox turturis audita est in terra nostra: id est, in Synagoga insonuit sermo legis, vaticinium Prophetarum, annuntiatio de proximo regis Messiæ adventu : instante etenim Salvatoris adventu, Omnipotens revelavit aliquibus patribus Synagogæ, tempus adventus Christi adesse. Unde Sime-
Luc. II, 25, 26. on justus et timoratus responsum acceperat a Spiritu Sancto, non visurum se mortem nisi videret Christum Domini. Similiter Zachariæ justo Gabriel nuntiavit
Ibid. I, 17. de filio suo Joanne : Ipse præcedet ante
13 illum in spiritu et virtute Eliæ. *Ficus protulit grossos suos:* id est, Synagoga fructifera et electa, quæ creditura fuit in Christum, primo observavit diligenter ea quæ legis erant. Propter quod princeps dixit
Act. X, 14. Apostolorum : Nunquam comedi aliquid commune et immundum. Paulus quoque
Philipp. III, 6. fatetur se sine querela conversatum in lege. Sed postea abjecerunt hæc tanquam fructus ineptos, cognita gratia Christi et Spiritu Sancto accepto, sicut in Actibus
Act. XV, 11. Archiapostolus loquitur : Per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari.
Philipp. III, 7. Vas quoque electionis disseruit : Quæ mi-

A hi lucra fuerunt, hæc arbitratus sum detrimenta esse. *Vineæ florentes dederunt odorem suum :* id est, virtuosæ personæ ipsius Synagogæ, dulciflua desideria sua de meo adventu coram me effuderunt, rogantes assidue pro adventu regis Messiæ : quarum me trahit pia affectio, et allicit devotio sancta.

Itaque propter hæc omnia, jam *Surge, amica mea, sponsa mea* singularis et optima, *et veni,* per mentis consensum, ut me concipias tuum creatorem et omnium sal-
B vatorem; *columba mea* pudicissima, summe faceta, *in foraminibus petræ,* id est 14
in viribus seu potentiis animæ tuæ, in omni gratia solidatæ, constantissimæ et firmatæ, puta in intellectu ac voluntate, quæ sunt spiritualia foramina per quæ anima intellectualiter cernit me et cupit. Unde in Ezechiele Dominus ait ad Cherub qui cecidit : Foramina tua in die conditio- Ezech. XXVIII, 13.
nis tuæ parata sunt. Fuit itaque sacratissima Virgo, amica, sponsa et columba Verbi æterni in foraminibus petræ, id est in in-
C tellectu ac voluntate, quia per fidem et sapientiam sui intellectus, atque per spem et caritatem suæ voluntatis, placuit sponso cœlesti potissime. Et *in caverna maceriæ,* id est in intellectuali memoria, per quam jugiter meditabatur divina. Nam et (teste Evangelista) Maria conservabat omnia ver- Luc. II, 19.
ba hæc, conferens in corde suo. Memoria autem est receptaculum locusque specierum, et quasi venter similitudinum rerum : et ita recte vocatur caverna, imo et caverna maceriæ, id est muri sive parietis,
D videlicet animæ virtuosæ, quæ, juxta Ezechielem, interponit se murum inter Deum Ezech. XIII, 5.
sponsum ac judicem, et inter animas peccatrices, pro quibus laborat, ut eas reconciliet Deo, et protegat a maligno. Dicitur quoque caverna maceriæ, quia latet in corpore, quod inter Deum et animam quasi medius murus est, in quantum frequenter impedit a divinis, quemadmodum S. Andreas cruci appensus, dixit : Tu, Domine, nosti, quoties a tui contemplatione me impedivit.

Digitized by Google

Ostende mihi faciem tuam, id est obe- A
dientialem promptitudinem tuæ mentis,
et cor tuum converte ad meum ample-
xum, ut per incarnationis mysterium ce-
lebrentur in utero tuo nuptiæ personales,
id est unio naturæ humanæ cum divina
in unitate personæ; et tu ipsa in nuptiis
illis sponsa mea singularis efficiaris. *So-
net vox tua in auribus meis,* ita ut dicas,
Luc. i, 38. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum
verbum tuum; ac deinceps completo in-
carnationis sacro secreto, pro beneficiis
tibi impensis gratias mihi referens, dicas : B
Ibid. 46. Magnificat anima mea Dominum, etc. *Vox
enim tua dulcis,* quum ex plenitudine vir-
tutum, summa caritate, ferventissima de-
votione, sincerissima intentione emanet :
ideo tuis laudibus, tuis orationibus, tuis
irreprehensibilibus verbis delector. *Et fa-
cies tua decora,* id est, mens tua pulcher-
rima est. Magnum est valde, creaturam
sic commendari a superaltissimo suo opi-
fice et infallibili creatore. Si quis ab im-
peritis et pueris vilibusque personis lau-
detur, parum appretiat; si autem a justis C
ac sapientibus, forsitan magni pendit :
quanto magis a Creatore, qui est ipsa
sanctitas ac sapientia infinita, incompara-
biliter majus est commendari?

Denique omnia ista ab illo loco, Sur-
ge, amica mea, sponsa mea, et veni, pos-
sunt exponi de Christo, qui in suæ be-
nedictæ Matris gloriosa ascensione, ista
et consimilia ad eam locutus est, ejus-
que faciem glorificatam voluit sibi os-
tendi in throno gloriæ, quo eam juxta se
collocavit; ibi quoque voluit eam affari D
et vocem ejus audire. De talibus amoro-
sis, ardentissimis, suavissimis, laudisonis
vocibus, quibus Christus et Mater vir-
ginea se mutuo alloquuntur ac laudant
cum maxima delectatione in cœlo, multa
in revelationibus sanctæ Brigittæ conti-
nentur : in quibus sponsus ille cœlestis
in supernorum præsentia civium fate-
tur et asserit, allocutiones ac laudes suæ
Matris sibi acceptissimas ineffabiliterque
suaves exsistere. Sed brevitas, cui stu-
deo, prohibet me illa diffusius allegare.

Capite nobis, tu, sponsa, cum tuis, *vul-* 15
pes parvulas quæ demoliuntur vineas. Hoc
Regina cœlorum, universarum electissima
creaturarum, excellentissime adimplevit :
quæ sola omnem hæreticam dicitur pravi-
tatem interemisse; cujus meritis et preci-
bus sancti viri conviccrunt hæresiarchas.
Parvulæ quoque vulpes sunt dæmones vi-
tiosi ac viles, qui parvuli sunt valore, non
malignitate, et tanquam parvuli invisibi-
liter circumquaque discurrunt; atque ob
maximam suam invidiam rite parvuli nun-
cupantur, juxta quod scriptum est : Par- Job v, 2.
vulum occidit invidia. Hinc frequenter in
forma parvulorum Æthiopum, sanctis sunt
viris ostensi. Et nisi sacratissima advoca-
ta ac sponsa ista auxilietur, vineas (id est
Ecclesias ac animas pias) demoliuntur.
Nam vinea nostra floruit, id est universa-
lis Ecclesia, quæ communis est Christo
sponso ac Matri ejus dignissimæ. Christus
enim est Deus, Dominus, salvator et judex,
legiferque Ecclesiæ : Virgo autem Christi-
fera, regina, mater, et advocata Ecclesiæ
prædicatur.

Dilectus meus mihi, et ego illi : id est, 16
sponsus iste omnibus Sanctis dilectus; sed
tanto specialius mihi carus, quanto præ
ceteris me in matrem et sponsam singu-
larem elegit : hic, inquam, dilectus mihi
familiarissime est intentus, cohærens, in-
nixus; et ego similiter illi. *Qui pascitur
inter lilia,* id est in mentibus castis ac
puris. *Revertere; similis esto, dilecte mi,* 17
capreæ hinnuloque cervorum. Hoc tener-
rima et affectuosissima Virgo ac Domina
dixit, Unigenito suo sibi per passionem et
mortem corporaliter ad modicum tempus
ablato : propter quod desolata ac prorsus
mœstissima facta, atque de proxima ejus
resurrectione certissima, desideravit ut
post resurrectionem suam appareret mox
sibi, et reverteretur ad eam : quod cle-
mentissimus Filius utique fecit; et quo
suavissima Mater fuerat ei magis compas-
sa, atque amarius desolata, eo in ista ap-
paritione copiosius ac dulcius consolatus

Digitized by Google

est eam Filius ejus. Tunc quoque et ipsa A Filium exoravit, ut rediret ad suos discipulos atque discipulas, præsertim ad Magdalenam, et sua gloriosissima apparitione consolaretur gregem suum pusillum amarissime desolatum : quod et Filius adorandus tam celerrime egit, ut in hoc capreæ sit assimilatus et hinnulo.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI TERTII : IN LECTULO MEO, ETC. ; DE SPONSO ET SPONSA GENERALI.

ECCLESIA in fine præcedentis capituli B dixit, Revertere, cupiens gratiosum ac dulcem reditum sponsi : quo tardante, ipsa fecit quod in exordio hujus capituli
1 loquitur : *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* In lectulo namque magis sentitur atque molestius toleratur sponsi absentia. In toto autem hoc libro tractatur de spirituali connubio ac divino amore, quasi sub similitudinibus carnalis conjugii ac sensualis dilectionis. Unde quidam obtenebrati, putarunt Salomonem loqui ad litteram de se ipso C et conjuge ejus filia Pharaonis : quod nequaquam putandum, nec littera consonat, imo in multis inde discordat.

Itaque Ecclesia universalis in tribulationibus et persecutionibus constituta, aut solitis gratiarum affluentiis destituta, atque in pluribus deformata, testatur : *In lectulo meo,* id est in quiete meditationum et orationum mearum, et in exercitatione interna conscientiæ meæ, *per noctes,* id est, temporibus adversitatum atque in regione ac umbra* mortis, et in obscuritate D præsentis notitiæ, quæ est per speculum et ænigma, *quæsivi* sponsum *quem diligit anima mea.* Quamvis enim sponsus iste nunquam relinquat Ecclesiam suam in toto, nec quantum ad ea quæ sunt de necessitate salutis; aliquando tamen deserit eam in parte, et quantum ad dulcedinis suæ experimentalem saporem, et quoad hoc, quod eam persecutionibus afflictionibusque exponit. *Quæsivi illum,* id est, dulcem ejus præsentiam, celerem subventionem, optavi et postulavi; *et non inveni* tam cito ut concupivi. Interdum namque, ut tactum est præcedenti capitulo, subtrahit se ad tempus propter causas ibi prætactas, et ut sponsæ suæ fidelitatem experiatur, et ipsa per tribulationes coronari gloriosius mereatur, suoque tempore exaudiatur perfectius : quia, ut sponsus in Evangelio loquitur, Oportet semper orare, et non deficere. Et rursus affirmat : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.

(* alias hac umbræ. — I Cor. XIII, 12. — Luc. XVIII, 1. — Matth. V, 10.)

Surgam, id est, ab ista orationum et 2
meditationum mearum quiete ad tempus cessabo, et in operibus exterioribus bonis me occupabo, et per jejunia, abstinentias, disciplinas et consimilia pœnitentiæ opera quæram dilectum; *et circuibo civitatem,* id est, congregationem totam fidelium undique diligenter considerabo : quod est spiritualiter circuire, et a Deo incipere, atque ad ipsum redire, sicut in motu circulari ad punctum egressionis reditur. Nempe Ecclesia tanquam pia ac sollicita mater, statum suorum considerat filiorum. *Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea.* Per vicos qui strictiores sunt, possunt religiosi intelligi, qui ultra mandata profitentur consilia, et strictiorem ambulant viam; per plateas vero, quæ latiores sunt, sæculares, qui viam mandatorum incedunt. *Quæsivi illum, et non inveni* eum in vicis his et plateis,

quia tam in religiosis quam in sæculari-
bus temporis hujus, magnam deformatio-
nem et scandala, magis quam ædificatio-
nem et opem, inveni.
3 *Invenerunt me vigiles qui custodiunt
civitatem,* id est, prælati ac doctores fi-
delium, quorum est cum vigilantia cordis
custodire ipsos fideles ab infernalibus lu-
pis, a tentationum periculis, a laqueis vi-
tiorum. Unde per Isaiam loquitur Domi-
Is. LXII, 6. nus : Super muros tuos, Jerusalem, constitui
Rom. XII, 8. custodes. Et Paulus hortatur : Qui præest,
in sollicitudine, supple, præsit. Interdum
quoque per vigiles in Scripturis intelli-
Dan. IV, 14. guntur angeli sancti, juxta illud, In sen-
tentia vigilum decretum est ; itemque,
Ibid. 10. Descendit sanctus vigil. Pastores igitur
fidelium jugiter vigilent super creditum
sibi gregem, quemadmodum uni eorum,
et sub persona illius omnibus eis præci-
Apoc. III, 2. pitur : Esto vigilans, et confirma cetera
quæ moritura erant. His itaque vigilibus
mihi occurrentibus interrogatorie dixi :
Num quem diligit anima mea, vidistis ?
id est, estisne desideratam sponsi præsen-
tiam, opem et consolationem experti ? Qui-
bus super sponsi recessu dolentibus, per-
4 transivi. *Paululum quum pertransissem
eos,* totam spem meam ponendo in pietate
et gratia sponsi, eumque perseveranter
quærendo, omni humano relicto solatio,
inveni quem diligit anima mea. Quis enim
Eccli. II, 11. speravit in Domino, et relictus est ab eo ?
Matth. VII, 8. Et sponsus ipse promisit : Omnis qui quæ-
rit, invenit. Sed necesse est persevera-
Thren. III, 31. 32. re in bono incepto. Non enim repellit in
sempiternum Dominus : quia etsi abjecit,
tamen miserebitur secundum multitudi-
nem misericordiarum suarum ; et ipse
Tob. III, 22. post tempestatem donat tranquillitatem,
atque post fletum consolationem infundit.
Sic et frequenter ad tempus reliquit va-
stari ac deformari et affligi Ecclesiam,
et postmodum gratiosissime visitavit, con-
solatus est, et reformavit eamdem ; et
ipsa mater Ecclesia in synodis suis fre-
quenter impetravit adsistentiam sponsi
optatam, atque per sanctos viros desu-
per missos, concupitam reformationem
adepta est.

Tenui eum, id est, constanter ei adhæsi
ac obedivi, et brachiis caritatis amplexata
sum eum tanto avidius, quanto quæsivi
eum diutius, et quo amplius ejus gratiosa
præsentia modo indigeo ; *nec dimittam,*
id est, mentem non avertam ab eo per
negligentiam aut transgressionem, ne rur-
sus ab eo relinquar. Hæc sunt verba boni
et fervidi ac constantis propositi. Sic et
Apostolus dixit : Quis nos separabit a ca- *Rom.* VIII, 35.
ritate Christi ? Et Psalmista : Mihi adhæ- *Ps.* LXXII, 28.
rere Deo, bonum est. *Donec introducam
illum in domum matris meæ, et in cubi-
culum genitricis meæ,* id est, quousque
simul cum illo introducar in regnum tri-
umphantis Ecclesiæ, quæ est mater et do- *Galat.* IV, 26.
mina Ecclesiæ militantis : quod in die
novissimo, completo generali judicio, uni-
versaliter fiet ac consummate, quum di-
xerit Judex ac sponsus : Venite, benedicti *Matth.* XXV, 34.
Patris mei, percipite regnum quod vobis
paratum est ab origine mundi. Interim
autem Ecclesia tenet sponsum suum per
fidem, spem, et caritatem ; tunc vero de-
inceps possessura est eum sine difficultate
atque renisu ac pugna, per visionem, con-
junctionem ac fruitionem felicem. Cubi-
culum vero triumphantis Ecclesiæ, est pax
illa supernæ Jerusalem, omnem sensum *Philipp.* IV, 7.
exsuperans, seu puritas Beatorum confir-
mata in bono, in qua securissime con-
quiescunt. Rursus, domus illa, est tota pa-
tria illa beata. Cubicula vero illius, sunt
diversi gradus præmiorum, juxta diversi-
tatem et exigentiam meritorum. De qua
ait Apostolus : Scimus quoniam si terre- II *Cor.* V, 1.
stris domus nostra hujus habitationis cor-
rumpatur, quod ædificationem habemus
ex Deo, domum non manufactam, æter-
nam in cœlis. — Vel sic : *donec introdu-
cam illum in domum matris meæ,* etc., id
est ad particulares Ecclesias, reformando
eas per auxilium sponsi : quæ sunt do-
mus et congregationes matris meæ, id est
filiæ ortæ ex primitiva Ecclesia, quæ est
mater et genitrix mea, quia prior me tem-

Digitized by Google

pore, et ex ea gratiam et doctrinam sus- A
cepi. Cubicula autem, sunt diversi status
et gradus ordinesque credentium. Unde et
Ps. iv, 5. dicitur in Psalmo : Quæ dicitis in cordi-
bus vestris, in cubilibus vestris compun-
gimini.

Hoc tam sancto sponsæ generalis audito
propositio, Christus jubet filiabus Jerusa-
lem, ne sponsam a suis avellant ample-
5 xibus, dicens : *Adjuro vos, filiæ Jerusa-
lem, per capreas, cervosque camporum, ne
suscitetis, neque evigilare faciatis dile-
ctam, donec ipsa velit.* Estque iste versus B
Cant. ii, 7. præcedenti capitulo expositus : quem spon-
sus ad insinuandum magnitudinem suæ
caritatis sollicitudinisque ad sponsam, hic
repetit. Vel ibi protulit versum hunc ad
Ecclesiam ex Judaismo conversam, hic ad
Ecclesiam ex gentilitate collectam, vel
potius ad eamdem, quantum ad diversas
Ibid. viii, 4. partes ipsius. Attamen etiam infra repe-
titur idem.

Deinde sponsus quasi admirans sponsæ
decorem, agilitatem ac gracilitatem, sub-
6 jungit : *Quæ est ista, quæ ascendit per* C
desertum? id est, per solitudinem hujus
Philipp. ii, 15. sæculi, per medium nationis perversæ a
Deo desertæ, per hoc sæculum nequam
divina inhabitatione privatum, scandit ad
sublimitatem virtutum, ad contemplatio-
nis fastigium, ad altitudinem regni cœlo-
rum ; *sicut virgula fumi ex aromatibus
myrrhæ et thuris et universi pulveris pi-
gmentarii,* id est, subtilis, gracilis, or-
nata, suavis, et in altum se erigens per
spiritualem profectum, contemplationem
sinceram, fervidumque affectum, instar D
vaporis per modum virgulæ in altum ten-
dentis : qui vapor consurgit ac oritur ex
incensione aromaticæ confectionis, factæ
ex myrrha et thure, ceterisque pulveribus
arte pigmentarii præparatis : per myr-
rham amaram, intelligendo corporis mor-
tificationem, et cruciformem Christi imi-
tationem; per thus, quod in sacrificio Deo
offertur, devotionis suavitatem, sine qua
corporalis exercitatio parum aut nihil va-
let, seu bonæ famæ odorem, et delectatio-
nem in actu virtutum, aut certe ferven-
tium orationum fragrantiam, juxta illud
in Apocalypsi : Data sunt ei incensa mul- Apoc. viii, 3.
ta de orationibus Sanctorum. Porro, per
ceteros pulveres aromaticos, intelligendæ
sunt ceterarum virtutum atque donorum
actiones ac delectationes, luce discretionis
commixtæ ac divini igne amoris succensæ.
Ex quibus omnibus procedit a mente tam
virtuosa exhalatio spiritualis, rectissima
prorsus, subtilis, id est pura, dulcis ac
fervens ad Deum affectio; cui sponsa as-
similatur, quoniam ad hoc tendit totus
conatus Ecclesiæ, ut affectione hujusmodi
impleatur, atque in spiritum transforme-
tur, quatenus ab omni carnalitate et vitio-
rum grossitie emundata, feratur ad spon-
sum cœlestem libere ac ferventer, assidue
ac manenter.

En lectulum Salomonis sexaginta for- 7
tes ambiunt ex fortissimis Israel. Per le-
ctulum Salomonis, designatur mens spon-
sæ, in qua cum sponsa sponsus quiescit.
Hunc ambiunt sexaginta fortes electi ex
omni plebe fidelium, id est universi pa-
stores idonei et prædicatores condigni, qui
gregem dominicum et lectulum Dei in eo
custodiunt, sicut prædictum est. Frequen-
ter autem in Scripturis ponitur numerus
determinatus pro indeterminato, sicut in
Psalmo : Cadent a latere tuo mille, et de- Ps. xc, 7.
cem millia a dextris tuis. Horum autem
universitas per sexaginta innuitur, quo-
niam sexaginta sunt sexies decem, seu de-
cies sex. Per denarium vero, adimpletio
Decalogi; per senarium, ipsa observantiæ
hujus insinuatur perfectio.

Omnes tenentes gladios, id est arma vir- 8
tutum contra aerias potestates et aciem
vitiorum. Specialiter vero, teste Apostolo,
gladius spiritualis est verbum Dei, quo Ephes. vi, 17.
resecantur peccata, et cordis aperitur du-
ritia. Rursus, gladius est rigor justitiæ,
justa sententia ac ultio debita : juxta quod
scribitur in Apocalypsi, De ore ejus pro- Apoc. i, 16; xix, 15.
cedebat gladius ex utraque parte acutus;
atque in Psalmo, Gladii ancipites in mani- Ps. cxlix, 6.
bus eorum. Prælati ergo et prædicatores

Digitized by Google

gladios tenent, quoniam verba sacræ Scri- A
pturæ prompte habent in ore, in memoria, in effectu : per quæ verba custodiunt lectulum Christi, quoniam prædicando, hortando, comminando, corripiendo, adversarios humanæ expellunt salutis, et oves Salvatoris purgant, illuminant, et inflammant, ac coram Deo sollicitas red-
II Tim. III, 16, 17. dunt : quia, ut ait Apostolus, Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad exhortandum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum B
instructus. Hinc Christus de se ipso ait in
Is. XLIX, 2. Isaia : Posuit Dominus os meum quasi gladium acutum. Et de ipso increato ser-
Hebr. IV, 12. mone dicitur ad Hebræos : Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. *Et ad bella doctissimi.* Hoc plane pertinet ad pastores et prædicatores, et ad universos curam animarum sortitos, ut sint valde exercitati in conversatione virtutum, in prælio spirituali, in modo ac arte resistendi ac prævalendi hostibus animarum : quatenus valeant non C
solum se ipsos a vitiorum læsionibus præservare, a tentationum circumventione eruere, in dubiis informare, et de spirituali profectu instruere ; sed et subditis suis ac imperitis providere de omnibus istis.

Uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Spirituale femur, est vis intellectiva seu intellectus, per fidem et sapientiam informatus : per quem homo generat filios spirituales, instruendo convertendoque proximos, sicut D
I Cor. IV, 15. quibusdam scribit Apostolus : In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui. Super hoc femur habet unusquisque bonus prælatus ac eruditor gladium, id est verbum Dei : quia Scripturæ verba habet in intellectu, et ex intellectus discretione pronuntiat ea; verbaque oris sui sunt effectus et signa intellectualium suorum verborum. Unde et sponso ait Psalmista :
Ps. XLIV, 4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime. Sic autem unusquisque talium est accinctus, propter timores nocturnos, id est, ad præcavendum sponsæ ac lectulo Christi ab inordinatis timoribus, et a terribilibus, quæ in tenebris et ignorantiis, adversitatibus et tentationibus vitæ præsentis solent occurrere : a quibus omnibus eripitur homo per verbum Dei, quemadmodum scriptum est :
Scuto circumdabit te veritas ejus; non ti- Ps. XC, 5.
mebis a timore nocturno. Sponsus quoque
in Evangelio : Nolite, inquit, timere eos Matth. X, 28.
qui corpus occidunt; sed eum timete, qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam : hoc est, inordinatam propulsate formidinem. Sicque eruditus
quicumque fidelis fiducialiter psallit : Do- Ps. XXVI, 1.
minus illuminatio mea et salus mea : quem timebo? Propter quod dixit Mi-
chæas : Quum sedero in tenebris, Domi- Mich. VII, 8.
nus lux mea est.

Præterea, per sexaginta istos fortissimos et accinctos, intelligi possunt angeli sancti, hominibus pro custodia deputati, juxta
illud Psalmistæ : Angelis suis mandavit de Ps. XC, 11.
te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
Omnes quippe sunt administratorii spiri- Hebr. I, 14.
tus. Hi expertissimi peritissimique consistunt ad præliandum pro suis contra nequissimos spiritus, quos coercent, ne quantum volunt ac possent, impugnent et vexent nos. Illuminant quoque mentes nostras allocutione et instructione interna.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de li- 9
gnis Libani. Per ferculum, quod dicitur cibus seu solium, designatur tota Ecclesia : in qua moratur ac residet sponsus, et eam quasi manducando incorporat sibi. Igne quoque caritatis consumit in ea quod pravum est, ac privatum amorem, ut cum
Apostolo dicere queat : Vivo autem, jam Galat. II, 20.
non ego; vivit vero in me Christus. Hoc ferculum fecit Christus per se ipsum et suos discipulos, prædicando fidem et gra-
tiam influendo, et eos quos prædestinavit Rom. VIII, 30.
pie vocando, sicut in Actibus legitur :
Crediderunt, quotquot præordinati erant Act. XIII, 48.
ad vitam. Hinc in Zacharia de Christo
prædictum est : Ecce vir, Oriens nomen Zach. VI, 12, 13.

Digitized by Google

ejus, et ædificabit templum Domino; et erit sacerdos super solio suo. Hoc ferculum construxit artifex summus de lignis Libani, id est ex electis personis : quæ sic per gratiarum charismata eminent hominibus ceteris, sicut ligna Libani, hoc est cedrus et cypressus quæ in monte Libano oriuntur, ceteris lignis præfulgent, quia secundum Glossam, imputribilis sunt naturæ, et boni odoris, fortia, candida, et formosa. Sic electi vitiorum abhorrent putredinem, boni sunt nominis, caritate ac pietate dulcescunt, virtutibus roborantur, donis ornantur, caritate et gratia sunt decori.

10 *Columnas ejus fecit argenteas :* id est, sanctos Apostolos et apostolicos viros ac virtuosos præsules et pastores fecit ceteris clariores, et in scientia Scripturarum ac eloquentia præfulgentes : Ego, inquiens, dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri; itemque, Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. De talibus inclytissimis viris scripsit et Paulus : Cephas, Jacobus et Joannes, qui videbantur columnæ esse, etc. *Reclinatorium aureum.* Reclinatorium appellatur pars throni superior, super quod caput reclinat se. Aureum ergo reclinatorium, est excellentissima illa persona Ecclesiæ, auro sapientiæ ac caritatis præ cunctis ornata, incomparabilis virgo Maria : in qua Rex omnipotens habitare, incarnari, quiescere præelegit, altitudinem suæ deitatis quasi reclinans in ea. Aureum quoque reclinatorium, sunt personæ eminenter contemplativæ ac fervidæ, ut anachoretæ, in quibus Dominus majestatis præcipue conquiescere perhibetur. Apostolis tamen nec in hac perfectione quisquam præfertur. *Ascensum purpureum.* Ascensus iste tam pulcher, est ordinata virtutum connexio, in quibus ab inferioribus ad sublimiora oportet paulatim ascendere. Rursus iste ascensus, est coaptatio trium statuum, utpote status incipientium, status proficientium, et status perfectorum, per quos oportet gradatim et ordinate ascendere; seu distinctio triplicis viæ, videlicet purgativæ, illuminativæ et perfectivæ; vel cohabitudo virtutum moralium, intellectualium, et theologicarum. Est quoque ascensus Ecclesiæ purpureus, quia per sanguinis effusionem pro fide aut æquitate ad regnum cœleste a præsenti exsilio feliciter atque celerrime scanditur.

Luc. xxi, 15.

Joann. xvi, 13.

Galat. ii, 9.

Media caritate constravit. Media ferculi hujus, puta Ecclesiæ, sunt præcepta, per quæ a via ad patriam pervenitur; et ecclesiastica sacramenta, quæ ad hujus itineris expeditionem valde cooperantur : in quorum primo, id est Baptismo, omnia relaxantur peccata, quantum ad culpam et pœnam; in Confessione autem, ad minus quoad culpæ remissionem : quorum etiam sacramentorum dignissimum, quod Eucharistia nominatur, alio nomine viaticum nuncupatur, quia de via ad cœlestem elevat paradisum. Media quoque sunt evangelica Christi consilia, gratia, virtutes, ac merita : medium equidem dicitur, quod inter duo extrema locatur. Omnia media ista, sunt caritate constrata, complanata et informata : quoniam absque caritate nil prosunt, et ad caritatis plenitudinem omnia ordinantur, atque per eam faciliter adimplentur, quæ sine ea essent utique dura ac gravia ad implendum. Ideo omnibus his Dominus et Salvator caritatem superfudit et conjungi præcepit, mandans ex caritate omnia fieri, et universas ecclesiasticas personas in caritate uniri, unumque effici : In hoc, inquiens, cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si caritatem habueritis ad invicem; et item : Pater, quos dedisti mihi, volo ut sint unum, sicut et nos unum sumus.

I Cor. xiii, 3.

Matth. xxii, 40.

Joann. xiii, 35.

Ibid. xvii, 24, 11, 22.

Sic ergo caritate constrata sunt *propter filias Jerusalem,* id est ad salutem animarum fidelium, quæ sunt filiæ militantis Ecclesiæ, quæ ubertim Jerusalem nuncupatur. Propter has filias, ad subveniendum eisdem, media sunt caritate constrata : quatenus filiæ istæ per caritatem accensæ, prompte obediant, ac perseverare in

Digitized by Google

unitate Ecclesiæ delectentur, atque in communione mystici corporis Christi sponsi sui permaneant ac ditentur, quoniam omnes in caritate exsistentes, sibi invicem suffragantur, et merita sua communicant
Ps. cxviii, 63. atque participant, juxta illud : Particeps ego sum omnium timentium te.

Sed quoniam Unigenitus Dei fecit hæc per assumptam humanitatem, recte subinfertur monitio, ut incarnationis ejus pensemus mysteria, et assumptæ humani-
11 tatis glorificationem intueamur. *Egredimini,* id est, mentes vestras levate ad
Ps. xxxix, 3. considerandum sequentia ; exite de lacu miseriæ, de consuetudine prava, de negligentia ac torpore, de terrenis ad superna, de intellectus obtenebratione, distractione, imaginationeque fœda, vana ac stolida ; *et videte* oculo fidei, o *filiæ Sion,* id est, o animæ speculativæ, seu ad speculandum divina creatæ, *regem Salomonem,* id est Christum verum Pacificum, reconciliatorem perfectum, *in diademate, quo coronavit eum mater sua* in assumpta humanitate, quam ex Virgine gloriosa ac benedicta assumpsit, pulcherrime cunctis divinis charismatibus in extremo termino excellentiæ decoratam. Qua humanitate Verbum æternum, quasi diademate coronatur : quoniam quamvis in sua deitate perfectum sit, nulliusque indigens ; tamen in sua humanitate et incarnatione inenarrabiliter ac præclarissime relucet ac declaratur infinita pietas, dignatio, caritas, munificentia ejus ad genus humanum, et ipsum Verbum æternum, per suam incarnationem et assumptam humanitatem, nos coronavit, ac nostram naturam maxime honoravit. Sic autem mater sponsi istius coronavit filium suum *in die desponsationis illius,* id est in hora incarnationis, quando Filius Dei desponsavit sibi Ecclesiam, et Virginem matrem fecit suam sponsam singularem, ac cum assumpta natura nuptias celebravit ac iniit personales : quod totum jucundissime fecit
Ps. xviii, 6. ex caritate plenissima, exsultans ut gigas ad currendam viam, et ad peragendum

A nostræ salutis mysteria. Ideo subditur : *et in die lætitiæ cordis ejus :* quia de recuperatione honoris Patris æterni, ac salvatione generis humani summe gaudebat.

Insuper potest et ita exponi : *Videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua,* id est Christum in glorificatione suæ humanitatis : qua glorificatione accidentalique præmio, quod sua passione promeruit, tanquam diademate coronatur, sicut in Psalmo habetur :
Posuisti in capite ejus coronam de lapide Ps. xx, 4.
B pretioso. Et Apostolus protestatur : Vide- Hebr. ii, 9.
mus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum ; et denuo, Pro- Philipp. ii, 9.
pter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Propter quod in Apocalypsi asserunt Sancti : Dignus est Agnus, qui occisus est, ac- Apoc. v, 12.
cipere virtutem et divinitatem, et sapientiam et honorem et gloriam. Hinc passione instante, deprecatus est Patrem : Pater, ve- Joann. xvii, 1.
nit hora, clarifica Filium tuum. Denique hoc diademate coronavit Christum mater
C sua, id est Judæa seu Synagoga, de qua secundum carnem est ortus, quia crucifixit eumdem : quam crucifixionem ipse Christus ex summa caritate, obedientia, pietate, et patientia libentissime sustinendo, promeruit taliter coronari a Deo Patre. *In die desponsationis* suæ, id est in sua resurrectione et gloriosa ascensione ad dextram Patris : in qua die desponsavit sibi Ecclesiam excellentiori modo quam ante, conferendo ei ex tunc affluentissima gratiæ dona. Imo et tunc dicitur sibi etiam
D triumphantem desponsasse Ecclesiam, lætificando eam speciali recentique modo de sua corporali præsentia ac triumpho, et præda quam secum tulit in ascendendo, quoniam secum deduxit animas Sanctorum, quas eduxit de limbo. Sicque dies illa fuit dies *lætitiæ cordis* sui, quam deinceps nunquam amittit.

Itaque, o fideles animæ, hoc modo considerate Regem et sponsum vestrum, qui tanta propter vos toleravit, tamque gloriosissime triumphavit : quatenus ejus exem-

Digitized by Google

plo patientiam addiscatis, atque in omni A
afflictione, injuria, persecutione maneatis immobiles ac tranquilli, ut sic vestro conformemini sponso, et paulo post glorificemini ab eodem. Omnes namque qui II *Tim.* III, 12.
pie vivere volunt in ipso, hac via oportet incedere; nec dignus est glorificari, qui respuit compati.

ARTICULUS X

EXPOSITIO EJUSDEM CAPITULI TERTII, DE CHRISTO ET SPONSA PARTICULARI.

1 *In lectulo meo per noctes quæsivi quem* B
diligit anima mea. Immaterialis et incorporeæ animæ, ad supergloriosæ ado-
Gen. I, 27. randæque Trinitatis imaginem conditæ, lectulus utique simplex et immaterialis est : utpote tranquillitas cordis, quando affectionibus reformatis ac simplificatis in Deo, passionum cessat inquietudo et vitiorum tumultus, ipsis quoque tentationibus cito faciliterque resistitur. Anima ergo sic tranquillata, sine delectatione diu
Ps XXXIX, 5. esse non valens, nec tamen in vanitatibus atque insaniis falsis consolationem ad- C
mittere volens, magis vero cupiens adim-
Philipp. IV, 4. plere quod scriptum est, Gaudete in Domino semper; et rursus, Qui gloriatur, in
II *Cor.* X, 17. Domino glorietur : protestatur et ait : *In lectulo meo,* id est in quiete et confidentia conscientiæ meæ, *per noctes,* id est in subtractionibus illuminationum, consolationum, dulciumque præsentiarum sponsi ac Domini mei, et in ariditate ac contri-
Ps. XLIV, 3. stationibus cordis mei, *quæsivi* speciosum forma præ filiis hominum, *quem diligit anima mea,* id est vis animalis seu ego D
ipsa, quæ mea sum, quia post Deum specialiter amo me. Interdum etenim anima amorosa dispensative relinquitur sibimetipsi, et consueta alacritate, lætitia, fervore, meditationumque subtilitate privatur, et quamdam insipiditatem, ariditatem, ac mœrorem illabitur : ita quod cœlum sibi æneum esse videtur, terraque ferrea, et se esse relictam veretur; atque ex consideratione propriæ imperfectionis, fragilitatis, ac defectuositatis, grandem incurrit tristitiam. In hujuscemodi igitur noctibus restat, ut quærat dilectum in lectulo suo : ita ut ab exterioribus occupationibus et curis se abstrahat, et se pro posse recolligat, miserationesque Domini pensans, dicat : O Domine gratiosissime, sponse super omnia prædilecte, in me non est fortitudo emergendi a calamitatum istarum abysso; sed quum ignorem quid agere debe- II *Par.* XX, 12.
am, hoc solum residui habeo, ut dirigam oculos ad te.

Quæsivi illum, ad obtinendum ab eo bona præfatis malis contraria. Quæsivi illum, *et non inveni* ita celeriter atque suaviter, ut optavi. Sic et sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et non exaudis me; *Job* XXX, 20, 21.
sto, et non respicis me; mutatus es mihi in crudelem. Hinc Psalmista loquitur Deo : Usquequo, Domine, oblivisceris me in fi- *Ps.* XII, 1.
nem? usquequo avertis faciem tuam a me? Sed non est cessandum ab ista inquisitione salubri, quum scriptum sit : Quærite Dominum, et confirmamini; quæ- *Ps.* CIV, 4.
rite faciem ejus semper. Certumque est, quod quærens non frustrabitur suæ quæsitionis effectu et fructu, quantum est ex parte benignissimi Dei; verumtamen ex parte quærentis, posset impedimentum accidere : ideo spei sit quidam timor admixtus. Hinc etenim scriptum est : Quis *Joel* II, 14.
scit, si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se benedictionem? Unde et rex Ninive loquitur : Quis scit, si conver- *Jonæ* III, 9.
tatur et ignoscat Deus, et revertatur a fu-

Digitized by Google

rore iræ suæ, et non peribimus? Idcirco subjungitur :

2 *Surgam, et circuibo civitatem,* id est quamcumque congregationem fidelium, seu universalem Ecclesiam. *Per vicos et plateas quæram quem diligit anima mea :* id est, in hominibus activis et contemplativis, in majoribus et minoribus Dei servis quæram dilectum, quærendo ædificationem et instructionem ab ipsis, ac modum pertingendi ad gratiam Dei desideratam. Hoc est a singulis devotorum aliquid virtutis haurire, et instar prudentissimæ apis ex aliorum floribus mellificare, id est unumquemque sequi in bono virtutis, quo ipse magis abundat. Econtrario quidam perversi proximorum mala observant, recogitant, imitantur, et ex eis suas excusant iniquitates, sequentes quasdam aviculas, quæ ex stercoribus sibi præparant nidos. *Quæsivi illum, et non inveni.* Nam sicut piissima mater interdum abscondit se suo infanti, ut ille eam cum ploratu et majori quærat affectu, atque ad ipsam recurrere assuescat; sic sponsus aliquando sponsæ se subtrahit, ut illa gemendo, plorando, quærendo, affectando mereatur paulo post exuberantius invenire. Itaque, quod in tali casu sponsus non invenitur, dissimulatio est, non ira : attamen sponsa inde affligitur ac turbatur,
Ps. xxix, 8. juxta illud in Psalmo, Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.

3 *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Vigiles isti, sunt omnes in caritate et diligentia fervidi, fraternæ salutis zelo accensi, qui pro communi bono Ecclesiæ sunt solliciti, qui animæ tam anxie ac salubriter suspiranti, ac dilectum quærenti, condolent, subvenireque conantur. *Num quem diligit anima mea, vidistis?* id est, si scitis ubi et qualiter inveniatur, mihi insinuate. Angeli autem visitant assidue animas sibi commissas, et intus eas affantur, quos animæ rogant pro directione et ope continua. Nec dubitant animæ virtuosæ, quin angeli sancti videant Deum per speciem, et sancti viri per

A fidem et sapientiæ donum; sed ex vehementia sui fervoris sic loquitur, velut si quis exeuntem de camera regis, interroget, an viderit regem. *Paululum quum* 4
pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea. Non enim potui subsistere, gradumque figere in aliquo citra dilectum, qui creavit me propter se : ideo inquietum est cor meum, nisi ei jungatur. Ideo videns ipse perseverantiam meam, et afflictionem atque inquietudinem bonam, ex sui amoris fervore prodeuntes, misertus B est mei, et ostendit se mihi : quem licet aliquo modo invenerim in præfatis vigilibus atque custodibus, non tamen tam plene, ut quietarer, et sicut optavi; sed ipsis quoque auxiliantibus et orantibus pro me, cupitam gratiæ affluentiam sum sortita.

Tenui eum, quoniam ipse est Dominus *Ps.* lxxxvii, 2.
Deus salutis meæ, creator et salvator meus, qui universis ac singulis infinite est præferendus. *Nec dimittam,* imo omni maligno spiritui, omni tentationi et appe- C titioni ab ipso retrahere me volenti, in æternum resistam, nec a Deo ac sponso meo recedam : juxta illud Psalmi, Ego *Ps.* xxix, 7.
autem dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum. Cum tali proposito ac desiderio Deum quærere et inventum tenere debemus, juxta illud quod scriptum est : In omni corde suo et in tota anima II *Par.* xv, 15.
sua quæsierunt Dominum, et invenerunt. Nempe, qui sic quærunt, invenire merentur. Non enim tam incomparabile bonum cum desidia est quærendum; et ma- D gnam Omnipotenti infert injuriam, qui tepide et cum torpore cupit ei placere. Ideo Moyses asserit : Quumque quæsieris *Deut.* iv, 29.
Dominum Deum tuum, invenies eum; si tamen toto corde et tota tribulatione animæ tuæ quæsieris eum. Verumtamen in tali ac tanto proposito cavendum, ne de suis viribus quis præsumat, sed speret *Is.* l, 10.
pure in Domino, et innitatur super Deum suum. Itaque, Non dimittam illum, *donec introducam illum in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Mater no-

stra, uno modo est gratia Dei ac sapientia, A per quam regeneramur in Domino. Cujus gratiæ seu sapientiæ domus, est mens seu animæ intellectus; cubiculum vero potest dici ipsa synderesis, quæ semper remurmurat malo, atque ad bonum inclinat. In hanc domum ac thalamum debet sponsa introducere sponsum, quia non debet quiescere nec cessare ab inquisitione ac prece, quousque per gratiam gratum facientem sapientiamque infusam præcipuam, sponsus mentem suam atque synderesim firmiter inhabitare ac possidere omnino B dignetur.

6 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii?* Ecce anima virtuosa, Christi sponsa, quæ paulo ante desolata ac arida, per vicos et plateas, quasi mulier præ amore viri dilecti amissi insaniens, quæsivit dilectum : nunc desideratam gratiam alacritatis, illuminationis, inflammationis adepta, non videtur jam ita discurrens; sed tam radiose ascendit, ut paranymphi C sodalesque sponsi super hoc admirentur, dicentes : *Quæ est ista, quæ ascendit* ad verticem caritatis, ad lucem contemplationis, ad plenitudinem cœlestis felicitatis? Rom. VII, 18. *per desertum,* id est in carne ista mortali, in qua (secundum Apostolum) non habitat bonum; vel, Per desertum, id est inter passiones et opera partis sensitivæ ac vegetativæ, quas subjicit sibi. Per desertum etiam designatur vallis hæc lacrimarum. Iterum per desertum significatur religio a mundi voluptatibus, inquietudinibus, D vanitatibusque remota. *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris,* etc., id est linealiter juste, tanquam ab omni privato commodo, et improbo sui amore Matth. V, 6. purgata ac aliena, esuriens sitiensque semper justitiam, nec aliud cupiens nisi Deum et ejus amorem, honorem et gloriam, et nihil sui in se, tanquam plenarie abnegans et mortificans semetipsam : quæ etiam elevatio, cunctarum sibi invicem connexarum actibus delectationibusque virtutum ornatur. Felix anima, quæ sic jugiter cor sursum habet ad Dominum, quærens Coloss. III, 1, 2. et sapiens quæ sursum sunt, non quæ super terram.

En lectulum Salomonis sexaginta for- 7
tes ambiunt ex fortissimis Israel. Lectulus Salomonis, est anima virtuosa, seu mens et tranquillitas ejus. Nam et anima justi, Cf. Prov. XIV, 33. sedes est sapientiæ. Hunc lectulum ambit non solum angelus unus unicuique ad custodiam specialiter deputatus; sed et multi valde, aut etiam millia multa, præsertim tempore opportuno, prout quarto Regum patet de Eliseo, in cujus circuitu apparu- IV Reg. VI, 17. erunt agmina angelorum. Similiter omnes electi in vita hac pro se invicem sollicitantur, et mutuo se confortant, ambiunt ac tuentur desiderando, orando, hortando. Ad quod monens Apostolus, Alter, inquit, Galat. VI, 2. alterius onera portate; et ipsemet Christus, In hoc, inquiens, cognoscent omnes quia Joann. XIII, 35. discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Hinc denuo loquitur Apostolus : Per caritatem servite invicem. Et Galat. V, 13. Jacobus ait : Orate pro invicem, ut salve- Jacob. V, 16. mini. Etenim totus populus christianus, est quasi unus exercitus Dei. In exercitu autem unus constipatur, ambitur, munitur, juvatur ab aliis. *Ex fortissimis Israel,* quia sunt ceteris Deum per fidem cognoscentibus fortiores : qui juxta expositionem præhabitam in præcedenti articulo, sunt ad bella doctissimi, gladiisque accincti.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de li- 9
gnis Libani. Ferculum, seu habitaculum istud, est quælibet anima contemplativa, seu virtutum structura facta in anima : quæ structura constat ex lignis Libani, id est ex virtutibus pretiosis, redolentibus et
excelsis. *Columnas ejus fecit argenteas.* 10
Possunt per columnas intelligi quatuor virtutes cardinales, ædificium spirituale in anima fortiter sustentantes, videlicet justitia, prudentia, fortitudo, et temperantia. Justitia namque est præclarissima virtus, et non est Lucifer nec Hesperus ita admirabilis ac præclarus. Prudentia quo-

Digitized by Google

que non solum est virtus, sed et virtutum
auriga, actuum moderatrix, splendor ac
radius totius bonæ conversationis : per
Rom. xii, 1. quam rationabile fit obsequium nostrum,
I Cor. xiv, 40. et omnia decenter ac secundum ordinem
fiunt in nobis, utpote congruo loco, suo-
que tempore, et recta intentione. Porro
fortitudo est inclyta virtus, aggrediens vi-
riliter ardua, nec timore mortis recedens
a bonis, ac pro communi bono strenue
certans. Temperantia vero, bestialium vi-
tiorum ac voluptatum est refrenatrix, in-
cipiens hominem facere spiritualem, et
præcipue ipsum nobilitans ac decorans,
dum a carnalibus vitiis (in quibus est ma-
xima turpitudo) eum restringit, sicque ad
actus intellectivæ partis eum aptificat. *Re-
clinatorium aureum,* id est theologicarum
virtutum connexionem ac ornamentum :
quæ virtutes sunt ceteris digniores, et per
eas potissime sponsus requiescit in ani-
A ma, quoniam hæ virtutes circa Deum tan-
quam circa proprium objectum immediate
et directe versantur. *Ascensum purpure-
um,* id est ordinationem seu gradus sep-
tem donorum Spiritus Sancti, in quibus
ordo dignitatis perpenditur, et ab inferio-
ribus ad superiora ascenditur. *Media ca-
ritate constravit.* Media seu pavimentum
structuræ istius, sunt virtutes morales et
actus earum : quas Dominus jussit carita-
te perfici ac formari, prout præcedenti ar-
ticulo magis constat expositum. Quidam
B per media, intelligunt opera indifferen-
tia : quæ scilicet in se non includunt ra-
tionem virtutis aut vitii, seu meriti sive
demeriti; quæ tamen, si fiant ex caritate,
virtuosa meritoriaque redduntur.

Egredimini et videte, filiæ Sion, regem 11
Salomonem. Istud juxta præinductam præ-
cedentis articuli expositionem, dirigi po-
test ad quamlibet animam Christi sponsam.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI TERTII, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

1 IN *lectulo meo per noctes quæsivi quem
diligit anima mea.* Sponsus cœlestis
non solum quæritur ab eis, qui caritatem
et gratiam ejus nondum habent, sed ab
his quoque, qui ipsum jam habent per ca-
ritatem et gratiam. Ideo scriptum est :
Ps. civ, 4. Quærite faciem ejus semper. Imo ab ha-
bentibus eum quæritur multo perfectius,
affectuosius et fructuosius, quam a non
habentibus. Itaque habitus quæritur, ut
plenius habeatur, et gratiosius adsit, ac
per gratiæ incrementa assidue quasi de
novo adveniat, sicque tandem gloriosius
possideatur in patria. Quum igitur sacra-
tissima ac suavissima Virgo, quamvis ma-
xime confirmata in gratia, tamen viatrix
fuit et incomparabili ardens dilectione,
excellentissime quoque fuit proficiens om-
C ni die in universis charismatibus Spiritus
Sancti (nec enim unigenitus et liberalissi-
mus atque piissimus Filius ejus, tot guttas
virginei lactis ex deificatis suæ dilectissi-
mæ Matris uberibus suxit, quot illustrati-
onibus et sacris ardoribus, recentissimis
quoque visitationibus et præclaris profe-
ctibus electissimam ejus animam adim-
plevit) : certum est, quod ipsa divinissi-
ma et spiritualissima Virgo, in lectulo suo
non solum spirituali, videlicet tranquillis-
sima sui pectoris pace, sed etiam corpo-
D rali, dilectum suum præ ceteris cunctis
ineffabiliter ardentius, frequentius, stabi-
lius, fructuosiusque quæsierit, intentissi-
me deprecando, præcordialius desideran-
do, sublimius contemplando, copiosius ob-
tinendo.

Digitized by Google

Ad litteram demum, tempus nocturnum specialiter aptum est ad exercitia talia. Conformiter debemus et nos juxta nostræ modulum parvitatis quærere dilectum etiam in lectulo corporali : ita, ut cum præexaminatione et purgatione conscientiæ, pergamus ad lectum, et in meditatione devota seu orando obdormiamus; atque quam cito evigilaverimus, levemus cor nostrum ad Dominum, orando, meditando, laudando eumdem, sicque implendo
Thren. II, 19. quod admonet Jeremias : Consurge, lauda
in nocte in principio vigiliarum, et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini Dei tui.

Quæsivi illum, et non inveni. Hoc superficialiter potest exponi de triduo, in quo sanctissima Domina quæsivit dile-
Luc. II, 42-46. ctum, quum ille duodecim exsistens anno-
rum, mansisset ea ignorante in urbe Jerusalem et in templo : in quo post triduum reperit eum. Quumque primo percepisset absentiam tam dilectissimi Filii, mœstis-
2 sima facta, dicere potuit : *Surgam* mane
de lecto, *et circuibo civitatem* Jerusalem; *per vicos et plateas* ejus *quæram* dilectum,
3 præsertim inter cognatos et notos. *Invenerunt me vigiles :* quod ad litteram ac-
4 cidere potuit. *Paululum quum pertransissem eos, inveni* dilectum in templo in medio doctorum, interrogantem illos et
Ibid. 48. audientem. *Tenui eum,* dicens : Fili, quid
fecisti nobis sic? Ecce ego et pater tuus dolentes quærebamus te. *Nec dimittam.* Tunc quippe ardentissima mente amplexata fuit, et pectori suo purissimo adstrinxit amantissimum Puerum, plorans præ gaudio. Tamen, ut super Lucam loquitur Origenes, non ideo solum Filium suum tam dolorose quæsivit, quod putaverit eum errasse aut perditum esse, quum sciret eum esse verum Deum et hominem, cui nihil fortuitum aut improvisum posset accidere; sed potius verebatur, ne forsan demigrasset ad alia aut ad cœlos redisset, iterum, quum sibi placuisset, descensurus. Sicut et aliquis studiosus quærit in Scripturis sanctis in difficilibus locis sen-
A sum earum cum quodam tormento, non quod putet errare Scripturas; sed quia quod continent nescit, nec invenire faciliter potest : propter quod dolens et anxius investigat, quod invenire non valet. *Donec introducam illum in domum matris meæ* (fortassis beatæ Annæ) in qua habito; vel in templum aut synagogam, hoc est, quousque alia vice personaliter secum intrem materiale templum aut synagogam manufactam, et exeam, ne sic manum meam elapsus, remaneat me non sciente.

B Potest quoque inquisitio ista dilecti, referri ad tempus dominicæ passionis : in quo quum venerandissima Mater novisset Filium suum esse jam captum, cum fidelissima Maria Magdalene currebat per urbem Jerusalem, quousque percepit quod esset in domo pontificis; et quum mane educeretur ad præsidem, occurrit Filio suo : quem tenere, nec dimittere concupivit, imo et mori cum ipso, quousque anima sua, simul cum anima Filii pergeret ad sanctos in limbo.

C Præterea spiritualius loquendo, Deifera sponsa hæc Filium suum quæsivit in lectulo suo corporali ac spirituali, non sibi ipsi dumtaxat, sed et populo Judæorum, ac omnibus, pro quorum salute fuit sollicita et assidue preces fudit, ut eis gratiam conversionis, reformationis, ac consolationis internæ acquireret; nec tamen pro omnibus illis exaudiebatur ad votum, propter illorum nimiam perversitatem. Quumque esset humillima, non tamen de meritis suis præsumpsit. Imo sanctorum Patriar-
D charum ac Prophetarum virtutes ac merita animo perlustravit, et per ea petiit aliquando exaudiri : sicque per vicos et plateas quæsivit dilectum : quem illis transmigratis invenit, quoniam meritis suis potius quam illorum, exaudiebatur pro plurimis. Ideo ait : Paululum quum pertransissem illos, inveni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, id est, non cessabo ab invocatione ipsius, donec introducam illum in domum matris meæ, *et in cubiculum genitricis meæ,* id

Digitized by Google

est in animas congregationum, pro quibus oro, quatenus ipse eas inhabitare et reformare dignetur : quæ congregationes, sunt quædam particulares domus ac filiæ totius Synagogæ, cujus et ego filia sum.

6 *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii ?* De ascensu quotidiani profectus in omni virtute, sanctitate ac deiformi perfectione honorabilissimæ Virginis, omnes cives triumphantis ac militantis Ecclesiæ rite eumdem profectum pensantes, non immerito mirabantur vehementissime. Inæstimabiliter enim profecit singulis horis, quum haberet purissimum corpus animæ suæ omnino promptissime subditum atque obtemperans, fomitemque prorsus exstinctum, ac diligentiam animi summam ac indefessam, caritatem quoque æstuantissimam, stans indesinenter sub contactu Solis justitiæ, qui radios sapientiæ, flumina gratiæ, caritatis ardores assidue ac abundantissime influxit in eam. Sed et superdulcissimus Spiritus Sanctus Matrem ejus a quo ipse vere æternaliterque procedit, continuo incitavit, movit, accendit ad incrementa profectuum. Quid vero Pater æternus comparentali suæ non largiretur? Non dubium quin secretissime, frequentissime, exuberantissime inundavit eam. Ipsa quoque optime fertur ascendisse ut virgula fumi, quoniam ejus profectui non fuit admixta aliqua curvitas culpæ, nec negligentia ulla; sed linealiter prorsus rectissime progrediebatur in omni bono, similis vapori resoluto ex incensione thymiamatis optimi, ex omni aromatica specie confecti : quia in profundo prætacto Virginis excellentissimæ, concurrebant plurimarum actus et ordinatissimæ contemperationes virtutum, suavissime redolentes apud Altissimum. Ascendit autem per desertum, per vallem hanc calamitatum ac fletuum, per terram peregrinationis præsentis, per Synagogam a Deo relictam.

Insuper, ascensum ejus in sublimitate et A profectu contemplationis nullus valet satis mirari : quam profundissime contemplabatur altitudinem imperscrutabilis consilii superbeatissimæ Trinitatis, super modo salvationis generis humani per incarnationem ac cetera mysteria Verbi æterni ex ea veraciter humanati. Quemadmodum enim amabilissimæ Virgini singulariter datum est, ut humanæ salutis mysteria ex ea et per eam efficerentur; sic eminenter datum est ei, ut ab ea profundius contemplarentur. Postremo, quantum quotidie B creverit in dilectione sincerissima Filii sui, imo totius superessentialis incircumscriptibilis Trinitatis, quis posset concipere? quia quum fuerit ab omni sensuali affectione et inordinato amore mundissime aliena, atque in habitu caritatis perfectissima, maxime fuit disposita ad eminentissima caritatis augmenta : quia ex habitu caritatis processit in ferventissimos actus divini amoris; et quo actus illi erant ferventiores, eo majus sortiebantur sanctæ caritatis augmentum.

C Specialiter etiam possunt ista exponi de ascensu Virginis illustrissimæ ac regalis in sua assumptione in cœlos, quando velocissime ac splendidissime ascendit super universos angelicorum spirituum choros usque ad dexteram sponsi, et positus vel potius exhibitus est thronus Matri Regis universorum.

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. 7 Nulli puræ creaturæ tam eminenter ac vere competit esse lectulum, id est humilem D lectum Salomonis seu Christi, ut glorificandissimæ Virgini : in qua summus ille Pacificus elegit concipi, incarnari, ac habitare in medio uteri ejus; spiritualiter quoque gratiosissime in mente ipsius. Hanc igitur electissimam omnium creaturarum, statim ut in utero matris suæ concepta est, Deus Trinitas angelis sanctis custodiendam commisit, eamque frequenter vallavit et honoravit multitudo cœlestis militiæ, non tam ob indigentiam quam ob reverentiam ejus. Sed et gloriosi Apo-

Digitized by Google

stoli ac ceteri utriusque sexus sancti pri-
mitivæ Ecclesiæ, ad eam multoties cum
ingenti reverentia confluxerunt.

9 *Ferculum fecit sibi rex Salomon de li-
gnis Libani*. Præclarissima Virgo aptissi-
me dicitur ferculum, id est thronus aut
solium Salomonis, id est Salvatoris, in
II Cor. v, 19. quo fuit Deus mundum reconcilians sibi :
quoniam ipsa non solum portavit Unige-
nitum Dei in sua mente per fidem, cari-
tatem, ac jugem memoriam, veneratio-
nemque præcipuam, juxta illud Apostoli,
Ephes. III, 17. Habitare Christum per fidem in cordibus
vestris; sed etiam in suo inviolatissimo
utero tulit eum, ex se hominem factum.
Hoc ferculum ipsemet Christus, secundum
quod Deus, fecit, corpus benignissimæ Vir-
ginis per causas secundas formando, cujus
et materiam in exordio produxit ex nihi-
lo, animam quoque felicissimam ejus per
se immediate creando. Spiritualiter etiam
fecit hoc ferculum, sanctificando ac de-
corando illud per gratiam copiosam, juxta
Ps. XLV, 5. quod scriptum est : Sanctificavit taberna-
culum suum Altissimus. Fecit autem illud
ex lignis Libani : quia corpus immacula-
tissimæ Virginis constat ex membris san-
ctis et incorruptis, quibus Christus commu-
Ps. XV, 10. nicavit quod de ipso fuit prædictum : Nec
dabis Sanctum tuum videre corruptionem.
Porro animam Virginis benedictæ sancti-
ficavit ex perfectis, invictis, excelsis, dul-
cissimisque virtutibus.

10 *Columnas fecit argenteas*. Unde in Pro-
Prov. IX, 1. verbiis scribitur : Sapientia ædificavit sibi
domum, excidit columnas septem. Per quas
septem dona Spiritus Sancti accipiuntur,
quæ fulciunt et sustentant animam eis or-
natam. Dona namque in adjutorium dan-
tur virtutum, et eas expedire dicuntur, id
est promptas facere ad agendum : in ad-
jutorium, inquam, theologicarum virtu-
tum, prout primo Moralium docet Gre-
gorius; et ex respectu illarum virtutum
dicuntur argentea, quia inferiora ac niti-
da. *Reclinatorium aureum*, id est arden-
tissimam caritatem, per quam pudicissima
Virgo proxime disponebatur ad concepti-
A onem Verbi æterni. Per fidem tamen fun-
damentaliter disponebatur ad hoc. Propter
quod dixit Elisabeth : Beata quæ credidi- Luc. I, 45.
sti, etc. Per humilitatem quoque de pro-
pinquo et per modum congruitatis : quia
non decuit summum nisi ab humillima
concipi, quatenus pietas ac gratia Dei re-
cognoscerentur in omnibus. Ideo ipsa di-
xit : Quia respexit humilitatem ancillæ Ibid. 48.
suæ. Caritas vero præfervida, qua Dei ho-
norem et proximorum æstuantissime con-
cupivit salvationem, maxime Deo eam
B univit, dignificavit, ac placentissimam fe-
cit. In caritate igitur beatissimæ Dominæ
Deus quievit, resedit, ac ferebatur. Qui
enim manet in caritate, in Deo manet, et I Joann. IV, 16.
Deus in eo; et qui diligit Deum, unus spi- I Cor. VI, 17.
ritus est cum eo. Caritas quoque adstrin-
git, amplexatur, et alligat sibi dilectum.
Ascensum purpureum. Posuit enim as- Ps. LXXXIII, 6, 7.
censiones in corde suo in valle hac lacri-
marum, hoc est ordinatum ac successivum
profectum ab imo humilitatis usque ad
apicem caritatis. Denique ascensus pur-
C pureus fuit dolorosa compassio, qua affe-
ctuosissima ac benignissima Mater Filio
suo paulatim tanto intentius condolebat,
quanto passio ejus magis appropinqua-
vit : ita quod ipso die Parasceves pro-
pter vehementissimum suæ compassionis
dolorem, plus quam martyr effecta est.
Fuitque dolor talis, consolationibus ejus
frequenter admixtus. Quemadmodum enim
dulcissime mirabiliterque gaudebat, in-
fantem puerum Jesum vultu placido con-
spectando, virgineis brachiis deferendo,
D amplectendo, rosea facie osculando, sacris
uberibus nutriendo : sic plane recolen-
do quod a Simeone audierat, Tuam ip- Luc. II, 35.
sius animam pertransibit gladius ; imo
quod a Gabriele sancto perceperat di-
ctum esse ad Joseph de puero, Ipse sal- Matth. I, 21.
vum faciet populum suum a peccatis eo-
rum; quod item ex Prophetis et Psalmis
noverat prophetatum de amantissimo Fi-
lio suo, Foderunt manus meas et pedes Ps. XXI, 17.
meos, ac multa similia : vehementissime
condolebat, et concutiebantur omnia vi-

Digitized by Google

scera ejus materna super innocentissimo A
II Reg. xviii, 33. Filio suo, ita ut cum David dicere videretur : O Jesu fili mi, fili mi Jesu! quis mihi det, ut ego moriar pro te?

Media caritate constravit : id est, quidquid sacratissima Virgo in se habuit, gessit aut pertulit, sponsus ac Filius ejus plenissimo amore Dei et proximorum ornavit : ita quod præfatus piissimæ Matris dolor, sicut ex naturali amore ac materno affectu, quo afficiebatur ad Filium suum, præcipue profluxisse videtur; sic ex infusa caritate, qua divinæ majestatis ho- B
norationem ac mundi redemptionem præcordialissime affectavit, dolor ille mitigabatur, et de fructu passionis Filii sui ingessit ei consolationem non parvam.

Consequenter sapientissima Virgo fructum incarnationis, passionisque Filii sui ardentissime cupiens fructificare in om-
11 nibus, adhortatur : *Egredimini et videte, o filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua,* id est in assumpta humanitate præclarissime decorata, regia, sacerdotali, et judiciaria potestate magnifice sublimata, quam assumpsit ex me; atque in glorificatione humanitatis ejusdem : quam glorificationem a me matre sua accepit, in quantum fui occasio, medium ac subjectum ex quo suæ incarnationis, et ministratrix substantiæ suæ humanationis, per quam, exaltationem et glorificationem corporis sui accidentaleque præmium meruit et accepit. Exinanivit enim se, formam servi accipiens; et humiliavit semetipsum, factus obediens Patri usque ad mortem crucis : propter quod Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Philipp. ii, 7-9. Hæc ergo, o filiæ Sion, id est, devotæ animæ, considerate, ut gratæ sitis Salvatori, ejusque humilitatem sectando, mereamini glorificationis ipsius participes fieri. Cetera ex præinductis expositionibus patent.

ARTICULUS XII

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTI : QUAM PULCHRA ES, AMICA MEA! DE CHRISTO ET ECCLESIA.

Modo in fine præcedentis capituli Ec- C
clesia animas credentium fuit hortata ad considerandum mysteria incarnationis glorificationisque sponsi sui. Videns igitur sponsus ingentem suæ Ecclesiæ caritatem, fervidum zelum, sinceram intentionem, sollicitudinemque pervigilem pro Salvatoris sui honorificentia, cultu et gloria, et pro subditorum salute, vicem rependit, et commendat eamdem, dicendo quasi cum admiratione et ingeminatione, ad insinuandum magnitudinem rei, et affirmationem
1 suæ sententiæ : *Quam pulchra es, amica* D
mea! quam pulchra es, sancta et universalis Ecclesia! in qua sunt semper aliquæ sanctæ et perfectæ personæ, et pulcherrima et pulchrificantia sacramenta gratiæ contentiva, ac sancta officia, supernaturaliaque divinorum charismatum ornamenta. Itaque, pulchra es in naturalibus, tanquam ad superbeatissimæ Trinitatis imaginem et similitudinem condita; pulchrior facta per Baptisma gratiarumque Gen. i, 26, 27. munera; pulcherrima, per sanctitatem et contemplationem sublimem, caritatisque perfectionem. *Oculi tui columbarum :* id est, columbinos oculos habes, scilicet purum intuitum ac pudicum, dirigendo visum tuum ad sponsum cœlestem, aliundeque avertendo, quemadmodum pudicissima sponsa suum dumtaxat inspicit sponsum; simplicem quoque habes intentionem a felle amaritudinis alienam, et duplicitatem, æmulationem, hypocrisim odis. *Abs-*

Digitized by Google

quæ eo quod intrinsecus latet, id est, præter beatitudinem æternalem tibi paratam, quam degustasti, et quæ in tuis meritis continetur sicut effectus in causa, et sicut fructus in flore, ac forma in inchoatione. Unde ait Apostolus : Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. *Rom. vi, 22.*

Vel : Pulchra es in conversatione exteriori, virtuosa et exemplari ; pulchra quoque in prædicatione salubri, ac ædificatoria locutione : quæ pulchritudines aliqualiter apparent ad sensum, sed ex interiori et insensibili pulchritudine dependent ac oriuntur. De qua sequitur : Absque eo quod intrinsecus latet, id est, præter puritatem tuam internam, caritatis fervorem, contemplationis splendorem, indesinentem profectum mentalem, quæ homines latent, Deoque patent. Homo enim videt in facie, Deus autem intuetur cor. *I Reg. xvi, 7.*

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad. In capillis multa considerantur. Primo, quod ex capite immediate nascuntur, et illud ornant, atque subtiles sunt, et præ multitudine innumerabiles esse videntur. Quidam igitur per capillos Ecclesiæ, intelligunt ejus prælatos : quia matri Ecclesiæ proximius hærent, et per quos ipsa parit et instruit ornatque alios. Alii per capillos accipiunt contemplativos : qui subtiles esse censentur, et a carnalitate, rudimentisque sensuum extenuati, ac graciles conversatu. Nonnulli per capillos, ob eorum multitudinem, intelligunt plebem communem ac copiam subditorum : qui recte obediendo, sunt ornamenta capitum, id est superiorum suorum. Omnes hi assimilantur gregibus caprarum : quæ, sicut præhabitum est, sunt acutissimi visus, et agiles motu, et in montanis pascentes. Sic præfati per fidem illuminatam et sapientiam salutarem intuentur acute, et discernunt vera a falsis, salubria a nocivis; celeriter quoque divina exsequuntur præcepta, et in ecclesiasticis sacramentis atque Scripturis aluntur ; invicem quoque coordinati sunt : quæ mutua ordinatio multitudinem valde perornat. Hinc quæ a Deo sunt, ordinata esse feruntur. *Rom. xiii, 1.* Porro Galaad interpretatur, tumulus testis, vel acervus testimonii, ut patet in Genesi. *Gen. xxxi, 47, 48.* Idcirco per montem Galaad, designatur sacræ Scripturæ sublimitas, in qua est abundantia testimoniorum de Christo. Et etiam per montem hunc significatur sacramentorum ubertas, gratiæ ac virtutum fertilitas : quibus omnibus optime nutriuntur fideles, sicut ad litteram in monte Galaad bona pro pecoribus pascua abundabant. Itaque, de hoc monte ascendunt fideles per spiritualem profectum ad regnum cœlorum.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ 2
ascenderunt de lavacro. Greges ovium tonsarum ascendentes de aqua, in qua lotæ sunt, tam a quantitate et onere suæ lanæ, quam a sordibus sub lana latentibus, alleviatæ sunt ac purgatæ. Sic dentes Ecclesiæ, id est prædicatores, doctores, et propugnatores fidei christianæ (qui animarum cibaria, scilicet sacras doctrinas terunt, frangunt, transfunduntque proximis), ab omni carnalium vitiorum mollitie, ab onere sollicitudinis immoderatæ, a superfluitate temporalium rerum, atque a fœditate culparum temporalibus annexarum, debent esse exonerati et emundati, atque ad baptismalis innocentiæ puritatem reducti : quatenus, qui futuram vitam, et ejus æternam, incomparabilem ac perfectam beatitudinem prædicant et commendant, inveniantur terrena contemnere, et ad futuram felicitatem toto affectu accelerare; qui etiam lacrimis pœnitentiæ, fletuque oriente ex desiderio ac dilatione cœlestis patriæ, debent se ipsos quotidie baptizare, ut sint purgati, illuminati, perfecti, quorum officium est alios purgare, illuminare, perficere. Hinc Christus suos ad prædicandum mittens discipulos : Nihil, inquit, tuleritis in via, neque sacculum, neque pecuniam, nec duas tunicas habeatis. *Luc. ix, 3.*

Omnes gemellis fetibus : id est, oves sic tonsæ, duplum habent fetum, saltem

Digitized by Google

in terris quibusdam; *et sterilis non est*
inter eas. Sic præfati dentes Ecclesiæ, du-
plici fecunditate debent fulgere, videlicet
exhibitione exempli, et sermone salubri.
In virtutibus quoque debent ceteris fru-
ctuosiores exsistere; et duo caritatis præ-
cepta implendo, tam Deo quam hominibus,
id est sibi ipsis ac proximis, fructifica-
re : sicque creditis sibi talentis uti cum
lucro, concessamque eis gratiam commu-
nicare atque influere populo, ut dicere
Luc. xix, 16. queant : Domine, mna tua decem mnas
fecit.
3 *Sicut vitta coccinea, labia tua.* Labia
Ecclesiæ sunt homines studiosi in Scriptu-
ris periti, et sacra dogmata scribentes, aut
aliis proponentes : qui comparantur vittis
coccineis, id est rubeis ligaturis, quibus
restringuntur capilli ne defluant; et hoc,
duplici ratione : primo, quia doctrinæ et
locutiones eorum sunt sibi invicem coor-
dinatæ, contextæ, et cohærentes, sicut fila
in vittis; secundo, quoniam sicut vittæ
restringunt capillos, sic verba idoneæ
prædicationis refrenant cogitationum dis-
tractiones, et affectionum inordinationes,
mentesque audientium in Deum recolli-
gunt. Et quia de Christi salutifera passio-
ne, et qualiter per eam simus redempti,
debent assidue prædicare, merito vittis
assimilantur coccineis. Hoc utique faciunt,
dum instruunt populum, qualiter omni
hora perpendere debeat in divinæ maje-
statis adspectu se omnia agere, et metu-
endum Dei judicium atque amarissimam
Christi passionem semper pensare, et illud
Ps. xxiv, 15. Psalmographi, Oculi mei semper ad Domi-
num, ruminare frequenter in corde. *Et*
eloquium tuum dulce, quia delectabile et
jucundum, amorosum, salubre, facundum,
exemplare et consolatorium : juxta quod
Ps. cxviii, 103. scriptum est, Quam dulcia faucibus meis
eloquia tua! Hoc eloquium, est sacra Scri-
ptura, stilo plana, sententiis plena, my-
steriis gravida : in quo Deus Trinitas vere
creditur, cognoscitur et laudatur, Chri-
sti mysteria continentur, divina præcepta,
consilia, testimonia, hortamenta ac varia
A scripta sunt documenta, et novissima ho-
minum describuntur.

Sicut fragmen mali punici, ita genæ
tuæ. Genæ Ecclesiæ, sunt personæ con-
templativæ, pacificæ, pudicæ, ac dulces
in sua conversatione. In genis namque fit
osculum, et pulcher apparet color, ac cito
apparet verecundiæ rubor, atque amplior
teneritudo sentitur. Hæ personæ compa-
rantur non malo punico, sed fragmini
ejus, seu frusto mali granati : per quod
sponsus significatur, cujus perfectio a ne-
B mine valet plenarie imitari, aut participa-
ri; sed unusquisque pro modulo gratiæ
sibi collatæ, imitatur ipsum pro parte, et
in istis aut illis virtutibus secundum ali-
quem gradum. Nempe in malo seu pomo
punico invenitur exterior quædam asperi-
tas, et dulcedo interior, granorum colle-
ctio, decor coloris, venusta quoque varie-
tas ex albi rubeique coloris permixtione.
Ita in Christo fuit asperitas exterioris
vestitus. Unde ait in Psalmo : Posui vesti- Ps. lxviii, 12.
mentum meum cilicium; itemque, Ego Ps. xxxiv, 13.
C autem, quum mihi molesti essent, indue-
bar cilicio. Intus vero fuit in superiori
parte animæ Salvatoris dulcor beatificæ
fruitionis. Fuit quoque in eo granorum,
id est omnium virtutum ac donorum, col-
lectio, in totius excellentiæ termino; et
decor coloris, id est honestissimus ac sum-
me exemplaris apparatus exterior in vul-
tu, incessu, gestu, sermone et factis; ve-
nustissima item varietas ex permixtione
albi rubeique coloris, id est præclarissima
unio divinæ ac humanæ naturæ, et com-
D munio actuum utriusque, idiomatum etiam
communicatio, quia in ipso divina adscri-
buntur homini, et Deo humana. Nam et
Deus dicitur passus, et homo vocatur uni-
genitus Filius Dei : in quibus semper pen-
sandum quid propter quod dicatur. Pro-
pter quod magnus et divinus Dionysius
Christi actionem vocat theandricam, id
est deivirilem.

Tales ergo sunt genæ Ecclesiæ, *absque*
eo quod intrinsecus latet, id est præter
interiorem ejus soli Deo notam perfectio-

Digitized by Google

nem, sicut expositum est. Habet quippe A
in secretissimo cordis sinu, in apice mentis mysticam theologiam et sapientialem
pudorem, quo coram sponso erubescit in
quocumque reprehensibiliter se habere,
aut quantumcumque parum offendere.

4 *Sicut turris David collum tuum, quæ
ædificata est cum propugnaculis.* Collum,
inter caput et corpus, est medium, nectitque ea in unum; et ipsum erigitur, ut
undique longius ac latius circumspiciatur, et imminentibus resistatur periculis.
Recte ergo per collum Ecclesiæ, accipiun- B
tur custodes et curati, qui præsident: qui
inter Christum caput omnium, et inter
populum mediant, et Deo reconciliant plebem, cui et dona gratiæ desuper impetrant, ac sacramenta ministrant; oculum
quoque circumspectionis dirigunt et circumferunt undique, considerando statum,
impugnationes, indigentiamque Ecclesiæ,
ut super his avisent et cautum reddant
populum Dei. Isti elevantur in altum, non
elatione, sed prælatione, magnanimitate,
perfectione, et circumspectione. Ideo as- C
similantur turri David ædificatæ cum propugnaculis, id est pinnis murorum, ex
quibus contra hostes pugnatur. Sic et isti
pro subditis et sibi commissis, contra adversarios salutis talium, præliantur orando, virtuose vivendo, hortando, instruendo, corripiendo.

Mille clypei pendent ex ea, id est in
muris turris Davidicæ, in signum apparatuum bellicorum ipsius; *omnis armatura*
II *Reg.* XXIII, 8 *et seq.*; I *Par.* XI, 10 *et seq.* *fortium.* Legitur autem secundo Regum
et primo Paralipomenon David rex habu- D
isse triginta septem fortes, tres fortiores,
tresque fortissimos: inter quos ipsemet
exstitit unus, ut aliqui opinantur. Unde
quum dicitur, Mille clypei, videtur numerus determinatus sumi pro indeterminato. Sic, imo incomparabiliter magnificentius, per gyrum ecclesiasticæ sublimitatis
et in congregatione fidelium, est omnium
armatura virtutum, innumerabilesque clypei, ad defendendum fidem Ecclesiæ contra universos ipsius hostes invisibiles atque visibiles. Clypei isti, sunt auctoritates,
testimonia et doctrinæ sacræ Scripturæ et
sanctorum Patrum ac catholicorum doctorum, miracula, sanctitas et virtutes fidelium, aliaque diversa multa ac copiosa
Spiritus Sancti charismata. Unde de evangelicæ legis doctrina Apostolus scribit:
Quæ in nos confirmata est, contestante *Hebr.* II, 3.
Deo signis et virtutibus et prodigiis, et 4.
variis Spiritus Sancti distributionibus. His
scutis et armis convincuntur hæreticæ
pravitates, omnisque infidelitatis perversitas.

*Duo ubera tua, sicut duo hinnuli ca- 5
preæ gemelli.* De duobus uberibus sponsi, dictum est super illud: Quia meliora *Cant.* I, 1.
sunt ubera tua vino. Porro duo Testamenta, seu doctrina legis Mosaicæ ac sapientia
Evangelicæ legis, quæ dicuntur duo ubera
sponsi, tanquam datoris ac Domini, sunt
etiam ubera sponsæ seu universalis Ecclesiæ, tanquam recipientis, ministerialiterque utentis. Et quia hæc sponsa humiliter se suo conformat sponso: ideo sicut
in Christo duo ubera etiam intelliguntur
caritas ejus ac pietas; ita et ubera ista
Ecclesiæ et prælatorum ipsius, sunt caritas et pietas, seu discretio et misericordia, vel diligentia pastoralis et quotidiana
instructio: per quæ omnia subditos suos
maternaliter fovet, nutrit, lactat Ecclesia,
sicut Paulus testatur: Libentissime im- II *Cor.* XII,
pendam et superimpendar ipse pro ani- 15.
mabus vestris; et iterum, Facti sumus I *Thess.* II,
parvuli in medio vestri, quomodo si nu- 7.
trix foveat filios suos. Rursus, duo ubera
Ecclesiæ, sunt sustentatio filiorum ejus,
tam spiritualis quam corporalis. Verum,
secundum Gregorium, duo ubera sunt duo
prædicantium ordines, quorum unus missus est ad Judæos, alter ad gentes, prout
Paulus fatetur: Qui operatus est Petro in *Galat.* II, 8.
apostolatum circumcisionis, operatus est
et mihi inter gentes. — Ubera ista Ecclesiæ, comparantur gemellis hinnulis capreæ: quoniam spirituali renovatione sunt
florida, humilitateque parva, ac invicem
concordantia et connexa, dilectionem quo-

Digitized by Google

que et concordiam inter superiores ac
subditos, et inter subditos inter se, inter
superiores etiam inter se facientia; iterum,
quoniam instar hinnulorum capreæ
procedunt in actus virtutum celerrime, ac
interiori visus acumine vigent.

Qui pascuntur in liliis : id est, quæ
ubera, seu pastores significati per hinnulos,
spiritualiter nutriuntur in splendidis
ac suavibus Sanctorum sententiis, doctrinis,
virtutibus et exemplis, præsertim in
candore castimoniæ et puritatis flagran-
* fragrantia tia *. *Donec adspiret dies,* id est, clara
6 cognitio Dei per speciem, seu dies æternitatis,
aut retributio diei generalis judicii
veniat, *et inclinentur umbræ,* id est,
obscuritas cognitionis præsentis, tenebræ
hujus exsilii, umbraque mortis cessent.
Interim enim durat lactatio uberum Ecclesiæ
in hac vita; sed in die æternitatis
ac beatifica visione cessabit, quia ex tunc
I Cor. xv, 28. erit Deus omnia in omnibus, militansque
Ecclesia ad triumphantem translata, et
unum cum illa effecta, immediate ac plene
a Deo illuminabitur ac pascetur.

*Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem
thuris.* Per myrrham amaram, et corpora
a corruptionibus præservantem, significatur
austeritas vitæ pœnitentialis,
rigor justitiæ, mortificatio carnis; per thus
vero, quod dulciter redolet, et in cultu
divino accenditur, insinuatur fervor devotionis,
suavitas orationis, et contemplativæ
redolentia vitæ. Itaque sponsus testatur :
Vadam ad montem myrrhæ : id
est, eos misericorditer visitabo, qui in arduis
pœnitentiæ exercitiis occupantur, et
rigori pœnitentiæ sunt intenti, et se ipsos
salubriter mortificare nituntur, et dicunt :
Ps. XLIII, 22. Quoniam propter te mortificamur tota
Ps. XVI, 4. die; itemque, Propter verba labiorum tuorum
ego custodivi vias duras. Hos ergo
sponsus consolatur ac refovet, et gratiæ
dona auget in eis. *Et ad collem thuris,* id
est ad eos qui in eminentia devotionis,
dulcedine orationis, et contemplativæ vitæ
redolentiis conquiescunt. Hi familiarius
desuper invisuntur, gratiosius adimplen-

A tur, et nutriuntur in croceis, et introeun- Thren. IV, 5.
tes domum mentis, cum sapientia delectantur.
Itaque per montem myrrhæ, possunt
intelligi in vita activa constituti; per collem
thuris, contemplativi. Et quamvis sublimior
sit contemplativorum vita, quam
activorum; activi tamen per montem, contemplativi
per collem signantur : quoniam
multo plures sunt activi, quam contemplativi;
et quoniam contemplatio vitæ hujus,
permodica est respectu futuræ. Sed
quia in multis offendimus omnes, necesse Jacob. III, 2.
B habemus primo montem myrrhæ accedere,
et per pœnitentiæ opera nos purgare;
sicque per exercitia viæ illuminativæ, per
orationes intentas et meditationes suaves,
ad collem thuris venire.

Tota pulchra es, amica mea, et macu- 7
la non est in te. Hoc concordat Apostoli
verbis, dicentis : Elegit sibi gloriosam Ec- Ephes. V, 27.
clesiam non habentem maculam neque
rugam, nec aliquid ejusmodi, sed ut sit
sancta et immaculata : quod tamen, secundum
Hieronymum super Jeremiam, et
C Bernardum in sermone quodam, competit
Ecclesiæ pro statu futuro. Attamen convenit
ei aliquo modo etiam in præsenti,
quantum ad membra sua principaliora
seu meliora : quoniam semper sunt in
Ecclesia aliqui sancti, imo et multi, in
quibus non est macula culpæ mortalis. Potest
quoque contingere, quod aliqui sint
tam custoditi ac fervidi coram Deo, quod
interdum ad aliquantulum temporis sint
etiam sine veniali : dum pro suis quotidianis
culpis quotidie tantam pœnitenti-
D am agunt, et tantum accenduntur in Deo,
atque de minimis culpis sic erubescunt,
quod non solum pro eis satisfaciunt plene,
imo etiam crescunt in caritate et in
omni virtute, ita quod evolant, si in tali
dispositione obierint. Est ergo Ecclesia tota
pulchra, id est ab inquinamentis carnis II Cor. VII, 1.
ac spiritus munda : in appetitu sensitivo,
per virtutes morales a passionum immoderantiis
reformata; in intellectu, per fidem,
scientiam, prudentiam, consilium, sapientiam
decorata; in voluntate vero, per

Digitized by Google

spem, caritatem, justitiam; in memoria,
per stabilitatem in istis : multis quoque
virtuosis abundans operibus, ac ædificatoriis verbis, meritisque præclaris; et in
quibusdam personis, etiam sanctitate virtutibusque heroicis pollens.

Nec his obstat, quod Ecclesia asseritur
deformata, imo et meretrix facta, ut ali-
Is. i, 21. qui dicunt super illud Isaiæ : Quomodo
facta est meretrix civitas fidelis? Totum
enim integrale, secundum diversitatem suarum partium, diversas sumit denominationes. Unde Apostolus Corinthiis scri-
I Cor. i, 5, 7. bens : In omnibus, inquit, divites facti
estis in illo (puta in Christo), ita ut nihil
vobis desit in ulla gratia. Et tamen eisdem
Ibid. iii, 3. paulo post loquitur : Quum sit inter vos
zelus et contentio, nonne carnales estis,
et secundum hominem ambulatis? Item-
Ibid. 1. que : Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Dicitur ergo
Ecclesia deformata, aversa, exsanguis, seu
meretrix facta, quantum ad credentes scilicet, caritatem et opera non habentes, imo
vero vitiis sordidatos, quorum animæ non
sunt sponsæ Christi, sed adulteræ diaboli. De hoc Gregorius super Job, et Alexander de Hales super tertium Sententiarum
plenius sunt locuti.

8 *Veni de Libano, sponsa mea, veni de
Libano, veni.* Ecce ter sponsam invitat
venire : primo, ad commendationem beatissimæ Trinitatis, quæ est unus sponsus
omnium beatorum spirituum atque fidelium animarum, quamvis ratio sponsi magis proprie conveniat Verbo incarnato, ut
dictum est; secundo, ad ampliorem exci-
Jer. xxii, 29. tationem, sicut in Jeremia, Terra, terra,
terra, audi verbum Domini; tertio, ad insinuandum sui amoris fervorem ad sponsam suam. Ter quoque hortatur ut veniat,
quatenus mentis cogitatu, oris sermone, et
operum exhibitione, ad ipsum accedat. Et
rursus, quia per tres virtutes theologicas
fit spiritualis iste accessus. Itaque, veni
per fidem, spem, et caritatem, de Libano,
id est de mentis renovatione ac puritate :
Libanus enim, candidatio interpretatur.

A Secundum Gregorium, per Libanum, designatur Baptismus, in quo purgatur Ecclesia, fidemque recipit, per quam una
cum gratia ad coronam vocatur. Simili
modo posset per Libanum pœnitentia, contritio, seu confessio accipi : omnia enim *Ps.* xxxi, 5
in confessione lavantur. *Prov.* xxviii, 13.

Veni de Libano, id est de justa conversatione ad beatificam visionem; *veni,* de
merito ad præmium, de fide ad speciem,
de curriculo ad quietem, de tempore ad
æternitatem, de luctu ad bravium, de via
B ad patriam, de periculo ad securitatem, de
miseriis ad salutem; *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon,
de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* id est, coronam gloriæ sortieris pro
diligentia et labore, quo convertisti ad fidem principes et magnates sæculi hujus.
Amana enim interpretatur inquietus seu
turbulentus; Sanir vero, fœtor; Hermon,
anathema. Sicque per Amana intelliguntur
homines passionati, tyranni et persecutores justorum, de quibus loquitur Isaias,
C Impii quasi mare fervens, quod quiescere *Is.* lvii, 20.
non potest; per Sanir autem, gulosi et
lubrici, qui fœditatibus serviunt carnis,
de quibus exponitur illud Joelis, Compu- *Joel* i, 17.
truerunt jumenta in stercore suo; per
Hermon, superbi et spiritualibus vitiis dediti, qui sunt anathema et separati a Domino. Per leones demum exprimuntur homines feroces, voraces, et violenti; per
pardos, simulatores et callidi ac immisericordes, quoniam pardus est animal crudele, varietatem et maculas habens co-
D lorum. Similiter diversis vitiis indurati,
signantur per pardum, juxta quod loquitur
Jeremias : Si Æthiops potest mutare pel- *Jer.* xiii, 23.
lem suam, et pardus varietates suas, et
vos poteritis benefacere, quum didiceritis
malum. Porro, secundum Glossam, per leones et pardos dæmones designantur : de
quibus precamur, Ne tradas bestiis ani- *Ps.* lxxiii, 19.
mam confitentem tibi. Unde et princeps
ait Apostolorum : Adversarius vester dia- *I Petr.* v, 8.
bolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Horum montes atque

Digitized by Google

cubilia sunt iniqui, in quorum cordibus A regnabant ac habitabant. Coronaberis ergo de capite Amana, id est pro conversione capitaneorum ac principalium inter eos, qui per Amana sunt expressi; de vertice quoque Sanir et Hermon, id est, pro eo quod avertisti ad me sublimiores inter eos, qui per Sanir et Hermon notantur. Hinc conversis per se scribit apostolus
I Thess. II, 19. Paulus : Quæ enim est spes nostra, aut gaudium, aut corona gloriæ ? Nonne vos ante Dominum ?

Nec mirum, o sponsa, quod toties te B
9 invito ad gloriam. Nam *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa :* id est, tu, Ecclesia, quæ es soror per conformitatem naturæ quam assumpsi, et sponsa per caritatem præcipuam, in tantum me provocasti ad tuum amorem, tamque dilecta et cara es mihi, quod præ tuo amore et desiderio tuæ salutis mortem sustinui, et tuæ damnationi vehementissime condolui, et quasi vulnere amoris fui percussus. Ideo repeto : *vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum,* id est per columbinum il- C lum intuitum quem habes ad me, et per puram ac simplicem intentionem qua meum intendis honorem. Vel, In uno oculorum tuorum, id est in unitate fidei qua me cernis. Habes enim oculum scientiæ naturalis, seu lumen naturalis ingenii. Habes quoque oculum fidei, quo supernaturalia intueris, per quem mihi amplius
Rom. I, 17. places, quoniam justus ex fide vivit. *Et in uno crine colli tui*. Per crines Ecclesiæ, sicut præhabitum est, uno modo intelligitur populi multitudo; et per collum, D ipsi prælati, qui inter Christum caput et corpus communitatis sunt medii, et caput corpori illi annectunt. Sicque per unum crinem colli, insinuatur unitas plebis fidelis suis præsidentibus adhærentis, ut sic
I Cor. XI, 3; Ephes. IV, 15. capiti (quod est Christus) per obedientiam conjungantur : quod præcipue placet
Luc. X, 16. sponso, qui suis ait vicariis : Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, me sper-
Hebr. XIII, 17. nit. Propter quod monet Apostolus : Obedite præpositis vestris, et subjacete illis.

Præterea (ut apparet) sponsus hic loquitur per modum amantium, qui frequenter ex intuitu alicujus partis seu rei personæ dilectæ, ita in ejus accenduntur amore, ut quasi vulnerati amore perhibeantur; qui etiam ex oculorum et capillorum dilectæ adspectu solent ad eam affici valde. Sic ergo nunc asserit sponsus : Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui, id est, in tantum te amo, ut etiam quæcumque pars tua seu res tibi conjuncta, meam dilectionem inflammet. Imo qui diligit vehementer personam, si viderit aliquam ei multum consimilem, mox medullitus grandi affectu concutitur. Quumque oculi Ecclesiæ dicantur doctores et magistri fidelium, præsertim gloriosi Apostoli ac beatissimi Evangelistæ, posset per unum oculorum intelligi discipulus ille, quem Joann. XIII, 23.
diligebat Jesus, S. Joannes; et per unum crinem, amorosa Maria Magdalene, imo potissime beatissima virgo Maria.

Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror 10
mea, sponsa! Mammæ Ecclesiæ, sicut inductum est, sunt caritas Dei et proximi, vel pietas et doctrina, seu utriusque Testamenti scientia, vel ipsi prædicatores atque prælati : quæ utique mammæ, pulchræ sunt valde, virtuosæ, ornatæ, divinæ, atque uberibus sponsi consimiles. *Pulchriora sunt ubera tua vino,* id est omni temporali materialique bono ac poculo, quia salubrius alunt ac dulcius. Meliora sunt etiam ubera evangelicæ compassionis ac consolationis, vino rigoris legalis. Similiter doctrina Christi, melior atque perfectior est doctrina Moysis. Juxta quem modum in Proverbiis legitur : Melior est Prov. VIII, 11.
sapientia cunctis opibus. At vero sicut corporeæ mammæ sunt pulchræ, quum fuerint plenæ ac rigidæ, albæ ac modicæ : sic spiritualia ubera pulchra censentur, quum per prædicationem et comminationem divinæ justitiæ fuerint rigida; per commemorationem divinæ pietatis et futuræ glorificationis, plena; per doctrinam sinceram, nil falsitatis includentem, alba;

per planum humilemque sermonem, modica. Rursus, ut asserit Beda, prædicatores et pastores Ecclesiæ interdum comparantur mammis, aliquando oculis, quandoque dentibus : mammis, eo quod consolentur pusillanimes ac infirmos, et instruant subditos ; oculis, quoniam sapientiam loquuntur inter perfectos, et bona a malis, vera a falsis discernunt; dentibus, quia corripiunt inquietos ac reos. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata :* id est, dulcedo, delecta fama, quam tu, o sponsa Ecclesia, habes, ex tuis unguentis, id est supernaturalibus donis Spiritus Sancti, et infusis virtutibus, præsertim ex fide, spe, caritate, præstantior, spiritualior, divinior est aromatibus materialibus universis, et etiam virtutibus naturalibus acquisitis, philosophicisque scientiis, operibus quoque bonis ex genere, quæ a malis hominibus fieri queunt.

I Cor. II, 6. — I Thess. V, 14.

11 *Favus distillans labia tua, sponsa :* id est, melliflua verba habes ; et labia tua, videlicet prælati et prædicatores, saluberrima atque dulcissima sermocinantur eloquia de bonitate, amabilitate, excellentia et beatitudine Dei in semetipso, atque de omni misericordia, caritate, munificentia ejus ad rationales creaturas, præsertim ad Christianos, de beneficiis ac promissis ipsius, de mysteriis Christi, et de ceteris quæ in divinis continentur Scripturis.

Mel et lac sub lingua tua : id est, doctrinam habes salubrem ac dulcem pusillis incipientibusque convenientem : qualiter scilicet debeant carnalia atque mortalia vitare peccata, exteriorem componere hominem, exteriores sensus reprimere, linguam domare, ad humilitatem, mansuetudinem, patientiam, caritatem se dare, et divina ac ecclesiastica observare præcepta. Et ista designantur per lac, quod cibus est puerorum. Unde et princeps apostolici chori hortatur : Quasi modo geniti infantes rationabiles, lac concupiscite. Paulus quoque : Quasi parvulis, inquit, lac vobis dedi. Interdum tamen per lac, innocentia et puritas designantur. Et potest hoc loco per lac intelligi doctrina ad Christi humanitatem ac ejus mysteria, virtutes ac opera pertinens : quod scilicet Unigenitus Dei propter nos factus est homo, et conversatus in mundo in summa paupertate, profundissima humilitate, immobili patientia, ardentissima caritate, et tandem acerbissimam mortem perpessus; et qualiter debeamus eum sequi in istis. Per mel vero, doctrina spectans ad divinitatem ejus : qualiter ab æterno invariabiliter natus sit ex Patre, se ipsum in se concipiente, intelligente ac proferente, cujus prolatio est generatio Verbi æterni, quod est unigenitus Filius ejus. Iterum, per mel accipi potest doctrina proficientibus ac perfectis conveniens : qualiter debeant se jugiter interius exercere, et mentem Deo unire, eumque contemplari sinceriter, amare ardenter, tenere, stringere, et amplecti stabiliter. Unde dixit Apostolus : Perfectorum est solidus cibus; et, Sapientiam loquimur inter perfectos. Hinc ait Fulgentius : In sacra Scriptura seu sermone dominico, est quod omni professioni congruat, quod omni ætati conveniat.

I Petr. II, 2. — I Cor. III, 1, 2. — Joann. I, 14. — Hebr. V, 14. — I Cor. II, 6.

Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Virtutes et dona Spiritus Sancti, ac meritorii actus, sunt vestimenta, ornamenta ac arma Ecclesiæ et uniuscujusque fidelis. De quibus in Isaia ait Ecclesia : Induit me Dominus vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me. Ad quod pertinet illud in Psalmo : Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato. Itaque vestimenta dicuntur, quoniam contra æstum concupiscentiæ, et frigora invidiæ atque acediæ, ac ceterorum intemperiem et immoderantiam vitiorum defendunt. Dicuntur etiam ornamenta, quia coram Deo pulchrificant, et ad intuendum delectabilem efficiunt ipsam Ecclesiam, ac membra ipsius, juxta illud in Apocalypsi : Vestimentis albis induaris, ut non appareat confusio nuditatis tuæ. Vocantur et arma, quia per ea resistitur hostibus humanæ salutis, vitia expugnantur, ten-

Is. LXI, 10. — Ps. XLIV, 10. — Apoc. III, 18.

tatio vincitur, et homo legitime certans, A coronari meretur. Propter quod hortatur Ephes. vi, 11. Apostolus : Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Et Ibid. 13. rursus : Accipite, inquit, armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo. Horum igitur vestimentorum odor, fama, delectatio, suavitasque interna, est sicut odor thuris : quoniam sicut odor thuris dulciter afficit odoratum sive olfactum, sic odor ille spiritualium vestium, mentem; et sicut thus odorem non fundit, nisi incendatur, sic nec vestes illæ redolent B coram Deo, nisi divino inflammentur amore, atque ex igne caritatis procedant. Amplius, quia per thuris odorem solet orationis fervor seu devotio designari, juxta Apoc. viii, 4. illud in Apocalypsi, Ascendit fumus aromatum de orationibus Sanctorum ; et in Ps. cxl, 2. Psalmo, Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : hinc odor vestimentorum illorum, est sicut odor thuris, quoniam meritorii actus habent vim orationis, et gratiam adipiscuntur ac gloriam; imo sine eis oratio est inefficax, juxta C Prov. xxviii, 9. quod scriptum est : Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio ejus erit Joann. ix, 31. exsecrabilis. Ideo scriptum est : Scimus quoniam peccatores Deus non audit; sed si quis cultor est Dei, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit.

12 *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus :* id est, tu, Ecclesia, per similitudinem recte hortus vocaris; nec solum hortus, sed et hortus conclusus. Hortus es, quem ego hortulanus cœlestis colo, purgo, fecundo : D in qua tanquam in pulcherrimo horto oriuntur flores virtutum, fructus actuum meritoriorum; gramina cœlestium ferculorum, id est gratiæ ecclesiasticorum sacramentorum, quibus homines, jumentis assimilati, seu tanquam pium obediensque jumentum effecti, reficiuntur; arbores fructuosæ atque frondosæ, id est homines virtuosi : in quo horto jugiter perseverat viriditas supernæ floritionis, ac fecunditatis internæ viror venustus. Hic hortus conclusus est, quia multiplici circumvallatus munimine : quia Salvator ponitur in Is. xxvi, 1. eo murus et antemurale, et Dominus in Ps. cxxiv, 2. circuitu ejus. Angelicæ quoque virtutes eum custodiunt, sed et prælati ipsius ac Ps. xc, 11. prædicatores, et viri sancti, pro communi bono Ecclesiæ semper solliciti ac orantes. Vallatur etiam et clauditur ac munitur hic hortus vallo caritatis, timore filiali, custodia cordis, circumspectione prudentiæ, quotidiano profectu, oratione assidua, documentis Scripturæ : ne hæretici, schismatici, infideles, iniqui, aut invisibiles hostes valeant eum ingredi et demoliri. Possunt tamen pulsare, atque forinsecus impugnare, et quasi primam januam introire suggerendo, corporaliterque vexare; sed consensum nequeunt extorquere, aut mentem dejicere, nisi ipsemet hortus iste, seu exsistentes in eo, sponte aperiant ac permittant. Ideo monet Apostolus : Nolite locum dare diabolo. Jacobus quo- Ephes. iv, 27. que : Resistite, inquit, diabolo, et fugiet Jacob. iv, 7. a vobis.

Fons signatus, id est opertus, ne aquæ immundæ, id est falsæ doctrinæ, fluant in eum. Dicitur ergo Ecclesia fons, quoniam aqua sapientiæ salutaris abundat in ea, fluenta divinorum charismatum, fons gratiæ, fons olei, fons luminis : quibus sancta mater Ecclesia potat, refocillat, et reficit filios suos et universos spiritualiter sitientes, ad eam pro salutis poculo accedentes, dicens : Omnes sitientes, venite ad Is. lv, 1. aquas. Est etiam in Ecclesia fons Baptismi, fons contritionis et lacrimarum, fons evangelicæ legis, ex quo rivi sapientiæ undique derivantur. Et vocatur, fons signatus, ob causam prætactam, et etiam propter incomprehensibilem altitudinem sensuum ejus, et propter sacramentorum ejus mysteriorumque Christi imperscrutabilem profunditatem. Attamen fidelibus aliqualiter patet, imo omnibus exhibetur ac propinatur a prædicatoribus evangelicæ legis, qui sapientibus et insipientibus, Rom. i, 14. fidelibus ac infidelibus debitores se esse fatentur. Unde scriptum est : Erit fons Zach. xiii, 1.

Digitized by Google

patens domui David, et habitantibus Jerusalem.

Insuper, sicut in horto continentur quædam manducabilia, ut poma, pira, et uvæ; quædam medicinalia, ut aquæ, herbæ, et species aromaticæ; quædam etiam ad abluendum, irrigandum ac delectandum, ut fontes et rivi ac flores : sic in Ecclesia sunt plurimi cibi ac potus spirituales, et medicamina contra criminum vulnera, aquæ Baptismi, rivuli doctrinarum, et flores virtutum atque sententiarum.

13 *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Emissiones horti istius deliciosi seu sanctæ Ecclesiæ, sunt ea quæ emittuntur ex ea, vel ipsi actus emittendi. Emittit itaque hortus iste ex se bonæ famæ odorem, virtutum fragrantiam, optimos fructus spiritus (*Galat.* v, 22, 23.) (de quibus ait Apostolus : Fructus spiritus est caritas, gaudium, pax, etc.), fluenta doctrinæ, miracula, signa, prodigia, et homines sanctos, virtuosos ac sapientes, per quos convertit quamplurimos. Istæ emissiones sunt paradisus malorum punicorum, id est deliciosa possessio, opulentia, atque suavitas malorum granatorum, id est pretiosa encænia, et exhibitio hominum caritate ardentium, quorum et multi pro fide amoreque sponsi, sanguinem suum fuderunt : sicque proprio rubricati cruore, recte dicuntur malogranata, quæ rubent extrinsecus, et suavi vigent odore, ac refectiva sunt dulciter ; sicut et martyres sancti ac homines fervidi, proximos exemplis suis alliciunt et accendunt, ac corda reficiunt devotorum. Ideo additur, Cum pomorum fructibus, id est cum fructuosa conversatione ædificationeque hominum quos lucrifaciunt Christo : qui sunt quasi cibaria, dum Christo (*Gen.* II, 9.) incorporantur poma ejus, qui est lignum vitæ, lignum sapientiæ, lignum jugiter viride universarum virtutum, in medio paradisi, id est triumphantis ac militantis Ecclesiæ, situm.

Cypri cum nardo. Cypri est hic nominativus numeri pluralis, ut sit sensus : A Præfatæ emissiones tuæ, o sponsa, sunt cypri cum nardo, id est ita mihi acceptæ, ut arbores aromaticæ quæ cypri dicuntur, et herba quæ nardus vocatur, acceptæ sunt indigentibus atque utentibus eis. Cyprus quippe est aromatica arbor, in Ægypto crescens, cujus semen candidum ac odoriferum in oleo coquitur atque exprimitur, et inde unguentum regale optimumque efficitur. Ideo eos significat, qui de infidelitatis caligine ad fidei lumen conversi, oleo Spiritus Sancti unguntur, et B igne tribulationis durius excoquuntur, ut sic unguentum Christo summo regi delectabile efficiantur : ita quod Dominus et Salvator per eos medetur vitiis proximorum. Isti quoque nardo inunguntur. Nardus namque est aromatica herba spicosa, odorifera, calida, et declivis, humilitatem caritate formatam, fructuosam, bonæque famæ diffusivam, significans : quam plane virtutem jugiter amplectuntur, qui oleo Spiritus Sancti fuerint uncti. Cyprus etiam semine suo odorifero et candenti potest C continentiam designare, præsertim quoniam Christus in Evangelio de triplici castimonia, scilicet virginali, viduali, et conjugali, sub nomine seminis loquens : Semen, inquit, cecidit in terram, et ortum, fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. (*Matth.* XIII, 8; *Marc.* IV, 8.)

Insuper emissiones tuæ, o Ecclesia, sunt
nardus et crocus. Quid per nardum deno- 14
tetur, jam patuit. Per crocum vero (quæ est herba folia coloris aurei habens, ac tanti fervoris est ut febricitantibus refrigerium præstet) D designantur personæ quæ caritatis fervore ac sapientiæ calefactivo fulgore ornantur : ita ut in se ipsis ac aliis æstum concupiscentiæ et cupiditatis exstinguant, desideriumque supernorum accendant bonorum, ac aureum exemplaritatis producant ornatum. Quibus humilitas valde necessaria esse cognoscitur : propter quod hic nardus repetitur. Nam et per nardum potest dominicæ memoria passionis intelligi. Quia unguentum nardi, rigorem depellit algentium, et membra

Digitized by Google

ipso inuncta calefacere perhibetur; sic et meditatio passionis Christi intenta, accendit ad imitationem vestigiorum ipsius, torpore acediæ ac timoris excluso : quæ meditatio tam accommoda est ad spiritualem profectum, sicut humilitas. *Fistula et cinnamomum.* Fistula seu casia, corticem habet durum, purpureum et amarum, valens ad curandum viscerum afflictionem, estque brevis staturæ : idcirco significat eos qui arduam pœnitentiæ exercitationem incedunt, et sua ac proximorum peccata acerbe deplorant, sicque purpureo caritatis splendore venusti sunt. At vero cinnamomum aromatica arbor est, nigri cinereive coloris, virtute ac odore præcipua, et frutice brevis, ad medicamina præstantior fistula : cujus etiam cinnamomi cortex, est pretiosus, instar cannæ rotundus ac gracilis. Idcirco per cinnamomum expressi sunt hi qui ex caritate et humilitate obediunt prompte, propter quod valde virtuosi ac boni odoris censentur, curativi superbiæ ac inobedientiæ proximorum. Universos hos et sanctas eorum virtutes emittit, gignit, diffundit Ecclesia, *cum universis lignis Libani,* id est sicut et ceteros fideles, virtute sublimes, ac gratiæ candidatos. Libanus enim mons est in quo pulchræ et altæ arbores crescunt, et candidatio interpretatur.

Insuper, o Ecclesia, emissiones tuæ sunt *myrrha et aloe cum omnibus primis unguentis.* Myrrha, est arbor Arabiæ, habens in altitudine cubitos quinque, similis spinæ, guttaque ejus viridis et amara; sponte emanans, est pretiosior ea quæ cortice læso elicitur : ideo mortificationem carnis designat, quæ in principio sentitur amara, sed spe fructus æterni florescit; et pungit, ut spina, sed a vitiorum præservat putredine; et tunc maxime complacet Deo, dum tempore sanitatis ac juventutis sponte assumitur. Porro aloe est arbor pretiosa, præclari suavissimique odoris : propter quod antiqui lignum ejus, loco thymiamatis olim circa altaria adolebant seu incendebant. Cujus succus est amarissimus,

A tamen unguentis plurimis congruus : unde et corpora mortua a putrefactione præservat, sicut et myrrha. Hinc in Evangelio legitur Nicodemus mixturam myrrhæ et aloes quasi libras centum attulisse ad ungendum corpus dominicum, de cujus resurrectione fidem non habebat explicitam. Interdum itaque myrrha et aloe pro arboribus, interdum pro earum fructibus seu effectibus accipiuntur : et nunc personæ exprimuntur contemplativæ dignissimæ, quæ vitæ hujus deplangunt vitia et *Joann.* XIX, 39.
B ærumnas, et optimus Christi odor sunt undique, atque se ipsos ac alios ab interiori præservant corruptione, sua conversatione orationeque sancta. Per omnia vero prima (id est nobiliora) unguenta, intelliguntur contemperationes actuum altissimarum virtutum, ut fidei, spei, caritatis, atque donorum.

Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano. 15
Quidam exponunt hæc tanquam sint verba sponsæ sponsum laudantis, eo quod omnia bona præfata ex ipso sponso tanquam
C ex splendidissimo, opulentissimo ac munificentissimo fonte principaliter oriantur ; qui etiam est puteus, id est, imperscrutabilis quædam abyssus aquarum viventium, id est supernorum charismatum, vitam gratiæ conferentium ac vitam gloriæ promerentium. Gregorius vero, Anselmus, Beda, ac alii exponunt ita, ut sint adhuc verba Christi, sponsam, id est Ecclesiam, commendantis : quæ est fons hortorum, quoniam universalis Ecclesia parti-
D culares Ecclesias instruit, irrigat, perfundit, fecundat, sicut fons hortos. Est quoque puteus aquarum viventium, id est profunda origo Baptismi ac sacramenti Confessionis, in quibus cuncta abluuntur peccata, sapientia quoque, gratia ac virtutes infunduntur et reparantur : quæ aquæ dicuntur vivæ, quoniam jugiter fluunt a sacramentis suas virtutes indeficienter habentibus : quemadmodum aquæ vivæ vocantur, quæ profluunt ex vena fontana incessante, fecunda, et erumpente, diffun-

Digitized by Google

denteque rivos; ad distinctionem aquarum quæ ex pluviis, nivibus, stagnisve manant ad tempus, non jugiter.

Denique aquæ istæ *fluunt impetu de Libano,* id est cito et copiose de puritate interna et candidatione mentali, vel ex Scriptura divina mundissima, vel ex gratia gratificante habituali, quæ dicitur essentiam creaturæ intellectualis perficere, et in habitus virtutum ac donorum ramificare. Fluunt quoque de Libano, id est a capite Christo, monte altissimo, in quo est gratia capitis, se derivans ac dif-
Joann. I, 16. fundens in membra: de cujus plenitudine accepimus omnes. Postremo, impetu fluunt de Libano, id est a superpulcherrimo Spi-
Ps. XLV, 5. ritu Sancto, cujus impetus lætificat civitatem Dei.

16 *Surge, Aquilo; et veni, Auster.* Ista sunt verba sponsi. Solet autem per Aquilonem, qui est ventus durissimus ac constringens, diabolus designari; item adversitas, seu gravis tentatio, torpor quoque pigritiæ, et frigus invidiæ, igni caritatis contrarium. Per Austrum vero, qui est dulcis et calidus ventus, accipitur Spiritus Sanctus, seu gratia et caritas; item prosperitas ac consolatio spiritualis. Potest

A itaque locus iste dupliciter explanari. Christus etenim interdum permittit Ecclesiam suam per adversa ac prospera impugnari: quatenus nec adversis frangatur, nec prosperis extollatur; sed in utrisque constans ac superans, diffundat virtutum suarum fragrantiam, et supernorum suavitatem donorum quæ habet, exemplariter manifestet. Itaque, Surge, id est, exsurge et vade, o Aquilo; et veni, Auster, id est, prosperitas mundi, *perfla hortum meum,* id est, super Ecclesiam te effunde; *et*
B *fluent aromata illius,* id est, virtutes ejus innotescent, fragrabunt, ac prævalebunt. Porro interdum Salvator ad tempus eripit et præservat Ecclesiam suam a dæmonum tentamentis, adversitatibus, et malignis spiritibus; sicque sensus est: Surge, id est, recede, o Aquilo, id est, dæmon cum machinationibus tuis; et veni, Auster, id est, tu, Spiritus Sancte, cum donis tuis visita hortum meum, id est Ecclesiam; et fluent aromata illius, id est, virtutes ejus ac merita abundabunt, seque diffundent:
C quoniam sine ope et affluentia actualique motione tua nihil valet Ecclesia, nec fluere seu meritorie agere queunt ejus aromata.

ARTICULUS XIII

DECLARATIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI, DE CHRISTO ET ANIMA VIRTUOSA.

QUI a cœlesti appetit sponso laudari, laudibus ejus devote insistat. Nam sponsa particularis, anima amorosa, quæ præcedenti capitulo sponsum cœlestem sincera laudavit intentione, nunc commendatur ab ipso. Etenim ipse in Evan-
Matth. X, 32; *Luc.* XII, 8. gelio contestatur: Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum
1 coram Patre meo. Itaque ait: *Quam pulchra es, amica mea! quam pulchra es!* Quasi dicat: Pulchritudinem meam admi-

D rata es ac laudasti, et ejus comparatione te fœdam et contemptibilem reputasti, ac mihi displicere vereris; sed noli metuere, quoniam qui se parvi pendit ac despicit, a me magni penditur et laudatur, sicut in Evangelio sum locutus: Quod hominibus *Luc.* XVI, 15.
altum est, abominatio est ante Deum. Nec dubium quin econtra. Considerata ergo tua naturali imbecillitate ac fragilitate, mira et magna est pulchritudo, fortitudo, stabilitas tua, quas per dona gratiæ, et

Digitized by Google

laborem tuum, diligentiamque sortita es; et tanto commendabilior est pulchritudo, perfectio, virtuositas, sapientia tua, per gratiam et conatum tuum adepta, quanto major est naturalis defectuositas tua : et tamen naturalis pulchritudo tua, o anima rationalis, qua superbenedictæ Trinitatis imago vocaris, utpote splendore intellectus ornata, libertate voluntatis fulcita, tenacitate memoriæ decorata, omnem sensibilem pulchritudinem, etiam solis et lunæ ac siderum, vincit. Vere sublimiter pulchra es, quæ a tantæ pulchritudinis sponso digna es tam reverenter laudari. Denique, taliter pulchra est anima, quæ passionum fœditate non inquinatur, quæ carnalitati fortiter dominatur; cujus ratio per sapientiam, prudentiam, scientiam splendet, cujus voluntas caritate Dei et proximi ardet, cujus cor circa Deum omnino afficitur, atque in divinis totaliter occupatur; quæ Deo exhibet conscientiæ puritatem, et proximis ædificationis fulgorem, quæ in verbis ac sensibus, in vultu, in progressu servat moralitatem.

Oculi tui columbarum : quoniam nosti quantum detester omnem calliditatem, duplicitatem, impudentiam, obliquitatem, hypocrisim. Nam sicut similitudo parit concordiam, complacentiam, et amorem; sic dissimilitudo origo est discordiæ, displicentiæ, atque aversionis. Hinc ego in natura deitatis, infinitæ simplicitatis exsistens, et essentialiter sanctus ac virtuosus, simplicitatem diligo columbinam, ac puram mentis intentionem; duplicitatem vero, simulationem, fraudem, versutiam toto corde abhorreo. *Absque eo quod intrinsecus latet,* id est præter tuam secretissimam exercitationem internam, qua supergloriosissimæ Trinitatis gloriam contemplaris, et emanationem ac communicationem ejus ad intra, naturalem, superliberalissimam, ac superplenissimam, mutuam quoque intuitionem, dilectionem, complacentiam et fruitionem trium supervenerabilium Personarum : qualiter unaquæque æterna, increata, incircumscripta, et penitus infinite

A perfecta Persona, aliam cum infinita jucunditate ac claritate invariabiliter intuetur, cum infinito ardore diligit atque amplectitur, et sibi invicem superdulcissime complacent, ac se mutuo superdeliciosissime perfruuntur, tamque superbeatissimam et supervoluptuosissimam ducunt ac possident vitam.

Capilli tui sicut greges caprarum. Capilli animæ virtuosæ, sunt contemplationes, meditationes, et cogitationes ex intellectu immediate nascentes, affectiones
B quoque et dilectiones ex voluntate progredientes : quæ dum circa Deum et creaturas ordinate versantur, ita quod ex consideratione et affectione creaturarum, ad Creatoris notitiam, admirationem, dilectionem consurgunt, atque ex Creatoris contemplatione et amore intenso, creata hæc sensibilia et terrena parvi pendunt ac aspernantur, et deserunt, celeriterque ad Deum resiliunt et conscendunt; tunc ordinatæ, et pulchræ, copiosæque sunt, et veloces sicut greges caprarum. Ideo quid-
C quid eminentiæ aut decoris in rebus creatis conspicimus, mox ad Creatoris notitiam referamus : quoniam quidquid bonitatis, pulchritudinis, perfectionis in entibus est creatis, in Deo infinite perfectius gloriosiusque consistit. Similiter quidquid amabilitatis aut delectabilitatis in creaturis se nobis obtulerit, ad summi infinitique boni ordinemus amorem, tamque incomparabiliter et ardenter afficiamur ad illud superpulcherrimum, ac superdulcissimum, infinitumque bonum, ut nil
D aliud nisi in ipso et secundum ipsius voluntatem amemus, ne impleatur in nobis illud Sapientiæ : Creaturæ Dei factæ sunt *Sap. xiv, 11.*
in odium, et in tentationem animæ hominum, et in muscipulam pedibus insipientium.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ 2
ascenderunt de lavacro. Anima rationalis, per intellectum et voluntatem reflexiva est super proprios actus et rediens ad se ipsam : ideo considerare debet proprios actus et examinare an vere sint virtuosi

Digitized by Google

et puri, ac dijudicare se ipsam. Talis ergo A
discussio, examinatio, discretio, dijudica-
tio propriorum actuum interiorum et ex-
teriorum ac sui ipsius, sunt dentes animæ
veraciter sapientis : qui ovibus tonsis ac
lotis ordinate incedentibus comparantur :
quia sicut ab ovibus talibus ablatæ sunt
lanæ et sordes, et confusi incessus sive
discursus; sic præfatæ discussiones et con-
siderationes a vitiis sunt mundatæ, et cul-
pas admixtas ab actibus animæ separant,
ipsamque animam purgant, ac ordinant
in se ipsa et actibus suis : quod prorsus B
I Cor. XI, 31. salubre est, quum dicat Apostolus, Si nos
ipsos dijudicaremus, non utique judicare-
mur. Hinc per Aggæum Dominus jubet :
Agg. I, 5. Ponite corda vestra super vias vestras. Et
Prov. XII, 5. in Proverbiis legitur : Cogitationes justo-
rum, judicia. Hoc est quod jubet et Moy-
Deut. IV, 9. ses : Custodi temetipsum et animam tuam
sollicite. Quod quam acceptum sit Deo,
constat per id quod ipse Dominus con-
Jer. XV, 19. testatur ad Jeremiam : Si separaveris pre-
tiosum a vili, quasi os meum eris. Istud
Job XIII, 15, 16. sanctus Job egit, qui dixit : Vias meas in C
conspectu Dei arguam, et ipse erit salva-
Ps. VI, 7. tor meus. Nempe qui ita se discutit, lavat
utique per singulas noctes culparum le-
ctum animæ suæ, et thalamum mentis
præparat sponso, implens illud Psalmi :
Ps. IV, 5. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubili-
bus vestris compungimini.

*Omnes gemellis fetibus, et sterilis non
est inter eas :* id est, prætactæ discretivæ
examinationes sui ipsius, actuumque suo-
rum, duplicem habent fecunditatem : quia
in se sunt laudabiles, meritoriæ, et sapi- D
entiales; et alios animæ actus spirituali-
ter circumcidunt, purificant et fecundant.
Hinc per discretionem compendiosius pro-
ficit homo : prout sanctus pater noster
gloriosus Antonius dixit, quod nulla vir-
tus tam recto ac brevi tramite ducit ho-
minem ad perfectionem, sicut discretio.

3 *Sicut vitta coccinea labia tua :* quoniam
sicut vitta talis constringit capillos ne de-
fluant : sic anima amorosa, ne sponsum
offendat in aliquo, timorate comprimit la-
bia sua, ne ad inutilia aperiantur; sicque
verba inutilia, nociva, perversa, corde con-
cepta, refrenat, ne effluant. Qui enim mo- Prov. X, 19.
deratur labia sua, prudentissimus est. Qui Ibid. XIII, 3.
autem inconsideratus est ad loquendum,
sentiet mala : patet siquidem jaculis ho-
stium malignorum, dicente Scriptura : Sic- Ibid. XXV, 28.
ut urbs patens et absque murorum ambi-
tu, ita homo qui non potest in loquendo
cohibere spiritum suum. Hæc labiorum
repressio, est animæ contemplativæ ne-
cessaria valde, ne per inutilem superflu-
umque sermonem, incurrat distractionem
et sponsi offensam, sicque amittat ipsius
allocutionem internam. Nec solum clau-
denda sunt corporalia labia a locutione
vocali inordinata; sed et labia interiora,
quibus verbum mentale profertur inte-
rius, sunt præservanda ab omni cogitatio-
ne non bona : quoniam cogitationes verba
sunt coram Deo, qui loquitur per Michæ-
am, Væ qui cogitatis inutile; atque per Mich. II, 1.
Jeremiam, Usquequo morabuntur in te Jer. IV, 14.
cogitationes noxiæ? et item per Isaiam,
Auferte malum cogitationum vestrarum Is. I, 16.
ab oculis meis. *Et eloquium tuum dulce :*
quia interna locutione Deum intra te lau-
das, exoras, meditaris, ac contemplaris;
verba quoque tua vocalia, ex caritate aliis-
que procedunt virtutibus, ideo dulcia sunt.
Virtus namque ex sua natura delectabilis
est, et dulcis in actu suo; sed quod la-
boriosa ac dura sentitur, ex nostra infe-
ctione contingit, sicut asserit Augustinus :
Panis in fastidio est, delectat venenum.

*Sicut fragmen mali punici, ita genæ
tuæ.* Genæ corporales, sunt quasi duo pa-
rietes, os et linguam inter se continentes.
Spirituales vero genæ, sunt memoria præ-
teritorum, ac providentia : inter quæ con-
tinetur intuitio præsentium. Porro malum
punicum intus est candidum, ac forinse-
cus rubicundum. Intus etiam continet gra-
na, et redolet extra. Dum itaque memoria
recolit dominicam passionem, futurum ju-
dicium, et infernale supplicium, instar
mali punici rubet foris; dum vero provi-
dentia cogitat gaudia regni cœlestis, puri-

Digitized by Google

tatemque cordis, ac veritatis splendorem, candet intus. Dum autem malum punicum frangitur, grana ejus mox elabuntur : ita dum anima veraciter virtuosa adversitatibus circumvallatur, virtutes quæ in ea sunt, declarantur, ac suaviter eos qui bene perpendunt, afficiunt. Tunc enim caritatem ostendit, patientiam exhibet, humilitatem declarat, mansuetudinemque diffundit, et orat pro inimico, imo et condolet ei, tanquam interficienti propriam animam.

4 *Sicut turris David collum tuum :* id est, elevatio, qua elevas et conjungis te sponso tuo, recta et valida est. Et quamvis sit simplex in se, utpote actus fidei aut caritatis, vel sapientiæ aut latriæ; tamen ceteris virtutibus constipatur, munitur, protegitur, sicut rex suo exercitu : siquidem virtutes et actus earum, se mutuo juvant ac roborant, opportunoque tempore una alteri cedit, prout rationabilis exigit causa. Hinc subditur : *Quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea :* sic virtutes invicem sibi connexæ, concurrunt in anima, et ejus sunt arma.

5 *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Duo ubera animæ virtuosæ, sunt virtus misericordiæ, et donum pietatis : ita quod per misericordiam condolet ac subvenit proximis propter Deum, quia sunt indigentes ac miseri; per pietatem vero quæ donum est, in quantum sunt summæ Trinitatis imagine insigniti. (Is. xi, 2.) Rursus, duo ubera animæ, sunt intellectus bene instructus, et voluntas caritate accensa : per quæ duo spiritualiter nutrit se ipsam et alios, implens quod summus hortatur Apostolus : Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. (I Petr. iv, 10.) Exhibitio quoque corporalium operum misericordiæ, et exhibitio operum misericordiæ spiritualium, sunt fecunda, pulchra, atque instar hinnulorum capreæ agilia.

6 Consequenter loquitur sponsus : *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Dum anima per pœnitentiam sua deplorat peccata, et carnem suam cum vitiis concupiscentiisque mortificat (Galat. v, 24.), et de proximorum miseriis pie amaricatur, ut sic sponso cœlesti pro se ac aliis miseris passo assimiletur; tunc anima amorosa est mons myrrhæ : ad quem Christus vadit, dum animam sic afflictam consolatur, et gratiæ incrementa ei largitur, sicut ait Apostolus : Benedictus Deus, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra (II Cor. i, 3, 4.). Et de Deo dicitur in Tobia : Post tempestatem tranquillum facis, et post fletum exsultationem infundis (Tob. iii, 22.). De quo scriptum est et in Job : Mœrentes erigit sospitate (Job v, 11.). At vero dum anima Christi sponsa, suavissimis exercitiis orationum, meditationum, contemplationum inhæret, efficitur collis thuris : ad quem sponsus accedit, dum animam his intentam, confortare, perficere, et amplecti dignatur.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. 7 Venialia enim peccata (ut dicitur) non ponunt proprie maculam in anima. Et quanto tu venialia mala tua gravius ponderas, cordialius defles, et propter ea turpiorem te arbitraris, eo minus reputantur a me : quia naturalem tuam fragilitatem ac instabilitatem perpendo, ideo prorsus ea tibi dimitto, non imputo; imo caritatem et veram in te virtutum perfectionem augmento, atque ob id te totam perhibeo pulchram. Siquidem humilis tua recognitio, dolorosa confessio, verecunda deploratio, satisfactio quoque quotidiana, assidua cordis custodia, et fervor tui amoris ad me, consumunt ut stipulam omnia illa (Ps. lxxxii, 14.). Quod enim in ardenti camino est gutta aquæ, hoc in viro perfecto peccatum veniale.

Veni de Libano, sponsa mea, veni, id 8 est de candore gratiæ ad lumen gloriæ, de nuptiis viæ ac imperfectionis, ad perfectas nuptias patriæ Beatorum. Beati enim, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt (Apoc. xix, 9.). Sic vocantur animæ perfectorum virorum, qui evolant : Veni de carcere carnis, atque exsilio peregrinationis, ad pa-

Digitized by Google

latium spirituum beatorum, et patriam claritatis æternæ. Audivi enim te sæpe (*Ps.* CXIX, 5.) dicentem : Heu mihi ! quia incolatus meus (*Ps.* XLI, 3.) prolongatus est ; et iterum, Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? itemque, (*Ps.* CXLI, 8.) Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon,* id est pro eo quod legitime certando, vicisti spiritum inquietudinis mundialis ac turbulentiæ, iræ ac impatientiæ, qui per caput Amana designatur : quoniam Amana, inquietudo seu turbulentia interpretatur. Qui autem in omni eventu manet in pace pectoris tranquillus et constans in Domino, non contristans se inordinate, sed gratulans in adversis, caput Amana vincit, et de ejus triumpho coronari meretur. Sanir vero, interpretatur fœtor : sicque per verticem Sanir, spiritus gulæ atque luxuriæ designatur, quia in vitiis carnis est major ac evidentior fœtor ac turpitudo. Qui igitur his vitiis dominatur, nec infelici ac vili eorum servituti subjicitur, de vertice Sanir desuper gloriose inthronizatur. Porro Hermon dicitur anathema : idcirco qui (*Josue* VII, 1.) nihil sibi usurpat de anathemate Jericho, (*Rom.* XII, 2.) id est, non conformat se huic sæculo, neque cum mundo in vanitatibus ejus communicat, (*Ephes.* IV, 23.) sed renovatur spiritu mentis suæ, coronandus est de vertice Hermon. *De cubilibus* quoque *leonum,* id est pro eo quod repausationes, torpores, dormitationes magnatum hujus sæculi (qui per leonem regem animalium figurantur) abhorruisti ac evitasti. *De montibus pardorum,* id est victoria habita de spiritibus crudelitatis, et simulationis, atque elationis. Itaque quot immundos spiritus dæmoniorum, quot genera vitiorum, imo quot vitia superaverit anima, tot coronas, tot præmia consequetur.

9 *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa :* quia amore tuæ salutis factus sum homo, et crucifixus; et quamvis amarissimam pertuli corporis passionem, dolor tamen compassionis fuit intensior in corde animæ meæ. Sicque *vulnerasti* me *in*

A *uno oculorum tuorum,* id est in oculo tuo intellectuali : cujus illuminationem per fidem ac sapientiam, deinde per beatificam visionem, in tantum desideravi, quod discolorationem speciosissimi corporis mei, velationem, obscurationem, atque eversionem exteriorum oculorum meorum sidereorum, omni vino pulchriorum, sustinui; (*Gen.* XLIX, 12.) *et in uno crine colli tui,* id est in naturali appetitu beatitudinis, formato per caritatem et gratiam, quam omnis rationalis creatura naturaliter appetit. Jam etenim dictum est, quod per capillos capitis, B designantur cogitationes, appetitionesque cordis : inter quas ista præcipua est, et præcipue fuit sponsi attractiva, quod naturaliter cupit felicitatem. Denique interior oculus animæ, in quantum per fidem, discretionem, scientiam, ac sapientiam adornatur, potissime placet sponso. Similiter unus crinis colli ipsius sponsæ, est elevatio contemplationis, seu sursum actio sancti amoris, qua anima erigit se ad Deum.

C *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ!* id est dilectio, qua pro meo honore zelaris, 10 et zelatio fraternæ salutis; similiter pietas tuæ compassionis, qua meam amarissimam passionem recogitando, pie compateris, proximis quoque in omni eorum afflictione, transgressione, periculo condoles. Vel, ubera tua, id est spiritualis opulentia, ac liberalitas tua, quibus proximis tuis communicas quidquid gratiæ ac virtutum desuper accepisti. Rursus, ubera ista sunt sapientia et scientia. Unde D subjungitur : *Pulchriora sunt ubera tua vino :* id est, sapientia et scientia quæ sunt dona Spiritus Sancti, habitusque infusi, (*Is.* XI, 2.) similiter sapientia et scientia quæ sunt dona gratiæ gratis datæ, et notitia sacræ Scripturæ, præstantiores et pulchriores exsistunt omni naturali et philosophica eruditione ac theoria. Imo stultam fecit (*I Cor.* I, 20.) Deus sapientiam hujus mundi; et prudentia carnis, mors est; (*Rom.* VIII, 6.) tonanteque cœlo, taceant ranæ. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata :* id est, virtutes

Digitized by Google

tuæ infusæ cum meritoriis actibus suis, A delectationibusque sinceris, multo sunt digniores ac salubriores virtutibus naturalibus acquisitis, earumque actibus et gaudiis, de quibus philosophi ac gentiles locuti sunt, et non mediocriter gloriati (quorum quidam reputati sunt inter eos viri heroici) ; et virtutes illas arbitrati sunt sibi sufficere ad salutem.

11 *Favus distillans labia tua, sponsa :* id est, verba vere sapientialia, salubria ac divina, melle et favo suaviora, pronun-
Coloss. III, 16. tias, dum in hymnis et psalmis ac canticis spiritualibus mecum assidue fabularis, dum mala tua accusas, et mea beneficia recommendas, dum te ipsam totis viribus vilipendis ac dejicis, et meam majestatem cum omni reverentia admiraris, extollis, prædicas, veneraris. Sicque, *mel et lac sub lingua tua,* id est sermo de mea deitate, atque locutio de mea humanitate. Mel quoque, id est consolatio de futura beatissima et prorsus dulcissima refectione; et lac, id est consolatio refovens ex præsentium munerum exhibitione et C consideratione. *Et odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Vestimenta animæ, quemadmodum patuit, sunt virtutes et dona cum actibus suis : quorum odor, est delectatio eis adjuncta. Verum, sicut cujuslibet virtutis sunt tres gradus : scilicet infimus, competens statui incipientium et spectans ad viam purgativam ; medius, pertinens ad statum proficientium et viam illuminativam; et summus, qui ad statum perfectorum viamque unitivam est pertinens : sic ipsarum virtutum et D actionum earum odor seu delectatio habet tres gradus, proportionatos gradibus actibusque virtutum. Quo enim virtutes fuerint in suo subjecto magis radicatæ ac prædominantes, eo promptius ac delectabilius operantur.

12 *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus :* in quo sunt semina verbi cœlestis; flores, id est floridæ dispositiones ad fructus virtutum. Et juxta præcedentis articuli expositionem, sicut Ecclesiæ, ita et animæ suo modo competit esse hortum, et hortum conclusum ac fontem signatum; et ea quæ dicta sunt ibi de Ecclesia, possunt ad animam virtuosam facillime applicari. Idcirco prolixitas est vitanda. Præterea de Ecclesia emittuntur ac diffunduntur diversæ virtutes, et actus præclari ac eminentes personæ, quæ per mala punica et alia poma, per cypros ac nardum, crocum, fistulam, cinnamomum, myrrham et aloen, secundum præhabitam expositionem, intelliguntur : sic pro- B portionabiliter virtutes et actus ac personæ hujusmodi, ab anima sapiente et amorosa, aliorum animas convertente, progrediuntur.

Postremo, sicut universalem sponsam suam, ita et sponsam suam particularem, scilicet animam contemplativam heroicam, Christus diversimode visitat, nunc per prospera, nunc per adversa. Et ita
quod subditur, *Surge, Aquilo, et veni,* 16
Auster, etc., potest dupliciter exponi de hujusmodi anima, sicut præcedenti articulo expositum est de universali Ecclesia.

Ecce quam ineffabiliter virtutes infusæ, et dona Spiritus Sancti, ac meritorii actus dignificant, ornant, ac beatificant animam : quæ propter illa, tam præstantissimis, affectuosissimis, atque dulcissimis appellationibus nominatur, exprimitur, collaudatur a sponso cœlesti, Unigenito Dei, Deo vero et homine in una persona : qui animam talem vocat sponsam, sororem, amicam, columbam, speciosam, formosam, pulchram, immaculatam, hortum conclusum, fontem signatum, puteum aquarum viventium : cui tot bona promittit, tot beneficia confert, tam familiariter, amorose, ac suavissime loquitur, ut ejus amore quasi insanire quodammodo videatur. Nam et ejus amore se perhibet vulneratum, non solum in uno oculorum ipsius, sed item (quod quasi puerilius prima facie videtur sonare) in uno crine colli sui. Resistamus igitur vitiis usque ad sanguinem, et studeamus virtutibus indefesse usque in finem, proficere in eisdem cone-

Digitized by Google

mur indesinenter; vincamus nos ipsos, et A passionum immoderantiis nullatenus succumbamus; in puritate et caritate crescere non cessemus, Deum semper invocantes in adjutorem, et omnem nobis possibilem diligentiam apponentes, ac totam nostram fiduciam collocantes in sponso, et ejus vestigia ac doctrinas sequentes continue.

ARTICULUS XIV

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI QUARTI, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

EA quæ in hoc libro dicuntur de Ecclesia, quantum ad meliores et perfectiores in ea, certum est de nulla persona tam eminenter et convenienter posse exponi, sicut de Virgine gloriosa. Cui spon-
1 sus et Filius ait : *Quam pulchra es, amica mea! quam pulchra es!* Tanto plane pulchrior ceteris universis, quanto in omni gratia, virtute, dono, beatitudine, fructu perfectior, quanto purior, innocentior, et ab omni culpa immunior, quanto Fonti totius pulchritudinis ac decoris propinquior, utpote vera Mater illius : imo tam C pulchra, quod Fons ille superpulcherri-
Ps. XLIV, 12. mus, concupivit decorem istius; tamque delectabilis et jucunda fuit superspeciosissimo Unigenito Patris æterni, ad intuendum, ad convivendum, ad diligendum, quod in ea, et cum ea præ cunctis commorari et conversari elegit in terris. Et (*Baruch* III, 38.) sicut ille speciosus forma præ filiis hominum : (*Ps.* XLIV, 3.) sic ista est speciosa præ filiabus, ergo et præ filiis hominum, post unicum Filium suum. Cujus *oculi columbarum,* id est maxime columbini, pudicissimi, plenis- D sime custoditi, nunquam inordinate aperti, nunquam in aliquem indecenter directi aut fixi; cujus intentio fuit inviolabiliter recta, simplex, purissima, nunquam ad proprium commodum aut honorem reflexa.

Absque eo quod intrinsecus latet. Incomprehensibilis etenim sponsus, munificentissimus, optimus, omnipotens Filius, incomprehensibiliter, secretissime, libera- B lissime operabatur, radiabat, communicabat se in Matre. O quis queat excogitare aut capere, qualiter Verbum illud æternum, quod suo claro intuitu angelos sanctos (I *Petr.* I, 12.) felicitat, mentem suæ dilectissimæ, capacissimæ, ac innocentissimæ Matris assidue visitavit; quam copiosissime omnia interiora ejus illuminavit, quam calidissime inflammavit ipsius affectum, quam mire et ineffabili modo fidelissimam et affectuosissimam suam Genitricem corroboravit, ornavit, perfecit, implevit, totaliterque possedit? Quidquid de perfectione raptus et ecstasis, quidquid de prælibatione et participatione futuræ beatitudinis fuit in aliis, multo eminentius in ea creditur exstitisse. Et si quidam Sanctorum (*Exod.* XXXIII, 11; *Num.* XII, 8; II *Cor.* XII, 2-4.) creduntur Deum in hac vita vidisse per speciem, cur non potius atque limpidius, et forsan frequentius ac diuturnius ipsa? Nonne caritas communicat et ostendit se personæ, singulariter familiarissimeque dilectæ? Hoc ergo latuit in Virgine summa intrinsecus : quæ utique cum fervore, devotione, puritate, et stabilitate soli Deo et sibi nota [ei] vacavit, inhæsit, intenta immersaque fuit; cujus interior incomparanda sinceritas, tranquillitas, sapientia, virtuositas resplenduit in vultu ipsius, eamque gratissimam, venustissimam, et compositissimam fecit in omnibus.

Capilli tui sicut greges caprarum. Universæ namque cogitationes, meditationes, contemplationes, affectionesque Virginis admirandæ, erant ordinatissimæ, decen-

Digitized by Google

tissimæ, atque mundissimæ, totius caritatis fervore perfusæ, formatæ, splendifluæ, et cum omni promptitudine in Deum reductæ, recollectæ ac stabilitæ. Et testimonia Scripturarum ad Christum spectantia, intra se prudentissima Domina recollegit, conferens in corde suo, quidquid de prædilectissimo Filio suo audivit ab angelo, a pastoribus, ab Elisabeth, a Zacharia, a Simeone et Anna, a Joseph, a Magis : ita quod de monte Galaad, de acervo testimoniorum, a tumulo testis agnoscitur ascendisse.

Luc. II, 19.

2 *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro.* Spirituales dentes incomparabilis Dominæ, fuerunt subtilissimæ et acutissimæ considerationes animæ ejus, quibus intra se trivit, et aliis trita exposuit, ac optime masticata digessit mysteria Filii sui, omnemque gratiam sibi ab ipso concessam, ac beneficia Dei impensa generi humano per Christum. Hæ considerationes, discretiones ac masticationes illustrissimæ Virginis, instar tonsarum ovium puræ et innocentes fuerunt, ab omni errore admixtioneque culpæ penitus alienæ : utpote ascendentes de totius luminis fonte, de lavacro, id est de flumine sapientiæ Virginis sacræ, hoc est de exuberantissima habituali sapientia ei infusa. Nempe si verum est quod generaliter Christus disseruit, Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ : quanto magis de fidelissimæ et prorsus illuminatissimæ Virginis corde exuberanter fluxerunt flumina aquæ viventis? Et in ea tanquam in amœnissimo paradiso, fuit fons copiosus, clarus, perlucidus, diffundens ex se rivos limpidissimarum meditationum, sanctissimarumque affectionum.

Joann. VII, 38.

3 *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ.* Genæ generosissimæ ac regiæ Virginis, intelliguntur vernantissima pudicitia, et virginalis formidolositas ejus, sanctam Virginem decens : quæ instar malogranati, rubore igniti amoris ac splendore sapientiæ præfulgebant ac redolebant. Nec dubium quin et genæ ejus corporeæ, ex optima complexione, convenienti colore, et frequenti deosculatione adorandi sui Filii, velut fragmen mali punici, temperate rubescebant, ac dulces erant. Præcedentis quoque articuli de his verbis expositio, ei recte aptatur, intelligendo per genas ejus interiores, memoriam præteritorum, quæ in ea ex assidua sui Filii passione, quasi sanguineo fuit rubore perfusa; atque providentiam futurorum, quæ ex consideratione fructus passionis ejusdem, quasi candens pollebat *, et consolationis refloritionem produxit in mente ipsius.

* pallebat

Sicut turris David collum tuum. Per collum mentis, intelligi solet voluntas, quæ sua libertate in altum extenditur. Porro voluntas Virginis benedictæ vere fuit liberrima, id est subjectissima ac obedientissima Deo, cui servire, regnare est, id est vitiis, concupiscentiis, vanitatibus, dæmonibus prævalere, ac dominari. Hæc voluntas Reginæ ac Dominæ nostræ, per caritatem fuit altissima, imo summo universorum principio perfecte unita, ac directissime ad ipsum extensa, per profundissimam humilitatem et inæstimabilem pietatem ad miseros inclinata, cunctis donis ac virtutibus ad voluntatem spectantibus, scilicet caritate Dei ac proximi, spe, justitia, pietate, fortitudine quæ est donum, præclarissime ac victoriosissime decorata : in qua nihil mansit de proprio, nec de privato amore; sed abnegatissima fuit, et resignatissima Deo. 4

Is. XI, 2.

Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli. De pretiosissimis optimæ Virginis uberibus dictum est supra, in expositione primi capituli. Breviter ergo tangendo, duo ubera ejus, quibus nutrit, lactat et refovet confugientes ad se, sunt caritas ejus materna et pietas maxima, per quas prona est omnibus misereri ac subvenire, ac velocissima instar hinnulorum, misericorditer intueri ac refovere. De qua nil durum austerumve legitur, imo omni affectui misericordiæ videtur tota 5

Digitized by Google

esse conversa : propter quod Mater gratiæ, A
et Regina misericordiæ nuncupatur. Præterea, quam gloriose ac flagrantissime corporea ejus ubera, quibus Deum verum ex se natum lactavit, resplendeant, nemo valet concipere.

6 *Vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.* Unica Dei, passionem Filii sui jugiter in suo corde dolorose gestando, peccata mundi, præsertim Judæorum, deflendo, et plurimos a vitiorum putredine præservando, fuit mons myrrhæ : quem
Christus incessabiliter, munificentissime B
et consolatorie visitavit. Fuitque collis thuris, orationum suarum thymiamata, meditationum suarum fragrantiam, caritatis suæ incensum, pietatis suæ dulcedinem, imo se totam Deo in holocaustum plenissime offerendo : quem etiam collem sponsus ipsius ubertim, gratiose et deliciose accessit, et in medio ejus demoratus
Ps. xlv, 5, 6. est, ejus dulcedine delectatus. Sanctificavit enim tabernaculum hoc suum Altissimus, et in medio ejus non est commotus.

7 *Tota pulchra es, amica mea, et macula* C
non est in te. Hoc de Virgine divinissima præ ceteris cunctis convenientissime explanatur : quæ antonomastice Christi amica asseritur, et ei in omni sanctitate et perfectione similior creditur; in qua cunctæ virtutes in termino præclaræ excellentiæ sunt inventæ. At vero de pulchro ac pulchritudine, divinus Dionysius tractat subtiliter ac profunde quarto capitulo de Divinis nominibus : Divina, inquiens, bonitas laudatur in Scripturis, ut pulchrum,
et pulchritudo quæ effectiva est omnis D
pulchri. In creaturis autem dicitur pulchrum, quod participat pulchritudinem. Loquentes vero de Deo, dicimus quod ipse est supersubstantiale pulchrum et pulchritudo, quia pulchrificat exsistentia omnia secundum propriam singulorum proportionem, et causat universalem omnium harmoniam et claritatem, et juxta proprietatem solaris radii, immittit cum fulgore universitati rerum pulchrificas suæ fontanæ lucis distributiones. Juxta horum imitationem dicere possumus, quod sacratissima puerpera virgo Maria, est tota pulchra, ad intuendum delectabilissima : quæ suis meritis, precibus, virtutibus, fama, pulchrificat et decorat millia multa, imo totam Ecclesiam, et causat in ipsis fidelibus concordiam, lucem, et caritatis unitatem; quam Fons totius pulchritudinis, natus ex ea, tanta pulchritudine venustavit, ut puræ creaturæ major communicari aut nequeat, aut non deceat.

Amplius, ut ait Philosophus, ad hoc quod homo sit corporaliter pulcher, tria requiruntur. Primum est, quod sit elegantis staturæ : ideo homines parvi, non dicuntur proprie pulchri, quamvis valeant dici formosi, aut speciosi. Secundum est, congrua membrorum comproportionatio et habitudo ad invicem. Tertium est, superficies vividi et congruentis coloris. Conformiter ad hoc quod aliqua persona sit spiritualiter pulchra, primo requiritur, quod ad eminentem quamdam virtutum proceritatem, altitudinemve pervenerit; secundo, quod sit in ea virtutum quædam proportio, et congrua habitudo in actibus earumdem; tertio, quod omnibus sit superfusa discretio, seu sapientialis directio, aut caritatis floritio. Ex quibus probatur electissima Virgo fuisse pulcherrima : quippe quæ ad tam præeminentem universarum perfectionem virtutum devenerat, et in qua virtutes sibi invicem tam comproportionatæ fuerunt, et præclarissima discretione jugiter regebantur, sapientissima directione fulgebant, ferventissimo formabantur amore divino, imo quotidie recentiori innovatione decorabantur.

Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti cor meum. Quanto quis ad 9
majorem beatitudinem est electus, tanto amplius videtur Christus pro ipso passus. Quum itaque ad excellentissimam felicitatem et gloriam dignissima Virgo electa sit ab æterno, nonne pro ipsa, pro ejus amore, pro ejus salute, specialissime crucifixus est Filius ejus, et ipsa verissime

Galat. II, 20. dicere potuit illud Apostoli, In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me? Vulnerasti ergo cor meum, id est, vehementissime attraxisti me ad te, ita quod amore tuo quasi vulneratus videbar; *in uno oculorum tuorum,* id est per sincerissimam contemplationem, qua me reverentissime ac ferventissime inspexisti, totis tuis præcordiis me peroptans; *et in uno crine colli tui,* id est una affectione cordis tui purissimi, qua commune totius humani generis bonum præcordialissime concupisti. Imo tantum mihi complacuisti, tam amabilis facta es mihi, quod etiam una quacumque tua intuitione et affectione ad me, rapuisti me totum in te, et placuit mihi magnifice quidquid fuit in anima tua, et quidquid processit ex ea.

10 *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea, sponsa!* Speciosissimæ utique erant mammæ illæ internæ Virginis admirandæ : dilectio Dei, caritas proximorum ; item pietas quæ est cultus Dei, et zelus divini honoris atque fraternæ salutis; sapientia ejus atque scientia; gratia et affluentia; ac munificentia ejus, compassio miserorum : quæ omnia, vino rigoris legalis, et omni naturali scientia, omni corporali materia fuerunt ineffabiliter pulchriora. Corporea quoque spiritualissimæ Virginis ubera, quæ Regem gloriæ lactaverunt, Deo vero alimoniam præbuerunt, Fonti totius boni lac purissimum influxerunt, speciosissima, suavissima, honorabilissima, amabilissima facta sunt, et miro modo deificata, ipsisque angelicis mentibus honoranda.

Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata. Tanta certissime est suavitas charismatum et meritorum, virtutum et actuum, unctionum et diffusionum serenissimæ Matris Dei, quod cuncta mundi odoramenta transcendit : imo et totam perfundit, adspergit, delectat triumphantem Ecclesiam inenarrabili modo. Creatoremque universi, ac totam supergloriosissimam Trinitatem, universi cives superni in Virgine Christifera medullitus laudant, A extollunt, mirantur, amant, et amplectuntur : felicitati ac gloriæ Genitricis Domini Dei sui inæstimabiliter congratulantes, atque in ea gloriantes in Domino; tam beatissimæ creaturæ pulchritudinem, post Creatoris pulchritudinem, maxime admirantes, ejus dulcedinem haurientes, ejus odoribus mirifice oblectati; Deoque gratias incessabiliter referentes pro omni salute et excellentia, quas suæ præstantissimæ contulit Genitrici. Insuper universa Ecclesia militans, in fœtoribus hujus exsi- B lii degens, odore, suavitate, adspersione, consolatione hujus Deiferæ Virginis, advocatæ ac dominæ suæ, non mediocriter recreatur, fovetur, juvatur, et exhilaratur.

Favus distillans labia tua, sponsa. Fons 11
et causa universæ suavitatis, eam quam præelegit in matrem, tanta replevit suavitate, ut nec ratio capere, nec lingua queat exprimere. Itaque labia intellectualia Virginis sanctæ, quibus Deum suum intra cordis sui arcana assidue alloquebatur, laudavit, oravit, suavissima esse noscun- C tur, et suavissimum favum distillaverunt : quoniam actus internos Deo acceptissimos, jam prætactos, produxerunt, imo incessanter producunt. Sub quibus sacratissimis labiis mel et lac continentur : mel utique ardentissimæ caritatis et suavitatis internæ, ex divina summi boni plenissima fruitione ; lac quoque refectionis salutiferæ, ex inspectione et dilectione humanæ Filii sui naturæ ex se sumptæ : sicque ingrediens, invenit pascua in deitate; et egrediens, in Christi humanitate.

D *Hortus conclusus, soror mea, sponsa,* 12
hortus conclusus, fons signatus. Deliciosissimus, vernantissimus, fructuosissimus hortus Dei est optima Domina ista : in qua omnium arborum spiritualium species sunt plantatæ; in qua lignum sapientiæ requievit, lignum scientiæ boni et mali, id est summa discretio immarcescibiliter floret; in qua universæ virtutes sunt consitæ, cuncta divina charismata floruerunt, Sol sapientiæ plenissime radiavit, nulli venti, pluviæ, flumina vitiorum unquam

Digitized by Google

potuerunt locum habere : quæ peperit eum qui Creator est omnium, totiusque mundi genuit Salvatorem; quæ inviolabilis virginitatis signaculo indesinenter clausa et signata permansit; quæ fons est gratiæ, et post Deum origo, mater, largitrix universorum quæ nobis conferuntur charismatum : ei namque regnum misericordiæ est commissum, et per manus ipsius dat nobis et dare disposuit Deus, quidquid gratiæ tribuit nobis.

13 *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Quidquid a dulcissima, ditissima, liberalissima, misericordissima Domina nostra, sponsa ac virgine ista, emittitur et procedit, dulce et pium est. Verba et opera ejus, Deo cunctisque Beatis ac omnibus bene dispositis mirabiliter placent, dulcescunt, et grata sunt : caritatem namque et misericordiam excellentissime redolent, et gratiosa sunt nimis. Omnes demum virtutes, et virtuosæ personæ, clarissimique effectus, per mala punica pomaque alia, per nardum, crocum, fistulam, cinnamomum, myrrham, thus, aloen, ac cetera in textu expressa, gloriose ac eminenter emissa sunt et prodierunt ex ea, juxta expositionem præhabitam.

16 *Surge, Aquilo; et veni, Auster.* Sponsus ille sapientissimus, Deus et homo, Christus Jesus, dilectissimam Matrem suam permisit in sæculo isto multipliciter contristari, affligi, et compati de excessibus hominum, de ipsius Filii sui et aliorum

A Sanctorum amarissimis martyriis ac tormentis : præsertim in triduo mortis sepulturæque Christi, durissimus ventus Aquilo flavit in eam, penitusque replevit. Verum in hora resurrectionis et apparitionis Filii sui, dulcissimus Auster successit, et lætificavit eam dulciflue, ita quod ejus aromata diffuderunt se undique. Postremo in ejus felicissima assumptione recessit ab ea finaliter omnis mœror, quando a Filio suo tam suaviter ac frequenter est invi-
tata, dicente : *Veni de Libano, sponsa* 8
B *mea, veni de Libano, veni.* Tunc etenim a candore gratiæ, a luce puritatis internæ, a suorum munditia meritorum, perducta est ad splendorem gloriæ æternalis, ad lucem deificæ visionis, ad ineffabilium plenitudinem præmiorum. Et quanto præ ceteris fuit hæc Christo magis compassa, tanto abundantius cum eo, in eo, et ab eo est glorificata et coronata. *De capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum,* id est de conversione et salute innumerabi-C lium peccatorum, inquietorum, carnalium, et a Deo antea anathematizatorum, per præfata designatorum : qui ipsius benignissimæ ac misericordissimæ virgineæ Matris meritis ac precibus, gratiam conversionis et gloriam sunt sortiti. Nam et ipsa Filio suo tam intentissime condolendo, innumerabilibus peccatoribus gratiam et salutem promeruit, quos Deus per eam convertere ac salvare ab æterno decrevit.

ARTICULUS XV

ELUCIDATIO CAPITULI QUINTI : VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM; DE CHRISTO ET ECCLESIA.

PRÆCEDENTI capitulo Christus vocavit Ecclesiam hortum. Huic ergo appellationi se conformans Ecclesia, Christum invitat, ut intret hunc hortum, id est in
1 corda fidelium. *Veniat dilectus meus in*
D *hortum suum,* id est, gratiose me visitet, dona sua infundendo, conservando, augendo, et perficiendo in me. Tanquam dicat Ecclesia : Unusquisque in horto suo amœno et concluso solet libenter deambula-

Digitized by Google

re, et cum dilecta sibi persona quiescere. A Sponsus ergo cœlestis, qui me hortum appellavit conclusum, dignetur mihi adesse, consolationem, protectionem, amplexum impendere : quia continua præsentia ejus clementi indigeo, et sine gratioso ejus auxilio prorsus nil valeo. Veniat ergo, obsecro, *ut comedat fructum pomorum suorum,* id est, actus fidelium pie acceptet, et delectetur in eis, ac cœnet et vescatur cum ipsis, quoniam ipse in Apocalypsi fatetur : Si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, et cœnabo cum eo. De quo in Esdra asseritur, Gaudium Domini est fortitudo vestra; et in Psalmo, Lætabitur Dominus in operibus suis. Qui per Jeremiam testatur : Lætabor super eis, quum benefecero ipsis. Itaque poma Dei sunt ipsi fideles, quos profert arbor sapientiæ Christus Dominus, quia regenerat eos in Baptismo : quorum pomorum fructus, sunt boni eorum actus. Poma quoque possunt intelligi dona gratiæ, beneficia ac virtutes, ex quibus procedunt hujusmodi actus.

Apoc. III, 20. — II *Esdr.* VIII, 10. — *Ps.* CIII, 31. — *Jer.* XXXII, 41.

Ad prætactam petitionem sponsus respondet : *Veni in hortum meum, soror mea, sponsa.* Tanquam dicat : Tu invitas me ingredi in hortum meum, id est in te : et ego te invito ingredi hortum meum, id est paradisum cœlestem seu triumphantem Ecclesiam, jam per fidem, spem, contemplationem, et appetitionem ferventem, ut conversatio tua in cœlis sit, et dicas assidue : Quando veniam et apparebo ante faciem Dei? itemque : Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Vel, In hortum meum, id est D in cor meum, ita ut per contemplationem et ferventem affectum conjungas te intime mihi. Ideo namque mucrone diræ lanceæ permisi latus meum aperiri, ut ingrediaris per illud in cor meum. Vel, In hortum meum, id est, tu ipsa, o Ecclesia, intra temetipsam, considerando statum, deformationem, indigentiam filiorum tuorum, sicque procedendo ad providam reformationem, instructionem, custodiam filiorum tuorum.

Philipp. III, 20. — *Ps.* XLI, 3. — *Ps.* XXV, 8. — *Joann.* XIX, 34.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis : id est, spiritualia tibi fercula præparavi, quoniam fructum seu meritum amarissimæ passionis meæ collegi, et posui in thesauro sapientiæ meæ, in incessabili memoria mea, ut tibi ex isto thesauro communicem et succurram, id est, meritis passionis meæ subveniam, gratiam conferendo atque salutem. Messui, inquam, myrrham meam cum aromatibus meis, id est, etiam fructum et merita actuum meorum virtuosorum ex caritatis dulcedine B provenientium, prætacto modo collegi, ac pro tua refectione et opere reposui. Etenim tota Christi vita in sæculo isto, fuit meritoria nobis : de cujus plenitudine accipimus universi; et ipse ex plenissima ac suavissima caritate laboravit, egit, oravit pro nobis. *Comedi favum meum cum melle meo.* Posset hoc accipi, quod Dominus ac Salvator in Cœna proprium corpus divinæ naturæ conjunctum, sub specie Sacramenti suscepit ac manducavit : quod fecit cum melle suo, id est dilectionis et C summæ devotionis pinguedine ac dulcore, in quibus incessabiliter fuit, quantum ad superiorem portionem animæ suæ. Denique post resurrectionem, sicut Evangelista fatetur, comedit partem piscis assi et favum mellis. *Bibi vinum meum cum lacte meo,* id est sanguinem sub specie vini, non in medelam ut ceteri, sed cum omnimoda puritate et innocentia mea : quæ nomine lactis signantur. Hinc dixit in Cœna : Non bibam amplius de hoc genimine vitis, donec bibam illud vobiscum novum in regno Patris mei. Porro spiritualius loquendo, sponsus Ecclesiæ comedit favum cum melle, id est, contemplatione dulcissima propriæ deitatis, atque assumptæ humanitatis mysteriorumque ejus, refecit se ipsum. Bibi vinum meum cum lacte meo, id est, operatione justitiæ meæ, quæ signatur per vinum, ac pietatis atque munditiæ, quæ exprimuntur per lac, animam meam refeci, sicut in Evangelio sum testatus : Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei; et rursum, Sicut manda-

Joann. I, 16. — *Matth.* XXVI, 26-29. — *Luc.* XXIV, 42, 43. — *Matth.* XXVI, 29. — *Joann.* IV, 34. — *Ibid.* XIV, 31.

Digitized by Google

tum dedit mihi Pater, sic facio; itemque, Joann. VIII, 29. Quæ placita sunt ei, facio semper.

Quidam vero exponunt sic : *Messui myrrham meam,* id est, sanctos martyres de acerbitate martyrii remuneravi, ac transtuli ad regnum cœleste, *cum aromatibus meis,* id est cum caritativis et insignibus confessoribus, qui in devotionis sanctæ dulcedine mihi sunt obsecuti. *Comedi favum meum,* id est, per gratiam et gloriam mihi incorporavi prælatos et prædicatores idoneos, qui cœlestium documentorum refectionem et suavitatem distillaverunt et infuderunt ovibus meis, *cum melle meo,* id est cum devotis et obedientibus auditoribus eorumdem. Unde dictum est per Joelem : Joel III, 18. In illa die stillabunt montes dulcedinem, et colles fluent lac et mel. *Bibi vinum meum,* id est, eos qui in austeritate pœnitentiæ et operibus vitæ activæ exercitantur, mihi per incorporationis unionem conjunxi, *cum lacte meo,* id est cum innocentibus, simplicibus purisque cordibus. Præterea de prælatis et prædicatoribus congrue ait, Comedi; de aliis vero, Bibi. Quod enim comeditur, non ita faciliter deglutitur, sed masticatur ac teritur; quod autem potatur, celerrime absorbetur. Sic eorum qui præsunt et prædicant, conversationem Judex cœlestis districtius discutit, et quidquid mali invenerit, rigorosius punit; alios vero misericordius tractat. Quemadmodum ait Scriptura : Sap. VI, 6, 7. Judicium durissimum in his qui præsunt, fiet; exiguo autem concedetur misericordia.

Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi. Tanquam dicat : Quia tot spiritualia alimenta vobis paravi, reposui, præbeo, et quoniam eos qui vos præcesserunt Sanctos tam copiose remuneravi; idcirco et vos, qui adhuc estis in isto exsilio, et in via peregrinationis præsentis, reficite animas vestras spiritualibus cibis ac potibus, gratiis et charismatibus, doctrinis atque exemplis meis, ac præcedentium patrum et totius Scripturæ, ecclesiasticis sacramentis, potissime Eucha- A ristiæ sacris mysteriis. At vero ad istam manducationem et potationem non sunt apti, nisi amici mei, qui divina implent præcepta : quibus locutus sum, Vos amici Joann. XV, 14. mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Et inebriamini, carissimi : id est, vos, contemplativi et perfecti prælati ac viri heroici, præfatis refectionibus non mediocriter, ut ceteri, sed abundantissime vescamini : ita ut præ caritatis ardore, præ divinarum illuminationum inundatione, ex internæ consolationis plenitudine B spiritualiter ebrii sitis, et de vestra exuberantia aliis eructetis, communicetis, et superinfundatis, juxta illud, Ps. CXLIV, 7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt : quod ad aliorum pastores ac prædicatores præcipue spectat.

Præterea carissimis suis Deus gloriosus ac adorandus opulentiam suam immensam pandit, communicatque præclarius, eo quod caritas sit virtus communicativa, faciens omnia esse communia. Imo quanto ardentior fuerit, tanto liberaliorem parit C communicationem, et ecstasim facit : non sinens diligentem esse sui ipsius dumtaxat, sed transferens ac transformans diligentem in dilectum cum munificentissima utique suarum communione divitiarum. Sicque sponsus, cujus natura est caritas, et qui essentialiter amor est, carissimis suis per limpidissimam illustrationem ostendit se, et suas demonstrat eis divitias, prout in hac vita fieri potest : qui mox tam superserenissimi ac superdeliciosissimi amabilitate objecti, totaliter accendun- D tur, validissime attrahuntur, et in spiritu fervoris vehementissimi uniuntur eidem, et introducuntur ab ipso in suæ infinitatis oceanum; sicque rapiuntur in divitias gloriæ sponsi, et igne immensi liquefiunt amoris, ac defluunt a se ipsis, et in superdilectissimo obdormiunt sponso : quem quo clarius contemplantur, eo profundius ac intentius parvipendunt et aspernantur se ipsos. Hi mysticæ unionem atque intuitum theologiæ experientes, medio modo se habere censentur inter comprehenso-

Digitized by Google

res ac viatores communes : quibus miseri-
I Petr. II, 3. cordissime datur gustare, quam dulcis sit
Dominus, et experiri quam magna et in-
Ps. XXX, 20. finita sit multitudo dulcedinis ejus ; quos
Ibid. 21. sponsus abscondit in abscondito vultus
sui a conturbatione et inquietudine ho-
minum, et protegit eos in tabernaculo suo
a contradictione linguarum. In quorum
II Cor. III, 18. persona dixit Apostolus : Nos autem reve-
lata facie gloriam Domini speculantes, in
eamdem imaginem transformamur a cla-
ritate in claritatem, tanquam a Domini
Spiritu. Isti igitur sunt non solum amici
interni, sed et secretissimi filii Dei et ve-
lut consiliarii ac secretarii Dei. De quali-
Amos III, 7. bus loquitur Amos, talium unus : Non
faciet Dominus verbum, nisi revelaverit
secretum suum ad servos suos Prophetas.

2 *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Hoc
quidam exponunt in persona Christi, ut
sit sensus : Ego dormio, id est, in cœle-
sti throno ad dexteram Patris glorificatus
quiesco ; quandoque preces servorum me-
orum exaudire differo, ita quod videor eis
dormire. Consimiliter impiorum scelera
ad tempus punire dissimulo : quæ dum
districte ulciscor, evigilare perhibeor. Pro-
Ps. LXXVII, 65, 66. pter quod ait Psalmista : Excitatus est
tanquam dormiens Dominus ; et percussit
Ps. XLIII, 23. inimicos suos in posteriora ; et rursus, Ex-
surge, quare obdormis, Domine? Dormivit
Matth. XXVII, 60, 63, 64. etiam Dominus Jesus in triduo sepulturæ
in monumento. Dispensative quoque ac
voluntarie dormivit interdum in sæculo
Marc. IV, 38. isto, sicut dum erat super cervical dor-
miens in navi, et suscitaverunt eum. Ve-
rumtamen cor ejus jugiter ac incessabi-
liter vigilavit, neque ex corporis somno
intellectus ejus humanus seu ratio a suo
impediebatur actu, usu, judicio : imo in
beatifica sine interpolatione fuit fruitione.
Insuper vigilat semper, quia non deserit
universorum vitam inspicere, nec curam
gregis sui unquam relinquit, juxta quod
Ps. CXX, 4. legitur in Psalmo : Ecce non dormitabit ne-
que dormiet, qui custodit Israel. Imo dum
preces suorum differt implere, aut pec-
cantium vitia vindicare, cor ejus vigilare

A asseritur : quia servorum suorum fideli-
tatem, patientiam, perseverantiam probat,
ut tempore opportuno plenius exaudian-
tur ; et pravorum mores ac vitia tolerat,
ut convertantur : quod si noluerint, justior
appareat eorum damnatio, pietasque divi-
na gloriosius innotescat. Ideo namque di-
cit Apostolus : Ignoras quia benignitas Dei Rom. II, 4, 5.
ad pœnitentiam te adducit? Secundum du-
ritiam autem tuam, et impœnitens cor tu-
um, thesaurizas tibi iram in die justi judi-
cii Dei. Noli ergo, o sponsa mea Ecclesia, a
B spe tua deficere, aut frangi adversis, aut
pusillanimis effici, dum te ad tempus af-
fligi permitto, exaudireque differo, quia
cor meum jugiter vigilat super te.

Amplius, potest hoc verbum in persona
Ecclesiæ explanari. *Ego dormio :* id est,
a sponso desuper refecta, atque, ut dictum
est, quantum ad perfectiores filios meos
inebriata, in ipso Domino, creatore et sal-
vatore meo, per fidem, spem et caritatem
quiesco, per contemplationem obdormio,
per raptum amplector, per ecstasim quo-
C que in ipsum transformor. *Et cor meum
vigilat :* id est, ex quo nondum plene be-
ata sum, nec diu in tali somno persisto ;
ideo et in hujusmodi elevatione ecstati-
ca, pro communi salute mea et filiorum
meorum sollicite oro, pro generali reforma-
tione fervidissime precor, ac maternæ sol-
licitudinis vigilias cordiales exercere non
negligo. Vel dormit Ecclesia, quantum ad
imperfectos, qui frequenter per negligen-
tiam torpent ; sed vigilat cor ipsius, id
est, perfecti et præsidentes condigni su-
D per commissum vigilant gregem, juxta il-
lud in Apocalypsi : Vigila, et confirma Apoc. III, 2.
cetera quæ moritura erant.

Deinde subdit Ecclesia, ostendens vigi-
lare se corde : *Vox dilecti mei pulsantis,*
id est, jussio seu admonitio sponsi mei,
est ista : *Aperi mihi, soror mea,* mecum
communicans in natura, quam assumpsi,
humana, *amica mea* per mutuum amorem
præcipuum, *columba mea,* ad me simplici
et sincera intentione conversa, *immacula-
ta mea,* quia non habes maculam neque

Digitized by Google

rugam culpæ mortalis, quantum ad perfectiores exsistentes in te, et quoad membra mea per fidem et caritatem; *quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei*
I Cor. xi, 3. *guttis noctium.* Apostolus ait, Caput Christi, Deus : sicque Verbum æternum est caput assumptæ humanitatis. Hoc Caput causaliter plenum est rore totius gratiæ, consolationis, ac refrigerii, quia ab illo bonum omne procedit. Rursus caput Christi hominis, est mens sua humana, quæ formaliter plena est omnium supernorum rore charismatum : de quo in Isaia asseri-
Is. xxvi, 19. tur, Ros tuus, ros lucis. Porro cincinni dicuntur collectiones pilorum in seriem unam : per quos intelliguntur ordinatissimæ cogitationes et affectiones mentis Christi præfatæ : qui dicuntur pleni noctium guttis, id est stillicidiis gratiarum communicabilium seu influxivarum in viatores : qui comparatione comprehenso-
Luc. i, 79. rum, noctes dicuntur, utpote in tenebris et in umbra mortis sedentes.

Itaque sponsus loquens per modum fervidi amatoris (qui nocturno tempore intemperataque aura ex amoris magnitudine currit ad dilectam, ita quod caput ejus rore perfunditur, et crines ejus imbre rorem sequente, sic quod nec intemperie auræ, nec noctis horrore a tali revocatur itinere), hortatur Ecclesiam, ut sibi aperiat, id est, in cor suum recipiat ipsum sponsum, et omne obstaculum gratiæ a se, omnem obicem inhabitationis divinæ a suis filiis studeat removere : quoniam ipse sponsus toto affectu ad eam accelerat, et gratiam capitis exsistentem in se, per quam in sua influit membra, paratus omnino est ei communicare, stillasque suorum charismatum membris ejus infundere. Vel ideo ait, Quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium : quoniam ipse in hac vita tempestatibus tribulationum, et pluviis persecutionum amore sponsæ suæ repletus est, quemadmodum protesta-
Ps. lxviii, 2, 3. tur : Intraverunt aquæ usque ad animam meam; veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me. Ideo sponsa debet

A sibi merito protinus aperire et grata exsistere.

Verumtamen grave est ei, interrupta et suspensa contemplatione sponsi ac amoroso ejus amplexu, exercitiis vitæ occupari activæ, ac emigrare atque discurrere ad præsidendum prædicandumque aliis. Id-
circo respondet : *Exspoliavi me tunica* 3
mea, id est, occupationem circa terrena et exteriora agenda rejeci, ut contemplationi insistam liberius; *quomodo induar illa?* quasi dicat : Grave mihi videtur occupa-
B tionem illam laboriosam et anxiam rursus assumere, et implicari terrenis. *Lavi pedes meos,* id est, affectus meos purgavi a culpis, quæ occasione occupationis hujusmodi contrahi solent; *quomodo inquinabo illos?* id est, indecens aliqualiter mihi videtur, affectus meos soli summo bono intentos, atque in ipso simplificatos ac fixos, rursus dispergere circa multa, et per hoc contrahere maculam aliquam.

Quid autem ad piam et sapientialem istam querelam fecerit sponsus, subjungit
C Ecclesia : *Dilectus meus misit manum* 4
suam per foramen, id est, operationem ac opem potestatis suæ secreta inspiratione, seu per vim intellectivam, mihi infudit, me illustravit, accendit et animavit; *et venter meus intremuit ad tactum ejus :* id est, mens mea ex hujusmodi infusione et tactu interno, vehementer est admirata, expavit, accensa est. Frequenter autem in Scripturis per ventrem mens designatur :
sicut in Psalmo, Ex utero ante luciferum Ps. cix, 3.
genui te; et iterum, Flumina de ventre Joann. vii, 38.
D ejus fluent aquæ vivæ. Loquitur autem sponsa instar fervidæ amatricis, quæ ex tactu sponsi tam intente accenditur corde, ut passio sensualis amoris redundet in corpus, et ventrem faciat tremere.

Surrexi, id est, ad obedientiam me ac- 5
cinxi, et a quiete contemplationis ad actum mihi injunctum processi, *ut aperirem dilecto meo,* id est, ingressui ejus gratioso mentem meam obediendo pararem, corda quoque subditorum hortarer ad removendum a se impedimenta visitationis divi-

Digitized by Google

Matth. III, 1-3. næ : sicut beatissimus quoque Joannes A legitur peregisse. *Manus meæ distillaverunt myrrham :* id est, potentiæ meæ operativæ seu actiones virtutum mihi desuper præstitarum, mortificationem carnis salubrem, amaram compunctionem, et dura pœnitentiæ opera assumpserunt, exercuerunt, et docuerunt. Hæc enim (ut patuit) per myrrham, quæ amara ac putrefactionis expulsiva est, designantur. *Et digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Sicut per manus significatur operatio seu potestas, ita per digitos discretio ac sapientialis di- B rectio. Digiti igitur sponsæ pleni sunt probatissima myrrha, id est, discretio et recta ejus intentio, præfatam mortificationem et mortificationis doctrinam, compunctionis amaricationem ac dominicæ passionis imitationem, Deo præcipue placitam ex- *Rom.* XII, 1. hibent, ut sit prorsus rationabile nostrum obsequium. Itaque myrrha probata, est castigatio carnis assumpta, et crucifixio ejus per pœnitentiæ opera; myrrha probatior, est sensitivi appetitus a suis concupiscentiis et peccatis coercitio; myrrha C probatissima, est compunctio seu contritio cordis, abnegatio propriæ voluntatis, consideratio et sequela dominicæ passionis. Hæ myrrhæ corruptionem dissolutionis, vanæ gloriæ, concupiscentiæ, invidiæ, gulæ, obscenitatis excludunt, sanant, abjiciunt : ita quod habens eas, dicere potest *Is.* XXXVIII, 17. cum Ezechia, Ecce in pace amaritudo mea *Jer.* XV, 17. amarissima; et cum Jeremia, A facie manus tuæ, Domine, solus sedebam, quoniam comminatione replesti me.

6 *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.* D Pessulum dicitur lignea sera quæ pellitur, ostium dum seratur : per quod intelligitur divinæ ingressionis obstaculum, ex carne proveniens. Ostium vero est capacitas seu dispositio cordis. Pessulum ergo *I Cor.* IX, 27. ostii aperit, qui in servitutem spiritus redigit corpus, et inordinatam ejus appetitionem repellit, quatenus Deus dignetur invisere animam. *At ille declinaverat atque transierat :* id est, inchoatam visitationem, consolationem, inflammationem, et gratiæ affluentiam subtraxit ad tempus; et quando se obtulit et prævenit, protinus se abscondit, ut quæreretur ardentius, et copiosius inveniretur : sicque aliqualiter habitus, insensibiliter est elapsus.

Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est : id est, mox ut sponsi exhortationem audivi, resoluta est in amorem anima mea, et omnis duritia est ab ea sublata. Nam sicut ignis resolvit plumbum, sic animam amorosam spiritualiter liquefacit flamma dilectionis, atque in fletum compunctionis, compassionis, complacentiæ et abundantis lætitiæ, eam resolvit. Denique, quo habitus caritatis est in aliquo intensior circa personam quamcumque, tanto ex personæ illius adspectu, affatu, auditu, aut recordatione, citius valentiusque accenditur, liquefit, atque resolvitur. Ideo sponsa mox ut memor fit Christi, aut vocem ejus audierit, inflammatur, juxta quod legitur in Psalmo : In meditatione *Ps.* XXXVIII, 4. mea exardescet ignis. Ex qua utique liquefactione, quæ fluidum facit, sponsa incitatur ad obtinendum, intuendum, degustandumque ipsum sponsum plenius clariusque quam ante, juxta illud : Qui edunt *Eccli.* XXIV, 29. me, adhuc esurient; et qui bibunt me, adhuc sitient. Nam et spirituales deliciæ quo amplius degustantur, eo avidius cupiuntur. Unde et Beati in patria asseruntur cum desiderio frui Deo, intuerique eum, prout sacratissimus ait princeps Apostolorum : In quem desiderant angeli prospice- *I Petr.* I, 12. re. Hinc subditur : *Quæsivi,* id est, sponsum clarius intueri, suavius degustare, stabilius amplexari desideravi ac studui, *et non inveni illum* taliter tamque celeriter ut concupivi; *vocavi,* id est, ferventer rogavi, ut ita se demonstraret mihi, *et non respondit mihi,* id est, non exaudivit, neque reale responsum donavit mihi juxta desiderium meum.

Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem. 7 Ista consonant his, quæ dicta sunt supra tertio capitulo : Quæsivi illum, *Cant.* III, 2, 3. et non inveni; invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem. Nempe qui ibi vigi-

les, hic custodes vocantur. Ideo ex dictis ibidem, patet intelligentia horum; sed hic subduntur, quæ ibi non continentur.

Percusserunt me, et vulneraverunt me. Custodes, id est prælati ac prædicatores, percutiunt Ecclesiam, id est fideles subditos et dociles auditores, dum eorum corda ad compunctionem, ad erubescentiam de peccatis præteritis, ad castigandum se ipsos per opera satisfactionis inducunt; et item, dum eos juste et caritative corripiunt. Sic percusserat sanctissimus Christi Præcursor venientes ad suum baptismum
Luc. III, 7. Judæos, dicendo : Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira?
Ibid. 12. Unde percussi dixerunt : Quid ergo faciemus? Vulnerant quoque eos, quos divini amoris jaculis perforant, quos ad caritatis vehementiam trahunt, ac præcordiali contritionis dolore adimplent. *Tulerunt mihi pallium meum custodes murorum :* id est, rectores et principes Ecclesiarum abstulerunt a me pristinæ conversationis imperfectionem, ignorantiæ meæ velamen, ac mœroris mei operimentum. — Amplius, vitiosi et scandalosi pastores ac prædicatores, verbis et exemplis pestiferis male percutiunt, et læsione peccati ac mortis vulnerant simplices Deum quærentes. Et pallium, id est vestem gratiæ ac virtutis, tollunt ab eis, dum ipsos enormiter scandalizant. De qua percussione ait Apostolus :
I Cor. VIII, 12. Peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis.

Præterea, de duplici custodia loquitur Scriptura sacra : videlicet de custodia caritatis et sollicitudinis pastoralis ac justæ
Deut. IV, 9. diligentiæ, juxta illud, Custodi temetipsum
Ps. CXIV, 6. et animam tuam sollicite; et iterum, Cu-
Cant. I, 5. stodiens parvulos Dominus; et supra, Posuerunt me custodem in vineis. Et rursus de custodia malignæ observationis, sicut
Ps. LXX, 10, 11. in Psalmo : Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum; persequimini et comprehendite eum, quia non est qui eripiat. Hoc modo custodes et obser-

A vatores Ecclesiæ circumeuntes Ecclesiam, sunt dæmones : quorum unus dixit ad Dominum, Circuivi terram et perambulavi Job I, 7.
eam. Propter quod et beatissimus Petrus : Adversarius, inquit, vester diabolus tan- I Petr. V, 8.
quam leo rugiens circuit, quærens quem devoret. Hi custodes maligni frequenter tentationibus suis percutiunt ac sauciant corda quærentium sponsum. Propter quod oravit Propheta : Custodi me a laqueo Ps. CXL, 9.
quem absconderunt mihi. Et Christus in Evangelio : Deinde (ait) venit diabolus, et Luc. VIII, 12.
B tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

Adjuro vos, filiæ Jerusalem, o parti- 8
culares Ecclesiæ seu animæ virtuosæ, *si inveneritis dilectum meum,* id est, si specialem aliquam devotionem, contemplationem, visitationem, a sponso susceperitis, et ei gratiose conjunctæ fueritis; *ut annuntietis ei, quia amore langueo,* id est, ut ferventer oretis pro me, profitendo in orationibus vestris desiderium meum ad sponsum, quod adeo magnum est, ut præ
C vehementia suæ desideratæ præsentiæ valde affligar : quæ afflictio, languor amoris, juxta præhabita nuncupatur. Dicitur autem aliquid Deo annuntiari, non quasi ignoranti, sed ut Domino omnia cognoscenti, ut humili recognitione ab eo aliqua impetrentur. Vult ergo universalis Ecclesia a particularibus Ecclesiis et filiabus suis et a devotis personis orari pro se, pro reformatione communi in omni statu et politia, et pro finali universorum salute.

Videns autem Synagoga conversa, seu
D sanctus quicumque, et præsertim filiæ Jerusalem, Ecclesiam ex gentilitate conversam, tam spiritualem, ferventem et speciosam, quærit, non ex ignorantia, sed præ admiratione, et ut audiat responsum notabile pro communi instructione : *Qualis* 9
est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? id est, o sponsa Ecclesia gentium, præ cunctis gentibus formosa, sancta, electa, dic qualis est sponsus tuus tibi tam carus, et ex dilecto procedens, id est, ex Patre æterno super omnia creata

Digitized by Google

incomparabiliter diligendo æternaliter genitus. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto* (sicut expositum est), id est, quam pulcher, amabilis, elegans, et excellens? *quia sic adjurasti nos,* id est, quia tam ardentissime diligis eum, quod langues ejus amore, atque ob hoc nos adjurasti, ut si inveniremus eum, annuntiemus ei quod taliter langues.

10 Ad hoc respondet Ecclesia : *Dilectus meus candidus :* quia secundum suam divinam naturam est lux, puritas, pulchritudo immensa, ex Patre æterno se ipsum æternaliter intelligente, et conceptum suum invariabiliter intra se proferente, emanans ac genitus, splendor gloriæ, character paternæ substantiæ, candor lucis æternæ; *et rubicundus,* secundum naturam assum-
Ps. XLIV, 3. ptam : utpote speciosus forma præ filiis
I *Petr.* II, 22. hominum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus; et in passione sua rubore proprii cruoris perfusus, factus est rubicundus, sicut Jacob pa-
Gen. XLIX, 11. triarcha prædixit : Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum.
Is. LXIII, 2. Unde fertur in Isaia : Quare ergo rubrum est indumentum tuum? *Electus ex millibus,* id est præ universis et singulis : qui
Rom. I, 4. secundum naturam assumptam prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundum Apostolum ad Romanos. De quo sanctus
Matth. XII, 18; *Is.* XLII, 1. evangelista Matthæus ex Isaia allegat : Ecce puer meus quem elegi; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Unde in
Matth. XXVII, 42; *Luc.* XXIII, 35. passione dixerunt iniqui : Si rex Israel est, et, Si hic est Christus Dei electus, descendat de cruce.

11 *Caput ejus aurum optimum :* id est, mens ejus sapientissima, est omni sapientia ac caritate plenissima : quorum utrumque significatur per aurum, juxta illud
Apoc. III, 18. Apocalypsis, Suadeo tibi emere aurum ignitum probatum. Vel, Caput ejus aurum optimum, id est, pretiosissima aurea corona in capite ejus. Item, Caput ejus, id est
I *Cor.* XI, 3. deitas sua, seu Deus Pater, qui caput est Christi; est optimum aurum, id est præstantissimum entium, cujus respectu, om-
A ne creatum est vile ac modicum, sicut aurum cetera excedit metalla.

Comæ ejus, sicut elatæ palmarum : id est, cæsaries capillorum ipsius assimilatur foliis palmarum, non deorsum pendentibus, sed sursum elevatis : propter quod dicuntur elatæ, quasi elevatæ; *nigræ quasi corvus,* id est, protestantes grandem vigorem et immarcescibilitatem esse in sponso : secundum quod pilorum nigredo ostendit fortitudinem ac juventutem esse in taliter capillato. Porro per comam sponsi,
B intelligi possunt congeries cogitationum affectionumque ejus, quæ semper erant præclarissimæ, ad Deum erectæ, ordinatæ, perfectæ, ostendentes in ipso esse universarum robur virtutum ac virilem ætatem, de cetero nullatenus marcescentes. Rursus, per comam sponsi, intelliguntur vel prælati atque vicarii ejus, ei prælatica potestate propinquiores, sicut coma immediate ex capite generatur et ei inhæret. Gregorius tamen per comas Christi, intelligit generaliter ipsos fideles, per fidem et
C caritatem Christo ut capiti inhærentes, et quæ sursum sunt quærentes ac sapientes : *Coloss.* III, 1, 2.
sicque de suæ salutis hostibus triumphantes, sicut palmæ ascendunt in altum, et sua significatione ostendunt triumphum.

Oculi ejus sicut columbæ super rivos 12
aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. In Christo sunt oculi deitatis, juxta illud, Oculi Domini *Ps.* XXXIII, 16.
super justos; et alibi, Oculi Domini multo *Eccli.* XXIII, 28.
lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias filiorum hominum. Hi oculi,
D sunt intellectus et sapientia Dei, seu pietatis suæ respectus : et oculis columbarum possunt assimilari, quoniam simplicissimi sunt atque purissimi, ab omni malitia alienissimi. Unde et Spiritus Sanctus in forma columbæ voluit apparere. Oculi quoque interiores humanitatis Christi, videlicet ratio et intellectus, sapientia et scientia ejus infusæ, omni utique columbina simplicitate fuerunt persplendidi, et omni sinceritate plenissimi. Sed et exteriores oculi ejus vino fuerunt puriores ac pulchriores:

Digitized by Google

in quibus interna simplicitas resplenduit columbina, et omni pudicitia erant ornati, non vagi, sed venustissima compositione faceti.

Itaque omnes hi oculi sponsi, sunt *sicut columbæ* exsistentes *super rivos aquarum,* id est juxta aquas fluentes : per quas abundantia sapientiæ, exuberantia gratiæ, puritas, opulentia, communicabilitas, designantur. Quæ perfectissime fuerunt in Christo et in oculis ejus, vel per identitatem aut causalitatem, aut per inhærentiam, aut per resplendentiam : quia in increatis oculis ejus fuerunt per essentialem identitatem seu causalitatem, in intellectualibus autem oculis suæ humanitatis fuerunt per inhæsionem formalem ; sed in corporalibus ejus oculis erant per resplendentiam ac resultantiam quamdam, prout interior dispositio cordis relucet in vultu et oculis, juxta illud : In facie prudentis lucet sapientia. (Prov. xvii, 24.) *Quæ* columbæ *lacte sunt lotæ,* id est albæ et candidæ instar lactis, quoniam tales sunt gratiosiores. Et sicut universi oculi Christi sunt congruo sibi incandore perlucidi, *et resident juxta fluenta plenissima,* juxta quæ libenter sedent columbæ, quatenus in eis cernant imagines rapacium avium, sicque super aquas se projiciendo, evadant ungues illarum : sic interiores oculi animæ Christi, semper juncti fuerunt plenissimæ exuberantiæ sapientiæ et opulentiæ increatæ : in qua conspiciebant cuncta futura, dæmonumque insidias, a quibus præcavebat suis electis ; imo et Judæorum insidiantium sibi evasit manus usque ad tempus suæ passioni præordinatum.

Amplius possunt per oculos sponsi, doctores, prædicatores et prælati intelligi : qui aliis vident ac monstrant necessaria ad salutem ; et sedent super rivos aquarum, id est ecclesiastica sacramenta, ex quibus gratiarum munera profluunt, et juxta libros divinæ Scripturæ, in quibus jugiter occupantur ; et columbina simplicitate ornantur. Sicque rivulos sapientiæ hauriunt ex Scripturis ; et gratia baptismali virtutibusque infusis seu per contritionem, tanquam lacte, sunt loti, atque a vitiis emundati ; et resident juxta fluenta plenissima, id est Testamentum utrumque, et juxta universos catholicorum libros doctorum, ac redundantiam ecclesiasticorum sacramentorum, donisque gratiæ, non propriis viribus, innituntur. In Scripturis quoque considerant versutias dæmonum, impugnationesque vitiorum, a quibus secundum Scripturarum doctrinam præcavent sibi ac aliis.

Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ a pigmentariis. Areolæ dicuntur areæ 13
parvæ, ut hortus aut aliquod spatium modicum : quæ consitæ a pigmentariis, id est seminatæ ac complantatæ a cultoribus aptis, valde sunt pulchræ et delectabiles ad videndum, dum aromaticæ herbæ inibi seminatæ aut plantatæ, egrediuntur ac virent. Sic genæ sponsi, formosæ sunt atque ad intuendum jucundæ. Quod et de corporalibus ejus genis verificatur ; potius tamen de genis mentis, id est de memoria ac providentia animæ Christi, inter quas intellectus seu consideratio præsentium mediat, sicut os inter genas corporeas. Porro anima Christi, universa præterita, præsentia et futura cognovit : ideo genæ ejus multiplici fulgore radiabant notitiæ. Quidam per genas Christi, intelligunt martyres sanctos, qui instar genarum, rubore fulserunt martyrii. Alii per genas ejus, suam humilitatem et pudicissimum apparatum in exteriori conversatione intelligunt.

Labia ejus lilia (vel, ut alii legunt, Labia autem) *distillantia myrrham primam :* id est, interiora exterioraque labia sponsi, saluberrima documenta proposuerunt ad refrenandum se a putrefactione culparum, et ad amplectendum mortificationem iniquitatum, amaritudinem contritionis, dolorem compunctionis. Propterea comparantur myrrhæ primæ seu optimæ, quæ sponte, non ex incisione, emanat, sicut præhabitum est.

Manus illius tornatiles, id est celeriter 14
mobiles, *aureæ, plenæ hyacinthis.* Per ma-

Digitized by Google

nus Christi, intelliguntur ejus opera virtuosa ac miraculosa, ad quæ peragenda expeditissimus ac efficacissimus fuit ad libitum suum : quæ aurea exstiterunt, id est excellentissima, atque ex ardentissima caritate manantia, et instar auri delectabilia ad videndum ac speciosa, quia nil culpæ fuit eis admixtum ; erantque plena hyacinthis, id est gemmis sic dictis, seu floribus, id est sapientialibus documentis, venustissimis moribus, et rationabilissimis ac utilissimis causis, propter quas fiebant a sponso, videlicet, ad Dei Patris honorem, ad supernaturalis doctrinæ ac fidei confirmationem, ac totius mundi conversionem atque salutem.

* ejus — *Venter illius* eburneus, distinctus sapphiris.* Ebur, secundum Anselmum, est os elephantis, qui est castissimum animal frigidi sanguinis : super cujus os ignis (ut fertur) accendi non valet ; atque (ut dicitur) si alicujus viscera ardore libidinis aut alterius infirmitatis ferverent, potato sanguine elephantis, relevamen acciperent. Itaque per ventrem Christi, ejus mortalitas, et naturalis, quam assumpsit, infirmitas designatur : sed hæc fuit eburnea, id est omni castitate et virtutum constantia decorata ; distincta quoque sapphiris, id est cœlestibus ac supernis operibus. Sapphirus quippe lapis est pretiosus, ætherei seu cœlestis coloris. Potest quoque per ventrem Christi eburneum, sapphiris fulcitum, solidissima atque purissima mens ejus intelligi, quia per ventrem solet mens significari. Rursus, venter sponsi, est amplissima ejus capacitas et occultatio incomprehensibilium judiciorum ipsius, quæ in eo quasi in ventre latent.

15 *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Crura sponsi sunt firma et inviolabilia mysteria ejus, quibus processit ad redimendum genus humanum : ideo columnis marmoreis, quæ valde sunt fortes, assimilantur. Et fundata sunt super bases aureas, id est super beatissimæ Trinitatis sapientissimum piissimumque consilium et decretum, voluntatem ac omnipotentiam, de humani generis redemptione per Christum : quibus innituntur, et quorum judicio ac virtute facta et impleta sunt illa mysteria, scilicet incarnatio, generatio ex Virgine, conversatio in hoc mundo, passio, resurrectio, ascensio. Possunt quoque per crura Christi, intelligi gloriosi Apostoli : qui prædicando tulerunt Dominum Jesum ad omnes terminos mundi ; quibus præcepit, Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ ; qui per Spiritum Sanctum instar marmorearum columnarum constantissimi insuperabilesque fuerunt. Et super aureas bases erant fundati, id est super dona charismatum Christi, et super miracula ac doctrinas ipsius; vel super Scripturas legis ac Prophetarum. Unde dixit Salvator : Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. Princeps quoque Apostolorum : Habemus, inquit, firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tanquam lucernæ ardenti. Rursus, crura sponsi, sunt sapientia et omnipotentia ejus, qui totum universum sustentat, portans (juxta Apostolum) omnia verbo, id est præcepto, virtutis suæ : sicut ait Psalmista, Præceptum posuit, et non præteribit.

(*Marc.* XVI, 15. — *Joann.* V, 46. — II *Petr.* I, 19. — *Hebr.* I, 3. — *Ps.* CXLVIII, 6.)

Species ejus ut Libani : id est, pulchritudo ejus monti Libano pulcherrimo assimilatur : qui mons arboribus valde sublimibus ac odoriferis consitus est. Sic sponsus altissimus odorisque optimi exstat, in quo omnes Sancti fundantur ac sustentantur. *Electus ut cedri,* id est, inter Sanctos præfulgens ac eminens, quemadmodum cedrus inter ligna plura et arbores. Cedrus autem est arbor valde excelsa, imputribilis, odorifera et præclara, ut dictum est sæpe.

16 *Guttur illius suavissimum.* Per guttur verba promuntur, et voces emittuntur. Idcirco per guttur Christi, doctrina ejus accipitur : quæ vere dulcissima est. Per guttur quoque cibaria trajiciuntur in alvum, et incorporantur. Sicque per guttur sponsi, potest intelligi benignitas ejus, qua ele-

Digitized by Google

ctos in via per gratiam, atque in patria per gloriam, sibi incorporat : quod guttur prorsus infinitæ consistit dulcedinis. Sed et guttur ejus, quo post resurrectionem in Apostolos insufflavit Spiritum Sanctum, (Joann. xx, 22.) dulce est valde. *Et totus desiderabilis :* quia secundum deitatis suæ naturam, est naturaliter et penitus infinite appetibilis atque amabilis, delectabilis et jucundus, utpote bonitas pura ac incircumscripta, substantialiter felix, et interminabiliter gloriosa, imo ipsa beatitudo immensa. Secundum naturam quoque assumptam, universis et singulis puris creaturis desiderabilior præstantiorque consistit, eo quod

A sua humanitas sit ad hypostaticum esse Verbi æterni assumpta, et in illo supposítata.

Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, o filiæ Jerusalem. Quamvis enim sit Dominus, rex, creator et judex meus, caritatis tamen vehementia impellente, fiduciamque præstante, confidenter voco eum amicum, tanquam carissimum sponsum, qui prior dilexit me, et tam gratiose (I Joann. iv, 10, 19.) ac familiariter conjunxit se mihi, et dixit : Jam non dicam vos servos, sed amicos. (Joann. xv, 15.)

B Merito igitur laudo eum, et ejus langueo caritate, nec alibi quam in eo possum quiescere.

ARTICULUS XVI

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI QUINTI, DE SPONSO ET ANIMA VIRTUOSA.

1 *VENIAT dilectus meus in hortum suum, ut comedat fructum pomorum suorum.* Variis modis visitat sponsus ille cœlestis animam sibi devotam : quia interdum quasi nondum rogatus adest, ac prævenit, et tanquam saliens celerrime advenit, ut caritatem et pietatem suam demonstret; interdum quasi occultat ac subtrahit se, ne anima prosperitate spiritualium suorum successive extollatur, aut sibi adscribat quod Dei est, sed propriam debilitatem advertat, seque humiliet, et suspirando, orando, laborando pro gratiæ incremento, copiosius mereatur. Anima igitur spirituali alacritate ac gaudio ad tempus privata, precatur : Veniat dilectus meus in hortum meum, id est in superiorem partem meam, in qua summæ Trinitatis resplendet imago : hoc est, intellectum meum radio sapientiæ suæ illustret, contemplationis luce perfundat totum, totumque rapiat in se ipsum, et stabiliat in divinis; voluntatem quoque ab omni purget malitia, inordinato affectu, improboque

C amore sui ipsius privato, et in summi boni amore accendat, conservet, perficiat; sed et memoriam a suis distractionibus recolligat, et confortet semper in se. Veni igitur, o dilecte, et totum hortum hunc meum occupa, posside, ac jugiter immorare; dignare eum, o fons totius fecunditatis, incessabiliter irrigare, purgare, fecundare, circummunire, omnique flore ac fructu gratiæ ac virtutum, donorum ac beatitudinum adimplere. Hoc oro, ut comedat fructum pomorum suorum, id est,

D mecum cœnet, et actus meos pie acceptet, quamvis imperfecti sint nimis, præstetque mihi eos tam humiliter exercere, et eorum defructuositatem * tam contrite deflere, (* defectuositatem) quod delectetur in eis. Etenim ejus poma, sunt virtutes et dona mihi ab eo collata, quorum fructus, est actio eorum virtuosa, seu delectatio bona actioni annexa.

Ad hanc petitionem, quasi absenti factam, sponsus ubique præsens et omnia audiens, sponsæ particulari respondet : *Veni in hortum meum, soror mea, sponsa.*

Digitized by Google

Tanquam dicat dignantissimus ac munificentissimus sponsus : Tu, o anima amorosa, invitas me ad introeundum hortum tuum ut vescar tecum ; sed ego vice versa invito te ut intres hortum meum, reficiarisque mecum : quia melius habeo præparatum ad comedendum, quam tu, quia in
Coloss. II, 3. me sunt omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ, in me omnium bonorum et pulchrorum ac desiderabilium perfecta et superdives possessio, in me status omnium bonorum aggregatione perfectus. Veni ergo in hortum meum, nec verearis aut verecunderis : non enim ancillam, sed sororem et sponsam te voco. Veni, non corporis gressu, sed spirituali profectu, consideratione intimoque affectu, in hortum meum, id est in cor meum, in deitatis meæ floridissimam amœnitatem, in plenitudinem gratiarum animæ meæ desuper præstitarum, in opulentiam deliciosissimam meritorum meorum.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis : id est, totius vitæ meæ laboriosæ et dolorosæ in sæculo isto ac acerbissimæ passionis merita, quasi in unum collegi ac colligavi fasciculum, ut tibi ex eo communicem, et refectionem exuberantem impendam. *Comedite* ergo ex spiritualibus alimoniis, donis ac meritis meis, o *amici,* id est, spiritus rationales, quorum cibus est contemplatio veritatis, dilectio bonitatis, consolatio spiritualis interiorque profectus, sacra communio, gratiæ ac virtutum infusio et augmentum. *Et bibite* ex
Is. XII, 3. fontibus Salvatoris, ex torrente deificæ vo-
Ps. XXXV, 9. luptatis, ex fontali sapientia Creatoris ; *et inebriamini, carissimi.* Ego enim abundantia pietatis meæ excedo preces votaque supplicum, et ad dandum paratissimus sum, dummodo obicem non ponatis. Imo frequenter tam liberalissime præsto, infundo, et visito animas præelectas, ut totum capere non valentes, clamare cogantur ac dicere, O Domine, contine undas gratiæ tuæ ; defluantque a se ipsis, et sui ipsorum obliti, transferantur ac transformentur omnino in me, corpore soporato, sensibusque sopitis, et parte sensitiva a suis actibus ad tempus suspensa. Accedite Ps. XXXIII, 6.
ergo ad me fontem luminis ac totius sapientiæ salutaris, et illuminamini. Accedite ad me fontem amoris immensi, et accendimini. Accedite ad me omnipotentem, ut confortemini. Accedite ad me indeficienter opulentissimum, ut ditetur cor vestrum. Accedite ad me interminabiliter misericordissimum, ut misericordiam consequamini consummatam.

Ego, o sponsa mea, *dormio,* in Deo Pa- 2
tre invariabiliter quiescendo ; sed *cor meum vigilat,* nunquam immemor tui, sed tibi semper intentum, et ad auxiliandum tibi paratum. Idcirco et tu sic dormias, ut vigiles mente ; tam devote ac sobrie vivas, tam ardenter te occupa jugiter in divinis, ut corpore dormiente, et te cum illo ab exterioribus repausante, vigiles corde, ut in somno, in visione nocturna appaream ti- Job XXXIII, 15.
bi, loquensque tecum, te instruam de secretis atque salubribus ; sed et in somno quasi in vigilia psallas, ores, et mediteris ex assidua talium consuetudine actuum, quatenus semper parata vocem meam audire, dicere queas : *Vox dilecti mei pulsantis* ac dicentis : *Aperi mihi, soror.* Invitasti quippe me sicut et ego te ; verum te tardante paulisper venire in hortum meum, mox veni ad te, et verbis affectuosissimis atque dulcissimis te invito, ut me nunc suscipias hospitem ultro se offerentem ad ingrediendum, quem paulo ante rogasti venire. Itaque aperi mihi januam mentis tuæ, *soror mea,* quia mihi cohæres, *amica mea,* quæ non servili, sed filiali servis timore ac caritate, *columba mea,* quæ ad me dumtaxat tuum moves adspectum, *immaculata mea,* quia in sanctitate et justitia mihi obsequeris ; *quia caput meum plenum est rore,* id est, de rore cœli, de benedictione cœlesti, tibi communicare paratus sum.

Ad hoc anima virtuosa respondet : *Ex-* 3
spoliavi me tunica mea : id est, absit a me
aliter agere, quam tu, o sponse, hortaris : Ephes. IV, 22 ; Coloss. III, 9.
nam exui veterem hominem cum actibus

suis, et omni inobedientiæ et transgressioni renuntiavi, et renuntiare semper propono : ideo præsto sum obedire. *Lavi pedes meos,* id est, affectus meos ab omni rebellione et carnalitate interiorique fornicatione, per contritionem, confessionem, satisfactionem purgavi ; *quomodo inquinabo illos?* id est, nequaquam decet nec fas est recidivare. Ideo volo tibi jugiter aperire ac obedire, ne priori remissioni ingrata inveniar. Nam et vulnera repetita, sunt graviora; et servo ingrato dimissa debita, rursus imposita sunt et ab eo exacta. (*Matth.* XVIII, 32-34.)

4 *Dilectus meus misit manum suam per foramen,* id est, secreta visitatione me tetigit, vel paternaliter castigando peccantem, aut validius inflammando paratam, adjiciens gratiam super gratiam : quia habenti datur, et bonæ ac fervidæ voluntati pax interna augetur, profectus conceditur, effectus præstatur. (*Ibid.* XXV, 29.) Hinc orat Propheta : Emitte manum tuam de alto. (*Ps.* CXLIII, 7.) Et Jeremias fatetur : Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum. (*Jer.* I, 9.) Hoc foramen est vena divini susurrii tam secreta, ut sanctus Job protestetur : Si venerit ad me, non videbo eum; et si abierit, non intelligam. (*Job* IX, 11.) Et ipsemet sponsus : Spiritus, inquit, ubi vult spirat; et vocem ejus audis, et nescis unde veniat aut quo vadat. (*Joann.* III, 8.) Denique Deus visitat, hortatur, inflammatque animam modis duobus. Primo, per apparitionem quamdam imaginariam aut allocutionem sensibilem, quantum ad exteriorem interioremve sensum. Quumque sic mittit manum suam per foramen, potest ipsum foramen intelligi alicujus sensus apertio, vel ipsa imaginaria visio seu allocutio. Secundo, per anagogicam seu pure intellectualem illuminationem seu allocutionem : et hæc ipsa illuminatio seu allocutio, vel intellectus advertentia sive apertio, potest vocari foramen, per quod virtus seu pietas sponsi se mittit, tangitque sponsam.

Et venter meus intremuit ad tactum ejus. Anagogicos etenim motus, et spirituales attactus mentis a Deo, excessivasque illustrationes, atque flammigeras sancti amoris inflammationes et visitationes divinas concomitatur grandis alteratio corporis, debilitatio virium, distemperatio harmoniæ ex redundantia superioris partis in inferiorem. Propter quod locutus est Isaias : Venter meus ad Moab quasi cithara sonabit. (*Is.* XVI, 11.) Joannes quoque : Amaricatus est, inquit, venter meus (ex imaginaria videlicet comestione voluminis). (*Apoc.* X, 10.) Unde et Daniel dixit : Langui post visionem. (*Dan.* VIII, 27.) Verumtamen in hoc loco mens per ventrem potest intelligi, et per ventris tremorem, reverentialis ac formidolosa admiratio majestatis ipsius sponsi, ut sit sensus : Venter meus intremuit ad tactum ejus, id est, ex illuminatione et inflammatione divinæ potestatis in me facta, mens mea cum reverentia et filiali pavore admirata est immensitatem majestatis divinæ, atque interminabilem plenitudinem perfectionis ac gloriæ ejus. Hinc Seraphim ac Cherubim dicuntur Deo cum reverentia et metu adsistere.

5 *Surrexi, ut aperirem dilecto meo :* id est, ad amorosiorem ejus amplexum, ad validiorem suæ bonitatis affectum, ad clariorem suæ sapientiæ contemplationem me præparavi ac adspiravi. Siquidem quanto quis amplius crescit, et quanto plus divinæ gustum dulcedinis experitur, quanto increatam Creatoris pulchritudinem limpidius cœperit intueri ; tanto ferventius ad profectum in omnibus istis, et ad beatificam fruitionem, et ad facialem adspectum afficitur et anhelat, cum Apostolo loquens : Ego non arbitror me apprehendisse ; (*Philipp.* III, 13.) et rursus, Quæ priora sunt obliviscens, in anteriora extendo me ipsum. (*Ibidem.*) Hinc profectus profectibus deservire dicuntur, et merita ex meritis oriuntur. Et sicut unum peccatum pondere suo trahit ad aliud ; sic una actio virtuosa expedit, disponit, ac trahit ad aliam, quousque habitus bonus seu consuetudo in anima generetur : per quam ipsa facillime ac jucunde, quæ bona sunt, operetur.

Manus meæ distillaverunt myrrham : id est, ex gratiosa Dei visitatione præfata processi mox copiose ad bona opera, ad corpo-

Digitized by Google

Galat. v, 24. ris edomationem, ad crucifixionem carnis A
et vitiorum concupiscentiarumque ejus :
Coloss. III, 5. sicut hortatus est Paulus, Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. *Digiti
mei pleni sunt myrrha probatissima :* id
est, per discretionem et rectam intentio-
I Cor. IX, 27. nem, ac vitæ meæ examinationem, castigavi corpus meum et in servitutem redegi, amore imitationis Christi : cujus etiam
intuitu et amore abnegavi me ipsum, et
mentem meam jugo obedientiæ plene sub-
Philipp. II, 8. jeci, sicut ipse propter me factus est obediens Patri usque ad crucis patibulum. Et- B
I Joann. II, 6. enim qui se dicit in Christo manere, et qui
vere ab ipso Christianus vocatur, debet instar illius ambulare, suæque passionis sequi vestigia. De spirituali autem significatione digitorum, et de optima myrrha et
myrrhæ designatione, dictum est articulo
præcedenti.

6 *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo,*
id est, aditum cordis mei plene atque totaliter ei aperui : non solum repagula,
vectes et ostia, sed pessulum quoque a
thalamo cordis mei removi, non tantum C
vitando peccata graviora, sed etiam leviora, et quidquid gratiam vultus sponsi
potest offendere. Quemadmodum enim cæcutiens domum ingrediens, non nisi magna, ut scamnum, tripodem et consimilia,
videt, in alia vero minora impingit; qui
autem visus acumine mediocriter viget,
etiam parva videt; qui autem acutissimi
visus est, videt et minima, imo et atomos,
præsertim sole splendente in radiis ejus :
sic pusilli, imperfecti et incipientes, modice illustrati, non nisi mortalia vitia pon- D
derant et vitare nituntur, propter quod
frequenter incidunt in ea, quoniam venialia sunt via ac dispositio ad peccata
mortalia; proficientes vero, notabiliter illustrati, venialia quoque, præsertim grossiora, abhorrent et evitare conantur. Porro
perfecti, radio Solis æterni fulgurose perfusi, etiam minima venialia acute perpendunt, vehementer detestantur, et cum jugi
custodia ac consideratione assidua divinæ
præsentiæ effugere satagunt; quæ incide-

runt, amarissime deflent, tanquam mortalia, incessanter solliciti pro cordis sui custodia ac puritate interna. Hi pessulum
ostii sui reserant sponso, omnemque mentis aditum claudunt infernali adultero.

At ille declinaverat atque transierat.
Quanto perfectius et virtuosius* disponit * alias affectuosius
se homo ad caritatem et gratiam, sapientiam ac virtutes, tanto plenius desuper ea
sortitur, dummodo in inquisitione hujusmodi perseveret; et quamvis perseverando
inveniat atque proficiat, non tamen semper invenit juxta votum, hoc est quantum
ad eos caritatis, sapientiæ et virtutum effectus, quos appetit valde, utpote quoad
alacritatem, consolationem, gustum, affluentiamque sensibilem. Et quantum ad
hæc, dicitur sponsus declinare ac pertransire, et magis ad latus secedere, quam recedere : siquidem ex una parte incitat
animam ad quærendum, et ex alia parte
differt ac protrahit eam. Hinc in tali eventu oportet animam patientem manere, atque in fide et spe sine omni hæsitatione
inquirere : ita ut dicat, Etiam si occiderit Job XIII, 15.
me, in ipso sperabo : certa quam verissime dicat Psalmista Deo, Sperent in te qui Ps. IX, 11.
noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.

*Anima mea liquefacta est, ut dilectus
locutus est.* Dulcissime enim sonant in auribus meis ejus eloquia, ejus præconia, et
quidquid spectat ad eum inflammat me.
Quæsivi, et non inveni illum ad votum,
seu juxta desiderium meum : sicut expositum est. *Vocavi, et non respondit mihi.*
Semel enim loquitur Deus, et secundo Job XXXIII, 14.
id ipsum non repetit : quoniam in Scripturis dat sapientialia documenta, ex quibus possunt elici et haberi responsa ad
omnia : ideo non oportet ut singulis singillatim respondeat. Juxta hunc modum
sanctus Job loquitur Deo : Clamo ad te, et Ibid. XXX, 20, 21.
non exaudis me; sto, et non respicis me;
mutatus es mihi in crudelem, et in duritia
manus tuæ adversaris mihi.

Invenerunt me custodes qui circumeunt 7
civitatem; percusserunt me, et vulnerave-

Digitized by Google

runt me. Custodes isti, sunt angeli sancti, virtuosi prælati, prædicatores idonei : qui animam sponsum anxie exquirentem inveniunt, corripiunt, accendunt, et jaculo perforant caritatis, suisque hortamentis amorem sic incendunt in anima, ut langueat diligendo. *Tulerunt mihi pallium meum*. Dum anima per imaginarias considerationes et per sensibilium inspectionem sponsum inquirens, illuminatur ab angelis aut eruditis et virtuosis hominibus, qualiter sponsum quærat ex immaterialium et spiritualium rerum speculatione, et per fidem rationibus credendorum imbutam cum illuminatæ mentis intelligentia, atque per sapientiæ donum, et per supernaturales effectus, aut juxta profundiora dogmata sacræ Scripturæ : tunc salubriter aufertur animæ tali pallium suum, et pallio subtiliori induitur ac ornatur.

8 *Adjuro vos, filiæ Jerusalem,* id est, o animæ virtuosæ, Christi sponsæ, *si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo*. Ecce quomodo amor præfervidus modum ignorat, ruborem excludit, et quasi præcipitem facit. Quum enim Christus sit omnium fidelium atque ferventium sponsus et dilectus animarum, quælibet tamen hujusmodi anima loquitur sic de eo, quasi sit solum suus dilectus : Si inveneritis, inquiens, dilectum meum. Sic sancti viri Deo omnium dicere consueverunt : Deus meus. Porro divinus et magnus Dionysius, in suis interdum voluminibus ait : Deus, et (si fas est dicere) meus. Nempe, quo quis aliquid intentius amat, eo amplius sibi illud appropriat : non alios excludendo, sed illud tanquam sui solius sit, diligendo. *Si* ergo *inveneritis dilectum* per devotionem optatam ; *ut annuntietis ei,* qui me non exaudit ad votum, quatenus vestra oratione me audiat, compatiaturque mihi : et si non mereor, tamen *quia amore langueo,* non puræ alicujus creaturæ aut rei variabilis et caducæ, sed ejus solius (et ipse qui totius puri amoris magister est, optime novit quam gravis et afflictivus sit languor amoris, quam molesta sit ei optata amici absentia), ideo exorate viscera misericordiæ ejus, quatenus suæ gratiosæ præsentiæ copiam concupitam mihi miseræ et infirmæ sine ampliori dilatione exhibere dignetur.

Denique huic tam fervidæ amatrici, sponsæ, animæ amorosæ, ei morem gerentes, respondent : *Qualis est dilectus tuus* 9
ex dilecto, o pulcherrima mulierum, id est, o anima valde pulchra inter sponsas sponsi cœlestis ? Quæ mulier appellaris, non ratione femineæ fragilitatis, sed causa præclaræ fecunditatis : quia in te actibus sanctis abundas, fructibus quoque virtutum polles ; etiam alios verbis et exemplis, meritis precibusque convertis (juxta quem modum et universalis Ecclesia dicitur mulier in libro isto) : sicut scriptum est, Mulierem fortem quis inveniet ? *Prov. xxxi, 10.*

10 *Dilectus meus candidus et rubicundus.* Hæc omnia usque in finem capituli non mutantur in expositione. Hoc tamen adjici potest, quod Christus præter rationes præhabitas dicitur candidus, quoniam pius, dulcis et blandus est justis, præsertim in retributione ; rubicundus vero, id est terribilis, asper atque iratus reprobis et iniquis : siquidem irati rubescunt in vultu, et exardescunt.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI QUINTI, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

SACRATISSIMA Virgo, ex lege et Prophetis, ex illuminatione divina et annun-
Luc. I, 26-38. tiatione angelica, agnoscens Unigenitum Patris incarnandum, quum ore angelico didicisset illum ex se incarnandum, atque hoc ipsum humillime ac ferventissime cupiens, dicere potuit, æquivalenterque di-
1 xit : *Veniat dilectus meus in hortum suum,* id est, in uterum meum descendat, et ex purissimis meis sanguinibus corpus assumat humanum. Felicissimæ itaque Virginis venter hortus fuit pulcherrimus, omni castitate et sobrietate decoratissimus, virgi- B nea puritate redolentissimus, ex conceptione Verbi æterni ineffabiliter dignificatus, utpote thronus veri Salomonis, thalamus
Joann. I, 1. sponsi cœlestis, templum veri Dei effectus, supernaturali et superexcellentissima fecunditate ornatus : quippe qui eum concepit, qui a Patre æterno æternaliter genitus est et profluxit, ac verus Deus est, universorum reparator, salvator, judex, ac Dominus. Hic uterus locus est mundissimæ voluptatis, hortus paradisiacæ amœnitatis :
Gen. II, 10. ex quo nobis emanavit fluvius gloriosus C universam irrigans terram, flos campi pulcherrimus; fructus quoque æternæ salutis, de quo locutus est unus Sanctorum non
Ps. CXXVI, 2, 3. minimus : Quum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii merces fructus ventris. Ecce in utero isto conceptus est, atque ex eo vere est natus, qui ex corde Patris in æternitate est genera-
Ps. CIX, 3. tus, sicut Pater ipse testatur : Ex utero ante luciferum genui te. Hunc igitur uterum universitas electorum devotissime veneretur, quem nullus nisi mundo oculo D contemplatur. O quam inæstimabiliter irrigatus, fecundatus, dulcificatus est beatissimæ Virginis uterus, ex tam diuturna

A habitatione in eo Fontis totius boni, a quo omnis processit fecunditas, qui in se ipso infinite essentialiterque suavis est !

Veniat ergo dilectus meus in hortum suum per Incarnationis mysterium, *ut comedat fructum pomorum suorum.* Quemadmodum Filius Dei in utero Virginis est conceptus, ita in eodem nutriebatur, non plane sanguine menstruali, ut ceteri, sed utique puro, tanquam pomellis dulcissimis. At vero quoniam divinissima Virgo prius concepit Dei Filium corde quam corpore, et fide quam carne, ipsa optavit ut dilectus suus veniret in hortum, id est in cor suum cum mira eminentia gratiarum, quæ in conceptione Filii Dei in ea, auctæ sunt ultra omnem narrationem. Imo quo ceteris cunctis spiritualior fuit atque ferventior, eo gratiosissimum jugiterque recentem adventum Filii Dei Patris ac sui in mentem suam, incessabiliter ferventissime concupivit. Nec dubium quin ita obtinuit, sicut subjungitur ex sponsi persona :

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa : id est, arcana ac opulentiam mentis meæ ingredere, in me Filio tuo per contemplationem obdormi : juxta quod scriptum est, In pace in id ipsum dormiam et Ps. IV, 9.
requiescam. Contemplare suaviter, quam infinita sit beatitudo mentis meæ increatæ, quam ineffabilis quoque exstiterit beatitudo, perfectio, gratia mentis meæ humanæ, quæ a primo suæ creationis instante, tam clare et plene vidit, ac fruitive gustavit Deitatis naturam ac suavitatem, quam pure et plene eam pura creatura videre potest ac fruitive gustare. Has benedicti ac adorandi Filii sui beatitudines, delicias, perfectiones, optima Virgo frequenter consideravit cum gaudio; sed quando eum-

dem tam amarissimam mortem pensavit passurum, mœror ingens mox supervenit : qui tamen ex consideratione copiosissimi fructus passionis illius mitigabatur. Veni quoque in hortum meum, in paradisum cœlestem deliciosissimum, contemplando gaudia civium supernorum, potissime mei, Filii tui, post ascensionem illico præsidentis, et secundum utramque naturam gloriosissime residentis. Insuper hortum meum, id est militantem Ecclesiam, frequenter ingredere, statum ejus considerando, et pro ea rogando, eamque tanquam potentissima advocata tuendo ac adjuvando in omnibus.

Messui myrrham meam cum aromatibus meis : id est, pro amaritudinibus afflictionum et passionis meæ glorificatus sum corpore, et præmium accidentale sortitus sum, manifestatusque mundo et clarificatus, sicut Patrem rogavi dicendo : (*Joann.* XVII, 1.) Pater, venit hora, clarifica Filium tuum. *Comedi favum meum cum melle meo,* id est, de propriæ deitatis et humanitatis meæ contemplatione reficior et exsulto. *Bibi vinum meum,* id est, evangelicam meam doctrinam personaliter degustavi, (*Act.* I, 1.) implevi, digessi : quoniam cœpi facere et docere; *cum lacte meo,* id est cum propria innocentia, de qua gloriabar in Deo Patre, (*Joann.* VIII, 46.) iniquis dicendo : Quis ex vobis arguet me de peccato? Vinum quoque Christi, fuit doctrina consiliorum ipsius, et eminentior sua instructio; lac autem, traditio præceptorum, faciliorque doctrina sua moralis. Pro quibus omnibus accepit in patria præmium accidentale, et omnium electorum hominum conversionem ad ipsum, juxta (*Is.* LIII, 10.) illud quod scriptum est : Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus (*Ibid.* 11.) dirigetur; et denuo, Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur; item(*Ibid.* 12.)que, Tradidit in mortem animam suam, ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia. Hinc, *Comedite, amici, et bibite; et inebriamini, carissimi :* id est, fructu ac merito conversationis ac passionis meæ in mundo, nunc gaudete et reficiamini mecum in cœlo, et de deitatis meæ plena ac contentativa fruitione inebriemini cum sobrietate interna, ac torrente voluptatis meæ potemini cum securitate jucunda, (*Ps.* XXXV, 9.) quemadmodum vobis promisi : Ego, inquiens, dispono vobis, (*Luc.* XXII, 29, 30.) sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et rursus, Amen dico vobis, (*Ibid.* XII, 37.) quod faciet illos discumbere, et transiens ministrabit eis.

2 *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Hoc præclarissima sponsa Verbi æterni, sanctissima Virgo, præeminenter dicere potuit, quia contemplativissimam vitam duxit, et ab exteriori tumultu, omnique inordinato strepitu et cura superflua atque inquietudine culpæ penitus abstinens et sopita, vigilantissima mente Deo vacavit, pro Ecclesia exoravit, actibusque virtutum in termino excellentiæ perfectissimis jugiter fuit intenta. Denique in somno corporali cor ejus pervigil fuit, et ex assidua assuefactione perfecta* insistendi divinis, ex ardentissima et exercitatissima caritate, ex splendidissima et exuberantissima sapientia sibi infusa, et contemplatione in vigiliis, pene aut prorsus continue, etiam tempore somni, vigili corde fuit Deo conjuncta, et pro commissa sibi Ecclesia vigilare non cessat.

Vox dilecti mei pulsantis, atque dicentis : *Aperi mihi, soror mea* carissima, *amica mea* fidelissima ac familiarissima, *columba mea* pudicissima, simplicissima, *immaculata mea,* quæ nec minimæ culpæ unquam maculam incurristi. *Quia caput meum plenum est rore,* id est omni cœlesti benedictione, ac omni divino charismate. Ideo de universa plenitudine gratiæ ac gloriæ meæ paratissimus sum tibi præ omnibus liberalissime et affectuosissime communicare. Hoc modo sponsus cœlestis omni hora spiritualiter pulsavit ad januam purissimæ mentis suæ virgineæ præcordialissimæ Genitricis, eamdem ad indesinentem in omni sapientia et virtute profe-

* perfecte

Digitized by Google

ctum excitando, monendo et inflammando. A
Præsertim vero in hora annuntiationis
dominicæ, in ipsa collocutione Virginis
atque Archangeli, Unigenitus Patris eam
admonuit intus ad consentiendum, ad ape-
riendum, ad suscipiendum in se talentum,
thesaurum, ac pretium mundi : cui pulsa-
tioni obedientissima adolescentula libenter
Luc. I, 38. humiliterque consensit, dicendo : Ecce
ancilla Domini, fiat mihi secundum ver-
bum tuum. Deinde sua beatissima assum-
ptione instante, his verbis Filius ejus invi-
tavit eam ad cœlestis paradisi ingressum : B
ad quem cum incomparabili dilectione et
gratulatione, reverentia, apparatu, occursu
et gloria eam vocavit ac introduxit.

Præterea, quum introducta fuisset illuc
in anima, et cognovisset protinus se suo
dignissimo corpori reuniendam, atque cum
illo rursus clarissime introducendam, ad-
3 mirans præ gaudio ait : *Exspoliavi me tu-
nica mea,* scilicet carne mortali, *quomodo
induar illa?* id est, qualiter denuo illam
assumam? quasi dicat : Non nisi superna-
turaliter ac singulari privilegio fiet hoc. C
Lavi pedes meos. Quemadmodum, juxta
divini Dionysii documenta, angeli sancti
dicuntur purgari, nequaquam ab immun-
ditia culpæ, sed a minoratione perfectionis
cognitionisque suæ ; sic excellentissima
Domina lavit, id est purgavit, pedes suos,
puta affectus inviolabiliter mundos, a mi-
noratione perfectionis, quia in fervore san-
ctorum affectuum profecit assidue. In as-
sumptione demum sua in cœlum, corpore
sacro relicto, lavit pedes suos, ad summam
divinæ dilectionis eminentiam pertingen- D
do, et spiritualium ac corporalium pedum
suorum puritatem innocentiamque mon-
strando, tam felicissime emigrando. *Quo-
modo inquinabo illos?* quasi dicat : Ne-
quaquam decet me unquam peccare inobe-
dientemve esse.

Insuper, quum benedictissima Virgo
Ibid. 31. audisset a Gabriele, Ecce concipies et pa-
ries filium, dicere potuit æquivalenterque
protulit : *Exspoliavi me tunica mea,* id
est, ab omni copula carnali abstinere pro-
posui, *quomodo induar illa?* id est, qua-
liter condecens esse valebit, ut viro com-
miscear? tanquam dicat : Non puto decere,
præsertim si regem Messiam concipiam, de
quo scio prædictum, Ecce virgo concipiet *Is.* VII, 14.
et pariet filium. Tamen de modo plenius
edoceri peropto : quomodo igitur fiet is- *Luc.* I, 34.
tud, quoniam virum non cognosco? Nam
quamvis sponsum acceperim, firmum ta-
men propositum habeo nunquam conve-
niendi cum eo.

Dilectus meus misit manum suam per 4
foramen : quia non virili semine, sed
mystico spiramine, virtute Altissimi obum- *Ibid.* 35.
brante, illum concepi. *Et venter meus in-
tremuit ad tactum ejus,* id est, ipsum Uni-
genitum Patris concepi cum gaudio cordis
exuberantissimo redundante in corpus me-
um : concepi, inquam, ad tactum ejus, id
est ex spirituali et causali contactu omni-
potentiæ suæ. Quo concepto, *Surrexi,* de- 5
votissime atque humillime regratiando pro
beneficio tam immenso mihi exhibito, *ut
aperirem dilecto meo,* id est, in thalamum
mentis meæ introducerem eum per arden-
tiorem amplexum, per gratiæ totius inef-
fabile incrementum, ac de cetero semper
paratior essem ad omnem obedientiam san-
ctam, et devotissimam servitutem ipsius :
tanto amplius me ipsam in cunctis humi-
lians, quanto major fui effecta. Surrexi
quoque orando pro aliis, ut meis orationi-
bus corda illorum aperirem fidei et gratiæ
Filii mei, quatenus converterentur ad ip-
sum, et salvarentur per ipsum. Amplius,
surgens abii in montana ad cognatam me- *Ibid.* 39.
am Elisabeth, ut mentem ejus et cor in-
fantuli ejus nondum nati, aperirem Filio
meo, ita ut cognosceretur ab eis.

Manus meæ distillaverunt myrrham : id
est, operatio mea et conversatio fuit dein-
ceps totaliter spiritualis, et mortificativa
ac aspernativa omnis delectationis carna-
lis magis quam ante. *Et digiti mei pleni
myrrha probatissima :* quoniam amaritu-
dinem passionis Filii mei indesinenter tuli
in corde meo cum discretione et imitatio-
ne, dilectione et regratiatione eximia; sed

Digitized by Google

et proprium corpus discretissime pertractavi in exercitiis virtuosis.

6 *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo :* quoniam, juxta expositiones inductas, non solum universas, etiam minimas, culpas prorsus vitavi, sed et actus Filio meo placentissimos, coram eo incessanter cum omni fervore exercui : ita quod cor meum fuit ei jugiter reseratum, nunquam clausum. *At ille declinaverat atque transierat :* quia etiam nonnunquam me suam carissimam matrem permisit dire affligi, et de sua passione tristari. Corporaliter quoque interdum recessit a me : sicut dum
Luc. II, 42-45. Matth. XII, 47. duodecim erat annorum, et passione instante, et quando ego et fratres ejus quæsivimus eum; nec inveni eum semper ad votum in tali requisitu. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est :* quia cum summa aviditate, devotissima affectione et ardentissimæ caritatis liquefactione, prædicationes et cetera ejus verba audivi. Potissime autem liquefacta est anima mea, quando in cruce locutus est mi-
Joann. XIX, 26, 27. hi : Mulier, ecce filius tuus; et discipulo quem dilexit : Ecce mater tua.

7 *Invenerunt me custodes qui circumeunt civitatem,* id est prælati et majores Judæorum : qui mihi amantissimum meum crudeliter abstulerunt, verbis et factis suis
Luc. II, 35. me gravissime afflixerunt, ita quod gladius doloris pertransivit cor meum ; et pallium consolationis, qua ex Filii mei præsentia et auditu operiri solebam, verterunt mihi in desolationem extremam. Tuncque filiabus Jerusalem dicere poteram : *Adjuro vos, si inveneritis dilectum* 8
meum, a Judæis captum, ligatum, abductum, *ut annuntietis ei quia amore langueo,* quoniam eum videre et invenire non valeo. Rursus, o filiæ Jerusalem, nondum credentes, si inveneritis dilectum meum, per fidem et caritatem credendo in ipsum ; ut annuntietis ei quia amore langueo : id est, coram ipso devote recolite qualiter ejus amore languida fui in mundo, præsertim in passione et post ascensionem ipsius.

O quam mira et ingens est vis sancti amoris ! cujus aculeus mentem amantis medullitus penetrat, affectum transverberat ; penetralia sic inflammat, et ebullire atque erumpere facit, ita ut desideriorum suorum intimarumque commotionum gestus, effectus, atque indicia nequeat cohibere, nec dissimulare : pectus concutitur, et interiora omnia alterantur, oculi madent, corpus debilitatur, ardet affectio, cor æstuat profundissime ingemiscens, ac longa suspiria trahens. Hæc languidæ vulneratæque animæ certa censentur indicia, facies pallens, vultus tabescens, fastidium mundi, inadvertentia omnis terreni negotii, vilipensio totius carnalis affectus, et frequens ascensio caritatis cum profectu ejusdem. Cetera patent.

ARTICULUS XVIII

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : QUO ABIIT DILECTUS TUUS, O PULCHERRIMA MULIERUM ? DE CHRISTO ET ECCLESIA.

Cant. V, 8. CAPITULO præcedenti locuta est sponsa adolescentulis : Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei quia amore langueo. Ex quibus verbis adolescentulæ ad duas motæ sunt quæstiones. Prima fuit : Qualis est Cant. V, 9.
dilectus tuus ? Ad quam præinducto respondit sponsa capitulo. Secunda est, quæ modo proponitur : *Quo abiit dilectus tuus* 17
sponsus, Dei Filius ? quem in præcedenti- (cap. V)

Digitized by Google

Cant. v, 6. bus dixisti te quærere nec invenisse : unde elicimus, quod aliquo modo recessit a te (juxta præcedentis elucidationem articuli); *o pulcherrima mulierum. Quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum,* id est, adjuvabimus te in quærendo, et simili intentione quæremus eum, qua et tu, orabimusque ut eum simul inveniamus.

Ad hæc sponsa mater Ecclesia respon-
1 det : *Dilectus meus descendit in hortum*
Sap. xviii, 15. *suum,* id est, pie et gratiose a regalibus
sedibus venit in mundum, introivit corda credentium, et me suam visitavit Ecclesiam : quia non sic recessit aut declinavit a me, quin jugiter maneat in me, id est in multis electis et sanctis ac virtuosis hominibus. Cur autem Ecclesia et quælibet ani-
Cant. iv, 12. ma virtuosa dicatur hortus, in expositione præcedentium patuit. *Ad areolam aromatum,* id est ad parvam aream, in qua aromaticæ herbæ arboresque nascuntur : hoc est ad pusillum gregem valde electorum et virtuosorum fidelium, in quibus specialiter et gratiosissime demoratur, sicut in
Luc. xii, 32. Evangelio contestatur : Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum. Sicque per areolam aromatum, accipi possunt viri contemplativi, et veri religiosi : qui virtutum suavitate et mentis tranquillitate, bonæ quoque famæ fragrant odore, aliisque medentur in anima; ideo dici queunt aromata. De spirituali tamen
Cant. v, 13. significatione areolæ aromatum, dictum est plenius in præcedentibus. *Ut pascatur in hortis,* id est, virtuosis actibus Ecclesiæ ac
Apoc. iii, 20. congregationum fidelium delectetur, et cœnet cum eis, cooperando eisdem, ac invicem se constringant et deosculentur; *et lilia colligat,* id est, personas virtutum candore fulgentes, præcipue continentes ac mente puras, in suorum computet numero electorum, ac secernat a reprobis, ac demum in cœlesti collocet throno. Unde et
Matth. iii, 12. sacratissimus dixit Joannes Baptista : Cujus ventilabrum in manu ejus, et permundabit aream suam; et triticum colliget in horrea sua, paleas autem comburet igne inexstin-

A guibili. Hinc sancto regi Josiæ dixit : Jam colligam te ad patres tuos. II Par. xxxiv, 28.

Quum ergo hæc ita se habeant, certa sum de caritate sponsi ad me et de familiaritate ac communione ipsius, ideo fidu-
cialiter dico : *Ego dilecto meo, et dilectus* 2
meus mihi. Cui verbo simile est illud : Di- Cant. ii, 16.
lectus meus mihi, et ego illi. Unde ex dictis ibidem, patet hujus intelligentia dicti. Itaque, Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi : id est, ego illi intenta sum, illi adhæreo, illi sum placita, ei familiariter
B juncta sum; ab ipso amplector, fecundor,
deosculor. Quis me separabit a caritate ip- Rom. viii, 35.
sius? Ipse quoque ad me habet se dulciter, familiariter, amorose, liberaliter valde. *Qui pascitur inter lilia :* id est, in animabus puris suaviter redolentibus et in Ecclesiis particularibus reformatis, claustris, congregationibusque devotis delectatur, reficitur, conquiescit. Tales etenim implent desiderium sponsi, nostram salutem esurientis, et nostrum sitientis profectum.

C *Pulchra es, amica mea, suavis, et deco-* 3
ra sicut Jerusalem : id est, tu, universalis Ecclesia mihi carissima, pulchra es intus omni ornatu virtutum, donorum, et fructuum, excellentiis meritorum; suavis per delectationem spiritualem, ac pectoris tranquillitatem, et optimam famam; pulcherrime quoque ordinata, et ordinate disposita per gradus et status atque officia, per ordines sacros et dignitates, ac potestates prælaticas, et copiosissimam abundantiam ministrorum; sicut Jerusalem, id est in-
D star Ecclesiæ triumphantis, sicut in Apo-
calypsi asseritur : Vidi civitatem sanctam Apoc. xxi, 2.
Jerusalem novam, descendentem de cœlo : prout hoc supra clarius est inductum. Propter quod magnus Dionysius contestatur, Ecclesiam militantem se medio modo habere inter Synagogam et triumphantem Ecclesiam : quod consonat verbis Apostoli
ad Hebræos : Umbram habens lex futuro- Hebr. x, 1.
rum bonorum, non ipsam imaginem rerum. Vel, Sicut Jerusalem, id est instar Ecclesiæ primitivæ, quæ in urbe Jerusalem

Digitized by Google

cœpit, et Spiritum Sanctum recepit, atque in omni sanctitate et justitia Domino ministravit, ac ordinatissima fuit : ex qua tota Ecclesia est exorta, et illius primitivæ Ecclesiæ vestigia, ordinem et doctrinam secuta. Vel, Sicut Jerusalem : quoniam sicut urbs illa tempore legis Mosaicæ fuit præ ceteris urbibus Terræ sanctæ ad cultum et sacrificia Dei electa, atque ad studium legis et ad sedem regni ac pontificatus assumpta ; ita Ecclesia præ cunctis gentibus ad Omnipotentis obsequium, sacrificia, regnum, et sacerdotium, electa esse cognoscitur.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. Ecclesia Christi, spirituali et sæculari potestate multiplici coordinata, miro modo vallata est ; et summi Pontificii sui auctoritas præclara est nimis, supernaturalis ac deiformis, super omnes extenta, potens excommunicare, damnare, ligare, solvere, tradere Satanæ, et reconciliare. Sub hac potestate sunt ecclesiasticæ potestates spirituales multæ ac variæ, efficaciam gloriosam habentes. Deinde sequuntur potestates sæculares, imperialis, regalis, ducalis, et comitalis. Insuper sancta Ecclesia circummunita atque vallata et cincta est sui auxilio, præsentia protectioneque Salvatoris,
Is. xxvi, 1. tanquam muro et antemurali, angelorum quoque custodia, et prælatorum suorum diligentia pastorali. Roborata quoque est per dona gratiæ gratificantis ac gratiæ gratis datæ, per sapientiam et virtutes, per signa atque miracula, et toto orbe terrarum diffusa, meritis ac multitudine personarum ineffabiliter firmata. Verissime ergo terribilis est adversariis et rebellibus, spiritibusque malignis, sicut castrorum acies ordinata : intelligendo per castra, multitudinem fortalitiorum ad invicem bene dispositam : quam intueri, formidinem incutit potissime hostibus. Vel intelligendo per castrorum aciem ordinatam, grandem et fortem exercitum pugnatorum ac militum, convenienter coordinatum ac prudenter dispositum, non nimis constrictum, nec nimis patentem, ita ut ab adversariis A penetrari, seu ab invicem separari non valeat : imo invicem bene concordem ac mutuo se stipantem, per quod exercitus talis, est hostibus suis maxime metuendus. Si autem inter se discors sit aut divisus, ac inordinate et imprudenter dispositus, non est nisi victima ac ridiculum adversariæ potestatis. Sic plane universitas Christianorum, per fidem, spem, caritatem concordans, sapienter disposita, et se invicem juvans, fortissima terribilisque consistit. Porro si per hæreses et schismata dividaB tur, seu per discordiam contra se invicem prælietur ; jam mox gaudent de ea adversarii ejus, cernentes eam sic debilitari et impugnabilem fieri.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me 4
avolare fecerunt. In his verbis ad inflammandum cor sponsæ, videtur sponsus loqui per modum fervidissimi amatoris, ita devicti amore suæ dilectæ, ut eam non audeat intueri, ne ex illius inspectione lædatur ex vehementia prædominantis amoris : quam quanto diligentius ac diuturnius inC tuetur, tanto plus amore illius accenditur et torquetur. Itaque ait sponsus cœlestis carissimæ suæ Ecclesiæ : Averte oculos tuos a me, id est, tam intense te diligo, ut ardorem hujus amoris plenius exprimere nequeam, nisi te quasi hortando, ut cesses ad tempus me intueri orando, meditando, psallendo, et contemplando : quia oculi tui pudicissimi, columbini, fecerunt me avolare, id est, ad tempus subtrahere me tibi, quantum ad dulcem consolatoriamque præsentiam, ut fructuosius quæras D me ; fecerunt me quoque avolare, id est, de cœlo ad terram pro tua salute descendere. Potest et ita exponi : Averte oculos tuos interiores a me, id est, non coneris me comprehendere velle, nec contemplando sis perscrutatrix curiosa majestatis meæ *Prov.* xxv,
immensæ : quia ipsi me avolare fecerunt, 27.
id est, quoties me taliter vis videre, causa es quod capacitatem tuam me transcendere pando, et incomprehensibilem me esse tibi ostendo. Ideo dixit Psalmista : Mirabi- *Ps.* cxxxviii,
lis facta est scientia tua ex me ; confortata 6.

est, et non potero ad eam. Et alibi scri- A
(Eccle. VII, 24.) ptum est : Dixi, Sapiens efficiar ; et ipsa
longius recessit a me. Quidam exponunt
sic : Averte oculos tuos a me, id est, oculos cupiditatis, erroris, et carnalis amoris, quos aliquando habuisti, de cetero omnino abjicias, et a meo tollas adspectu : quia ipsi me avolare fecerunt, id est, propter eos recessi ab habentibus oculos tales, vel eos penitus relinquendo, aut ad tempus, quousque hujuscemodi oculi eruerentur ab eis.

Capilli tui sicut grex caprarum, quæ B
5 *apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut*
greges ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fetibus, et sterilis non
(Cant. IV, 1, 2.) *est in eis.* Ista quarto capitulo scripta sunt
6 atque exposita. Porro quod subditur, *Sicut*
cortex mali punici, ita genæ tuæ absque
occultis tuis, coincidit cum eo quod scri-
(Ibid. 3.) ptum est, Sicut fragmen mali punici, ita
genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet : nisi quod hic dicitur, Sicut cortex, ibi, Sicut fragmen. Cortex autem malogranati forinsecus durus est, asper, defor- C
mis ; intus vero albescens, continet grana alba : sic genæ Ecclesiæ arduam vitam gerentis, quæ foris adversitatibus exercetur : fructum habet internum pulchrum ac dulcem, imo et aliorum fecundativum, dum acceptam gratiam in proximos administrat.
7 *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta*
concubinæ, et adolescentularum non est numerus. Quamvis sapientissimus Salomon in senio suo extreme infatuatus, multas valde habuerit uxores regales et concubinas et adolescentulas ; istud tamen de D
ipso ad litteram non potest intelligi, quum
(III Reg. XI, 3.) in libro Regum scriptum sit : Fuerunt ei
uxores quasi reginæ, septingentæ, et concubinæ trecentæ. Hoc quoque probat Augustinus, affirmans Salomonem scripsisse hunc librum suæ tempore juventutis. Per mulieres autem sic depravatus est tempore senectutis. De hoc loquitur Augustinus, disputans contra Faustum Manichæorum episcopum. Intelligendum est ergo de Christo et credentium animabus. Quidam autem per sexaginta reginas, intelligunt animas hominum perfectorum, non propter numeri quantitatem, sed propter mysterii significationem. Sexagenarius namque consurgit ex senario atque denario in se ductis. Denarius vero impletionem signat Decalogi. Senarius, qui dicitur primus numerus perfectus, denotat perfectionem meritoriæ actionis, non tantum quantum ad observantiam præceptorum, sed etiam consiliorum, et quantum ad opera supererogationis. Per octoginta demum concubinas, intelligunt animas proficientium : quæ non pertingunt ad principales atque præcipuos illos sponsi amplexus, ad quos perductæ sunt animæ perfectorum, sed adspirant ad eos ; nec ita legitimum proferunt fructum virtutum, ut illæ. Octonarius namque, secundum Augustinum, est numerus diminutus et imperfectus : quoniam partes ipsius simul sumptæ, minus efficiunt, quam suum totum. (De Genesi ad litt., c. II.) Per adolescentulas autem innumeras, accipiunt animas incipientium, quæ multæ sunt nimis. Similiter per reginas, possunt intelligi animæ virginum devotarum ; per concubinas, animæ viduarum ; per adolescentulas, animæ conjugatorum. At vero Gregorius per reginas intelligit animas sanctorum, qui se laudabiliter regunt, et carnem rationi omnino subjiciunt ; per concubinas, quæ non prolem legitimam, sed voluptatem exquirunt, falsos prædicatores, qui nec Christi honorem, nec audientium salutem, sed propriam quærunt laudem et commoda sua ; per adolescentulas vero, animas vanitatibus atque lasciviis deditas, quarum numerus ignoratur.

Una est columba mea, perfecta mea : id 8
est, quamvis diversæ sint animæ seu personæ fideles, magis aut minus virtuosæ, quæ deficere possunt ac cadere et spiritualiter constuprari ; una est tamen sponsa mea jugiter sancta, a columbina simplicitate nunquam deficiens, et sanctitatem in se ac perfectionem inviolabiliter continens : quæ errare non valet, nec tota deficere, quia a Spiritu Sancto gubernatur

ac conservatur, utpote universalis Ecclesia A militans : quæ una est unitate fidei, spei, et caritatis, unione veræ concordiæ, et per eadem media ad eumdem finem salvificum tendens. De qua ait Apostolus : *Ephes.* v, 27. Elegit sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam neque rugam. Quod quamvis pro statu futuro magis conveniat Ecclesiæ, secundum Hieronymum super Jeremiam, et secundum Bernardum in sermone; tamen et pro statu præsenti aliqualiter competit ei : quoniam quantum ad membra sua viva, caret mortalium vitiorum et pravarum intentionum ruga ac macula, et semper habet in se aliquas sanctas personas. Totum autem a suis partibus denominationem sortitur, imo denominationes diversas et quasi contrarias, sicut hæc ipsa Ecclesia dicitur sancta et deformata, virgo et meretrix, secundum expositores nonnullos super illud Isaiæ : *Is.* i, 21. Quomodo facta est meretrix urbs fidelis? quoniam quidam in Ecclesia Deo pura mente adhærent, plures vero mente, imo et corpore fornicantur ab eo, *Ps.* lxxii, 27. prout in Moralibus super Job diffuse tractat Gregorius.

Una est matri suæ, electa genitrici suæ : id est, hæc ipsa venerabilis Ecclesia, subsistit et est ad laudem et gloriam pietatis et gratiæ Dei, seu increatæ sapientiæ ejus : quæ pietas, gratia, sapientia, mater totius Ecclesiæ appellatur, quia per dona gratiæ justificantis eam regenerat, fovet, maternaliterque custodit. Et potest per matrem, gratia baptismalis intelligi, quæ originaliter regenerat animas, tanquam janua sacramentorum. Mater quoque totius Ecclesiæ, potest vocari primitiva illa Ecclesia, sub Apostolorum regimine in Jerusalem inchoata, a qua tota Ecclesia est exorta, juxta illud in Isaia : *Is.* ii, 3. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Juxta illius primitivæ Ecclesiæ institutionem, regulam, ac doctrinam, subsistit et conversatur universalis Ecclesia : quod etiam ad primitivæ Ecclesiæ magnum cedit præconium et honorem, et ad gloriæ ejus augmentum. Rursus, per matrem et genitricem Ecclesiæ militantis, intelligitur triumphans Ecclesia, quæ militantem meritis suis precibusque tuetur. Nam et gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Luc.* xv, 10.

Viderunt eam filiæ Sion, id est præfatæ adolescentulæ seu animæ de novo conversæ : quæ sunt filiæ Sion, id est filiæ speculationis per fidem; quæ vident per speculum in ænigmate, *I Cor.* xiii, 12. et virtutes sanctæ matris Ecclesiæ intuendo, mirantur et laudant eam; *et beatissimam prædicaverunt* B *reginæ,* de quibus jam dictum est : id est, animæ perfectorum acutius considerando dona et privilegia almæ matri Ecclesiæ præstita, fassæ sunt eam beatissimam esse in spe, inchoatione, merito ac prælibatione. Nempe quo Ecclesia sanctior gratiosiorque consistit, eo hoc modo beatior perhibetur. *Et concubinæ laudaverunt eam,* tanquam omni alia congregatione et plebe præclariorem.

Quæ est ista quæ progreditur? id est, 9
quam venusta, commendabilis et præclara, C est universalis Ecclesia! pergens de via hujus exsilii ad æternæ patriam claritatis, non quiescens per torporem, quamdiu in hujus vitæ versatur curriculo; *quasi aurora consurgens,* id est, de imperfecto ad perfectiora jugiter properans, a tenebris ignorantiæ ad lucem sapientiæ scandens, a via purgativa per illuminativam ad unitivam ascendens; *pulchra ut luna :* quoniam a Sole justitiæ omnem, quam habet, accipit lucem et claritatem, sapientiam et virtutem. Et sicut luna illuminat noctem, D ac inter nocturna sidera lucet splendidius; ita Ecclesia illustrat, docet, et dirigit sedentes in tenebris et umbra mortis hujus sæculi. *Luc.* i, 79. Et cunctis in hoc mundo sapientior invenitur, determinans quid de necessitate salutis oporteat credere, agere, et tenere. *Electa ut sol :* quoniam sponsa est Solis æterni, et ei in perfectione similior, ad eamdem beatitudinem prædestinata atque ventura, ad quam ille secundum assumptam naturam electus est ac pervenit; *terribilis ut castrorum acies*

Digitized by Google

ordinata : quod præcedenti capitulo expositum est.

10 *Descendi in hortum nucum.* Istud tam de Christo quam de universali Ecclesia potest exponi. Christus ergo per suæ pietatis condescensionem et opem, descendit in hortum nucum, id est ad congregationem fidelium atque constantium personarum, quæ arduam ducunt vitam, et instar nucum contemptibiles foris videntur. Imo per soliditatem virtutum fortiter sunt contra suæ salutis hostes muniti, sicut nux forti ac ligneo tegitur tegumento; intus vero dulcem continent fructum, devotionem internam, mentis tranquillitatem, conscientiæ puritatem, contemplationisque gratiam, ac divini fervorem amoris, sicut nux nucleum. Et sicut ex nucleo extrahitur oleum, sic ex illorum virtutibus compassio, pietas ac vera devotio. Et sicut nux in exordio corticem habet humidum, mollem ac viridem, qui veniente maturitate aret ac decidit : sic perfecti in suæ conversionis initio vallati erant et cooperti propriæ carnis et sensualitatis mollitie, fervore, atque humore; sed virtutum adveniente maturitate, caro et sensualitas aruerunt, edomitæ ac repressæ.

Ut viderem poma convallium, id est, minus perfectos attenderem ac juvarem, imo et in humilitatis imo positos approbarem. Tamen per poma possunt et nuces intelligi, quoniam omnis arborum fructus comestibilis, communi nomine pomum vocatur : sicut in Evangelio fertur de ficu, quam Christus accessit, quod non erat tempus pomi illius. (*Marc.* XI, 13.) Denique, per superiores et perfectiores Christus visitat, dirigit, et adjuvat minus perfectos : quos tamen interius tangit multoties per se ipsum. *Et inspicerem, si floruissent vineæ,* id est, an particulares Ecclesiæ seu congregationes, claustra, collegia, ad fructum spiritualis vini essent dispositæ, et floribus salubrium meditationum piarumque affectionum ornatæ ac fœcundatæ; *et germinassent mala punica,* id est, an fructuosi essent, qui in statu contemplationis et igneæ caritatis sunt positi, et quorum est dominicam passionem jugiter ferre in corde, ac prælati quorum præcipue est ad sanguinis effusionem pro fide ac justitia esse paratos (ut instar malorum punicorum rubeant intus), et [qui] contemplationis ac dilectionis, bonæque famæ odore ac suavitate ornantur ac fragrant, et alios attrahunt. Christus itaque tanquam pastor bonus, visitat suam Ecclesiam in singulis (*Joann.* X, 11, 14.) gradibus ac statibus ejus, et ab unoquoque requirit, ut secundum exigentiam suæ vocationis fructificet. Insuper ipsa Ecclesia synodaliter congregata, seu ejus prælati et ipsa per suos prælatos, considerat, visitat, et reformare conatur particulares Ecclesias, et singulos gradus ac ordines.

Subditur in persona Synagogæ, in fine
sæculi convertendæ : *Nescivi,* id est, di- 11
gnitatem, sanctitatem, et gratiam Ecclesiæ Christi non consideravi, nec novi. Cujus annectitur ratio : *Anima mea,* id est voluntas seu ratio male disposita, seu animalis affectio, *conturbavit,* id est, inquietavit et a veritatis consideratione impedivit *me propter quadrigas Aminadab,* id est, ex consideratione potestatis* et magnificentiæ, virtutis et gratiæ regni Juda : quod designatur per Aminadab, de cujus stirpe reges regni Juda progeniti sunt; et per quadrigas illius, fortitudo et excellentia regni illius insinuantur. Atque (ut dicitur) Aminadab cum tribu Juda primo post Moysen ingrediendo fundum maris Rubri (*Exod.* XIV, 22.) siccatum, promeruit regium sceptrum, ceteris tribubus Moysen sequi timentibus. Judæi autem usque in præsens, considerando quam mirabiliter et præclare lex vetus per (*Joann.* I, 17.) Moysen data fuit et confirmata et inclyte conservata, præcipue a populo tribus Juda, atque ibidem per Prophetas et signa præconizata, renuunt credere legem illam per legem evangelicam esse evacuatam, et Jesum, legis Mosaicæ exterminatorem, esse divinitus missum.

* *al.* pietatis

Expositores vero communiter per quadrigas Aminadab, intelligunt quatuor Evangelia Christi, et primos eorumdem prædi-

Digitized by Google

catores, sanctos Apostolos, qui evangeli- A
Marc. XVI, 15; *Rom.* XV, 19 *et seq.* zando tanquam quadrigæ discurrerunt per
mundum, circumferentes Jesum et Evan-
gelium ejus ubique terrarum. Aminadab
quippe interpretatur, spontaneus populi
mei : sicque per Aminadab accipitur Chri-
stus, qui Patre volente, spontaneus pro
salute populi sui venit ad passionem, sicut
Joann. X, 18. testatur : Nemo tollit animam meam a me,
sed ego pono eam. De quo Isaias prædixit :
Is. LIII, 7. Oblatus est, quia voluit. Qui Christus etiam
Ps. XXXIX, 8, 9. in Psalmo fatetur : In capite libri scri-
ptum est de me, ut facerem voluntatem B
tuam; Deus meus, volui, et legem tuam
in medio cordis mei. Conturbata est igitur
Synagoga propter quadrigas Aminadab, id
est ex prædicatione Evangelii Christi, quo-
niam interim perturbatur propria incre-
dulitate, et ad contradicendum movetur
propter diversa motiva, tamen irrationa-
bilia et insufficientia ac faciliter solubilia.
In fine autem concutietur ad credendum
Evangelio Salvatoris, prædicantibus Elia
et Enoch.

Denique, ut aliqui dicunt, Aminadab C
non est hic nomen proprium, nec una di-
ctio secundum Hebræos; sed nomen com-
mune, seu potius duo nomina appellati-
va, significantia populum principantem :
quod ad prætactam potest expositionem
reduci.

Consequenter Ecclesia hortatur Synago-
12 gam ad conversionem. *Revertere, rever-
tere, Sunamitis; revertere, revertere, ut
intueamur te :* id est, tu, plebs Israeli-
tica, redi ad verum Messiam Jesum, crede
in eum, revertere ad fidem patrum sancto- D
Malach. IV, 5, 6. rum : sicut Malachias prædixit, quod Elias
convertet cor filiorum ad patres eorum.
Revertere ad pœnitentiam, ad obedien-
tiam, perseverantiamque finalem. Rever-
tere a quatuor plagis terræ, ab hac extre-
ma captivitate, ab indurata excæcatione,
ad credendum, ad obediendum omnibus
quæ in quatuor Evangeliis credi seu im-
pleri jubentur. Recte demum per Suna-
mitem, intelligitur plebs Hebræa, nunc
captivata et aspernata : quoniam Sunami-
tis, captiva seu despecta interpretatur; et
quoniam Suna civitas erat terræ promis- *Josue* XIX, 18.
sionis, de qua pulcherrima illa Abisag,
ultima David regis conjux, fuit, ut patet III *Reg.* I, 3.
tertio Regum : quæ et frequenter Sunami-
tis vocata est.

Postremo huic caritativæ ac piæ petitio-
ni Ecclesiæ Deus cito adsistens ac favens,
respondet Ecclesiæ : *Quid videbis in Su-* 1 (cap. VII)
namite, nisi choros castrorum? tanquam
dicat : O Ecclesia, fiet quod exhortaris, in
tantum quod Synagoga in fine converten-
da, erit tam fortis in fide, tam roborata in
spe, et accensa in caritate, ac omni sapien-
tia et virtute munita, angelicis spiritibus
circumvallata, ac multis agminibus cre-
dentium copiosa, quod non videbis in ea
nisi choros castrorum, id est societates
militantium Deo, quia pro Deo ac fide mori
erunt parati. Choros quoque castrorum, id
est acies et connexiones gratiarum, virtu-
tum, donorum ac aliorum charismatum
divinorum : ita quod quæ diu jam ante
contra fidem pugnavit, de cetero tecum
pro fidei defensione, contra Antichristum
seu alios perfidos, dimicabit. Dicit autem
Methodius martyr ac præsul in suo libello,
quod centum quadraginta quatuor millia
Judæorum tunc crediturorum, occidentur
ab Antichristo.

Digitized by Google

ARTICULUS XIX

DECLARATIO EJUSDEM CAPITULI SEXTI, DE CHRISTO ET SPONSA PARTICULARI.

17 (cap. v) *QUO abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum.* Uxores et sponsæ ejusdem mariti aut sponsi carnalis, raro concordes et caritativæ atque pacificæ sunt ad invicem : quoniam una impedit aliam a desideratis mariti amplexibus, qui dum pergit ad unam, recedit ab alia : ideo illæ mutuo invident sibi. Secus est de his quæ sponsæ sunt sponsi cœlestis : quia quo amplius diligunt sponsum, eo cordialius amant se invicem; nec una invidet alteri amplexus, oscula unionemque sponsi, sed super his invicem congratulantur, quoniam una non impedit aliam a talibus bonis, sed juvat et promovet eam ad talia, orando pro invicem, et mutuo ædificando. Nec sponsus deserit unam, ut visitet aliam : imo omnes simul potest invisere, tamque faciliter omnibus simul satisfacere ac uniri, ut uni. Siquidem sponsus iste per suam majestatem ubique est præsens, estque omnipotens. At vero particulares sponsæ sibi invicem familiares, conqueruntur ad invicem suas afflictiones, desolationes, ariditates, quas incidunt, dum præsentiam sponsi concupitam non habent; quærunt quoque ab invicem solatium, consilium, atque auxilium : et quia unaquæque earum tanto exstat humilior, quanto perfectior, quævis earum alteram vocat pulcherrimam. Sicque querela unius audita de sponsi recessu a se, aliæ condolentes mox dicunt : Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, quæ tanto es pulchrior, quanto amore sponsi repletior? Quo declinavit dilectus tuus? et quæremus eum tecum : id est, dic nobis, in quibus mentibus putes eum specialiter habitare, gratiosius operari, salubriusque

A quiescere; et ab eis colligemus tibi exempla virtutum, exercitia actionum, quibus insistendo valeas recuperare optatam sponsi præsentiam, consolationem, amplexum.

Ad hæc sponsa, id est anima contempla-
tiva ac fervens, respondet : *Dilectus meus* 1
descendit in hortum suum, id est in quam-
cumque virtuosam personam : in qua tot
sunt spirituales arbores, quot virtutes; tot
poma et fructus, quot meritorii actus; tot
fontes, quot habitus intellectuales; tot flo-
res, quot bona proposita et desideria pia.
B *Ad areolam aromatum,* id est ad mentem
in qua sunt theologicæ ac supremæ vir-
tutes, contemplativique actus, et excessi-
vi anagogici motus sanctæ dilectionis in
sponsum : quæ omnia sunt aromata pror-
sus pretiosissima et valde coram sponso
fragrantia.

Ut pascatur in hortis, id est, in actibus sapientialibus, prudentialibus, consiliaribus ac scientialibus intellectivæ potentiæ delectetur (secundum quod actus isti procedunt ex sapientia, consilio, scientia, ut C sunt dona; et ex prudentia, prout virtus est cardinalis), in actibus quoque spei et caritatis, fortitudinis, pietatis, timoris filialis, ac latriæ atque justitiæ, quæ perficiunt voluntatem. Itaque tam intellectus cum suis ornamentis, id est habitibus et actibus meritoriis, hortus est, quam voluntas : sicque in uno totali et grandi horto, continentur plures horti particulares minores. Nam et ipsa anima hortus est, ager ac vinea : similiter quælibet ejus potentia, quæ subjectum est alicujus virtutis. D *Et lilia colligat,* id est, quidquid boni, virtuosi et pulchri in his hortis invenerit, acceptet, et in memoria sua reponat ad remunerandum tempore opportuno, atque

Digitized by Google

ad præsentandum Deo Patri tanquam advocatus fidelium. Etenim si sancto Job
Job xiv, 17. dicere licuit Deo, Signasti quasi in sacculo universa delicta mea : quanto magis dicere potuit, Signasti quasi in thesauro omnia opera mea bona ? Siquidem pronior est Deus ad pietatem, quam ultionem, qui
Is. lxvi, 18. apud Isaiam protestatur : Ego autem opera eorum et cogitationes venio ut congregem. Ecce quam gloriosum, fructuosum ac nobile est huic suavissimo, benignissimo, affectuosissimo sponso inhærere, uniri, vacare, immergi, qui tam gratiosissime ac liberalissime operatur in anima pura, illuminata, et amorosa : quæ consequenter cum ingenti ait fiducia :

2 *Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi :* id est, intendant et vacent alii quibus velint, cupiant et conentur placere hominibus, ad dignitates atque officia promoveri, ditari, famari et glorificari in sæculo
Ps. lxxii, 26; Thren. iii, 24; Ps. xv, 5. isto : sufficit mihi sponsus meus. Ille pars mea, ille hereditas mea, ille totum et summum bonum meum; præter et extra ipsum nihil quæro, nil opto; in ipso salus mea et gloriatio mea, spes mea et tota occupatio mea. Quid necesse est vagari per multa, et per inania distrahi ? quum sponsus iste sit summum, perfectum, infinitum, invariabile bonum; nulli se negans, nullum despiciens, dummodo sincere se vertat ad ipsum; et in ipso est cum plenitudine, jucunditate, et excellentia infinita, quidquid salubriter appeti potest. *Ego* ergo *dilecto meo,* a quo nullus præsumat, tentet, usurpet avertere me. Nec immerito dico hæc, quia *dilectus meus mihi :* id est, ipse quamvis sit excellentiæ tam immensæ, attamen tam dignanter, familiariter, socialiter, amorose, ac dulciter se habet ad me pauperculam et indignam, quasi aliquid essem; imo veluti ad sororem, ad amicam, ad sponsam : quia quo major est ejus majestas, eo et major est dignatio ejus; et ut multa paucis perstringam, quasi mihi soli haberet intendere ac uniri. Ideo caritate cogente, fiduciamque donante, quasi oblita excellentiæ ejus, nomino eum dilectum et sponsum : nec solum dilectum, sed et dilectum meum.

Interea hac devotione, gratitudine, caritate, sinceritate suæ sponsæ delectatus misericordissimus et amantissimus sponsus, cito rependit vicem sponsæ, et prorumpit in ejus præconia, dicens : *Pulchra* 3
es, amica mea. Nam ipsa propriæ imperfectionis recognitio tam amorosa et humilis, vehementer pulchrificat te, et quod deest per naturam, suppletur per gratiam : et quanto mihi, totius pulchritudinis supersplendidissimo fonti ac lumini perfectionaliter infinito ac superpulcherrimo, amplius appropinquas, intimiusque conjungeris, profundius quoque immergeris; eo utique copiosius pulchrificaris, exuberantius illustraris, et radio sapientiæ salutaris, fulgore altissimæ veritatis, ardore divini ac sancti amoris abundantius ac magnificentius perfunderis, venustaris, repleris. Sicque supernaturali ac deiformi polita decore, amicta lumine gratiæ ac virtutum, ut vestimento, *suavis* es etiam : quoniam spirituali gaudio paceque pectoris es perfusa, et in castissimum omnis boni honesti affectum firmiter transformata, virtuosorumque actuum delectationibus exhilarata; et quam magna sit multitudo dulcedinis increatæ, tanto suavius ac plenius gustas et (Ps. xxx, 20; I Petr. ii, 3.) experiris, quanto fontali illi incircumscriptibili atque immensæ dulcedini familiarius soles uniri. Hinc visceribus pietatis ac suavitatis redundas et affluis : imo et effluis, teque effundis, ac delectabilis es ad amandum. Unde et meæ deliciæ, quamvis nullius indigeam, sunt esse tecum : (Prov. viii, 31. Ps. xv, 2.) quoniam mihi ex me ipso, ex propria bonitate, caritate, pietate, delectabile et jucundum est esse cum creatura, quam talem (Ps. cxliii, 1.) et mihi tam similem amabilemque efficio. *Et decora sicut Jerusalem,* id est cœlesti Jerusalem in pulchritudine assimilata : quoniam conversatio tua in cœlis est, et in terris vitam angelicam ducis, quia in (Philipp. iii, 20.) carne non carnaliter, sed spiritualiter vivis, ac civium supernorum actibus occu-

Digitized by Google

paris, videlicet contemplationi, dilectioni ac laudibus Dei.

Terribilis ut castrorum acies ordinata. O quam terribilis est anima virtuosa, sancta, contemplativa immundis spiritibus, eorumque principi, qui factus est ut nullum timeret! (Job XLI, 24.) Nonne anima talis sua profundissima humilitate terribilis est spiritui superbiæ, et vincit ac agitat eum in omnem ventum, quia fortissime ei resistit, ac fugit ab ea? Sic quoque caritatis suæ ardore incendit, vincit, fugat, spiritum invidiæ infelicis; sic et mansuetudine ac patientia sua spiritum iræ atque tristitiæ vertit in fugam. Et breviter, quo anima se ipsam plus frangit, quo inter proximos et fratres humilius et exemplarius conversatur, quo paci et concordiæ fraternali diligentius studet, satagens auferre de medio omnia scandala, (Matth. XIII, 41.) quo tentationibus virilius reluctatur, quo omne opus Dei quotidie cum diligentia implet majori, quo custodiæ cordis et assiduo interiori profectui incessabilius instat ardentiusque invigilat; eo omnibus adversariis suæ salutis terribilior comprobatur. Qui ergo cupit dæmonibus prævalere, tanto ferventius virtuosis insistat operibus, quanto acrius ab illis tentatur : correptiones et correctiones cum omni regratiatione suscipiat; se ipsum in cunctis humiliare ac frangere enitatur; sicque Omnipotentis præsentiam omnia intuentem vigilanter perpendens, studeat Deo cum ampliori sinceritate ac diligentia quotidie deservire.

4 *Averte oculos tuos,* id est oculorum tuorum abusum, evagationem et curiositatem, *a me.* Juxta quem sensum in Evangelio jussi, Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice abs te. (Ibid. V, 29; XVIII, 9.) Sic ergo averte oculos tuos a me, ne in mea præsentia pecces per evagationem, curiositatem, abusum oculorum tuorum interiorum aut exteriorum. Sic enim per Ezechielem præcepi : Unusquisque offensiones oculorum suorum abjiciat. (Ezech. XX, 7.) Juxta quem sensum hortatur Apostolus : Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. (Coloss. III, 5.) Præterea per Moysen jussi filiis Israel, ut facerent sibi fimbrias quatuor, per quatuor angulos palliorum, ponerentque in eis vittas hyacinthinas : quas quum viderent, recordarentur omnium mandatorum meorum, ne sequerentur cogitationes et oculos per res varias fornicantes. (Num. XV, 38, 39.) Si ergo populo duræ cervicis tantam indixi oculorum custodiam : quanto magis indecens est atque culpabile, ut tu, quæ sponsa mea es, per oculorum incustodiam me offendas, seu aliud quid intendas dum mihi intendere habes? Noli ergo a me oculos columbinos avertere, nec vana et vilia intueri, quæ jugiter habes ac merito debes ad me oculos tui cordis dirigere. Nonne incustoditus oculus, incustoditi cordis est signum? Ideo oculi incustoditi me faciunt avolare, id est a mente recedere.

Capilli tui sicut grex caprarum, etc. Istud supra expositum est.

7 *Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concubinæ, et adolescentularum non est numerus.* Per concubinas in Scripturis frequenter intelliguntur uxores secundariæ ac minus principales, et tamen legitimæ : sicut in Genesi legitur Abraham filiis concubinarum munera contulisse; et constat quod erant ejus uxores legitimæ. (Gen. XXV, 6.) Sic Zelpha et Bala in Genesi interdum vocantur concubinæ Jacob, quandoque uxores. (Ibid. XXX, 4, 26; XXXV, 22.) Ita et nunc per concubinas intelliguntur animæ virtuosæ veraciter Christi sponsæ, quamvis adhuc imperfectæ. Præterea, per reginas possunt intelligi animæ quæ in virtutibus theologicis magis abundant; per concubinas, quæ in virtutibus intellectualibus amplius fulgent; per adolescentulas autem, animæ illæ quæ in moralibus plus abundant virtutibus. Vel, reginæ sunt, quæ magis ardent in caritate; concubinæ, quæ amplius micant in spe, adspirantes assidue ad sincerum et perfectum sponsi amplexum; adolescentulæ autem, quæ fide resplendent : fide, inquam, formata et operosa, non informi et mortua.

8 *Una est columba mea, perfecta mea.* Quamvis præfatæ virtutes dicantur conca-

Digitized by Google

tenatæ, ita quod habens unam, habet et alias, dummodo aliquam habeat quantum ad esse meritorium ac formatum; nihilo minus una anima bona magis abundat in ista, alia magis in altera. Juxta quem sensum de unoquoque cantatur Sanctorum : Non est inventus similis illi, etc. (*Eccli.* XLIV, 20.) Sic quoque jam sponsus de qualibet anima virtuosa perfecta fatetur : Una est columba mea, perfecta mea, in quantum quælibet talis in aliqua perfectione præfulget. Unde et Paulus : Unusquisque, inquit, donum suum habet a Deo. (I *Cor.* VII, 7.) Et sicut columba frequenter in uno et eodem anno prolificat, gregatimque volat, visum quoque multoties renovat, et caret felle, ac gemitum habet pro cantu : sic anima Christi sponsa fructum parit virtutum assidue, et frequenter renovatur, illuminaturque mente, et per caritatem atque concordiam manet in catholica communione ac societate, non segregans semetipsam, nec singularitate se dividens, aliosve perturbans ; caret item amaritudinis, indignationis, et iracundiæ felle, utpote caritatis, pietatis, mansuetudinis lita melle; sicque contemptis mundi solatiis, pro suis ac aliorum ingemiscit peccatis, anhelat ad patriam, ac totius mundi deflet vitia et ærumnas. *Una est matri suæ,* id est, quælibet anima talis, consistit ad gloriam et profectum universalis Ecclesiæ : cui honorificum expediensque censetur habere filias tales, communitati tam exemplares, ac pro communi bono Ecclesiæ incessabiliter deprecantes.

Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt. Proprium quippe est animabus devotis, caritativis, humilibus, non se ipsas, sed consocias et consorores suas laudare, mirari, extollere. Idcirco dum animam tam fervidam, virtuosam, compositam cernunt, continuo admirantur excellentiam gratiæ ei concessæ, et valde felicem reputant eam, ac aliis imitandam proponunt,
9 dicentes : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* quasi dicant : Valde commendabilis et præclara est anima ista, tam efficaciter in omni crescens proficiensque virtute, et a minori lumine gratiæ ad eminentiorem ejus lucem conscendens, de virtute in virtutem fortiter proficiscens. (*Ps.* LXXXIII, 8.) Nempe justorum semita quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem. (*Prov.* IV, 18.) Et recte anima virtuosa comparatur auroræ : quoniam, sicut auroræ aliquid caliginis nocturnæ miscetur, quod tanto plus pellitur, quanto aurora altius elevatur; sic animæ in principio suæ conversionis, dum adhuc in statu est incipientium, admiscentur caligines passionum, ignorantiarum, ac reliquiarum præcedentium vitiorum : quæ omnes paulatim per claritatem gratiæ et per splendorem sapientiæ ac virtutum spiritualium profectum expelluntur.

Pulchra ut luna : quoniam, sicut luna mox eclipsatur, opaco aliquo inter eam et solem erecto; sic anima quantumlibet virtuosa, si ad momentum avertatur a Sole sapientiæ sponso cœlesti, obtenebratur, indigetque indesinenter conservari ab illo : alioqui mox labitur. Nec in hac vita tam pulchra efficitur, quin quotidianis culpis velut lunaribus maculis respergatur. Verumtamen per supernaturalia lumina cœlestium gratiarum, virtutum, donorum, ac meritorum, multo pulchrior est luna et cunctis cœli sideribus. Spiritualia etenim et supernaturalia vehementer excedunt corporalia et naturalia cuncta. *Electa ut sol,* id est elegans instar solis : quoniam, sicut sol cunctis cœli astris est pulchrior, causalior, et cetera illa illuminans; sic frequenter contingit, animam quamcumque virtuosam, in medio congregationis suæ esse ceteris perfectiorem, fructuosiorem, exemplariorem, ita quod verbo, exemplo ac fama illuminat ceteros. Et certe benedicta Deo est anima illa, cujus sapientia proximorum errores, ignorantias, dubitationes, perplexitates fugat, dissolvit, certificat; cujus fervor aliorum teporem accendit, cujus mansuetudo ac patientia aliorum iram impatientiamque confringit, cujus probitas atque humilitas aliorum improbitatem elationemque reprimit et refor-

Digitized by Google

mat. *Terribilis ut castrorum acies ordinata :* sicut expositum est.

10 *Descendi in hortum nucum.* Unaquæque anima virtuosa, proprii cordis hortum debet per diligentem considerationem intrare; et hortum nucum, id est superiorem partem suam, videlicet intellectivam potentiam ac voluntatem, in quibus sunt solidiores virtutes, provida examinatione perambulare, an quid virtutibus sanctis contrarium ibi exsurgat pensando : sicque videre *poma convallium,* id est virtutes morales, et actus earum quæ in appetitu sensitivo esse dicuntur, discutiendo easdem, ne quid vitii ipsis admisceatur, et illud auferre; *si floruissent vineæ,* id est, an habitus intellectuales procedant debito modo in actum : puta prudentia, scientia, sapientia, per quas oportet dirigere actus virtutum, vim appetitivam superiorem ac inferiorem perficientium; *et germinassent mala punica,* id est septem dona Spiritus Sancti, quæ sunt habitus supernaturales infusi, per quos fit anima dirigibilis ac

11 celeriter mobilis a Spiritu Sancto. *Nescivi,* id est, ab horum notitia et executione fui aliquando impedita. *Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab :* id est, ex consideratione evangelicorum voluminum Salvatoris (juxta præcedentis expositionem articuli), sum compuncta et mota ad ista intuenda ac peragenda.

12 *Revertere, revertere, Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te.* Animæ virtuosæ sui sponsi succensæ dilectione, quum viderint animam aliquam a sponsi fidelitate ac puro connubio deviantem seu lapsam, a spiritualibus et supernis ad carnalia et terrena curvatam, vehementer condolent ei; et exhortantur ut pœnitens revertatur ad sponsum, revertatur a prava cogitatione, inordinata affectione, ab illicita locutione, ab omni opere malo et omissione iniqua, ad meditationes salubres, affectiones sinceras, ad ædificatoria verba virtuosaque opera : quatenus eam ita reversam cum gaudio intueantur : a qua deviante, vultum complacentiæ averterunt.

Hanc exhortationem, compassionem, caritatem adolescentularum approbat sponsus, alloquens unamquamque illarum :
Quid videbis in Sunamite, nisi choros 1
castrorum? id est, animam istam aversam (cap. vii)
et lapsam, conspicies adhuc taliter pœnitentem, satisfacientem, proficientem, quod
ubi abundavit iniquitas, abundabit et gra- Rom. v, 20.
tia; et erunt in ea structuræ virtutum fir- Apoc. xxi,
missimæ, spiritualia arma, omnisque belli- 18.
cus apparatus adversus aerias potestates Ephes. vi,
ac acies vitiorum. Frequenter enim con- 12.
tingit, ut recidivantes, per pœnitentiam reparati, sint solito cautiores; et tanto humiliores, quanto gravius peccasse se cernunt; tanto quoque ferventiores, quanto majorem se advertunt esse misericordiam consecutos.

ARTICULUS XX

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI SEXTI, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

1 DILECTUS *meus descendit in hortum suum.* Hoc sacratissima Domina, Mater Deifera, intemeratissima atque purissima Virgo, singulariter dicere potuit, quando Unigenitus Patris in uterum ejus a
Ps. xviii, 7. summo cœlo descendit per Incarnationis mysterium, et habitavit in medio ejus. Cur autem uterus gloriosissimæ Virginis, hortus dicatur, imo hortus mundissimus, fecundissimus, speciosissimus, redolentissimus, dictum est sæpe. Denique invariabilis, illocalis, intemporalis, et incircumscriptibilis Deus in summo cœlo specialiter esse et habitare asseritur, quoniam illic magni-

Digitized by Google

ficentius operatur, evidentiusque videtur. A Dicitur quoque inde descendere, non locum mutando, sed in creatura aliquid operando. Et quamvis ad universos justos dicatur descendere, gratiam infundendo seu perficiendo : tamen ad unicam ac præclarissimam Virginem descendit, humanæ carnis substantiam ex ea hypostatice assumendo ; atque ad ipsam, quam assumpsit, humanitatem descendit per personalem seu hypostaticam unionem. Porro uterus præstantissimæ Virginis, fuit hortus Verbi æterni, tanquam creatoris, B electoris, et inhabitatoris. *Ad areolam aromatum,* id est ad ipsam præelectissimæ Virginis mentem, omnium divinorum fructuum fertilitate plenissimam, a Spiritu Sancto diligentissime cultam, seminatam, et fecundatam, suavissimis virtutum germinibus decoratam. Imo prius venit in mentem Virginis, quam in ventrem ipsius; sed veniendo in ventrem, venit quoque in mentem, augendo in ea inæstimabiliter gratiam et virtutes, sapientiam, dona et fructus. *Ut pascatur in hortis et lilia colligat.* C Lilia Virginis incomparandæ, erant spiritualissimæ ac purissimæ ejus affectiones, altissimæ contemplationes, ac ceteri actus ejus interni : quibus sponsus delectabatur potissime ; et tanto plus, quo hæc Virgo sibi carior et complacentior fuit, et quo omnes actus præfatos ex caritate principiavit eminentiori.

3 Hinc sponsus ad ejus laudes convertitur. *Pulchra es, amica mea :* sicut hoc sæpe expositum est. (Cant. I, 14; IV, 1, 7.) Nempe, ut ait Anselmus, tanta puritate nitebat, quod sub Deo major D intelligi nequit. Quid candidius ea, quam candor lucis æternæ elegit in matrem, quæ fontem universi concepit peperitque decoris, quæ roseo pudore purpureoque candore decentissime fuit perfusa, cujus apparatus ac vultus omni morali venustate resplenduerunt, quæ impuritate culpæ nunquam tacta, in omni splendore sapientiæ ac virtutum incessanter incomparabiliterque profecit? *Suavis,* imo prorsus dulcissima. Pulchrum enim dicitur per respectum ad visum; et ipsa pulchritudo, est suavitas ac quædam refectio oculorum exteriorum ac interiorum. Ideo, sicut in regno cœlorum Virgo dignissima post Filium suum ineffabili speciositate præfulget; sic intuitio pulchritudinis ejus universos cives cœlestes ineffabiliter singulariterque post Christum delectat. Suavis, inquam, *et decora, sicut Jerusalem* illa cœlestis : quia in terris conversans, angelica puritate pollebat. Imo tantæ sanctitatis meritis fuit splendiflua, quod super universos angelicorum choros spirituum digna fuit sublimari. Ideo pulchritudo ejus quam habuit in hoc mundo, aptius comparatur decori triumphantis quam militantis Jerusalem : quoniam pulchritudo ejus radiosissima fuit, sine totius admixtione culpæ quantumlibet parvæ.

Terribilis ut castrorum acies ordinata : id est, instar acierum ac exercituum angelicorum spirituum (qui castra Dei vocantur) (Gen. XXXII. 2.) metuenda es, o potentissima universitatis Regina, angelis tenebrarum et omni altitudini contra Deum se extollenti. Tu enim multo sublimius, imperialius, gloriosius reprimis et coerces aerias potestates ab impugnatione et infestatione militantis Ecclesiæ. Et sicut fluit cera a facie ignis, (Ps. LXVII. 3.) sicut fugit cervulus ab insecutione leonis; sic deficiunt ac fugiunt a tua potentia atque præsentia invisibiles hostes. Tu caput contrivisti serpentis, (Gen. III, 15.) et omnem perimis hæreticam pravitatem. O quantum formidant superbissimi illi tuam profundissimam humilitatem! qualiter ardentissima caritas tua ipsos incendit! qualiter affligit crudelissimos et invidiosissimos illos viscerosissima pietas ac redundantissima misericordia tua! Sic et mansuetissima tua dulcedo, ac dulcissima mansuetudo, amarissimos spiritus illos, in quibus prædominatur amens furor, irrationabilis concupiscentia, et phantasia proterva, vehementer excruciat et contorquet.

Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. 4
Hoc juxta præinducta, propriissime potest accipi dictum a Chri-

Digitized by Google

sto ad suam dilectissimam Matrem, ad A insinuandum præcordialissimum valdeque singularem suum amorem ad ipsam : quasi si amplius inspiciatur ab ea, ferre non queat præ vulneratione amoris : ut intelligatur per modum hyperbolicæ locutionis amatoriique sermonis. Nam et superius
Cant. iv, 9. dixit ad eam : Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa, in uno oculorum tuorum : quanto magis in ambobus? et in uno crine colli tui : quanto amplius in multis omnibusque crinibus tui colli? Vel sic : Averte oculos tuos a me, id est, quamvis, o unica B mea, tota tua delectatio sit, me jugiter intueri, verumtamen non solum me intuearis, sed et commissam quoque tibi Ecclesiam et miseros ad te clamantes. Sic ergo, *Averte oculos tuos a me,* id est, ad alios quoque eos converte, non tamen intueri me cesses. Attamen oculos illos maternæ compassionis ac piæ sollicitudinis, quos in terris habuisti ad me, adhuc passibilem et mortalem, præsertim tempore passionis, averte omnino a me plenarie glorificato, et converte illos ad miseros exsulan- C tes, ad te lamentabiliter ac devotissime conclamantes : Eia ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. *Ipsi me avolare fecerunt,* id est, piissimi tui respectus et columbini intuitus, contemplativique oculi tui attraxerunt me de sinu Patris in gremium ventris tui ac mentis.

Capilli tui sicut grex caprarum, etc.
Ibid. 1. Istud supra in elucidatione capituli quarti expositum est.

7 *Sexaginta sunt reginæ,* etc. *Una est* D
8 *columba mea, perfecta mea :* id est, quantumlibet aliæ animæ virtuosæ, contemplativæ, pudicæ, dicuntur spiritualiter esse regiæ conjuges meæ, aut adspirantes ad perfectum amplexum; tanta tamen, o benedictissima Parens mea, est eminentia tua in omni virtute, salute, perfectione et proprietate laudanda, quod tu sola inter particulares personas es columba mea pudicissima, fecundissima, gemitu pio summe repleta in sæculo isto, ab omni felle alienissima. Et sicut comparatione mei nul- Matth. xix, 17; Marc. x, 18.
lus est bonus; sic comparatione tui, nulla perfecta, quantumcumque præclara et magna. Imo ceteræ cunctæ reginæ, sunt tuæ ancillæ. *Una est matri suæ.* Tu enim, o sponsa, secundum carnem es filia Synagogæ, et ad ejus honorem et gloriam cedit, imo et ad illius profectum et opem, quod tu talis ac tanta es, et quod ipsa talem ac tantam filiam habet. Nam et meritis tuis ac precibus multi ex populo Judæorum conversionis sunt gratiam assecuti. Verumtamen infelix illa Synagoga, pro maxima sui parte, ingrata indurataque permanet; et quum in honore esset, non intellexit. Ps. xlviii, 13, 21.
Electa genitrici suæ. Quamvis præclarissima Virgo sit mater, advocata, ac regina totius militantis Ecclesiæ; tamen quamdiu erat in sæculo isto, erat membrum ac filia spiritualis ipsius Ecclesiæ : sed huic matri suæ, id est ad patrocinium, defensionem, consolationem, profectum et salutem hujus matris suæ, electa est desuper esse mater Christi, advocata generis humani, refugium miserorum, mediatrix Dei ac hominum.

Viderunt eam filiæ, et beatissimam prædicaverunt reginæ, et concubinæ laudaverunt eam. Omnes enim rationales et intellectuales creaturæ, Deo per caritatem conjunctæ, tam in militanti quam in triumphanti Ecclesia, sacratissimam istam aut frequenter aut indesinenter adspiciunt, magnificant, laudant, tam inferiores quam superiores ac mediæ. Et quanto sunt eminentiores ac magis illuminatæ, tanto profundius atque limpidius intuentur et contemplantur omnem dignitatem, excellentiam et gloriam gloriosissimæ Virginis. Hinc reginæ dicuntur eam non solum videre ut filiæ, aut laudare ut concubinæ, sed beatissimam prædicare. Et merito : quoniam ipsa præstantissima ac virtuosissima Virgo concepit ac genuit omnium Salvatorem, totius beatitudinis fontem. Sicque ex limpida ejus contemplatione maxime admirantur omnem perfectionem et felicitatem ipsius, dicentes :

Digitized by Google

9 *Quæ est ista, quæ progreditur quasi au-*
rora consurgens, id est, ab infantia, qua
uti ratione incepit, celerrime incompara-
biliterque proficiens, et Christum (qui est
verus dies animarum sanctarum) præce-
dens, atque ad ipsum perducens? *Pulchra*
ut luna : quoniam sicut post solem luna
clarius splendet in cœlo et præest nocti,
sic illustratissima Domina post Christum
solem justitiæ, in tota clarius micat Ec-
clesia militanti ac triumphanti, et mili-
tanti Ecclesiæ (quæ respectu triumphantis
sedet in tenebris) specialiter præsidet. Ve-
rumtamen incomparabiliter formosior est
Apoc. xii, 1. quam luna; imo luna sub pedibus ejus :
sed pulchra est ut luna, id est sicut Eccle-
sia, quia diversæ virtutes et gratiæ, quæ
hinc inde in variis membris Ecclesiæ fue-
runt et sunt dispersæ et imperfectæ, fue-
runt et sunt in ea collectæ ac valde per-
fectæ. *Electa ut sol :* quia post Christum
hominem elegantissima et electissima esse
cognoscitur. Et sicut sol ceteris planetis
ac stellis est major, luminosior, atque
causalior; sic felicissima Mater virginea,
post Christum est ceteris cunctis major
perfectione, luminosior sapientia, et virtu-
te causalior, utpote Genitrix veri Dei, Sal-
* alias Salvatrix vatoris * mundi, et innumerabilium pec-
catorum reductrix ad gratiam ac salutem.
Terribilis ut castrorum acies ordinata :
quia in ea fuit ordinatissima virtutum
connexio, præclarissima perfectionis con-
stantia, et auctoritate maternitatis Dei con-
stituta est imperatrix universorum, ac ple-
na dominatrix adversantium potestatum.
10 *Descendi in hortum nucum, ut viderem*
poma convallium. Juxta expositiones præ-
habitas, sanctissima Virgo tanquam vigi-
lantissima ac fidelissima advocata et pro-
tectrix Ecclesiæ militantis, in eamdem
descendit quotidie, omnem statum ac dis-
positionem Ecclesiæ considerando, preces
pro ea fundendo, dona gratiæ impetrando.
Similiter Virgo Deifera, quamvis peccare
non poterat, tamen interiorum suorum di-
ligentissima custos consideratrixque fuit,
ad vehementius proficiendum : sicque per
A considerationem, custodiam et profectum,
intravit assidue hortum animæ suæ, et
virtutes ac opera sua pensavit. *Nescivi :* 11
quia beatissima Domina profecit in multis
notitiis, nec a principio per experientiam
scivit fructum passionis Filii sui, ut post-
ea. Ideo subdit : *Anima mea conturbavit*
me propter quadrigas Aminadab : id est,
affectio cordis mei me vehementer affli-
xit, eo quod Evangelium Filii mei viderem
non recipi a Judæis, quibus quadrigæ, id
est Apostoli, Christum prædicando vehen-
B tes ad audientium corda, diu prædicave-
runt. Si enim apostolus Paulus de Judæo-
rum excæcatione doluit tam vehementer,
ut diceret, Tristitia mihi magna est, et Rom. ix, 2,
dolor continuus cordi meo pro fratribus 3.
meis Judæis : quanto magis optima Virgo,
quæ in caritate Dei et proximorum ineffa-
biliter fuit perfectior Paulo? Oravit igitur
piissima Mater pro illis assidue.

Sed animæ credentium, videntes Judæo-
rum obstinationem extremam, clamant ad
suam piissimam Advocatam : *Revertere,* 12
C *revertere, Sunamitis; revertere, reverte-*
re : id est, ad Ecclesiam ex gentilitate
conversam, tuæ pietatis converte respe-
ctum; redi ad prælatos, redi ad subditos,
redi ad peccatores; redi indulgentiam im-
petrando, gratiam obtinendo, conservatio-
nem impendendo, ad gloriam perducendo.
Ut intueamur te, id est, ut experiamur te
nobis clementer adsistere, et tuam beati-
tudinem sinceriter contemplemur, ac de-
mum in patria te æternaliter videamus.

Hanc petitionem approbat sponsus, di-
D cendo : *Quid videbis in Sunamite, nisi* 1
choros castrorum? id est, tu, congregatio cap. viii
fidelium animarum, merito invocatis spon-
sam hanc singularem, quoniam potens est
vos adjuvare, tueri, perducere : quia non
potestis considerare in ea nisi aciem vir-
tutum firmissimam, et omnium spiritua-
lium insuperabilem vim armorum : quæ
etiam habet ad manum cœlestium spiri-
tuum victoriosam militiam suo imperio
obedire promptissimam, per quos potest
juvare, victoriamque conferre.

Digitized by Google

ARTICULUS XXI

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMI : QUAM PULCHRI SUNT GRESSUS TUI !
DE CHRISTO ET ECCLESIA.

Matth. vi, 21. SALVATOR in Evangelio loquitur : Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit et cor tuum. Porro thesaurus Salvatoris, est ejus Ecclesia, sibi tam cara, quod pro ejus salute suum pretiosissimum sanguinem Ephes. v, 25. fudit, et tradidit se pro ea. Ideo cor suum est ubi Ecclesia sua : in ea est, in ea quiescit, et commoratur cum ea; et de ea libenter confabulatur, et ejus insistit præconiis, dicens :

1 *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Tota Ecclesia appellatur filia principis, id est Christi Tit. iii, 5. sponsi sui, qui eam regeneravit ex aqua et Jacob. i, 18. Spiritu Sancto, atque (ut Jacobus ait apostolus) voluntarie genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ Is. ix, 6. ejus. De quo Christo Isaias prædixit : Vocabitur nomen ejus, Princeps pacis. Et Apoc. i, 5. sicut in Apocalypsi scriptum est, Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et princeps regum terræ. Potest tamen per principem intelligi Deus Pater, seu Trinitas Deus, et quælibet divina et increata Persona. Hujus filiæ gressus sunt pulchri, id est, actus et profectus atque spirituales ipsius affectus, quibus tendit de via ad patriam, virtuosi sunt valde, quia secundum divina regulantur præcepta : pulchri, inquam, in calceamentis, id est per hoc, quod sanctorum patrum exemplis ornantur, sicut pedes per calceamenta, quia præcedentium patrum exemplaria opera imitatur Ecclesia. Denique, quoniam tota Ecclesia est unum mysticum corpus, cujus varia membra, sunt diversa supposita per actus et officia convenienter distincta : sicque per pedes Ecclesiæ designantur conjugati, qui instar pedum assidue tangunt et calcant terram, quia in terrenis occupantur negotiis, et in corpore Ecclesiæ infimum tenent locum; et tamen sunt pulchri valde, dum conjugali continentia fulgent, habentes, juxta doctrinam Apostoli, Hebr. xiii, 4. honorabile connubium et torum immaculatum, servantes præcepta Dei atque Ecclesiæ, et temporalia ad spiritualia referentes, sicque transeuntes per transitoria bona, ut non amittant æterna.

Juncturæ feminum tuorum sicut monilia. Quemadmodum supra, ita et hic spon- Cant. iv, 1 et seq. sus describit Ecclesiam sub parabolica similitudine feminæ speciosæ. Sed quarto capitulo incipit descriptionem hujusmodi a superioribus partibus sponsæ, puta ab oculis; hic autem ab inferioribus, hoc est a pedibus, sicut jam patuit. Quemadmodum autem ad ornatum feminæ spectat compositio gressus, et calceatio pedum, ita et congrua connexio feminum, ut nulla sit claudicatio crurum. Est equidem femen in muliere, quod femur in viro. Itaque femina Ecclesiæ, sunt duo populi concurrentes Ephes. ii, 14-16, 20. in Christo, tanquam in lapide angulari, per fidem, spem, caritatem, videlicet Judæi et gentiles conversi : quorum junctura, est unio eorum concors, et conversatio mutua gratiose pacifica, sicut jussit Salvator : Pacem habete inter vos; Marc. ix, 49. et denuo, Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi- Joann. xv, 12. cem. Paulus quoque : Unanimes, inquit, uno Rom. xv, 6. ore honorificetis Deum; et rursus, Implete Philipp. ii, 2. gaudium meum, ut idem sapiatis, unanimes, id ipsum sentientes. Talis ergo junctura, pulchra censetur tanquam monilia, *quæ fabricata sunt manu artificis,* id est sicut spiritualia ornamenta sapientiæ ac virtutum, quæ summi Opificis potestate ac

prudentia conferuntur et contemperantur. A
Ephes. II, 14. Unde dixit Apostolus, quod Christus est pax nostra, qui fecit utraque unum, id est, utrumque populum effecit unum ovile, unum mysticum corpus, et unam plebem in Deo.

2 *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis,* id est, similis est crateri seu rotundæ mensuræ vini, repletæ optimo vino : ideo subditur, Nunquam indigens poculis. Hoc est dicere : Umbilicus tuus est rotundus et bene formatus, quasi torno commensuratus. Per umbili- B
cum autem, sub quo concipitur proles, et per ventrem in quo alitur, designantur prædicatores : quorum verbis et exemplaribus gestis, fama ac meritis homines convertuntur, et in Deo regenerantur, alimentisque spiritualibus in Ecclesia educantur: qui prædicatores non indigent poculis, quia
Eccli. XV, 3. aqua sapientiæ salutaris, rore gratiæ, fluentis doctrinæ abundant, atque de plenitudine sua propinant, id est, auditoribus suis communicant.

Venter tuus sicut acervus tritici, id est, C
aptum habens tumorem ex fecundatione, *vallatus liliis,* id est puritate suavi ac candida. Sicque per ventrem Ecclesiæ significatur ejus fecunditas spiritualis ac pura,
Joann. I, 13. non carnalis et fœda, secundum illud : Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex
I Cor. IV, 15. Deo nati sunt. Unde et Paulus : In Christo, inquit, per Evangelium ego vos genui. Et sicut præhabitum est, per ventrem convenienter mens seu memoria sumitur, seu ipse Baptismus. D

3 *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli ca-*
Cant. IV, 5. *preæ gemelli.* Hoc supra diffuse est decla-
4 ratum. — *Collum tuum sicut turris ebur-*
Ibid. 4. *nea.* Hoc est quod supra legitur : Sicut turris David, collum tuum. Sed hic dicitur, Sicut turris eburnea. Ebur namque est os elephantis animalis castissimi. Sicque per turrim eburneam insinuatur, quod hi qui per collum Ecclesiæ denotantur, videlicet doctores, pastores, et qui aliis sermocinantur, debent castitate ornari ; et constantes, pretiosæque conversationis existere, sicut turris eburnea fortis est et pretiosa.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Per oculos Ecclesiæ, intelliguntur prælati, quos Deus dedit speculatores domui suæ : qui Ezech. III, 17.
habent se ipsos subditosque dirigere, atque de necessariis providere. Qui comparantur piscinis sitis in Hesebon : quæ piscinæ sunt in portis, id est prope portas, filiæ multitudinis, id est plebis habitantis in loco sic dicto : quæ plebs dicitur filia multitudinis, id est nata ex populo copioso oppidi aut regni illius. Nempe, sicut in Deuteronomio scriptum est, Hesebon fuit Deut. I, 4.
civitas Sehon regis Amorrhæorum. Unde scriptum est alibi : Ignis egressus est de Num. XXI, 28.
Hesebon. Quidam per piscinas in Hesebon, intelligunt duas piscinas, quæ in Jerusalem erant, et multum ornabant eamdem : adjicientes quod Hesebon non sit hic nomen proprium urbis præfatæ, sed commune, significans computationem. Comparantur igitur oculi sponsæ piscinæ in Hesebon, quoniam instar aquarum illarum sunt clari, pretiosi, et abundantes in lumine cognitivo. In organo quoque oculorum abundat aqueus humor. Claritas autem sapientiæ, lumen copiosum intelligentiæ, humor compunctionis, pretiositas sanctæ et exemplaris conversationis abundare debent in prælatis Ecclesiæ, præsertim in episcopis, ceterisque majoribus. Hinc et per oculos Ecclesiæ, possunt intelligi cognitio ejus contemplativa et practica, seu sapientia atque prudentia.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Per nasum Ecclesiæ, virtus discretionis accipitur, qua inter bonum et malum, inter verum et falsum, inter pretiosum et vile discernit. Et assimilatur turri Libani, quia sublimis et valde recta est ista discretio, atque veritatis candore præfulgida. Et respicit contra Damascum, quæ interpretatur sanguineus, quia terrenis et sanguinolentis operibus se opponit.

Digitized by Google

5 *Caput tuum ut Carmelus,* id est simile A
monti Carmelo alto, pulchro, fructifero,
pascuis copioso, qui spinis et frutetis ca-
rere asseritur. Quod si per oculos intelli-
gantur episcopi, potest per caput Ecclesiæ
intelligi Pontifex summus, qui est sum-
mus, primus, ac generalis Christi vicarius
super totam universalem Ecclesiam, spon-
sus, caput, prælatus, pastor, monarcha,
Cant. v, 11. doctor ac ductor ipsius; per optimum au-
rum, potest accipi plenitudo ecclesiasticæ
potestatis, in eo subjective formaliterque
consistens, vel præclara sapientia, seu ma- B
xima sanctitas ad eum pertinens : quia
quo plus ceteris præeminet latissima ju-
risdictione ac prælatica potestate, tanto
plus debet singulis præfulgere omni sa-
pientia, sanctitate et exemplaritate. Sed
ipse est caput Ecclesiæ vicariale. Christus
vero caput est principale : qui est opti-
mum aurum : quia in quantum Deus, est
essentialiter sapientia infinita, sanctitas-
que immensa; secundum assumptam quo-
que naturam, plenus est sapientia, gratia
et virtute infusis, beatifica fruitione et C
omni superno charismate. *Et comæ capitis
tui, sicut purpura regis juncta canalibus,*
id est rubicundæ et nitidæ, sicut purpura
regia in aquis canalium posita, ut in eis
post tincturam lavetur, quatenus color ejus
vivacior venustiorque appareat. Porro, sic-
ut per caput potest intelligi caput vicariale
et etiam principale; ita per comas capitis
possunt intelligi præcipui post dominum
Papam prælati, et qui ei familiarius in re-
gimine coadsistunt : qui et rubeis coutun-
tur, ad insinuandum quod caritate Dei ac D
proximi debeant æstuare, et Christi pas-
sionem jugiter ferre in corde, atque pro
Deo et fide ac subditorum salute esse pa-
rati ad sui sanguinis effusionem. Quod si
per caput Christus accipiatur, comæ hujus
capitis sunt gloriosi Apostoli et primi Sal-
vatoris discipuli, qui ei familiarius et im-
mediatius adhæserunt, atque ab ipso sum-
pserunt gradum ac potestatem : qui omnes
caritate tanquam regia purpura sunt orna-
ti, atque in canalibus, id est Baptismate
et fontibus gratiæ ac sapientiæ, expurgati
et decorati.

Sic ergo commendatis pulchritudinibus
partium sponsæ, concluditur : *Quam pul-* 6
chra es et quam decora! quasi dicat : Val-
de formosa es intus et foris; *carissima in
deliciis,* id est, quam ostendo mihi dile-
ctissimam esse per hoc, quod spirituales
meas delicias tam caritative et liberaliter
tibi communico, et ad gaudia beatificæ
fruitionis meæ deitatis, te creavi, redemi,
et perducere volo : quemadmodum passio-
ne mea instante, discipulis dixi : Iterum *Joann.* xvi,
autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum; 22.
et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

Statura tua assimilata est palmæ. Pal- 7
ma est arbor victoriæ, quia victoribus in
signum triumphi olim dabatur aurea pal-
ma cum laude et gloria. Statura ergo spon-
sæ, id est perseverantia Ecclesiæ, palmæ
similis perhibetur : quoniam perseverando
usque in finem, coronari meretur, sicut in
Evangelio legitur : Qui perseveraverit us- *Matth.* x,
que in finem, salvus erit. Rursus, palma 22; xxiv, 13.
crescendo inferius stringitur, et superius
dilatatur. Sic Ecclesia paulatim proficien-
do, a bassitudine humilitatis orditur, at-
que ad caritatis amplitudinem promove-
tur. Unde fertur in Psalmo : Justus ut palma *Ps.* xci, 13.
florebit. Rursus statura, id est rectitudo
justitiæ, seu altitudo contemplationis ip-
sius Ecclesiæ, palmæ assimilatur. *Et ube-
ra tua,* id est vetus ac novum Testamen-
tum, seu sapientia et caritas, misericordia
quoque et liberalitas : per quæ omnia fo-
vet Ecclesia filios suos; assimilata sunt *bo-
tris :* quoniam spirituale continent vinum,
et mentem caritatis fervore inebriant ac
dulciter alunt.

Dixi, id est, in animo meo firmiter sta- 8
tui : *Ascendam in palmam,* id est, Eccle-
siam meam, quam nunc palmæ assimilavi,
personaliter visitabo, et corda credentium
purgabo, illuminabo, perficiam : sicque in
membris meis crescam, dum fideles ad
contemplationis verticem proficere fece-
rim, et ita in ipsis ascendam; *et apprehen-
dam fructus ejus,* id est, de ipsa Ecclesia

Digitized by Google

colligam fructum justitiæ copiosum : quia A
me eam visitante ac fecundante, fructifi-
cabit, atque ad laudem et gloriam meam
copiose insistet omni actioni virtutum. De-
nique palma inferius aspera, et in supe-
rioribus pulchra, suavis, ac fructuosa, fi-
gura est crucis, in quam propter salutem
Ecclesiæ Christus ascendit. Quæ crux in
inferioribus fuit asperrima, quia in præ-
senti fuit maxime afflictiva; sed fertilissi-
ma facta est meritis dominicæ passionis,
et fructum protulit æternæ salutis. Et certe
sicut in hymno devotissime canitur, ipsa B
est Arbor decora et fulgida, ornata regis
purpura, id est, sacratissimo corpore Fi-
lii Dei perfosso, sacro cruore ac sangui-
ne ejus perfusa est. De qua in alio hym-
no cantatur : Dulce lignum, dulce pondus
sustinens, quam sacer cruor perunxit fu-
sus agni corpore. *Et apprehendam fructus
ejus,* id est, saluberrimos passionis et cru-
cis meæ effectus obtinebo et consequar :
quia redimam genus humanum, januam
regni cœlestis aperiam, sanctos de limbo
Matth. XII, 29. educam, fortem armatum ligabo, et vasa C
ejus diripiam. Propter quod, passione in-
Joann. XII, 32. stante, locutus sum : Si exaltatus fuero a
terra, omnia traham ad me ipsum. Hinc in
Is. XLIX, 6. Isaia Deus Pater ait ad Christum : Parum
est, ut sis mihi servus ad suscitandas tri-
bus Jacob et fæces Israel convertendas;
dedi te in salutem gentium, ut sis salus
mea usque ad ultimum terræ.

Et erunt ubera tua sicut botri vineæ :
id est, caritatem et pietatem, sapientiam et
virtutem tuam, o Ecclesia, tam affluenter
implebo, perficiam, fructificareque faciam, D
quod filios tuos copiose lactabis, enutries,
et ad perfectionis incrementa perduces. *Et
odor oris tui sicut malorum.* Odor oris Ec-
clesiæ, est devota, amorosa, pia locutio,
sermocinatio, oratio et instructio ejus ;
seu fama suæ doctrinæ, quemadmodum
II Cor. II, 14, 15. Paulus testatur : Deus odorem notitiæ suæ
per nos manifestat in omni loco, quia Chri-
sti bonus odor sumus. Hic odor assimila-
tur odori malorum punicorum : qui fortis
et bonus est, atque martyrii palmam desi-
gnat eo modo, quo juxta præhabita per Cant. IV, 13.
mala punica rubentia martyres exprimun-
tur, quorum constantiam et fervorem ac
gloriam præcipue prædicat sancta Eccle-
sia. *Guttur tuum sicut vinum optimum :* 9
id est, verba sacra ac fervida per guttur
tuum prolata, sunt spiritualiter audien-
tium inebriativa, ita ut dicere queant cum
Jeremia : Factus sum quasi homo madidus Jer. XXIII, 9.
vino a facie verborum sanctorum Dei. Un-
de in Psalmo : Calix meus inebrians quam Ps. XXII, 5.
præclarus est! Et ut alibi scribitur, Quid Zach. IX, 17.
pulchrum Domini, nisi vinum germinans
virgines?

Interea audiens sancta Ecclesia a spon-
so se taliter commendari, repente victa
amore ipsius, quasi interrumpens verba
ipsius, ait de eo ceteris convertendis : *Di-
gnum dilecto meo ad potandum :* id est,
vinum hoc spirituale, scilicet prædicatio
mea sapientialis ac fervida, mihi a dilecto
concessa, tam virtuosa ac placita ei est, ut
dignum sit quod eam acceptet, et delecte-
tur in ea; *labiisque et dentibus illius ad
ruminandum :* quoniam decet ut eam nun-
quam obliviscatur, sed memoriter teneat
et perpendat ad remunerandum. Possunt
quoque per labia et dentes sponsi, prædi-
catores et perfectiores fideles ipsius intel-
ligi : qui præ ceteris masticant verba Dei,
dum eorum sensum intime pensant, reco-
gitant et adimplent.

Subdit demum Ecclesia : *Ego dilecto* 10
meo, et ad me conversio ejus. Hoc est quod
in præcedentibus legitur atque expositum
est : Ego dilecto meo, et dilectus meus Cant. VI, 2.
mihi. Itaque, Ego dilecto meo, id est, ad
eum gratiose pertineo, ejus amori, contem-
plationi laudibusque intendo; et ipse vul-
tum suæ benignitatis convertit ad me, et
gratiose me visitat, me clementer exaudit;
nec extra me aliquis potest salvari, sicut
nec extra arcam Noe quisquam potuit a Gen. VII, 23.
diluvio præservari. Ideo confidenter lo-
quor ad eum : *Veni, dilecte mi, egredia-* 11
mur in agrum : id est, quoniam tu, o spon-
se, tam gratiose me visitasti, tam clare
illuminasti, tam valide accendisti, ego tibi

grata exsistere cupio, tuum honorem et A
cultum augeri concupisco, gratiam mihi
collatam aliis opto communicare; sed quo-
Joann. xv, 5. niam nil sine te valeo, precor ut simul
proficiscamur ad catholicæ fidei dilatatio-
nem, ad errantium conversionem, ad per-
ditorum salvationem. *Veni, dilecte mi,* qui
ubique præsens es, jugiter adsis mihi in
corde; *egrediamur* de secreto contempla-
tionis *in agrum,* id est in amplitudinem
Matth. xiii, 38. orbis terrarum. Ager namque est mundus,
ut in Evangelio fertur. *Commoremur in*
villis, id est, inter eos qui latam ambulant B
viam, et rusticanis moribus sordent, per-
maneamus, quousque ad arctum conver-
tantur iter salutis, et urbana decorentur
modestia.

12 *Mane surgamus ad vineas,* id est, Ec-
clesias particulares et congregationes cre-
dentium visitemus, ad reformandum col-
lapsa, et ut informentur ad meliora : et
faciamus hoc mane, id est celeriter et
ferventer, et statim post tuam resurrectio-
nem mane factam, nocte antiquæ infide-
litatis ad terminum suum deducta. *Videa-* C
mus si floruit vinea, id est, consideremus
an quæcumque congregatio seu persona
conversa, ad proficiendum se præparavit,
et internæ reformationis refloritionem sor-
tita sit; *si flores fructus parturiunt,* id
est, an virtutes et dona in actus suos pro-
cesserint, ac meritis exornentur; *si flo-*
ruerunt mala punica, id est, an hi qui
caritate et contemplatione præ aliis de-
bent esse igniti ac fulgidi, ut sunt præ-
dicatores et viri heroici ac prælati, ad
palmam quoque martyrii sint parati. *Ibi* D
dabo tibi ubera mea : id est, tali fructifi-
catione, conversione, et divulgatione fidei
sanctæ simul gaudebimus, et cupitis cari-
tatis infusæ fruemur amplexibus interio-
ribus illibatis, atque omnem prædicatio-
nem et fructum, cooperationem et admini-
strationem meam, tibi totaliter tanquam
omnis boni datori adscribam. Utriusque
quoque Testamenti scripturas ad tuam
honorificentiam augmentandam fideliter
ordinabo.

Mandragoræ dederunt odorem suum in 13
portis nostris. Mandragoræ, secundum Au-
gustinum, sunt poma pulchra, odorife-
ra, tamen insipida. Gregorius vero accipit
mandragoras pro medicinalibus ac redo-
lentibus herbis. Et secundum utramque
significationem, per mandragoras intelli-
guntur excellentiores quique in sancta Ec-
clesia : qui vitæ sinceritate et bonæ famæ
odore resplendent, ac alios attrahunt, suis-
que exhortationibus et exemplis anima-
rum vulnera curant. Idcirco in portis Chri-
sti et Ecclesiæ, id est in ipsis exordiis
noviter conversorum ac incipientium, fun-
dunt suum odorem, ædificando, consolan-
do, roborandoque tales plantationes novel-
las, sicut hortatur Apostolus : Infirmum Rom. xiv, 1.
in fide suscipite ; et alibi, Consolamini I Thess. v, 14.
pusillanimes, suscipite infirmos, patientes
estote ad omnes ; itemque, Si præoccupa- Galat. vi, 1.
tus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui
spirituales estis, hujusmodi instruite in
spiritu lenitatis. Hinc etiam scripsit qui-
busdam : Vestra obedientia divulgatur in Rom. xvi, 19.
omni loco.

Omnia poma nova et vetera, dilecte mi,
servavi tibi. Sicut sancti patres vocantur
arbores fructuosæ, formosæ, suaves; ita
eorum documenta, exempla, virtutes et
opera, poma dicuntur, quæ ex eis quasi
de arboribus colliguntur. Ecclesia igitur
pro aliorum conversione ferventer sollici-
ta, parit sibi fiduciam, et loquitur spon-
so : Omnia poma nova et vetera, id est
utriusque Testamenti scripturas, auctori-
tates, historias, exempla et argumenta, pro
fidei persuasione accommoda, diligenter
collegi, memoriter teneo, et jam parata sum
exponere ad tuum honorem et gloriam, pro
aliorum conversione, eruditione et con-
firmatione, sicut et tu in Evangelio prote-
staris : Omnis scriba doctus in regno cœlo- Matth. xiii, 52.
rum, similis est homini patrifamilias, qui
profert de thesauro suo nova et vetera.

Digitized by Google

ARTICULUS XXII

EXPLANATIO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI, DE CHRISTO ET SPONSA PARTICULARI.

1 QUAM *pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* A Sponsus cœlestis juxta varium tactum stimulumque amoris, variis modis alloquitur sponsam, et diversis eam nominibus exprimit, jam sponsam, jam sororem, jam amicam, jam columbam, jam immaculatam, jam perfectam nominans eam : et nunc, quasi non sufficiant tot appellationes, tam prædignæ et amorosæ, nominavit eam nomine in hoc libro hactenus inaudito, videlicet filiam; nec filiam tantum, sed filiam principis, haud dubium quin illius de quo ait B
Ps. LXV, 7. Scriptura : Qui dominatur in virtute sua in æternum. Si magna nobilitas est, esse prolem regis seu imperatoris terreni : quanto plus, esse sobolem Regis æterni, ineffabilis est nobilitas? Ecce quantum dona gratiæ ac virtutum, rationalem dignificant creaturam. Hanc excellentiam per fidem et gratiam Christi consequi-
Joann. I, 12. mur : quotquot enim receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Hinc
1 *Joann* III, 1. rursus Joannes hortatur apostolus : Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus. C Decuit enim, Deo incarnato, homines quodammodo deificari. Ideo Filius Dei docuit nos sub hac
Matth. VI, 9. forma orare : Pater noster, qui es in cœlis, etc. Verum quia ita oramus, diligenter pensemus quod per Malachiam loquitur
Malach. I, 6. Deus : Filius honorat patrem suum, et servus timet dominum suum. Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Certe meri-
Jer. XLVIII, 10. to dicitur : Maledictus qui facit opus Dei
Ps. CXVIII, 21. negligenter; et, Maledicti qui declinant a mandatis ejus. Beati vero et divinæ filia- D tionis appellatione condigni, qui cum san-
Job XXIII, 11, 12. cto Job ex sententia dicere habent : Vestigia Dei secutus est pes meus; viam ejus custodivi, et non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, et in sinu meo abscondi verba oris ejus : ut scilicet vivam secundum eorum tenorem. Talis fuit qui ait : In corde meo abscondi elo- *Ps.* CXVIII, 11.
quia tua, ut non peccem tibi.

Unicuique itaque animæ sic agenti, loquitur sponsus cœlestis : *Quam pulchri sunt gressus tui!* id est, valde virtuosæ sunt tuæ actiones, intentiones, et affectiones, *in calceamentis,* id est in imitationibus exemplorum patrum sanctorum, qui in omni sanctitate et justitia Deo mini- *Luc.* I, 75.
straverunt, et coram eo jugiter custoditi, timorati, sinceri fuerunt, semper solliciti *Ephes.* IV, 3.
servare unitatem spiritus in vinculo pacis; o *filia* adoptiva *principis* summi, de quo ait Scriptura : Domine, rex omnipo- *Esther* XIII, 9.
tens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati. Quum ergo sis filia principis tanti, decet te in omnibus ordinate, mature, reverenter procedere : siquidem filiæ regum docentur valde composite proficisci. Hinc Deus exhortatus est Abraham : Ambula co- *Gen.* XVII, 1.
ram me, et esto perfectus. Et Psalmista fatetur : Servavi mandata tua et testimo- *Ps.* CXVIII, 168.
nia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Juncturæ feminum tuorum sicut monilia. Femina seu femora animæ, sunt potentiæ ejus, in quibus virtutes et vitia subjective consistunt. Hæ enim possunt fructum virtutum producere : quod si neglexerint, spinas et tribulos germinabunt. *Gen.* III, 18.
Et potissime femina ista sunt intellectus atque voluntas, in quibus virtutes et vitia amplius habent locum : quarum virium junctura, est earumdem connexio ac mutua influentia. Intellectus etenim voluntati

ostendit, quid appetere, velle et agere debeat : quia voluntas de se cæca censetur, ejusque objectum est bonum intellectum, id est per intellectivam potentiam apprehensum et intellectualiter cognitum. Voluntas quoque jam actuata, et præsertim per caritatem formata, movet intellectum et excitat ad agendum per modum imperii, quia per caritatem præcipit aliis viribus. Dum ergo intellectus voluntatem ordinate illuminat, et ab immoderato refrenat affectu, voluntas quoque movet et excitat intellectum ne torpeat : tunc anima Christi sponsa est fructuosa, et virtutum germinibus tanquam monilibus decoratur, atque ab immoderantiis et defluxionibus refrenatur. Propter quod ait Apostolus : (Hebr. II, 1.) Abundantius oportet nos observare ea quæ audivimus, ne forte supereffluamus.

2 *Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis.* Per umbilicum corporale alimentum defertur in ventrem, et deportatur ad fetum. Idcirco per umbilicum, potest intelligi vis cogitativa : quæ vocatur et intellectus passivus, et inter vires sensitivas ac intellectivas est media, quamvis sit sensitiva atque organica, quia cum intellectivis potentiis convenit in multis, et per eam species rerum ab exterioribus ac interioribus sensibus ad intellectum perveniunt, eo quod cognitio nostra intellectiva exordium sumat a sensitiva. Hæc itaque cogitativa potentia, est tanquam crater tornatilis : quia mediante sensitiva memoria sibi subserviente, prompte atque celerrime offert et præbet intellectui imagines rerum. Unde et crateri jugiter pleno assimilatur : quia copiose ac fecunde abundat similitudinibus rerum, quæ a sensibus exterioribus per sensum communem et phantasiam seu vim imaginativam derivantur ad ipsam.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Venter animæ, est mens ejus, seu intellectiva memoria, omnium capax et tenax : quæ cœlestis verbi semine fecundatur, et duodecim fructus Spiritus parit : (Galat. V, 22, 23.) acervoque tritici comparatur, quoniam desiderio puro ac fervido ad Deum erigitur, et bonorum propositorum conceptionibus adimpletur, ac piis affectibus impinguatur : ita ut fateatur, A facie tua, Domine, concepimus, et quasi parturivimus, et peperimus spiritum salutis. (Is. XXVI, 17, 18.) Specialiter quoque zelus animarum, seu ingens desiderium fraternæ salutis, venter fecundus animæ amorosæ potest vocari, quia per zelum hunc sponso gratissimum, producit eidem sobolem spiritualem generatione castissima, utpote orando, prædicando, exhortando, sancte et exemplariter conversando. Ideo vallatus liliis perhibetur : non enim sensualiter circa proximos, sed pure intellectualiterque afficitur.

3 *Duo ubera tua,* scilicet intellectus speculativus et practicus, seu misericordia et veritas, sapientia et caritas, etc., *sicut duo hinnuli :* quia per hæc anima sancta prompte, copiose, subtiliter alit se ipsam et proximos, prout istud supra frequenter (Cant. IV, 5.) diffusiusque expositum est. — 4 *Collum tuum sicut turris eburnea :* (Ibid. 4.) quod in expositione quarti capituli declaratum habetur.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. Quemadmodum inter sensus exteriores clarior, spiritualior, atque nobilior dicitur visus ; sic inter vires animæ interiores, nobilissimus ponitur intellectus, in quo secundum philosophos atque theologos præcipuos, consistit felicitas : quæ est sapientiæ actus, quum et ipsa Veritas protestetur ad Patrem, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum. (Joann. XVII, 3.) Unde et summus ille Philosophus : Felicitas, inquit, est speculatio optimi speculabilis, id est contemplatio altissimæ veritatis.

Assimilantur igitur interiores oculi animæ amorosæ piscinis in Hesebon : primo, propter pretiositatem et dignitatem ipsorum ; secundo, ob intellectualis luminis claritatem, de quo ait Psalmista : Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine. (Ps. IV, 7.) Porro intellectuale naturaleque lumen animæ, per studium et exercitium, per informationem et lectionem acuitur, per habitus acquisitos perficitur; sed per habitus

infusos, per unctionem Spiritus Sancti, A per illuminationem angelicam, per veram compunctionem, expurgationemque vitiorum, et exercitationem internam in actibus vitæ contemplativæ præcipue decoratur, augetur, completur in tantum, ut inspicere possit etiam divina secreta, et
Ps. L, 8. incerta atque occulta sapientiæ Dei sibi manifestentur. Sicque, sicut in piscinis resplendent intuentium vultus, sic in lumine oculorum animæ universa cernuntur, et invisibilia Dei noscuntur : imo et anima deprehendit se ipsam, et si quid B culpæ in ea sit, intuetur. Tertio, comparantur hi oculi piscinis Hesebon, propter fecunditatem : quoniam, sicut piscinæ illæ feraces sunt piscium copiose; sic oculi cordis desuper illustrati, et a vitiorum sordibus emundati, sanctis meditationibus, sublimibus contemplationibus, considerationibusque saluberrimis exuberanter replentur. Deinde in voluntate sanctarum fervores affectionum inducunt, ædificato-
Matth. XII, 34; Luc. VI, 45. ria quoque verba emittunt : quia ex abundantia cordis os loquitur, atque ad vir- C tuosas et exemplares excitant actiones. Verumtamen ordine quodam hæc faciunt, quia in primis oportet conteri et mœrere de propriis culpis, deinde compati aliis, ac dominicæ passionis recordari frequenter : ideo dicitur, Piscinæ quæ sunt in Hesebon. Hesebon equidem, cingulum mœroris interpretatur. Idcirco accingat et paret se animus ad salubres mœrores, quum
Matth. V, 5. asserat sponsus : Beati qui lugent, quo-
Luc. VI, 25. niam ipsi consolabuntur; et denuo, Væ
Ibid. 24. vobis qui ridetis; et, Væ vobis qui habetis D consolationem vestram.

Nasus tuus sicut turris Libani. Per nasum, ut tactum est, quo inter bonos et malos odores discernitur, virtus discretionis insinuatur : quæ utique virtus, alta et præclara est valde ; et *contra Damascum,* id est sanguinolentum et vitiosum hunc mundum, opponit se : quoniam inter spiritualem et carnalem distinguit suavitatem ac voluptatem, definiens a sensualibus, fœdis, ac caducis abstinendum esse oblectamentis, quoniam vana et vilia sunt in se, et a spiritualibus ac divinis voluptatibus et consolationibus impeditiva, imo ad infernalem pertrahentia acerbitatem, atque æternalem illam beatificæ fruitionis increatæ dulcedinis auferentia voluptatem. Non enim possumus modo gaudere cum sæculo, et deinceps regnare cum Christo; sed huic capiti oportet nos conformari, de quo ait Scriptura : Nonne hæc Luc. XXIV, 26.
oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Idcirco oportet et nos per Act. XIV, 21.
multas tribulationes intrare in regnum cœlorum. Jugiter ergo vigeat in nobis hæc naris saluberrimæ discretionis. Et quando occurrerit nobis delectabile aliquid aut jucundum, protinus instar canum diligentissime odoremus an vere expediat, an sit odor aut suavitas ejus animæ refectiva, an potius sub mellis specie infectiva : et si sic, protinus fugiamus ab ea. In ipsis quoque solatiis et licitis ludis seu recreationibus, ab omni superfluitate, dissolutioneque cordis abstineamus : quatenus qui gloriatur, in Domino glorietur; et obser- II Cor. X, 17.
vemus quod scriptum est, Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua Eccli. XVIII, 30.
avertere.

Caput tuum ut Carmelus. Caput animæ, 5
est suprema pars ejus, in qua superbeatissimæ Trinitatis relucet imago. Quod caput, dum a passionibus et vitiis fuerit reformatum et expurgatum (sicut hortatur Apostolus, Renovamini, inquiens, spiritu Ephes. IV, 23.
mentis vestræ), virtutibus quoque et donis, præsertim sapientia, caritate, et stabilitate ornatum : instar montis Carmeli sublime est, imo ad supremum omnium verticem Deum extentum ascendens atque pertingens; sicque pulchrum et fructuosum efficitur, carens frutetis culparum, spinisque passionum. *Et comæ capitis tui sicut purpura regis, juncta canalibus :* id est, congeries, multitudo, abundantia cogitationum et affectionum tuarum, ita est coordinata, purgata, et igne caritatis atque dominicæ passionis recordationibus rubricata ac splendens effecta; utpote

Digitized by Google

Eccli. xv, 3. aquis sapientiæ salutaris intincta, aquis A
devotionis perfusa, lacrimis deplorationis
præsentis exsilii ac adspirationis ad beati-
ficum dilecti intuitum irrigata : ut vere
coram Deo sit rubens et candida, tanquam
regia purpura in canalibus collocata. Hoc
fit, dum omnis cogitatio omnisque affe-
ctio de creaturis concepta, si bona est,
ad Creatoris contemplationem et amorem
mox ordinatur; si prava, protinus refu-
tatur. Nec solum abjiciamus cogitationes
affectionesque malas, sed etiam minus bo-
nas, quæ sua occupatione et immoratione B
a melioribus nos retardant : sicque, juxta
doctrinam Apostoli, cogitemus, apprehen-
Hebr. vi, 9. damus, et exsequamur meliora ac vicini-
ora saluti.

6 *Quam pulchra es, et quam decora, ca-
rissima in deliciis!* Hoc a cœlesti sponso
audiri meretur anima vere timorata, fer-
Ps. lxxvi, 3. vens ac nobilis : quæ extra sponsum renuit
consolari, et tempore absentiæ consolato-
riæ præsentiæ sponsi, tanquam pudicissi-
ma turtur, gemitum assumit pro cantu,
Job xvi, 21. dicens cum sancto Job, Ad Deum stillat C
oculus meus; et cum divino Apostolo,
Galat. vi, 14. Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini
mei Jesu Christi, per quem mihi mundus
crucifixus est, et ego mundo. Quod si
Osee iii, 3. sponsus dixerit ei illud Osee, Dies multos
exspectabis me, non fornicaberis nec eris
viro; habet interim patientiam magnam,
nec fornicatur a Deo. Quod intuens spon-
sus, tam consolatorie visitat eam, ut ipsa
ex sententia et felici experientia fateatur :
Ps. xciii, 19. Secundum multitudinem dolorum meo-
rum in corde meo, consolationes tuæ læti- D
II Cor. i, 5. ficaverunt animam meam; itemque, Sicut
pro Christo abundat tribulatio nostra, ita
et per Christum abundat consolatio nostra.

7 *Statura tua assimilata est palmæ :* id
est, ad superna, cœlestia ac divina per
contemplationem et sanctum amorem ere-
cta es, et in affectum justitiæ prorsus
conversa, non retorta, nec incurvata aut
obliquata ad carnalia et immunda. Ideo
8 *Dixi : Ascendam in palmam,* id est, te
familiarissime ac gratiosissime visitabo,
eo quod tam similis, concors, ac intima
facta sis mihi : similitudo namque est ra-
tio unionis et complacentiæ ac colligatio-
nis. Ideo videns te in vili ac misera carne
tam spiritualem, justam, puram et amo-
rosam effectam, complacentiam in te ma-
ximam habeo, et libentissime in te moram
efficio. Tu quoque, o anima talis, ascen-
dere debes in palmam, hoc est in crucem
per cruciformem mei imitationem, et te
totam mihi affigere atque inseparabiliter
cohærere, ut veraciter dicas : Vivo autem, Galat. ii, 20.
jam non ego; vivit vero in me Christus.
Quod autem nunc vivo in carne, in fide
vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit
semetipsum pro me. Sicque apprehendes
fructus ejus, id est, copiose particeps eris
meritorum ac virtutum passionis et mor-
tis meæ. *Et erunt ubera tua sicut botri
vineæ,* id est, visceribus caritatis et pie-
tatis tota affluens, abundabis, et te aliis
largiter communicabis. *Et odor oris tui
sicut malorum :* quia ex plenitudine inter-
næ devotionis, divini fervoris, et gratiosæ
illuminationis, saluberrima atque dulcis-
sima docebis ac proferes verba; eritque
guttur tuum sicut vinum optimum, quo- 9
niam ita loquendo, copiose ac fortiter re-
ficies et inebriabis audientium mentes :
quod vinum erit etiam sponso præcipue
placitum.

Ego dilecto meo, et ad me conversio 10
ejus. Hoc dicere spectat ad animam cu-
jus conscientiæ testimonium perhibet Spi- Rom. ix, 1.
ritus Sanctus, quod sit caritate succensa,
Christique sponsa ac filia; cujus tota af-
fectio est ad sponsum, nec divisum est Osee x, 2.
cor ejus, sed vere psallere potest, Confite- Ps. cx, 1.
bor tibi, Domine, in toto corde meo; cui
molestum est, quidquid placet huic insano
ac misero mundo, dulce autem, quidquid
complacet sponso, et quidquid sibi accom-
modum est ad placendum eidem, quamvis
sint aspera et adversa, dura et afflictiva.

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, 11
commoremur in villis : id est, quocumque
perrexero, quidquid peregero, ubicumque
quievero, tu, o dulcissime sponse, miseri-

Digitized by Google

corditer perge mecum, et adsis, conserves A ac protegas. In quo enim scire potero invenisse me gratiam coram te, nisi proficiscaris sic mecum, et in exercitiis tam activæ quam contemplativæ vitæ, benigne adsistas, dirigas, tuearis? Sicque et ego, te auxiliante, ex superno et fraterno amore, considerando statum Ecclesiæ, pro communi bono ero sollicita, ac pro reformatione generali omni modo mihi possibili laborabo. Teque agente ac dirigente, considerabo me ipsam in cunctis, et actus potentiarum mearum an sinceri sint coram te, fructuosi ac meritorii : atque per hoc, omne bonum cum ingenti gratiarum actione tibi semper adscribam, nec in exercitiis vitæ activæ a tuo cessabo intuitu et amplexu.

Exod. xxxiii, 16.

ARTICULUS XXIII

DECLARATIO EJUSDEM CAPITULI SEPTIMI, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

1 Q*UAM pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Sacratissima Virgo est mater et filia Unigeniti sui, qui est Princeps pacis : mater, inquam, ipsius, quantum ad carnis propagationem; filia vero, ratione creationis et adoptionis, atque æternæ prædestinationis, et singularissimæ provisionis. Cujus incomparabilis Virginis gressus, id est actus et affectus, fuerunt pulcherrimi, quia sanctissimi, nulla culpæ admixtione unquam fuscati, sed perfecti, et multæ supererogationis contentivi; *in calceamentis,* quia sanctorum patrum vestigia et exempla tam eminenter secuta est, quod omnibus illis perfectior est inventa. Secuta est innocentiam atque justitiam Abel, et ineffabiliter innocentior ac justior illo fuit; cum Noe inter vitiosos et reprobos perfectissime vixit; obedientiam Abrahæ secuta est, et transcendit; mansuetudinem Joseph, Moysis ac David excessit : et quidquid perfectionis et virtuositatis fuit sparsim in aliis, in ea collectim et cum mira excellentia fuit.

Is ix, 6. *Gen.* iv. *Ibid.* vi. *Ibid.* xii, xxii. *Ibid.* xliii-xlv; *Num.* xii, 3; *Ps.* cxxxi, 1.

Juncturæ feminum tuorum sicut monilia. Femina Deiferæ Virginis, sunt virginea ejus fecunditas, et fecunda virginitas, seu fecunditas atque virginitas in ea sibi invicem junctæ : quæ cunctarum virtu- B tum ornatibus, tanquam monilibus desuper fabricatis, sunt politæ. Magnum est, esse virginem; majus autem, virginem tam puram, ut nunquam inordinatum passa sit motum, nec stimulum corporis nec concupiscentiam appetitus; maximum vero, esse matrem ac virginem. At vero supermaximum est, esse virginem et Matrem veri Dei.

2 *Umbilicus tuus crater tornatilis.* Per mollem umbilicum, accipi potest tenerrimæ Virginis compassio in sui Filii pas- C sione : qua compassione præcordialissima meruit et obtinet nobis pauperculis et pusillis fructum, virtutem et meritum passionis Filii sui. Quemadmodum enim (teste Philosopho) fetus per venas umbilici attrahit sibi nutrimentum a matre; ita et nos per venas et merita præfatæ compassionis, fructum passionis Christi haurimus. Præterea, quoniam (teste Gregorio) viris luxuria est in lumbis, feminis autem in umbilico; potest per umbilicum præstantissimæ Dominæ, accipi incompa- D rabilis castitas ejus, omni humilitate ac sapientia decorata : ex qua tanquam ex cratere, exempla castitatis, humilitatis ac sapientiæ sumimus et potamus.

Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis. Non solum anima, sed et cor-

Digitized by Google

pus cœlestis Puerperæ, ex conceptione, deportatione, generatione et educatione veri Dei, supernaturaliter et inenarrabiliter divinum effectum est, et velut deificatum. Unde et ista præconia etiam de corpore et membris seu partibus corporis divinissimæ Virginis accipi possunt. Itaque virgineus ille intemeratissimæ adolescentulæ uterus, ex prole adoranda fecundus atque tumescens, acervo triticeo rite assimilatur. Et quoniam idem mundissimus uterus, omni castitate ac sobrietate redolentissimus exstitit, merito fertur liliis decoratus. Spiritualius autem loquendo, venter, id est intellectus unicæ Matris, triticeo assimilatur acervo : quia omni sapientia salutari repletus, ad Fontem sapientiæ se semper erexit, et actibus virtutum ac donorum in ipso exsistentium, pulcherrime fuit ornatus. O quam cœliformiter, radiose, ac munificentissime irradiavit in mente Virginis benedictæ ipse, qui essentialiter est Sapientia increata ac genita, incarnatus ex illa, et requiescens in ipsa, ac alimentum sumens ex ea !

3 *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Hoc supra de corporalibus ac spiritualibus uberibus mundissimæ, delectabilissimæ ac deliciosissimæ Virginis
4 sæpius expositum est. — *Collum tuum sicut turris eburnea.* Collum spirituale Virginis admirandæ, est libertas animæ ejus, semper ad Deum recte erecta, nullo culparum pondere pressa, nulla incursione hostili vincibilis ; sed instar eburneæ turris omni virtutum constantia solidata, valdeque alta, quia ad summum bonum inavertibiliter elevata.

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. Non dubium quin ex assiduo corporali intuitu Dei incarnati, oculi Matris ejusdem fuerint miro modo clarificati sidereique effecti : in quibus et interna puritas, columbina simplicitas, supernaturalis sagacitas mentis Virginis tantæ magnifice relucebant, ita quod instar perspicuarum clarissimarumque aquarum erant perlucidi et sinceri. Sed et interiores oculi ejus pudicissimi, piissimique respectus, acies intellectuales, fides, sapientia, scientia et prudentia, nonne præclara luce ac lucida puritate, excellentique perfectione erant perfusi et inclyti, ab omni passionum perturbatione et vitiorum inquietudine penitus alieni ? quemadmodum aquæ piscinarum oppidi Hesebon nomine, leguntur inturbidæ atque perspicuæ exstitisse.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Nasus, ut cernimus, duo habet foramina : quorum unum tendit ad concavitatem palati, et necessarium perhibetur ad spiritum seu aerem attrahendum, et odoratum perficiendum ; aliud tendit supra ad pelliculas cerebri, necessariumque consistit ad expellendum superfluitates de cerebro venientes. Ideoque, sicut præhabitum est, per nasum significatur discretio, cujus est bona eligere, confidentiam in Deo assumere, ac nociva tanquam sordes abjicere. Quæ discretio fuit permaxima in Virgine benedictissima : quippe quæ in discernendo nunquam erravit, nunquam malo sub specie boni decepta est, nunquam minus pro majori bono elegit ; sed unumquodque sapientissime ponderans, tanti illud reputavit, quanti fuit existimandum. O supernaturalis perfectio, o Virgo omnium decus feminarum, o præclarissimum creaturarum omnium ornamentum, quam inæstimabiliter radiabas intus in anima !

Caput tuum ut Carmelus. Caput Reginæ 5
nostræ, est sancta ejus voluntas, nunquam ad inferiora hæc reprehensibiliter inclinata, sed ad eum qui essentialiter bonus est, semper altissime ac fructuosissime elevata, utpote ardentissima caritate plenissima : ideo monti Carmelo (qui valde sublimis et frugifer est) similis perhibetur. Potest quoque per caput Imperatricis nostræ, sancta et summa ejus intentio sursum inviolabiliter fixa, signari. *Et comæ capitis tui,* id est pia desideria seu prudentissimæ cogitationes cordis tui, *sicut purpura regis juncta canalibus.* Per purpuram regis, intelligitur caro Christi, propter nos proprio

Digitized by Google

sanguine rubricata : quæ quasi canalibus
Luc. XXII, 44. juncta fuit, quando guttæ sanguinis tanquam stillicidia eruperunt ex ea, et defluxerunt in terram, [et quando] de latere
Joann. XIX, 34. ejus benedicto lancea perforato exivit sanguis et aqua. Quoniam ergo sacratissima Mater, Filio suo in omni ejus acerbissima passione amarissime est compassa, et simul cum eo pati ac mori optavit; imo quidquid ille toleravit in corpore, ipsa tulit in mente : merito desideria ejus ac cogitationes, assimilatæ dicuntur purpuræ Regis hujus.
6 *Quam pulchra es, et quam decora!* magis
Gen. XXIV, 16; XXIX, 17. *Esther* II, 7. plane quam Rebecca aut Rachel, et speciosior prorsus quam Esther. *Carissima in deliciis.* Quemadmodum enim præ cunctis compassa est Filio suo, non solum tempore passionis, sed et antea sæpe, dum futuram ejus passionem attendit, et postea quoque dum factam recoluit; sic præ universis et singulis datum est ei spiritualiter gloriari in Christo, et suavissime deliciari de ejus conceptu et gestatione in utero, de ejus lactatione, amplexu, deportatione in brachiis, et de mutua conversatione cum ipso tot annis. Unio enim et præsentia cum dilecto, parit lætitiam. Ipsa autem ardentissime unicum suum amavit, et ejus digni-
7 tatem cognovit. *Statura tua assimilata est palmæ.* Nunquam enim per culpam est incurvata, sed in omni virtute et sapientia jugiter stetit erecta, ac gloriosissime de invisibilibus hostibus triumphavit. Unde victoriæ palma meruit insigniri. *Et ubera tua botris.* Ipsa etenim amabilissima Domina, per suam sapientiam multos de Christi instruxit mysteriis, multis præbuit ubera consolationis : quæ sua inæstimabili caritate ac pietate, instar affectuosissimæ genitricis atque nutricis, omnes ad se accedentes et confugientes refovit, lætificavit, et tanquam optimo vino, spirituali poculo recreavit.
8 *Dixi : Ascendam in palmam,* etc. Si per palmam intelligatur illustrissima Virgo, constat quod Unigenitus Dei per incarnationis mysterium descendit in eam, et ap-

A prehendit fructus ejus : quia merita præclarissimæ Virgunculæ tam acceptissima habuit, quod dignatus est fieri filius ejus. Propter quod fassa est ipsa : Respexit humilitatem ancillæ suæ. *Luc.* I, 48. Et sicut respexit humilitatem ipsius, ita et fidem, puritatem, caritatem, ac ceteros virtuosissimos ejus actus. Apprehendit quoque fructus ejus, quia ex purissimis ejus sanguinibus assumpsit et formavit sibi corpus humanum, qui, teste Apostolo, nusquam angelos, *Hebr.* II, 16. sed semen Abrahæ apprehendit. Sanguis
B autem est effectus et quasi fructus ejus in quo est, qui per naturalem calorem digerit, et ad sanguinis speciem perducit materiam. — Porro si per palmam intelligatur crux Salvatoris, hanc utique optima Mater una cum Filio suo ascendit affectu, et per imitationem dignissimam, compassionemque maximam : ita quod excellentissime dicere potuit, Christo confixa *Galat.* II, 19. sum cruci; et rursus, Ego stigmata Christi *Ibid.* VI, 17. in corpore meo porto. Sicque apprehendit fructus ejus, id est merita passionis Chri-
C sti. Imo effectus meritorum illorum collegit, participavit, reposuit tam gratiose, quod omnibus nobis inde communicat. Ideo sponsus subdit ad eam :

Et erunt ubera tua sicut botri vineæ. Gloriosissima namque Genitrix Salvatoris, ex consideratione, imitatione, compassione passionis Filii sui, tantam consecuta est affluentiam gratiæ, tam ineffabilem in omni caritate, sapientia, pietate profectum, quod hæc ipsa spiritualia ejus ubera redundantissima fuerunt ac sunt ad refi-
D ciendum nos omnes vino et oleo, quæ *Luc.* X, 34. Samaritanus infudit vulneribus a latronibus vulnerati.

Et odor oris tui sicut malorum. Odor oris admirabilis Virginis, est suavitas suæ orationis, dulcedo saluberrimi sui sermonis, exemplaritas verborum ipsius, laus et psalmodia, quibus Deum jugiter collaudavit, eminentissime implens quod scriptum est : Benedicam Dominum in omni tempore; *Ps.* XXXIII, 2. semper laus ejus in ore meo. Ideo dictum est supra : Sonet vox tua in auri- *Cant.* II, 14.

Digitized by Google

bus meis; vox enim tua dulcis. Et certe, A
quo verba orationum, exhortationum, psal-
modiarum ex majori procedunt caritatis
fervore, devotionis suavitate, puriorique
attentione; eo in auribus Omnipotentis
9 dulcius sonant. *Guttur tuum sicut vinum*
optimum. Sicut per os, ita per guttur sa-
cra verba formantur. Unde legitur in Osee :
Osee VIII, 1. In gutture tuo sit tuba, id est prædicatio
altisona. Studiosissima autem Virgo con-
Luc. II, 19, 51. servavit in corde suo omnia quæ audivit
de Christo ab angelo sancto, a Zacharia et
Elisabeth, a pastoribus, a Magis, a Simeo- B
ne et Anna, et ab ipso sponso Domino ac
Filio suo. Hæc ipsa postmodum opportune
docuit alios, ad ipsam pro pleniori infor-
matione confugientes : quæ informatio
fuit *optimum vinum* spiritualiter inebria-
tivum, *dignum* Filio suo ejusque membris
ad acceptandum atque *potandum.* Unde
Cant. V, 1. dictum est ante : Comedite, amici, et bi-
bite; et inebriamini, carissimi. In Prover-
Prov. IX, 5. biis quoque : Bibite vinum quod miscui
vobis.

10 *Ego dilecto meo, et ad me conversio* C
ejus. Sicut præhabitum est, locutiones ve-
hementer amorosæ aut dolorosæ, solent
esse truncatæ, quoniam vehementia affe-
ctionis abrumpit et præscindit verba lo-
quentis : et ita est in his verbis. *Ego*
dilecto meo totaliter sum intenta, devotis-
sime ei vacans, affectuosissime semper
inhærens. *Et ad me conversio ejus,* id
est, ab eo excellentissime sum electa, sin-
gulariter prædilecta, familiarissime et fru-
ctuosissime ei conjuncta; et facta sum ei
mater et sponsa, filia et ancilla, ac domi- D
Luc. II, 51. na : quia subditus fuit mihi. Quia tam
summe et unice me dilexit, grate et hila-
riter me adspexit, in omnibus me direxit,
custodivit, protexit, et quia tam gratiosis-
sime egit mecum, et ejus amore accensa
sum, et totis præcordiis opto ipsius hono-
rem, passionisque suæ fructum, id est
mundi salutem. Ideo deprecor eum :

Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, 11
id est, meritis tuis et precibus meis con-
vertatur mundus ad fidem tuam, gratiose-
que visitemus genus humanum : ut non in
populo Judæorum dumtaxat, sed ubique
terrarum divulgetur in gentibus Evange-
lium tuum, ac juxta oraculum meum bea- *Luc.* I, 48.
tam me dicant, non solum ex Judaismo con-
versi, sed omnes generationes. *Commore-*
mur in villis, manendo piissime in eorum
cordibus, qui erant inculti seu simplices
moribus. *Mane surgamus ad vineas,* visi- 12
tando velociter ac benigne quascumque
congregationes fideles, quia ipsis pericu-
lum est in mora, qui indesinenter indigent
gratia et adsistentia pia. *Videamus si*
floruit vinea, id est, an vigeat religio
christiana; *si flores fructus parturiunt :*
juxta expositionem præhabitam. *Ibi dabo*
tibi ubera mea, id est, ad tuum honorem
effundam caritatem et pietatem meam su-
per credentes, eos maternaliter confo-
vendo ac protegendo tanquam Ecclesiæ
advocata.

Mandragoræ dederunt odorem in portis 13
nostris, id est, pretiosissimæ virtutes tuæ
et merita mea, sapientia et fama Evangelii
tui, ac excellentiæ meæ suaviter sunt dif-
fusæ ad gentes propinquas, et per sanctos
Apostolos, per quorum prædicationem tan-
quam per portam alii introierunt ad fidem
atque ecclesiasticam unitatem, notificatæ
sunt gentibus. *Omnia poma nova et vete-*
ra, id est, quidquid ex lege et Prophetis
et ex evangelica lege didici ac profeci,
ad tuæ majestatis gloriam, o dilectissime
sponse ac Fili, reservavi, retuli, nuncque
communico fidelibus tuis, et cunctis ele-
ctis ad te convertendis, et per te salvan-
dis : quorum me matrem et advocatam
constituisti.

Digitized by Google

ARTICULUS XXIV

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI ET ULTIMI : QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM, SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, ETC.; DE CHRISTO ET ECCLESIA.

SICUT in fine patuit capituli præceden- A tis, Ecclesia sponsum hortata est ad infidelium conversionem, atque ad visitationem et reformationem fidelium. Huic itaque desiderio adhuc immorans et allu-
1 dens, subjungit : *Quis mihi det?* id est, o utinam aliquis mihi præstet : quod tamen a solo Deo mihi potest conferri; *te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ,* id est, te sponsum, Verbum æternum propter me incarnatum, et in carne suscepta sugentem ubera matris meæ, id est ubera pietatis divinæ ac gratiæ, quibus Christus B ut homo refocillatus est. Vel, Ubera matris meæ, id est legis per Moysen datæ, seu Synagogæ, a qua per Apostolorum prædicationem exordium sumpsit Ecclesia. Quamvis autem Salvator non sumpserit a lege Mosaica aut Synagoga aliquam informationem, tamen in veritate legis ac doctrina Synagogæ pro tempore suo, seu tempore opportuno, delectabatur et exercitabatur,
Matth. v, 17. allegavitque eas et adimplevit : Non veni, inquiens, legem solvere, sed implere;
Joann. v, 46. itemque : Si crederetis Moysi, crederetis C forsan et mihi; de me enim ille scripsit.
Luc. II, 42. Denique, quum Dominus Jesus duodecim erat annorum (qui secundum deitatis na-
Ps. CI, 28. turam, idem ipse est, et anni ejus non de-
Ps. LXXXIX, 4. fluunt : imo mille anni ante oculos ejus tanquam dies hesterna sunt, quæ præter-
Luc. II, 46. iit), inventus est in medio doctorum legis, sugens ubera Synagogæ, id est veritate legis reficiens se, interrogans illos et audiens. Insuper ad litteram suxit Christus ubera Virginis gloriosæ, quæ est mater totius Ecclesiæ, in quantum est ejus re- D gina et advocata, protectrix et domina; quamvis sit in alia consideratione filia ejus.

Ut inveniam te foris, id est, in gentilibus perfidisque Judæis videam te regnare per fidem et gratiam, in quibus antea non regnasti : ita ut ipsi quoque qui tuam fidem et plebem in te credentem diu sunt persecuti, te et tuum Evangelium amplectantur. Vel, Inveniam te foris, id est visibiliter inter homines conversantem, qui *Baruch.* III, 38.
in deitatis substantia incomprehensibilis es, et inaccessibilem lucem inhabitas. Sic *I Tim.* VI, 16.
locus iste exponitur in persona antiquorum fidelium, qui sub lege naturæ et sub lege scripta adventum desideraverunt Messiæ, et ejus mysteria cernere cupiebant, ut dictum est in exordio hujus voluminis super illud : Osculetur me osculo oris sui. *Cant.* I, 1.
Et deosculer, id est, caritative amplectar, atque per contemplationis quietem inter brachia tuæ caritatis sine persecutione et inquietudine læta repausem. *Et jam nemo me despiciat.* Quum enim infideles fuerint ad Christum conversi, cessabunt Ecclesiam aspernari ac persequi, imo venerabuntur eamdem : quod per conversionem gentilium ac Romani imperii pro maxima parte impletum est, et ante finem mundi, quando Elias restituet omnia, plenius est *Matth.* XVII, 11.
complendum. Synagoga quoque, quæ nunc juste despicitur, et undique est dispersa ac captiva, quando ad Christum conversa fuerit, Antichristo occiso, non despicietur, sed honorabilis erit.

Apprehendam te, id est, gratulabunda 2
devotione te amplexabor, et per caritatem tenebo, ac tibi firmiter inhærebo; *et ducam* te *in domum matris meæ,* id est ad plebem Synagogæ, eamdem hortando, ut te devotione integra amplectatur : sicut per fidem susceptus es a plebe gentilium, et ab ea, saltem in parte. Vel, In domum

Digitized by Google

matris meæ, videlicet æternæ Sapientiæ, A
vel triumphantis Ecclesiæ, illuc tecum pa-
riter ascendendo, et interim adspirando,
atque per fidem et contemplationem illuc
me elevando. *Et in cubiculum genitricis*
meæ, id est in secretarium matris præfa-
tæ, et ad contemplativarum mentium oscu-
la et amplexus. *Ibi me docebis,* id est, in
actu tam virtuoso me occupatam abun-
dantius illustrabis de tuis mysteriis, et ad
contemplandum sublimia tuæ divinitatis.
Docebis quoque me in membris meis, id
est, præfatos homines instrues gratiose. B
Et dabo tibi poculum ex vino conditum :
id est, scientia legis evangelicæ ac erudi-
tione legis scriptæ instruam conversos, seu
convertendos ad te; et de fide, scientia et
devotione eorum quasi reficiam te, id est,
gloriari te faciam, qui nostram sitis salu-
Tob. III, 22. tem, nec gloriaris in perditionibus, sed
conversionibus nostris : quoniam gaudium
tuum est fortitudo, id est constantia no-
stra in gratia et salute; *et mustum malo-*
rum granatorum meorum, id est recen-
tem lætitiam de conversione, gloria, et C
triumpho perfectorum filiorum meorum,
scilicet contemplativorum et fervidorum,
martyrumque sanctorum. Et certe quasi de-
licatissimum et admirabile mustum fuerat
Christo, dum hi qui paulo ante perseque-
bantur sponsam suam Ecclesiam, conversi
per eam, cœperunt prædicare, defendere,
ac divulgare evangelicam legem, ac mori
pro eo.

Præterea sancta Ecclesia spiritu prophe-
tico pollens, atque in spiritu videns se
ista consecuturam per sponsi auxilium, D
3 addit : *Læva ejus,* videlicet sponsi, *sub ca-*
pite meo, id est, ipse in præsenti per dona
gratiæ me misericorditer consolatur, sus-
tentat, exaudit; *et dextera illius amplexa-*
bitur me, id est, in futuro per dona glo-
riæ amplectetur me plenarie ac perfecte,
quando ad suæ deitatis fruitionem beatifi-
cam me perducet. Nunc enim in sinistra
Prov. III, 16. ejus experior divitias gratiæ, et gloriam
consolationis internæ, præsertim de alio-
rum conversione, et de spirituali profectu
meo ac filiorum meorum; tunc autem in-
veniam in dextera ejus longitudinem die-
rum æternitatis. Quum ergo tam amorose
habeat se ad me, confido me exauditam.

Huic gratulationi et quieti sponsus ad-
gaudens, et sponsam suam Ecclesiam infe-
stari prohibens, subdit : *Adjuro vos, filiæ* 4
Jerusalem, ne suscitetis neque evigilare
faciatis dilectam, donec ipsa velit : quod
superius bis habitum est atque exposi- Cant. II, 7; III, 5.
tum; et ad diversas partes Ecclesiæ potest
juxta prætacta referri.

Consequenter conversa Synagoga, emi-
nentiam Ecclesiæ Christi perpendens, seu
ipsa Ecclesia gratiarum charismata Syna-
gogæ in fine præstanda considerans, cum
admiratione exclamat : *Quæ est ista?* qua- 5
si dicat, Valde præclara est, *quæ ascendit*
de deserto, id est, de sæculo isto nequam,
de valle hac lacrimarum, de solitudine sæ-
culi olim relicti a Deo, de conversatione
terrena, assurgit ad conversationem cœle-
stem, ad amorem atque intuitum superno-
rum ac divinorum, ad altitudinem regni
cœlorum, sicut hortatur Apostolus : Quæ Coloss. III, 1, 2.
sursum sunt quærite, ubi Christus est in
dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sa-
pite, non quæ super terram. Et Dominus :
Nolite, inquit, thesaurizare super terram; Matth. VI, 19, 20.
sed thesaurizate vobis in cœlo. *Deliciis*
affluens, id est, spiritualibus gaudiis con-
solationibusque abundans, etiam in adver-
sis, sicut divinus fatetur Apostolus, Reple- II Cor. VII, 4.
tus sum consolatione, superabundo gaudio
in omni tribulatione nostra. Unde in Evan-
gelio sponsus : Gaudete, inquit, in illa Matth. V, 12.
hora et exsultate, quoniam merces vestra
copiosa est in cœlo. Affluit autem Ecclesia
sancta deliciis, contemplando fideliter, sa-
pientialiterque cernendo ac dulciter præ-
gustando omnem pulchritudinem, beati-
tudinem, dulcedinem sponsi, et intime
congratulando eidem; ponderando quoque
beneficia ejus atque promissa, juxta quod
asserit Paulus : Gloriamur in spe gloriæ Rom. V, 2.
filiorum Dei. *Innixa super dilectum su-*
um, id est, super sponsum suum apodians,
seque reclinans, hoc est, pietati, opi, et

Digitized by Google

gratiæ sponsi sui, non propriis viribus, A
semper et ubique innitens, sicut Isaias
Is. L, 10. hortatur : Quis ambulavit in tenebris, et
non est lumen ei? Speret in nomine Domini,
et innitatur super Deum suum. Ipse
Joann. xv, 5. equidem dixit : Sine me nihil potestis facere.
I Cor. xv, 10. Ideo ait Vas electionis : Gratia Dei
sum id quod sum. Et Deus per Osee pro-
Osee XIII, 9. phetam : Perditio tua ex te; in me tantummodo
auxilium tuum.

Deinde Christus dilectionem suam eximiam
ad sponsam ostendit, loquens ad
eam : *Sub arbore malo suscitavi te :* id B
est, virtute et merito passionis meæ, quam
tui amore sustinui, ad gratiam ac salutem
te vocavi et reparavi, sicut in Evangelio
Joann. III, 14, 15. sum locutus : Sicut Moyses exaltavit serpentem
in deserto, ita exaltari oportet Filium
hominis, ut omnis qui credit in
ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.
Unde et princeps Apostolorum in
I Petr. III, 18, 22. prima sua scripsit Canonica : Christus semel
passus est pro peccatis nostris, justus
pro injustis, ut nos offerret Deo; deglutiens
mortem, ut vitæ æternæ efficeremur C
heredes. Hinc prædictum ab Isaia fuit :
Is. LIII, 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates
nostras, attritus est propter scelera
nostra : cujus livore sanati sumus. Itaque
per arborem quæ malus vocatur, crux designatur
: quia jam supra in laudibus
Cant. II, 3. sponsi locuta est sponsa, Sicut malus inter
ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.
Hæc arbor alio nomine quandoque vocatur
malogranatum : et est pulchra valde,
fructuosa, et alta. Idcirco per eam crux
Christi præstantissima rite exprimitur : D
quia est arbor excellentissime decora ac
fulgida, ornata regis purpura, electa digno
stipite tam sancta membra tangere. In qua
et per quam recuperata est salus mundi;
quæ rubricata ac decorata est pretiosissimo
sanguine Filii Dei. De qua rursus cantat
Ecclesia :

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis :
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, germine.

Præterea quidam exponunt hæc verba
in persona Ecclesiæ, quæ sub arbore malo
suscitat sponsum, id est, in orationibus
suis invocat eum, et exaudiri expostulat
virtute ac meritis dominicæ passionis.

*Ibi corrupta est mater tua, ibi violata
est genitrix tua :* id est, in Christi crucifixione
Synagoga mater Ecclesiæ corrupit et
violavit se ipsam suis sceleribus, negando,
abjiciendo, occidendoque ipsum Unigenitum
Dei, heredem, sponsum, regem et
salvatorem sibi desuper missum, dicens
coram Pilato : Tolle, tolle, crucifige eum; Joann. XIX, 15.
et rursus, Non habemus regem nisi Cæsarem; Ibidem.
itemque, Sanguis ejus super nos, et Matth. XXVII, 25.
super filios nostros. Unde per Jeremiam
sponsus prædixit : Facta est mihi heredi- Jer. XII, 8.
tas mea quasi leo in via; dedit contra me
vocem suam, ideo odivi eam. De hoc Daniel
propheta apertissime est vaticinatus :
Post hebdomadas, inquiens, sexaginta duas Dan. IX, 26, 27.
occidetur Christus; et non erit ejus populus,
qui negaturus est eum. Et civitatem et
sanctuarium dissipabit populus cum duce
futuro; et finis ejus vastitas, et usque
ad finem perseverabit desolatio. Psalmista
quoque : Obscurentur oculi eorum, ne vi- Ps. LXVIII, 24, 25.
deant, et dorsum eorum semper incurva.
Effunde super eos iram tuam; et furor iræ
tuæ comprehendat eos.

Quum ergo tam ingrata et perversa fuerit
perfida Synagoga, hortatur Christus
Ecclesiam, ut grata sit sibi. *Pone me ut* 6
signaculum super cor tuum : id est, me
Salvatorem tuum et universa quæ pro tua
salvatione assumpsi, feci ac pertuli, indelebiliter
imprime cordi tuo atque memoriæ,
sicut circumcisionis signum imprimebatur
et mansit in carne, et crucis signo
consigna te undique. Et quia non sufficit
recordari, sed necesse est etiam fideliter
operari, subjungitur : *ut signaculum super
brachium tuum,* id est super vim tuam
operativam, ita ut totis viribus ex recordatione
passionis meæ mihi obedias, me
sequaris, quemadmodum jussi : Qui mihi Joann. XII, 26.
ministrat, me sequatur; itemque, Qui vult Luc. IX, 23.
venire post me, abneget semetipsum, et

Digitized by Google

tollat crucem suam quotidie, et sequatur A
Galat. v, 24. me. Qui enim sunt mei, carnem suam crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis;
I *Joann.* II, 6. et qui dicit se manere in me, debet sicut ambulavi ego, et ipse ambulare. — Quidam autem exponunt hæc in persona Ecclesiæ, quasi ipsa roget sponsum, quatenus ipse dignetur eam ponere super cor suum, diligendo et recordando eam assidue; et etiam ponat eam ut signaculum super brachium suum, ita ut brachio omnipotentiæ suæ eam defendat. Sed prima expositio aptior reputatur.

Sic ergo, o Ecclesia, memor sis mei, *quia fortis est ut mors dilectio,* id est, quia tam fortissime et perfecte dilexi te, ut pro tua salute acerbissimam ac ignominiosissimam mortem sponte pertulerim. Idcirco grata sis, et saltem taliter te amantem redilige: sicut ait Joannes apostolus,
Ibid. IV, 19. Diligamus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Rursus, Fortis est ut mors dilectio: quia perfecta et sincera dilectio, pro nulla adversitate, tribulatione, imo neque pro morte effugienda, a dilecto recedit. Pro- C
Rom. VIII, 38, 39. pter quod loquitur Paulus: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, poterunt nos separare a caritate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Idcirco si diligis me, debes me ita super cor tuum ac brachium ponere, meque cruciformiter imitari, ac esse parata ad moriendum ex caritate mea, pro me, pro fide atque justitia.

Dura sicut inferus æmulatio. Æmulari, multa significat, videlicet imitari, invidere, amare, zelari: et juxta hoc potest D hoc verbum multipliciter explanari. Primo sic: Dura sicut inferus æmulatio, id est, pœnale et laboriosum est mea sectari vestigia in omni patientia, paupertate, hu-
Philipp. II, 8. militate, continentia, et obedientia usque ad mortem: quod totum his qui caritatem non habent, instar infernalis supplicii, quasi intolerabile quid videtur. Secundo sic: Æmulatio, id est invidia qua Judæi ingrati oderunt me, et ex odio me persecuti sunt, dura fuit ut inferus: quia me

omnino perdere, et memoriam meam de medio tollere, meque in inferno detineri volebant, juxta quod legitur in Psalmo: Posuerunt me in lacu inferiori, in tene- *Ps.* LXXXVII, 7.
brosis et in umbra mortis. Tertio: Dura est sicut inferus æmulatio, id est, amatio intolerabiliter affligit amantem, et languidum facit ac vulnerat, nisi consequatur amatum. Quarto: Æmulatio, id est zelus Dei, seu divini honoris zelatio, est dura ut inferus: quia ad aggrediendum ardua atque durissima, imo et mortis pericula, excitat ac inducit. Unde zelator hujusmodi B loquitur Deo: Zelus domus tuæ comedit *Ps.* LXVIII, 10.
me; et Elias: Zelo zelatus sum pro Domino; et quærunt animam meam, ut auferant eam. III *Reg.* XIX, 10, 14.
Talis quoque zelus durissima infert supplicia adversariis divini honoris: ut constat de Phinees, qui zelo Dei commotus, pugione confodit idololatras *Num.* XXV, 7, 8.
fornicantes; et de Elia qui occidit prophetas Baal; III *Reg.* XVIII, 40.
atque de principe Apostolorum, qui in mendosos Ananiam ac Saphiram *Act.* V, 1-10.
tulit mortis sententiam. Sic et Paulus incestuosum Corinthium tradidit Satanæ in I *Cor.* V, 5.
interitum carnis.

At vero præinducta quidam aliter exponunt, dicendo: *Sub arbore malo suscitavi te,* id est, ad vitam gratiæ te reduxi, quæ mortua eras sub arbore malo, id est propter originale peccatum commissum sub *Gen.* III, 6.
arbore vetita: quam ad litteram dicunt fuisse malum, seu malogranatum. *Ibi corrupta est mater tua,* id est Eva seu generatio carnalis: quoniam ibi transgressa est Eva divinum mandatum, sicque corrupta est mente per inobedientiam, qua mens a Deo aversa est, et violata corpore, quod ex tunc factum est rebelle spiritui, *Galat.* V, 17.
et necessitatem moriendi incurrit. Unde et taliter corruptam peperit prolem. *Rom.* V, 12.
Ne ergo et tu ita corrumparis ac violeris, *Pone me ut signaculum super cor tuum,* id est tanquam speciosum aliquod, quod clauditur ne cernatur seu auferatur, attende ac recole me ac mea præcepta; *quia fortis est ut mors dilectio:* id est, sicut auctor mortis diabolus fortis fuit ad decipiendum,

Digitized by Google

sic spiritualis dilectio fortis est ad resistendum ac bene agendum; *dura sicut inferus æmulatio,* id est invidia.

Porro quod subditur, *Lampades ejus, lampades ignis atque flammarum,* exponit de invidia S. Gregorius, dicens : Sicut ignis consumit quæ incendit, ita invidia ab omni virtute et opere meritorio invidos arefacit. Imo et ad persequendum fideles, inflammat invidiosos ac perfidos : quod patuit in Judæis atque gentilibus diu ac dire persequentibus Christianos. Communius autem exponitur ista auctoritas de caritate : cujus lampades, id est fervidæ inflammationes, seu personæ inflammatæ ab ea, dicuntur lampades ignis atque flammarum, quia valenter ardent in se, et flammigera proferunt verba, virtuosaque opera, alios quoque accendunt. Unde dixit

Luc. XII, 49. Salvator : Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Sic accensi discipuli sunt locuti : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis (de Jesu) dum loqueretur nobis in via? De cujus vigore adjungitur : *Ibid.* XXIV, 32.

7 *Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem :* id est, persecutiones et adversitates, quæ in Scripturis frequenter aquæ vocantur, non valent caritati, quæ perfecta est, prævalere. Caritas quippe est fortissima ac agillima virtus; nec aliqua alia forma aut virtus tam expedite et fortiter agit, ut caritas. Et sicut elementum ignis est aliis elementis formalius, activius, ac celerius operans, imo alia ad suam formam convertens, et resistentibus prævalens, eaque devorans; sic caritas ceteris virtutibus est divinior, potentior, ac victoriosior. Et sicut qualitates elementares fortius operari incipiunt, dum sua contraria sentiunt, quod per antiparastasim fieri perhibetur; sic caritas perfectorum, dum aquæ tentationum et abundantia ac impetus persecutionum et impugnationum eam invadunt, valentius operatur, ac toto suo vigore intra se recollecto, resistit robustius suis contrariis, comminationibusque illatis constantior redditur : quemadmodum A in gloriosis ac beatissimis claruit Christi martyribus, qui immanissimas pœnas ac crudelissimas mortes patientissime, imo et hilari animo pertulerunt : quod de sacratissimis, illustrissimis, tenerrimisque puellis supermirabile fuit. Ideo additur : *nec flumina obruent illam,* intelligendo per flumina, impetuosos tyrannos, copiososque persecutores, et exquisita ac plurima, quæ inferre possunt, supplicia : quibus omnibus martyres benedicti prævaluerunt in tantum, quod persecutores infinitis ac B maximis sanctorum martyrum victi miraculis, tandem infidelitate abjecta, facti sunt christiani.

Verumtamen, sicut aqua abundans debilem exstinguit ac obruit ignem; sic caritas pusillorum ex sui infirmitate subjecti potest ex persecutionibus et adversitatibus vinci. Unde subjungitur : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Tanquam dicat : Multi ex caritate largiuntur ac dividunt opes suas pauperibus, qui ta- C men caritatem non appretiantur in tantum ut ex ea parati sint mori pro Deo in veritate : ideo caritatem videntur despicere. Ordo enim caritatis requirit ut homo Deum super omnia incomparabiliter diligat, ita ut malit propriam vitam, seu se ipsum et omnia sua amittere, quam Deum relinquere : ad quod debet se dare, et ita sentire præsupposito auxilio gratiæ. — Vel sic : *Si dederit homo* pauperibus *omnem substantiam domus suæ,* id est non solum superflua, sed cuncta quæ possidet, *pro* D *dilectione* obtinenda, seu conservanda et perficienda, seu pro Deo quem amat; *quasi nihil despiciet eam,* id est, caritatem omnino vilipendet, si nil amplius fecerit, id est, si putaverit sibi istam largitionem sufficere ad salutem, quum per se nequaquam sufficiat : quia et ipsam cupiditatem, ac propriam voluntatem improbam, omnemque interiorem affectum inordinatum oportet abjicere, hoc est abnegare, vincere et reformare se ipsum. Parum est equidem, abnegare sua; multum vero, abne- *Deut.* VI, 5; *Matth.* XXII, 37.

Digitized by Google

gare se ipsum : quod tamen necessarium est, quantum ad hoc, ut nihil præceptis *Matth.* XI, 12. contrarium habeat in se homo : quia regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. — Vel sic : *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione,* id est pro Deo ex caritate; *quasi nihil despiciet eam :* id est, totam suam possessionem nullius reputabit esse momenti aut valoris, respectu spiritualis dilectionis, quum ejus dignitatem saluberrimosque effectus cœperit degustare, et experiri qualiter uniat mentem Deo, et divinæ mereatur dulcedinis gustum, animi libertatem, divinorum contemplationem, ac transformationem in omnium fontem bonorum. Ex quibus commovebitur homo ad universorum contemptum atque fastidium terrenorum, sicut in Evangelio legi- *Ibid.* XIII, 45, 46. tur : Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit et vendidit universa quæ habuit, et emit eam.

8 *Soror nostra parvula est, et ubera non habet.* Hæc est vox sponsi ad veteres Sanctos de primitiva Ecclesia : qui in Evange- *Luc.* XII, 32. lio dixit, Nolite timere, pusillus grex, quia placuit Patri vestro dare vobis regnum. Hæc parvula fuit numero personarum et perfectione virtutum ante missionem et *Joann.* XX, 19. susceptionem Spiritus Sancti, quando metu Judæorum sedit clausa, non audens publice prædicare, imo nec apparere. Parvula etiam fuit, id est humilis et abjecta; nec habuit ubera, id est affluentiam doctrinæ cœlestis et evangelizandi potentiam, quibus alios converteret et nutriret. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est,* id est interroganda et examinanda de sua nova religione ac fide ab adversariis suis? vel, Alloquenda, id est instruenda ac visitanda a Spiritu Sancto per allocutionem internam, et admonenda per inspirationem angelicam, ut sit sponsa perfecta, fecunda, magnanimis, non formidans mori pro sponso, sed generans ei sobolem copiosam per Baptismum ac

A prædicationem ferventem. Quæ allocutio præcipue facta est in die Pentecostes, quo *Act.* II, 1-4. Spiritum Sanctum in igneis linguis recepit plenissime : ita quod subito facta est eruditissima in Scripturis, ardentissima in amore, omnium linguarum perita, omni virtute perfecta, et paratissima mori pro Deo.

Si murus est. Ecclesia ista, ante missionem Spiritus Sancti fuit murus, id est ædificium imperfectum, et turrim perfectionis non habens. Fuit etiam murus, id est 9
B aliqualiter roborata in fide et gratia, per frequentem Christi apparitionem, præsertim per ejus ascensionem. *Ædificemus super eum propugnacula argentea,* id est, auctoritatibus et intelligentiis Scripturarum instruamus eamdem, potestate quoque faciendi miracula et omnium dono linguarum eam firmemus : quatenus per hæc suam fidem ac prædicationem queat roborare, defendere, seque contra hostes munire, ac alios rationabiliter confutare ac vincere. Quod totum misso desuper Spiritu
C Sancto ita plane peractum est, quod multa millia adversariorum, multaque turba sa- *Ibid.* II, 41; IV, 4; VI, 7. cerdotum per beatissimi principis Apostolorum et Coapostolorum ipsius sermocinationem, virtutes, miracula, subito sunt conversa. *Si ostium est :* imo quia est : quoniam per doctrinam et ministerium primitivæ Ecclesiæ, alii innumerabiles introierunt ad fidem. Nam et potestatem ligandi *Matth.* XVI, 19; XVIII, 18. atque solvendi a Christo suscepit. *Compingamus,* id est, operiamus ac decoremus *illud tabulis cedrinis,* id est caritate,
D pietate, ceteris quoque virtutibus, et misericordiæ corporalibus spiritualibusque operibus. Vel, Tabulis cedrinis, id est personis constantibus, elegantibus, et perfectis : quæ instar cedrorum emineant vita, scientia, fama, miraculis, ne corrumpi queant peccatis. Vel, Tabulis cedrinis, id est piis credentium turbis.

His verbis provocata Ecclesia ad obtinendum a sponso hujuscemodi armaturam atque ornatum, non præsumptuose aut se ipsam inaniter laudans, sed confi-

Digitized by Google

dens in Domino, et ei totum quod habet A
bonum adscribens, aut certe de collata
10 perfectione gratias agens, respondet : *Ego
murus :* quia, ut tactum est, ante Spiritus
Sancti missionem fuit notabiliter roborata
per resurrectionem ascensionemque Sal-
vatoris in fide et gratia; accepto autem
Spiritu Sancto, multo robustior et inexpu-
gnabilior est effecta, caritatisque glutino
ac pacis vinculo adunata. *Et ubera mea
sicut turris :* id est, abundantissimam præ-
dicandi sapientiam, efficaciam, et doctri-
nam sortita sum ex infusione Paracleti : B
ante cujus etiam missionem sponsus in-
Joann. xx, 22. sufflavit in me, Accipite, inquiens, Spiri-
tum Sanctum; et aperuit mihi sensum, ut
Luc. xxiv, 45. intelligerem Scripturas.

*Ex quo facta sum coram eo quasi pa-
cem reperiens :* id est, totum hoc non meis
assecuta sum meritis, sed gratia sponsi :
coram quo pacem pectoris reperi, dum
misericorditer me prævenit, gratis rede-
Rom. v, 10. mit, Patri reconciliavit, pacemque obtulit
Luc. xxiv, 36; *Joann.* xx, 21, 26. sponte, frequenter dicendo : Pax vobis; et
rursus : Pacem meam do vobis; non quo- C
Joann. xiv, 27. modo mundus dat, ego do vobis. Verum-
tamen, quia pax vitæ præsentis multis
perturbationibus exterioribus, adversitati-
busque miscetur, nec admixtione quoti-
dianarum caret culparum; ideo melius
dico, Quasi reperiens, quam absolute, Re-
periens. Vel quod ait, Quasi, notat verita-
tem, non similitudinem tantum, sicut alibi
Ibid. i, 14. scriptum est : Vidimus gloriam ejus, glo-
riam quasi Unigeniti a Patre. Pax vero
æternitatis, quæ habetur in patria, est per-
fecta et pura, nulli inquietudini aut culpæ D
admixta. At vero sancti viri ita in Deo sunt
fixi, quod licet desit eis pax temporis, re-
tinent tamen pacem mentis : quia exte-
rior turbatio interiorem eorum quietem
non aufert, imo in illa gratias agunt Deo.
Superior etenim pars animæ, debet esse
quasi sphæra cœlestis, ac regio orbis su-
perioris : ideo sicut meteorologicæ im-
pressiones quæ fiunt in aere, non attin-
gunt nec inquietant orbem cœlestem; sic
inquietudines ac strepitus qui fiunt forin-
secus, aut in sensitiva parte exsurgunt,
mentem non debent attingere, perturbare,
obnubilare. Ex his consecutum est quod
infertur :

Vinea fuit pacifico : id est, modo præ- 11
tacto parvula soror facta est grandis Ec-
clesia, generalisque sponsa : quæ, vinea
ob causas frequenter præhabitas nuncu-
patur. Et hæc fuit pacifico, id est, ad
Christum, qui mundum Deo Patri reconci-
liavit, pertinuit : qui est caput, sponsus,
salvator, judex, legifer, rex, pastor, doctor,
monarcha, protector Dominusque Eccle-
siæ; qui in Evangelio protestatur : Simile *Matth.* xxi, 33.
est regnum cœlorum homini patrifamilias,
qui plantavit vineam. Fuit ergo hæc vinea
Christo, *in ea quæ habet populos,* id est in
terra hac, in qua omne genus hominum
commoratur, ex quibus Ecclesia congre-
gatur; vel in ea pace, lege, aut religione,
quæ sub se continet plurimas nationes.
Tradidit eam custodibus, id est agricolis,
ut in Evangelio legitur : hoc est, doctoribus *Ibidem.*
et prælatis commisit eam custodiendam,
imo potestati sæculari et spirituali, sed et
angelis sanctis : et ipsemet Dominus est
principalis custos ipsius, sine cujus cus-
todia alii nil prodessent, secundum illud
Psalmi : Nisi Dominus custodierit civita- *Ps.* cxxvi, 1.
tem, frustra vigilat qui custodit eam. Hinc
ait per Isaiam : Super muros tuos, Jerusa- *Is.* lxii, 6.
lem, constitui custodes. Primi autem cus-
todes Ecclesiæ, fuerunt sancti Apostoli :
inter quos unus constitutus est totius Eccle-
siæ custos ac pontifex, scilicet beatissimus
Petrus, et post eum successores ipsius.

*Vir affert pro fructu ejus mille argen-
teos.* Fructus summus totius Ecclesiæ, est
Christus Jesus, natus ex Virgine de semine
David. De quo fructu cecinit Isaias : In il- *Ibid.* iv, 2.
la die erit germen Domini in magnificen-
tia et gloria, et fructus terræ sublimis.
Deus quoque per Jeremiam : Suscitabo, *Jer.* xxiii, 5.
inquit, David germen justum, et regnabit
rex. Atque Psalmista : Terra nostra dabit *Ps.* lxxxiv, 13.
fructum suum. Sed et sancta Elisabeth ad
Matrem fructus istius : Benedictus fructus *Luc.* i, 42.
ventris tui. Pro hoc fructu nunc obtinen-

Digitized by Google

do ac possidendo per fidem et gratiam, ac demum in regno per gloriam, vir quicumque fidelis, præsertim religiosus, affert mille argenteos, id est, cuncta temporalia bona sua exponit, relinquit, largitur pauperibus ad gloriam Dei. Millenario autem, tanquam numero maximo et perfecto, totalitas seu perfectio rei exprimitur. Vel sic : *Vir,* id est Christus : de quo Jeremias prædixit, Mulier circumdabit virum; (*Jer.* XXXI, 22.) et Zacharias, Ecce vir, Oriens nomen ejus; (*Zach.* VI, 12.) *affert pro fructu ejus mille argenteos,* id est, fideliter laborantibus ac fructificantibus in vinea sua retribuit pro mercede mille argenteos, hoc est remunerationem perfectam in patria : quæ remuneratio per mille argenteos ob causam prætactam notatur, in Evangelio autem per denarium diurnum significatur. (*Matth.* XX, 2.)

12 *Vinea mea coram me est.* Hæc sunt verba Christi de Ecclesia. Quasi dicat : Ecclesiam quam custodibus tradidi, nequaquam relinquo; sed principalis custos ejus permaneo, invisibiliter operando in animabus fidelium, et gratiam ac virtutes infundendo, conservando ac perficiendo, et instigando mentem ad meliora accendendoque voluntatem, ac intus regnando per fidem et caritatem : qui promisi Ecclesiæ, Ecce ego vobiscum sum cunctis diebus usque ad consummationem sæculi; (*Ibid.* XXVIII, 20.) itemque, Non relinquam vos orphanos. (*Joann.* XIV, 18.) Itaque, Vinea mea coram me est, id est, mihi est placita, et eam pie adspicio, nec a luce providentiæ meæ recedit.

Mille tui pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. Intricata est littera ista : quæ multipliciter elucidatur. Primo sic : *Mille,* supple, argentei : de quibus dictum est paulo ante, Vir affert pro fructu ejus mille argenteos, secundum primam expositionem. Itaque, Mille argentei, id est omnia temporalia, quæ pro Christo exposuisti, *tui pacifici* sunt, id est, ad pacem æternæ salutis tibi proficient, quia pro temporalibus virtuose expensis æterna bona recipies. Unde in Evangelio monui : Facite vobis amicos de (*Luc.* XVI, 9.) mammona iniquitatis, etc.; et rursus servo fideli, Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. (*Matth.* XXV, 21, 23.) *Et ducenti,* supple, argentei pacifici, id est, causæ salutis erunt, *his qui custodiunt fructus ejus,* id est præfatis Ecclesiæ custodibus seu prælatis, qui spirituales ac temporales argenteos, id est temporalia et spiritualia beneficia, communicant et impendunt sibi commissis : propter quod duplici honore sunt digni, (I *Tim.* V, 17.) et duplici præmio coronabuntur, gloriaturi de propriis subditorumque meritis, quemadmodum Danieli Gabriel ait : Qui docti fuerint, (*Dan.* XII, 3.) fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Itaque tam millenarius quam centenarius, quia uterque perfectus est numerus, plenam salutis æternæ remunerationem designat; ducentenarius vero, id est duplicatus centenarius, designat ampliora bene præsidentium præmia. Vel per mille, designatur plenitudo futuræ mercedis; per ducentos autem, remuneratio quædam in sæculo isto, eo modo quo ait Salvator : Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, etc., centuplum accipiet, scilicet in præsenti, et vitam æternam possidebit. (*Matth.* XIX, 29.)

Quidam exponunt sic : *Mille tui pacifici,* id est, o Ecclesia vinea Dei, hi qui in te sunt pacifici, pacem in se conservando, seu in aliis reformando, ac pacifice conversando, habebunt mille, supple, fructus retributionum et gaudiorum cœlestium, id est copiosos ac plurimos valde, ponendo numerum determinatum pro indeterminato. Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. (*Ibid.* V, 9.) *Et ducenti,* supple, fructus, hoc est duplex perfectio præmiorum, conferentur *his qui custodiunt fructus ejus,* id est, opera bona efficiunt, et conservant in se ipsis ac aliis cum omni diligentia, custodientes corda sua ac subditorum. — Nonnulli exponunt sic : *Mille,* supple, fructus (ut dictum est), erunt *tui pacifici,* id est ipsius Christi, qui est pacificus et pacificator tuus, o vinea Dei : quoniam omne

Digitized by Google

bonum Ecclesiæ, præsertim redundat in A Christum, et accidentale præmium ei est inde. *Ducenti* vero fructus, id est, multo minor est retributio seu gloria præsidentium aliorum, quamvis justorum.

13 *Quæ habitas in hortis,* id est, tu, Ecclesia, quæ ubique terrarum commoraris in diversis regnis et locis uberrimis, ac particularibus Ecclesiis, congregationibusque devotis : sicut totum dicitur esse in partibus suis, et denominationem sortitur ab eis. In hortis quoque, id est, virtutum exercitationibus, in quibus sunt flores B gratiæ, fructus virtutum, gramina meditationum et affectionum sanctarum, et in locis spiritualiter deliciosis, atque in ipsis virtutum deliciis. *Amici auscultant* te : id est, hi qui mihi obediunt, et te amant, avide ac diligenter te audiunt; sed et angeli sancti custodes tui, de tuo gratulantes profectu, diligenter considerant tua eloquia, cupientes ut fructuose loquaris. *Fac me audire vocem tuam,* sicut superius dixi, Sonet vox tua in auribus meis : id Cant. II, 14. est, prædicationi, orationi et laudibus Dei C tam assidue ac devote insistas, ut in hujusmodi actibus tuis delecter.

14 Ad hæc respondet Ecclesia : *Fuge, dilecte mi,* id est, per gloriosam tuam ascensionem scande in cœlum, ut illuc te sequar, et me illuc perducas. Vel, Fuge, id est, a Judæorum persecutione ad tempus te subtrahe, quousque tempus passioni tuæ præordinatum advenerit : quod utique Christus in Evangelio fecisse legitur, juxta illud : Jesus abscondit se et exivit de templo; et denuo : Jesus ergo non jam in palam ambulabat apud Judæos. Joann. VIII, 59. Ibid. XI, 54. Vel, Fuge, id est, tecum celerrime transfer me de præsentis vitæ ærumnis ad regnum cœleste, in quo æternaliter incessabiliterque me audias te laudantem. Fuge quoque a cordibus reproborum, et ad meam prædicationem corda ingredere electorum; fuge ab obstinata et incredula Synagoga, atque gentiles misericorditer visita. *Et assimilare,* id est, similem te ostende, hæc omnia velocissime peragendo, *capreæ hinnuloque cervorum :* quæ sunt bestiæ valde veloces, de quarum proprietatibus dictum est sæpe, et cur sponsus eis tam frequenter assimiletur. Fuge, inquam, *super montes aromatum,* id est, super cœlos ascende, et in cœlo empyreo reside, ac super omnium ordines angelorum quiesce ad dexteram Patris : qui cœli ac angeli sancti sunt montes aromatum, quia corporaliter aut spiritualiter eminent valde sublimiter, et in ipsis sunt voluptates plenæ felicitatis, suavissimique odores virtutum, ac perfectissimi actus donorum. Montes quoque aromatum, sunt corda electorum devota, cœlestium contemplativa, et quæ sursum sunt semper quærentia : super quos Coloss III, 1. montes advenit sponsus, gratiose convertens, visitans, illuminans atque accendens eos, in quibus sunt odoramenta virtutum, remedia spiritualium infirmitatum, suavitates orationum, meditationum, divinarumque laudum.

ARTICULUS XXV

DECLARATIO EJUSDEM CAPITULI OCTAVI, DE CHRISTO ET SPONSA PARTICULARI.

1 QUIS *mihi det te fratrem meum,* etc.? D O quam ineffabiliter dignificata est natura humana, et totum genus humanum, per Incarnationis mysterium, per Verbi æterni humanationem! ita ut eum, quem Cherubim ac Seraphim comprehendere nequeunt, et cum reverentia inæstimabili ac Is. VI, 2, 3. pavore adspiciunt, qui est Deus et creator,

Digitized by Google

judex ac Dominus noster, imo et universorum, fratrem audeamus vocare. Hanc confidentiam præstitit summa et incomprehensibilis dignatio, pietas atque dilectio ejus ad nos, qua tam supermisericordissime nos prævenit, et nostram naturam in unitate personæ, suæ divinæ conjunxit naturæ.

Hinc tantæ caritatis ac pietatis consideratione anima inflammata, exclamat : *Quis mihi det?* id est, o utinam mihi præstetur, et utinam tu ipse mihi concedas, *te fratrem meum,* secundum naturam assumptam : qui es Dominus Deus creator meus, secundum tuam majestatem divinam ac adorandam; *sugentem ubera matris meæ,* scilicet Virginis gloriosæ : qui gloriaris in documentis evangelicæ legis, et in donis ac bonis Dei Patris atque Ecclesiæ militantis, ac instar sugentis, profundiora Scripturarum mysteria elicis ex eadem, et nobis per unctionem Spiritus Sancti hæc manifestas. *Ut inveniam te foris,* id est, etiam in exterioribus occupationibus, et activæ exercitiis vitæ, actualiter memor sim tui; tamque perfecta sim in caritatis fervore, in sapientiali cognitione, in omni virtutum stabilitate, ut a tua contemplatione et actuali dilectione, a mentis recollectione et oratione interna non impediar per externa; imo manducando, laborando, cum hominibus conferendo, semper memor sim tui, et omnia coram te faciam ordinate. Et, o utinam inveniam te foris, id est, in cunctis sensibilibus creaturis te omnium gloriosissimum Creatorem contempler, sapientiam tuam admirer, ma-
Sap. xiii, 5. jestatem tuam honorem. A magnitudine enim speciei creaturæ, potes tu, omnium Conditor, conspici et agnosci. Sicque in ordine universi, in floribus et virgultis, in arboribus, herbis et gemmis, in fecunditate terræ, vastitate Oceani, amplitudine aeris, magnitudine ignis elementaris, in fontibus, fluminibus ac maribus, in cœlis, astris, planetis, animalibusque diversis, excellentiam tuam immensam sincere valeam contemplari, decenter vereri, vehe-
A menter diligere, devote laudare, ac totis semper viribus honorare : sicque ex his ad interiora rapiar, ac te sponsum *deosculer,* te totis adstringam præcordiis, et præcordialissimis amplectar visceribus. *Et jam me nemo despiciat :* id est, ex hac tam familiari et amorosa tua adhæsione, deosculatione, ac communione tam eminenter dignificabor, ut nemo me queat rationabiliter aspernari, tanquam infidelem tibi sponso cœlesti.

Insuper anima virtuosa zelo fraternæ
B salutis ac divini honoris succensa, dicit : *Quis mihi det, ut inveniam te foris,* id est in proximorum conversatione ac moribus? hoc est, utinam des eis sic conversari, quod in eorum vita, verbis et apparatu, gratia et pia tua præsentia inveniantur atque reluceant ita, ut tu honoreris ab eis, et alii ædificentur in eis. Hoc quælibet religiosa persona pro sæcularibus oret. *Et deosculer,* id est, de tali tui inventione foris tam cordialiter gaudeam, ac gratias tibi agam, ut præ vehementia pii amoris,
C totus in te resolvar, et me ipsum intime applicem tibi.

Apprehendam te brachiis caritatis, et 2
cordis affectu te stringam, *et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ,* id est in mentes eorum inter quos vivo ac habito, seu in congregationem et particularem Ecclesiam cujus ego sum membrum seu filius : hoc est, pro illorum conversione, profectu, salute te exorabo, et eos verbis et exemplis conabor inducere ad aperiendum tibi corda sua per
D desideria virtuosa, et ad recipiendum ac retinendum te in secretario ac thalamo mentis ac conscientiæ suæ, ut tibi semper adhæreant atque obediant. *Ibi me docebis,* id est, in tali actione et studio illuminabis me plenius de pertinentibus ad salutem, et diriges me, ut efficaciter sciam qualiter me in domo tua inter proximos ac domesticos oporteat conversari : ut cuncti ædificentur in me, nec sim alicui lapis offensi- 1 Petr. ii, 8.
onis, petrave scandali. Nempe qui ex caritate sincera pro communi bono et fratrum

Digitized by Google

salute pie sollicitatur, et pro proximorum A
laborat, orat, satagitque profectu, ut Deus
I *Petr.* IV, 11. in omnibus et ab omnibus honorificetur,
præcipuam illuminationem meretur; ac
tali homini tanquam amico et filio adoptivo carissimo, Deus omnipotens suas gratiarum divitias impertitur. Nam et talis quodammodo reficit Deum, qui ait per
Is. XXVIII, 12. Isaiam : Hæc requies mea, reficite lassum.
Hinc subditur : *Et dabo tibi poculum ex*
*alias *condito* *vino conditum**, id est, operationem tibi delectabilem exercebo, et offeram ex aliorum conversione, devotione ac eruditione B salubri. *Et mustum malorum granatorum meorum,* id est, spiritualem inebriationem desideriorum ferventium mei ac proximorum, tibi cum omni gratiarum actione adscribam : sciens quod omnia nostra bona ac merita, tua sint munera.

Et ne, o proximi et amici, diffidatis de
3 gratiosa adsistentia Dei : nam ecce *Lœva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me,* id est, tam amicabiliter et benigne se habet ad me, sicut sponsus ad sponsam suam, sub cujus capite ponit C suam sinistram, et cum dextera sua amplectitur eam. Porro quod facit mihi pauperculæ et indignæ, faciet libenter et vobis : dummodo ad hoc vos disponatis, faciendo diligentiam vestram, et invocando directionem, præventionem, adsistentiam
Ephes. VI, 9. ejus. Non enim apud Deum est personarum acceptio, nec alicui quod in se est facienti, se negat. Itaque, Læva ejus sub capite meo, id est, mentem meam nunc pie sustentat, conservat ac roborat per beneficia hujus vitæ, per dona gratiæ suæ, D per sacramenta Ecclesiæ, per consolationem internam, per futurorum bonorum fiduciam, per fervorem et alacritatem, quas
Matth. XI, 30. habeo in ejus obsequio : ita quod jugum ejus suave est mihi et onus leve. Ex quibus spes mihi oritur certa, quod dextera (id est gloriosa præsentia sua et potestas piissima) amplexabitur me in cœlis, quoniam ex perceptione præsentium munerum, certa fit exspectatio futurorum. Præterea, qui ita appetit sustentari et amplexari a sponso, omnem adulterinam, vilem, carnalem consolationem despiciat; negligentiam omnem et torporem abhorreat, et coram Deo ambulet reverenter, custodite ac pure.

Animam autem taliter se habentem in gravi hoc corpore, tam sinceram, alacrem ac ferventem, tam infatigabiliter proficientem, merito alii admirantur, dicentes :
Quæ est ista quæ ascendit de deserto, id 5
est, de corpore isto mortali? De quo ait
Apostolus : Scio quod non habitat in cor- *Rom.* VII, 18.
pore meo bonum. Et de consortio iniquorum relicto a Spiritu Sancto, discedit, properans ad spiritualia ac superna, ac di-
cens : Infelix ego homo! quis me liberabit *Ibid.* 24.
de corpore mortis hujus, de impedimentis quibus me a spiritualibus exercitiis impedit, de passionibus sensualitatis et inquinamentis carnis mortalis? *Innixa super dilectum suum,* id est, transitoriis spretis, soli cœlesti sponso tota affectione adhærens, et propria defectuositate pensata, illius auxilio cum omni humilitate confidenter innitens.

Tali animæ loquitur sponsus : *Sub arbore malo suscitavi te:* id est, in ara crucis te ad vitam gratiæ resuscitavi; et quantum in me est, a somno peccati, ab omni pigritia te excussi : ita ut consideratione dilectionis, passionis ac mortis meæ, me-
rito debeas inflammari, et tuam salutem *Philipp.* II, 12.
cum metu, timore et tremore operari, jugiterque studere ut grata sis mihi, et mea secteris vestigia, crucifigendo spiritualiter
temetipsam, et mei exemplo, obediendo *Ibid.* 8.
ac patienter vivendo usque ad mortem. Recogita ergo me, qui tanta pertuli pro-
pter te; ne lasseris, et curre propositum *Hebr.* XII, 1, 2.
tibi certamen cum gaudio, adspiciens in me tuæ salutis auctorem : qui proposito mihi gaudio, sustinui crucem, confusione contempta : quoniam propter te dignatus
sum fieri opprobrium hominum atque ab- *Ps.* XXI, 7.
jectio plebis, et videri vermis magis quam
homo; et visus sum tanquam leprosus, *Is.* LIII, 4, 3.
et quasi percussus a Deo, ut novissimus virorum, ut vir dolorum. Ecce qualiter

Digitized by Google

sub arbore crucis te suscitavi, ne unquam A
Ps. xii, 4. per ingratitudinem aut negligentiam obdormias in morte. *Ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua :* id est, Ecclesia pro maxima parte ingrata facta est mihi, et passionis meæ saluberrima medicina est ei occasio majoris damnationis, eo quod meam caritatem ac passionem non penset, nec imitetur, imo rebellis sit, et carnalia assequatur.

6 Quod ne tibi quoque contingat, *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum,* id est, B mihi totaliter configaris, beneficia mea perpendas, et mihi totis viribus obsequaris. Omnia quæ pro te passus sum, cogita atque recogita, et quotidie diligenter revolve ac recole : primo, ad recordandum, ne obliviscendo seu non pensando gravissime pecces, quia præcipua pars ingratitudinis, est beneficiorum oblivio; secundo, ad compatiendum; tertio, ad imitandum et conformandum te amaritudini meæ passionis, omnique caritati, patientiæ, mansuetudini, humilitati, fortitudini, atque C constantiæ, quas in passione mea et persecutionibus meis exercui ac monstravi; quarto, ad gratulandum de omni fructu et effectu salubri passionis ac mortis meæ; quinto, ad regratiandum; sexto, ad admirandum quod ego Dominus majestatis pro te paupercula tanta sustinui; septimo, ad diligendum, ut ex consideratione horum quæ pro te pati dignatus sum, meo accendaris amore; octavo, ad contemplandum altitudinem consilii sapientiæ supergloriosissimæ Trinitatis super modo redemptio- D nis humani generis per me. Pone igitur me crucifixum super cor tuum, et assuesce indesinenter intueri mentaliter totius passionis meæ acerbitatem ita attente, ac si præsentialiter et corporaliter videres me omnia illa pati; et ante horum meditationem recollige memoriam tuam in me, atque per caritatem conjunge te mihi, et pensa quod pro te ex nimia caritate hæc pertuli. Pariterque attende quantum tu affligereris, si taliter lacerareris flagellis, pungererisque spinis, et toto corpore violentissima distentione dissipareris, ac spissis clavis perforareris ; ac simul adverte, quis, qualis, et quantus sum ego, qui omnia illa sustinui.

Quia fortis est ut mors dilectio spiritualis, quam ad te habui, et qua me pro te exposui. De qua dixi : Majorem hac carita- Joann. xv, 13.
tem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Etenim spiritualis dilectio, quantumlibet parva, major et fortior est omni amore carnali, omni sensuali affectione, omni amore inordinato ac vitioso : quoniam facit Deum super omnia incomparabiliter diligi, et esse paratum pro ipso mori, et malle mortem subire, quam Deum offendere. Ideo *lampades ejus, lampades ignis atque flammarum :* quia accendunt amantis præcordia, et erumpunt in verba flammigera, lucent et ardent, et fervida pariunt opera, aliosque inflammant.

Ideo *Aquæ multæ non poterunt exstinguere caritatem, nec flumina obruent il-* 7
lam : quæ incomparabiliter pretiosior est omni terrena substantia; cunctaque bona exteriora, imo et propria vita pro ea obtinenda, conservanda, perficienda, prompte sunt expendenda. De qua dictum est vere : Nil durum, nil asperum, nil grave, nil letale computat verus amor. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes prævalent perfectum superare amorem ? Si amor est, omnia vincit. Ideo vitanda est et prorsus spernenda ac abjicienda est omnis carnalis et inordinata affectio, cura terrena, occupatio immoderata, et quidquid caritatem in nobis lædere potest sive minuere. Caritatis quoque profectui jugiter est studendum : considerando quam amabilis et superamabilis sit Dominus Deus noster in semetipso, beneficia etiam et promissa ipsius; atque ex considerationibus his animam nostram excitando, hortando, assuefaciendo ad amorem superoptimi Dei; item assidue adspirando ad ipsum cum ferventi affectu, et ejus pietatem incessanter rogando, ut carita-

Digitized by Google

tem suam in nobis quotidie augere et complere dignetur; insuper laudibus Dei libenter inhærendo, ac vigilanter fugiendo quidquid offensivum est ejus.

Præterea de anima devota, ad spiritualem profectum ac unionem ardentem adspirante, adhuc tamen pusilla et imperfecta, loquitur sponsus ad paranymphos sive sodales, quasi de puella parvula ad amplexum anhelantem, sed nondum satis anno-
8 sa et nuptiis apta : *Soror nostra parvula est,* id est adhuc imperfecta et in statu incipientium quodammodo posita, *et ubera non habet,* quia adhuc modicæ illuminationis ac caritatis esse videtur. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est,* id est, quando tractabitur secum de spirituali amplexu sponsi, et de perfectione interna ac desponsatione secundum
9 statum perfectum ? *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Quasi dicat : Si jam apta videretur et per virtutes morales consolidata, infunderemus ei ornamenta intellectualium virtutum, sapientiæ atque scientiæ illuminationes secretas, et intelligentias Scripturarum in arduis locis. *Si ostium est,* id est tantæ perfectionis ut per ejus ducatum alii possint introduci ad me, *compingamus illud tabulis cedrinis,* id est, actibus pietatis supernæ, caritatis fraternæ, unctionis internæ, perfectionibusque donorum.

Porro anima pia, et quamvis nondum perfecta, tamen perfectionis cupida vehementer, terrenaque omnia amore perfectionis parata relinquere, imo et evangelica adimplere consilia cupiens, audiens se differri a conjunctione plena cum sponso, vehementius inflammata ad ipsius inhæsionem, subito, non interrogata, et contine-
10 re se nequiens, ait : *Ego murus, et ubera mea sicut turris.* Quasi dicat : Nolite putare quod nimis parvula sim ad sponsi amplexum, aut uberibus carens : quia tam magna et fortis sum quasi murus, et ubera mea ita grandia, tumida et exuberantia, ut queant turri assimilari. Verumtamen non præsumptuose aut me ipsam inaniter laudans, hoc dico : quia etsi ex me ipsa sum parvula, et alios lactare fovereque impotens; tamen adjutorio sponsi, et gratiosa præventione, illuminatione inflammationeque ejus, ad unionem cum ipso, et ad spiritualium uberum actus idoneam me confido, saltem ut tendam et adspirem ad perfectam conjunctionem cum ipso. Propter quod addo : *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens,* id est, quoniam ipse misericorditer me prævenit, assumpsit, redemit, et reconciliavit Patri æterno : sicque per ipsius charismata gratiosa efficior apta, nec æquanimiter ferre possum repulsam.

Istud totum dicere potest quæcumque persona, cupiens religionem intrare, seu perfectioni studere, cœlestibusque vacare : cujus ubera, sunt tam pia ac fervida desideria; quæ tamen ab aliis retrahitur, quasi adhuc nimis juvenis, parva, inepta ad talia. Quæ confidens in Domino, dicat :
Ego murus, quia omnia possum in eo qui me confortat, *et ubera mea sicut turris,* (Philipp. IV. 13.) quia desideria mea ferventia pertingunt usque ad sponsum cœlestem, *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens,* id est, quia ipse jam præstitit mihi aliqualem pectoris pacem.

11 *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos.* Unaquæque anima virtuosa, sponsa est Christi, et ager ejus, domus, thronus ac vinea : cujus botri, sunt actus virtuosi, spiritualiter refectivi, et caritatis fervore inebriativi. Hæc anima habet populos, quia spiritualiter diligit proximos, et pro eorum salute zelatur, sollicitatur, conatur; et si præsit, habet quosdam sibi commissos, pro quorum profectu sicut pro proprio satagit. *Tradidit eam custodibus. Vir affert pro fructu ejus mille argenteos :* quia Christus pro ejus efficaci custodia largitur tam animæ se ipsam custodienti, quam ejus prælato, retributionem in cœlo plenariam. Denique quadruplex est custodia hominis. Prima et maxima, qua custoditur a Deo, qui dixit ad Jacob : Ero custos tuus, quocumque perrexeris. (Gen. XXVIII. 15.) Unde orat Prophe-

Digitized by Google

Ps. xvi, 8. ta : Custodi me ut pupillam oculi. Secun- A
da, qua custoditur ab angelo sancto, juxta
Ps. xc, 11. illud in Psalmo : Angelis suis mandavit de
te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.
Tertia, qua custoditur a suo prælato. Unde
Ezech. iii, 17. dictum est Ezechieli : Speculatorem te de-
Joann. xxi, 17. di domui Israel; et beatissimo Petro, Pasce
oves meas. Quarta, qua per rationem et
gratiam custodit se ipsum, juxta illud in
Deut. iv, 9. Deuteronomio : Custodi te ipsum et ani-
mam tuam sollicite. His tribus custodibus
committit et tradit sponsus quamlibet ani-
mam christifidelem. Nam et de traditione B
ultimæ custodiæ, in Ecclesiastico legitur :
Eccli. xv, 14. Deus creavit hominem, et reliquit eum in
manu consilii sui.

12 *Vinea mea coram me est.* Dominus enim
salvator et sponsus, providentiam habet
universorum ac singulorum determinatam
atque perfectam, præsertim fidelium ani-
marum, quæ ei sunt placitæ, quas intue-
tur et conservat piissime. *Mille tui pacifi-
ci :* id est, o anima Christi sponsa, pacifici
tui, id est hi qui tibi pacem pectoris, tem-
poris, et æternitatis procurant, sunt mille, C
id est innumerabiles : videlicet angeli san-
cti, et omnes ad mysticum corpus Christi
pertinentes, qui juvant se invicem, et me-
rita sua mutuo sibi communicant. Hinc
IV Reg. vi, 16. sanctus vir Eliseus locutus est : Plures no-
biscum sunt, quam cum illis. *Et ducenti
his qui custodiunt fructus ejus.* Hoc juxta
præcedentis expositionem articuli, de præ-
latis accipitur, pro quibus plures ac spe-
ciales fiunt orationes, et majora angelo-
rum adsunt præsidia.

13 *Quæ habitas in hortis :* id est, o anima D
virtuosa, quæ in puritate conscientiæ et
thalamo mentis quiescis, vel in congrega-
tionibus commoraris devotis, et nunc per
fidem, contemplationem, desiderium, in
cœlestibus mansionibus habitas, et con-
Philipp. iii, 20. versationem habes in cœlis; in hortis quo-
que, id est in amœnitatibus, fructibus,
floribus delectationibusque virtutum ; et
Thren. iv, 5. nutriris in croceis ; *amici auscultant* te :
id est, amatores tuæ salutis, angeli ac præ-
lati idonei, et omnes spiritualiter te aman-
tes, verba et actus tuos advertunt, et vir-
tuose te occupari desiderant, tuaque bona
vident libenter. Ideo ne tam honorabiles
ac fideles offendas aut contristes amicos,
debes jugiter boni quid agere, et verecun-
dari coram tantis ac talibus te turpiter,
viliter, aut inhoneste habere. Etenim pro-
bus animus veretur et erubescit coram eo
peccare, quem pro se videt pie sollicitum.
Fac me audire vocem tuam, id est, tam
reverenter et advertenter in orationibus
tuis me alloquaris, tam pure ac fervide in
hymnis, psalmis, ac canticis spiritualibus Ephes. v, 19.
me collaudes, tam discrete alios exhorteris
ac instruas, ut vox tua mihi in omnibus
istis complaceat.

Fuge, dilecte mi, et assimilare capreæ, 14
*hinnuloque cervorum super montes aro-
matum.* Sponsa hæc sapienter perpendens,
quod sponsus nunc per prospera, nunc
per adversa, nunc per consolationem dul-
cissimam, nunc per consolationis subtra-
ctionem, nunc per se ipsum, nunc per
angelos vel homines virtuosos aut præsi-
dentes visitet sponsas, pro hac ipsa salubri
vicissitudine et alternatione sponsum pre-
catur : ut scilicet fugiat ab ea, vel ab affli-
ctionibus ejus cessando, eamque celeriter
consolando, vel consolationem et alacri-
tatem sensibilem subtrahendo ad tempus,
ut interim quæratur ferventius, et ipsa
anima propriam defectuositatem humilius
recognoscat, et post hæc solita benignitate
ad eam celeriter revertatur. Hinc sanctus
Job dixit : Manum tuam longe fac a me ; Job xiii, 21.
et rursus, Recede paululum ab eo, puta Ibid. xiv, 6.
ab homine, ut quiescat. Vel, Fuge, quia
indignam me judico tua tam gratiosa præ-
sentia : sicut princeps dixit Apostolorum
ad Jesum, Exi a me, quia homo peccator Luc. v, 8.
sum, Domine. Fuge, inquam, et mane *su-
per montes aromatum,* id est, in animabus
sanctis et dignis, caritate, pietate, devotio-
ne, et omni virtutum suavitate fragranti-
bus requiescas. Porro aliæ hujus particulæ
expositiones, præhabitæ sunt.

Digitized by Google

ARTICULUS XXVI

ELUCIDATIO EJUSDEM CAPITULI OCTAVI, DE CHRISTO ET SPONSA SINGULARI.

SICUT in quibusdam amatoriis cantilenis, finis cum principio in verbis aut sensu coincidit; ita in hoc Cantico canticorum, secundum expositionem quorumdam : ita quod sicut exordium hujus libri, *Cant.* I, 1. videlicet, Osculetur me osculo oris sui, est verbum sponsæ ad mysterium incarnationis Christi sponsi sui affectuosissime adspirantis, ita et initium hujus capituli.

Itaque singularis sponsa, sacratissima Virgo, Unigenitum Dei cupiens incarnari, ex affectionis sanctæ abundantia loquitur:

1 *Quis mihi det te fratrem meum :* id est, B o Unigenite Patris æterni, quis mihi concedat, ut tu, Deus meus, qui cum Patre et Spiritu Sancto unus es Deus, unusque Dominus, fias frater meus, assumendo naturam humanam : sic, inquam, det te fieri et esse fratrem meum, *sugentem ubera matris meæ,* id est Scripturas legis ac Synagogæ, de qua nata sum, approbantem, et quasi instar sugentis eliciendo, profunda et obscura ejus mysteria elucidantem, prædicantem, delectabiliterque gustantem? *Ut inveniam te foris,* id est, videam te in as- C *Baruch* III, 38. sumpta humana natura visibiliter apparentem, et inter homines conversantem; *et deosculer* (juxta tertiam primi capituli expositionem). Et jam hoc facto ex me et *Luc.* I, 48. per me, nemo me despiciet : imo beatam me dicent, et honorabunt omnes generationes, tanquam sororem, matrem, singularemque sponsam dilectissimam, unicamque Dei incarnati amicam. Et vere non poterunt me tanquam sterilem aspernari, *I Reg.* I, 8. quum fuerim mater tua, qui melior mihi es, non solum plus quam decem filii, imo D plus quam ceteri filii universi. In lege *Exod.* XXIII, 26; *Deut.* VII, 14. quippe sterilis erat maledicta, id est opprobrio habita; sed mater et virgo, Mater

A potissime Filii Dei, dignitatis tam infinitæ, honorandissima comprobatur.

Insuper potest hic passus in persona exponi Virginis gloriosæ ardentissime cupientis fidem ac religionem unici Filii sui toto orbe terrarum diffundi, et ipsum sponsum, fratrem, filium, ac Dominum suum, ab universis et singulis debite honorari et coli : sicque invenire eum foris, id est in exterioribus quoque hominum factis et moribus, et præsertim in gentilitate conversa : quo facto, nemo eam despiceret, B id est nullus credentium; sed tanquam Dei Matrem veneraretur, quia et honor Filii sui, honor est ejus, ac redundat in eam, sicut et ejus. Quemadmodum enim dixit Salvator, Qui non honorificat Filium, non *Joann.* V, 23. honorificat Patrem qui misit illum; sic dicere potuit, Qui non honorificat Filium, non honorificat Matrem quæ genuit eum. Sicut quamplures hæretici volentes Patrem quasi honorare, asseruerunt Filium ejus eo omnino minorem; et per hoc non laudes et honorem, sed blasphemias obtu- C lerunt : ita qui negant Christi deitatem, irrogant injuriam maximam Virgini Matri, et dignitatem ejus prorsus diminuunt. Sed et qui Christi transgrediuntur præcepta, nonne et Matrem ejus agnoscuntur offendere?

Apprehendam te. Beatissima Mater dul- 2 cissimum Filium suum jugiter apprehendit spirituali apprehensione, contemplando, diligendo, brachiis caritatis stringendo eumdem; vicissim quoque eum corporaliter apprehendit, ad lactandum, ad deferen- D dum, ad amplectendum, ad deducendum, ac osculandum. *Et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ.* Gloriosissima Virgo namque, diebus puri- *Luc.* II, 22.

Digitized by Google

ficationis impletis, duxit Filium suum ad templum, quod fuit domus Synagogæ; et fuit in eo quasi cubiculum ejus, videlicet Sanctum sanctorum. Lætis quoque oculis deduxit eum in hora ascensionis ad cœlestem Jerusalem matrem suam, et ad thronum gloriæ, veluti ad cubile. *Ibi me docebis.* Certum quod Christus increata ac genita sapientia Patris, Matrem suam dulcissimam atque docillimam docuerit omni hora in vita hac, instructione et unctione interna. In superna autem Jerusalem edocet eam sua beatifica visione, et de effectibus suis ac secretis mysteriis tam excellentissime eam informat, ut universi angelicorum spirituum [ordines] purgentur, illuminentur, ac perficiantur ab ea, ut divinus Dionysius fassus est.

Porro quod subditur, *Et dabo tibi poculum ex vino conditum,* quidam exponunt quasi verbum a Christo prolatum, et verbum ex ore Matris suæ rapiente, ac ei dicente : Et dabo tibi poculum ex vino conditum, id est lætitiam spiritualiter inebriantem, cui erit admixta æterna securitas, dotesque corporis, et alia multa gaudium illud perficientia. Nihilo minus juxta sensum præhabitum, potest istud exponi in persona Virginis sacræ ad sponsum : cui de conversione et salvatione innumerabilium transgressorum impiissimorumque hominum dedit poculum ex vino conditum, id est multiplicis jucunditatis materiam.

3 *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Certissimum est quod per charismata gratiæ, per consolationes internas, per abundantiam meritorum, læva Christi fulcierit mentem Matris suæ dulcissimæ : quam et dextera sua familiarissime ac jucundissime est amplexata in cœlis.

5 *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis affluens?* Hoc in assumptione Virginis gloriosæ dicere potuerunt cum ingenti admiratione universi cœlestis Jerusalem cives, tam gloriosissimam Virginis assumptionem non mediocriter obstupescentes : quæ tunc plenissime innitebatur super dilectum suum, qui eam de valle hac lacrimarum ad tam excellentissimam felicitatem perduxit ac gloriam, super universam cœlorum militiam collocans eam. Similiter incomparabilem illum quotidianum benedictissimæ Virginis profectum in omni sapientia, virtute, dono, fructuque Spiritus, omnes Sancti mirantes, potuerunt hæc verba proferre.

Sub arbore malo suscitavi te. Constat quod Christus sua cruce et amarissima passione, suam quoque dilectissimam Matrem salvavit : ex qua re ipsa gratissima Mater jugiter accendebatur Filii sui amore; et sicut subjungitur, 6 *Pone me ut signaculum super cor tuum,* ipsa affectuosissima et condolentissima Mater virginea, unicum Filium suum et cuncta ejus mysteria, omnem dilectionem ejus ad nos, et amarissimam passionem ipsius pro nobis, profundissime et prorsus indelebiliter cordi suo impressit, sanguineisque litteris inscripsit; et omnibus modis in præcedenti articulo tactis, adorandi Filii sui recoluit passionem, videlicet ad condolendum, ad imitandum, ad regratiandum, ad admirandum, ad gratulandum, ad diligendum, ad contemplandum ac resolvendum; fuitque in ea dilectio instar mortis fortissima, pro qua ipsa despexit plenissime cuncta terrena.

8 *Soror nostra parvula est, et ubera non habet.* Hoc potuit Verbum æternum, Unigenitus Patris, ad cœlestes cives proferre de sacratissima Virgine adhuc in annis infantiæ exsistente, quando adhuc apta non erat concipere regem Messiam, cujus adventus in mundum tunc propinquavit. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est* per Gabrielem archangelum, annuntiantem ei Incarnationis mysterium, in ea, ex ea, et per ejus consensum esse complendum? 9 *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Optima Virgo fuit tunc murus, quia præclarissime sanctificata in utero, et confirmata in bono, et ante solitum tempus

cœpit (divino præventa auxilio) uti ratione, ac meritorie agere : ideo Deus ædificavit super eam propugnacula argentea, quia quotidie valde perfecit eam omni sapientia, virtute et gratia ad expugnandum invisibiles hostes, et ad conterendum caput antiqui fraudulentissimique serpentis. *Si ostium est.* Utique ostium fuit divinissima Virgo, per quam Salvator mundi venit in carne assumpta ad genus humanum; et per ipsam omnes habemus accessum ad Salvatorem et Judicem nostrum, tanquam per piissimam portam omnibus patulam et apertam. Et sicut Christus est Deus noster et misericordia nostra ; sic ipsa est Mater et Domina nostra, misericordiæ janua. *Compingamus illud tabulis cedrinis,* id est latitudine caritatis, plenitudine pietatis, omni divinorum ornatu et permixtione charismatum : ut vere aptissima sit ut exsistat regina misericordiæ, genitrix gratiæ, advocata piissima, refugium miserorum, spes desolatorum, potentissima quoque et opulentissima sit ad succurrendum, ad protegendum, atque salvandum.

Denique ad præinductam quæstionem
10 gloriosissima Virgo respondet : *Ego murus,* per gratiæ affluentiam atque in bono confirmationem, per firmum quoque propositum perpetuæ virginitatis, quantum in me est; *et ubera mea sicut turris :* tanquam dicat : Quamvis corporalia ubera habeo parva, tamen spiritualia mea ubera (utpote ardentissima desideria de Messiæ adventu, de mundi redemptione, de spirituali mei ipsius profectu, et præsertim de omnipotentis Dei debita honoratione in omnibus et a cunctis) sunt magna; *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens,* id est, gratiosissime a Deo præventa, et in eo maxime tranquillata, et omnino concors et unanimis secum facta, tanquam consiliaria et secretaria ejus primaria.

11 *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos.* Fecundissima vinea, pulcherrima nimis, fuit præstantissima Virgo, eminen-

A tissime deputata et consecrata vero Pacifico, Christo altissimo; et vinea ista omnes populos habet sibi subditos et commissos, præsertim credentes. *Tradidit eam custodibus,* id est angelis sanctis custodiendam : non, ne peccaret, quia confirmata fuit in bono, in tantum quod nec venialiter poterat peccare; sed ad reverentiam ejus, et ad consolationem ejus, profectum atque obsequium. Sub cruce quoque eam Joann. XIX, tradidit S. Joanni apostolo custodiendam. 27. Similiter principi Apostolorum tanquam B totius Ecclesiæ præsuli et prælato fuit humillime subdita.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos : id est, quicumque fidelis desiderio et amore complacendi Virgini benedictæ, et videndi eam perpetue in gaudio æternali, libenter relinquit et præstat pauperibus sua terrena. Christus quoque vir summus, confert pro fructu culturæ ac honorificentiæ Matri suæ exhibitæ præ-
mium gloriæ copiosum. *Vinea mea coram* 12
me est. Hæc etenim præelectissima Virgo, C ab æterno valde specialiter fuit in prædestinatione et in luce sapientiæ atque in bonitate complacentiæ Dei; et gratiosissime fuit cum ea, specialissimam habens curam ipsius. In assumpta quoque humanitate filialiter ac familiarissime est conversatus cum ipsa. *Mille tui pacifici,* id est, quos tu, o benignissima Domina, Deo pacificasti, vel qui alios faciunt tibi concordes ac subditos, convertendo eos ad tuum obsequium et amorem, sunt mille, id est multi valde ac pene innumeri.

D *Quæ habitas in hortis,* id est, tu, mun- 13
dissima, sanctissima, et illustrissima Virgo, in mentibus devotis, puris, fructuosis ac floridis, in spiritualibus commorans theoriis, in congregationibus religiosis, in sanctarum collectionibus virginum, in exuberantiis ac decoribus spiritualium deliciarum mansionibusque supernis; *amici auscultant te,* id est, universi Deum et te amantes ac venerantes, tuam vitam, sanctitatem ac dignitatem, tua miracula ac piissima gesta, tua eloquia cupide audiunt,

Digitized by Google

gaudiose advertunt, teque æternaliter intueri, audire et præsentem habere ineffabiliter gliscunt. *Fac me audire vocem tuam,* id est, mutuo colloquamur : quia in verbis sanctissimi oris tui delector, laudes quas exhibes Deitati audio gratulanter, orationes quas pro fidelibus ac impiis fundis, amorose percipio.

14 *Fuge, dilecte mi,* id est, obstinata ac perfida Synagoga relicta, ad gentium conversionem celeriter perge. Imo simul a valle ista plorationum; ad æternitatis beatitudinem, properemus, ubi in osculo pa- A cis quæ omnem sensum exsuperat, sine interpolatione, æternaliter, jucundissime perseveremus. Illuc me trahe post te, et meritis tuis ac precibus meis militantem Ecclesiam incessabiliter protege, imple, reforma, illustra, ac perfice; eamque ad triumphantis societatem Ecclesiæ, ad supernorum *montes aromatum,* ad omnium felicitatem cœlestium civium digneris perducere. Ad laudem et gloriam Dei Patris omnipotentis, qui tecum et cum Spiritu Sancto unus est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. *Philipp.* IV, 7.

FINIS COMMENTARIORUM IN CANTICUM CANTICORUM

Digitized by Google

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM SAPIENTIÆ

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM

D*ISCE ubi sit sapientia* *, *ubi sit virtus, ubi intellectus, ut scias ubi sit longiturnitas vitæ et victus, ubi sit lumen oculorum, et pax.* Baruch III, 14. *prudentia

Virtus et sapientia Dei Patris Christus, in tantum commendavit nobis *I Cor.* I, 24.
sapientiam esse optandam, quærendam, amplectendam, quod beatitudinem nostram
in actu ipsius constituit : Hæc est, inquiens, vita æterna, ut cognoscant te solum *Joann.* XVII,
Deum verum. Denique S. Joannes apostolus ad hoc Christum in mundum venisse 3.
fatetur, ut veri Dei notitiam nobis tribueret : Scimus, ait, quoniam Filius Dei ve- *I Joann.* V,
nit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum. 20.

Discere ergo debemus ubi sit sapientia : quo cognito, sciemus ubi sit vita, quia
sapientia vita est sapientis. Hinc et sanctus Job sciscitatur : Sapientia ubi inveni- *Job* XXVIII,
tur? et quis est locus intelligentiæ? Porro Salomon ait : Ubi humilitas, ibi et sa- 12. *Prov.* XI, 2.
pientia; Job vero, Ecce timor Domini ipsa est sapientia, et recedere a malo, intel- *Job* XXVIII,
ligentia. Sed ad istas quæstiones patet ex Scripturis responsio. Docet enim nos divina 28.
Scriptura, quod Deus est sapientia : et hæc Sapientia increata absolute accepta,
tribus æternis et increatis Personis est communis, quæ sicut sunt una Deitas, una
essentia, ita et una Sapientia. Rursus docemur in sanctis Scripturis, quod in Deo
sit Sapientia genita, non creata. Hæc est Verbum æternum, a Deo Patre procedens, *Prov.* VIII,
et in ipso invariabiliter manens. Deinceps loquitur Scriptura de multiplici sapien- 22-30; *Eccli.* XXIV,
tia, creata, infusa, seu acquisita, prout super libros patuit Salomonis, et infra in 5.
isto jam exponendo clarebit volumine. Quod specialiter liber Sapientiæ intitulatur :
quia de sapientia, et nomine, origine, dignitate, actibus et differentiis, potestate et
efficaciis ejus tractat diffuse; specialiter de Christo, qui est sapientia Patris, et de
ejus adventu ac passione. Sed et documenta ejus sunt moralia et sapientialia valde.

Videntur autem antiqui et sancti doctores sentire, librum hunc a Salomone editum esse. Unde Ambrosius : In libro, inquit, qui Sapientia Salomonis inscribitur. Et Augustinus super Psalmos loquens de Judæis crucifixoribus Salvatoris, affirmat :
Vocem eorum in Sapientia Salomonis cognoscimus : Morte turpissima condemnemus *Sap.* II, 20.
eum. Quæ verba, sicut et cetera quæ ibi allegat, in hoc libro continentur. Hieronymus autem testatur : Liber Sapientiæ apud Hebræos nusquam est. Nam et ipse stilus Græcam magis eloquentiam redolet. Hunc Judæi dicunt a Philone compositum.

Digitized by Google

Sed quod aliqui Patres hunc librum Salomoni adscribunt, potuit evenire quoniam auctor libri istius infra in persona loquitur Salomonis; et item, quia ex verbis et sententiis Salomonis creditur compilatus. Hinc Rabanus narrat : Hunc librum asserit Hieronymus non a Salomone conscriptum, sed a Philone, doctissimo ac disertissimo Judæorum : quem pseudographum nuncupat, quoniam nomen alienum sibi usurpat. Insuper de Philone illo multa scribit Hieronymus in libro de Viris illustribus : quod scilicet multa fecit opuscula; et quod ab Alexandro Romam missus, notitiam et amicitiam habuit beatissimi Petri principis Apostolorum; et de Christianis S. Marci evangelistæ discipulis Alexandriæ habitantibus edidit librum, eorumdem laudibus plenum.

Digitized by Google

ENARRATIO

IN LIBRUM SAPIENTIÆ

ARTICULUS PRIMUS

EXPOSITIO CAPITULI PRIMI : DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM.

LOCUTURUS auctor libri hujus de sapientia, exordium sumit a justitia, sine A
qua vera et salutaris sapientia non habe-
1 tur. *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Quamvis enim justitia sit omnibus diligenda, præcipue tamen his qui præsident aliis, quibus ex officio incumbit terram, id est subditos suos in terra morantes, judicare. Nec enim digni sunt alios judicare, aut in solio judicii residere, nisi qui justi sunt et prudentes : quum et judicare sit actus justitiæ, tanquam virtutis et habitus inclinantis ad recte ju- B dicandum ; est quoque actus prudentiæ, tanquam ipsum actum elicientis, prout Thomas in secunda secundæ, quæstione 60, magis declarat. Prudentia autem, secundum Philosophum in Ethicis, non nisi virtuosis veraciter inest. Quemadmodum ergo vile et ridiculosum est, indoctum sedere in cathedra doctrinæ, et officium docendi assumere ; ita indignum, præsumptuosum et stultum est, injustum in solio judicii ad faciendum judicium apparere. Nam et talis agit contra ordinem carita- C tis, quæ incipit a se ipsa, et post Deum potissime amat proprium suum subjectum. Ipsa quoque requirit justitia, ut homo se ipsum in primis judicet, corripiat, et
Rom. II, 1. emendet. Propter quod ait Apostolus : Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas, supple, alium inordinate ; in quo enim alium judicas, te ipsum condemnas. Hinc
Moyses filiis Israel ait : Date ex vobis vi- *Deut.* I, 13.
ros sapientes et gnaros, quorum conversatio probata sit in tribubus vestris, et ponam eos vobis principes.

Itaque, Diligite justitiam, id est virtutem et actum justitiæ, ita ut personaliter justi sitis, et toto affectu æquitatem ametis, unicuique quod suum est exhibendo, adjudicando, et conservando ; et nec cupiditate, nec amore, nec odio, nec timore, nec aliquo modo contra justitiam quid agatis aut judicetis. Judex enim debet esse quasi viva lex et animata justitia, ut semper
esuriat sitiatque justitiam. Nihilo minus *Matth.* V, 6.
justitiæ debent esse admixtæ clementia atque discretio. Porro, secundum Ambrosium primo de Officiis : Justitia est virtus quæ unicuique quod suum est tribuit, alienum non vindicat, utilitatemque propriam negligit, quatenus communem custodiat æquitatem.

Sentite de Domino in bonitate, id est, bene sentite de Deo, quod scilicet universorum providentiam habeat, et male judicata rejudicabit. Ideo ejus justitiam sequi conemini, et ejus intuitu timeatis judicare injuste, ne ab eo damnemini. Vel : Sentite de Domino in bonitate, id est, per bonitatem et virtuositatem, atque

Digitized by Google

connaturalitatem seu conformitatem vestri affectus ad Deum, judicate de eo sic, ut vester affectus sit divinæ et increatæ æquitati conformis : sicque sentiatis de eo, quod ipse sit omnium judex justissimus, non solum per nudam et informem vestri intellectus notitiam, sed per ipsam voluntatis bonitatem, æquitatem ac sinceritatem. *Et in simplicitate cordis quærite illum :* id est, corde simplici, non duplici, sine simulatione, fictione et perversa intentione, optate et studete Deo placere, conjungi, et in gratia, sapientia ac virtute proficere, omnia ordinando ad honorem gloriamque ipsius. Hinc enim in
Eccli. I, 36. Ecclesiastico scriptum est : Ne accesseris ad Deum duplici corde. Christus quoque in
Matth. VI, 23. Evangelio ait : Si oculus tuus nequam fuerit, id est, perversa intentio, totum corpus tuum tenebrosum erit. Et alibi ait Scriptu-
Job XXXVI, 13. ra : Simulatores et callidi provocant iram Dei. Insuper, In simplicitate cordis quærite illum, id est, Deum cognoscere studeatis, per abstractionem et simplificationem intellectus vestri ab omni loco, tempore, corpulentia, imaginatione et materiali proprietate, ita ut sentiatis Deum simplicissimum esse, omnino immaterialem, indivisibilem, incircumscriptibilem, et infinite simpliciorem omni mente creata, angelica et humana.

2 *Quoniam invenitur ab his qui non tentant illum :* quia tentare Deum, est species
Deut. VI, 16. irreligiositatis, et contra illud : Non tentabis Dominum Deum tuum. Porro, secundum Augustinum in libro contra Faustum, tentatio Dei consistit in hoc, quod homo ad evadendum aliquid mali, vel ad consequendum aliquid boni, prætermittit facere quod in se est. Idcirco, si quis omittat facere quod in se est ad obtinendam gratiam, opem seu illuminationem divinam, exspectans talia ex sola Dei provisione; Deum tentare censetur. Denique, tentare, est experimentum sumere de tentato : et ex ignorantia aut dubietate videtur procedere. Ideo aliquid agere vel postulare ad experiendum et explorandum providenti-

A am seu omnipotentiam Dei, est Deum tentare, et contra reverentiam ejus. Idcirco sic quærens aut orans, non meretur exaudiri, sed magis repelli. *Apparet autem eis qui fidem habent in illum :* id est, per exauditionis effectum, vel per secretorum revelationem, seu gratiosam illuminationem, ostendit suam benignitatem, providentiam ac potestatem, eis qui fide formata, id est per caritatem et actus virtuosos ornata, honorant, invocant, seu tendunt in ipsum. Hinc Salvator in Evangelio sæ-
B pius loquitur : Sicut credidisti, fiat tibi; *Matth.* VIII, 13.
et, Fides tua te salvam fecit; et, Omnia *Ibid.* IX, 22.
possibilia sunt credenti; itemque, Si ha- *Marc.* IX, 22.
bueritis fidem sicut granum sinapis, dice- *Matth.* XVII, 19; XXI, 21; *Marc.* XI, 23; *Luc.* XVII, 6.
tis monti huic, Tolle te, et mittere in mare, et obediet vobis. Hinc scriptum est : Postulet in fide nihil hæsitans. Qui enim *Jacob.* I, 6, 7.
hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur : non ergo æstimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino. Et alibi habetur : Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse *Eccli.* XVIII, 23.
C quasi homo tentans Deum.

Perversæ enim cogitationes, videlicet 3
dubitare de providentia Dei, et consimiles, quales sunt cogitationes tentantis Deum, *separant,* id est, mentem avertunt, *a Deo :* quia displicent ei, et veritati ac sapientiæ ejus contrariantur, sicque faciunt cogitantem a Deo distare, non loco sed dissimilitudine. Ideo scriptum est : Iniquitates ve- *Is.* LIX, 2.
stræ diviserunt inter vos et Deum vestrum. Et alibi Dominus comminatur : Væ qui *Mich.* II, 1.
cogitatis inutile. Denuo et in Isaia horta-
D tur : Auferte malum cogitationum vestra- *Is.* I, 16.
rum ab oculis meis. *Probata autem virtus corripit insipientes :* id est, bene exercitata et approbata virtus, puta discretio, justitia, seu alia quævis, reddit hominem dignum ad increpandum imperitos, qui potius peccant ex ignorantia, aut infirmitate, seu vehementia passionis, quam ex proposito et habitu vitioso. Tales namque rationabili persuasione induci facilius possunt ad pœnitentiam et emendam : quia cessante passione, ignorantiave sublata,

Digitized by Google

sæpe redeunt ad cor, seque emendant. Virtus quoque quanto perfectior, tanto plus inclinat ad caritativam et fraternam correptionem. Etenim quanto virtus fuerit major, tanto amplius vitia abhorret sibi contraria. Verumtamen hi qui ex habitu pravo, electione, et certa malitia peccant, aut vix, aut non, aut difficillime corriguntur. Ideo subditur :

4 *Quoniam in malevolam animam,* cui placet ipsa malitia, et ex electione se vertit ad vitia, *non introibit sapientia :* illa præsertim quæ est donum Spiritus Sancti, et caritati inseparabiliter est conjuncta. Talis etiam anima non acquiescit salutari doctrinæ, neque correptionem admittit salubrem. Idcirco non eruditur, sed in suis manet perversitatibus atque erroribus. Id-
Prov. xii, 1. eo in Proverbiis dictum est : Qui diligit disciplinam, diligit scientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. Et alibi :
Mich. iii, 1, 2. Numquid non vestrum est scire judicium, qui odio habetis bonum? *Nec habitabit in corpore subdito peccatis,* id est in homine vitioso, carnalibus inquinamentis concupiscentiisque subjecto, victo, oppresso. Talia quippe vitia præcipue mentem excæcant, et obtusum cor faciunt, hominemque assimilant brutis : imo fastidium pariunt divinorum, et causant acediam. Unde talis homo, nec a superiori potest illuminari ob suam superbiam, neque ab inferiori ob suam libidinem, nec ullum invenit in eo sapientia aditum. Hinc Do-
Gen. vi, 3. minus in Genesi contestatur : Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Nempe homo carnalis caro recte vocatur et corpus, sicut hoc
Rom. viii, 5. loco : quia quæ carnis sunt sapit, non quæ Dei; et vilissima servitute subjectus est, servitque carni. Ideo loquitur Isaias :
Is. xxviii, 9. Quem docebit Dominus scientiam? Et respondet : Ablactatos a lacte, avulsos ab
Job xxviii, 13. ubere. Atque ut in Job asseritur : Sapientia non invenitur in terra suaviter viventium. Nam et Philosophus fatetur, quod vita carnalium sit brutalis. Unde et Rabanus : Frustra, inquit, sibi blandiuntur phi-

A losophi, et hæretici, ac falsi Christiani, quod sapientes exsistant. Soli enim mundi corde, sapientiam possunt accipere.

Verumtamen attendendum, quod est quædam sapientia scholastica, acquisita, informis, et naturaliter adipiscibilis : quæ justis ac impiis est communis. Imo multi ambitiosi, libidinosi ac vitiosi, dicuntur et hoc modo sunt magni theologi et juristæ. Nec etiam prætacta sunt ita intelligenda, quasi iniqui pœnitere et converti nullatenus queant : sic enim esset desperandum
B de eis. Imo miseratione et gratiosa Omnipotentis (qui animarum optimus medicus est) præventione, possunt repente converti, ac taliter pœnitere ut ubi abundavit Rom. v, 20.
iniquitas, abundet et gratia : ita ut recte dicatur, Hæc mutatio dexteræ Excelsi. Ve- Ps. lxxvi, 11.
rumtamen raro fit istud, et prædicta intelligenda sunt ad innuendum quam rara et difficilis sit talium vera conversio, ad naturales causas respiciendo. Juxta quem sensum scriptum est : Si potest Æthiops Jer. xiii, 23.
mutare pellem suam, et pardus varietates
C suas; et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum. Itaque vera et salutaris sapientia, quæ virtutibus est conjuncta, sine quibus nec prudentia esse valet, malevolam animam non introibit, quamdiu talis manet hujusmodi anima. Potest autem converti, sicque sapientiam veram sortiri. De qua Jacobus ait apostolus : Quæ Jacob. iii, 17.
desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis.

D Denique, quod sapientia ista salubris infusa, non ingrediatur animam malitiosam sive malevolam, probat subdendo :
Spiritus enim sanctus disciplinæ, id est 5
Spiritus Sanctus, fons, causa, et doctor totius notitiæ disciplinalis, quæ dirigit, ordinat, seu reformat habentem. De quo Spiritu fertur in Psalmo : Verbo Domini cœli Ps. xxxii, 6.
firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum; et in libro Judicum sæpe, Factus est super eum Spiritus Domini; et, Judic. xi, 29. Ibid. xiv, 6, 19; xv, 14.
Irruit in eum Spiritus Domini; in Job quo-

Job xxxiii, 4. que, Spiritus Dei fecit me; itemque in A Is. xlviii, 16. Isaia, Et nunc Dominus misit me, et Spiritus ejus. In quibus utique verbis, inter Dominum et Spiritum ejus insinuatur distinctio, haud dubium quin personalis. Et quoniam ille qui perhibet ibi se missum, ad litteram intelligitur Christus, prout ex circumstantia textus probatur, in verbis illis tota superbeatissima innuitur Trinitas. Itaque, Spiritus sanctus disciplinæ *effugiet fictum,* id est, hominem simulatorem, hypocritam, versutum, duplicem corde inhabitare despiciet, quum ipse Spi- B ritus Sanctus sit simplicissimus, sinceris- Joann. xiv, 17; xv, 26; xvi, 13. simus, essentialiter sanctus, et Spiritus veritatis. Ideo fictus talis, est sibi omnino dissimilis, et præcipue displicens. Hinc Matth. vi, 1-6, 16-18; vii, 3-5. Christus in Evangelio, contra hypocritas sæpissime atque acerrime sermocinatur; Ibid. xv, 7, 8; xxii, 18-22; xxiii, 3-7, 13-36. et de hypocrisi specialissime reprehendit Scribas et Pharisæos. Et maxime docet ut omnia pura agamus intentione, sinceroque Ibid. vi, 1-6; 16-18; xxiii, 8-12. animo, ad gloriam Dei, in vera humilitate, cupientes nesciri, quantum in nobis est, nisi ut præcepta publice impleamus ad C Creatoris honorem, proximorumque ædificationem. Estque vitium istud tam grave, ut propter illud nec miserabilibus personis Dominus misereatur, juxta illud : Is. ix, 17. Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus, et pupillorum et viduarum ejus non miserebitur, quia omnis hypocrita est et nequam.

Et auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu : id est, gratiam suam abstrahet ab habentibus cogitationes vanas, imperitas, et insensatas, quæ infinitæ Sa- D pientiæ contrariantur, et displicent ei. Quæ Prov. viii, 12. protestatur : Ego Sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Matth. ix, 4. Quæ et in Evangelio ait quibusdam : Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? *Et corripietur* ipse fictus *a superveniente iniquitate,* id est, demerito suæ simulationis et duplicitatis permittetur in alia peccata incidere, secundum quod unum peccatum pondere suo trahit ad aliud. Sicque idem peccatum, est peccatum et pœna peccati, scilicet vitii præcedentis. Unde ait Apostolus : Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ; et Rom. i, 26. ipse Deus in Psalmo, Dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Ps. lxxx, 13. Vel, Corripietur a superveniente iniquitate, id est, propter culpam sibi advenientem, debite punietur.

Benignus est enim spiritus sapientiæ, 6
id est Spiritus Sanctus dator et inspirator totius sapientiæ salutaris, sine quo nil possumus boni cogitare aut loqui, dicente Apostolo : Fiduciam talem habemus ad II Cor. iii, 4, 5. Deum, non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est; itemque, Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi I Cor. xii, 3. in Spiritu Sancto, id est cum attentione, ex caritatis affectu proferre. De quo scriptum est in Evangelio : Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos Joann. xvi, 13. omnem veritatem. Qui etiam potest dici spiritus sapientiæ, id est Spiritus Christi, qui est virtus et Sapientia genita Dei Pa- I Cor. i, 24. tris, a qua procedit sicut a Patre. Hic itaque spiritus sapientiæ benignus est, id est essentialiter pius et bonus, ignis æterni amoris, imo amor æternus.

Et non liberabit maledicum a labiis suis, id est, hominem maledicum, detractorem, blasphemum, induratum, non eruet a vitiis suæ pestiferæ linguæ, nec a pœna æterna, quam pro ea meretur : quia communiter tales justo relinquit judicio. Unde et Christus in Evangelio asserit : Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, Matth. xii, 32; Marc. iii, 29. non habet remissionem in hoc sæculo, neque in futuro. Sic enim quædam dicuntur irremissibilia crimina, quia raro et difficulter dimittuntur. Vel : Maledictum, id est culpa maledictionis prolatæ in aliquem, non liberabit a labiis suis, id est, non sinet hominem liberari a sententia damnationis labiorum Spiritus Sancti : quam proferet ipse Spiritus Sanctus contra maledicos, secundum illud Isaiæ : Labia Dei repleta sunt indignatione, Spiritus Is. xxx, 27, 28. ejus velut torrens inundans ad perdendas

Digitized by Google

Is. xi, 4. gentes in nihilum; et rursus, Spiritu la-
biorum suorum interficiet impium.

Quoniam renum illius, id est appetitio-
num sensualium ipsius maledicti, *testis est*
Jer. xxix, 23. *Deus*. Qui ait per Prophetam : Ego sum
judex et testis. Ipse etenim omnia intue-
tur, et in judicio contra iniquum dat testi-
monium, ostendens se universa illius pec-
cata conspexisse et nosse. Qui per alium
Amos v, 12. Prophetam fatetur : Cognovi multa scelera
vestra. *Et cordis illius scrutator est verus,*
id est, Deus est infallibilis examinator et
cognitor cogitationum affectionumque in-
tellectualium hominis vitiosi. Qui, teste
I Cor. iv, 5. Apostolo, in futuro judicio revelabit abscon-
dita tenebrarum, et manifestabit consilia
Jer. xvii, 9, 10. cordium. Qui per Jeremiam loquitur : Pra-
vum est cor hominis et inscrutabile : quis
cognoscet illud ? Ego Dominus scrutans
cor, et probans renes, qui do unicuique
juxta vias suas, et juxta fructum adinven-
tionum suarum. *Et linguæ ejus auditor,* id
est cognitor verborum maledicti præfati.
Quemadmodum autem in nobis intellectus
designatur nominibus sensuum exterio-
Is. v, 9. rum, ita in Deo, qui ait per Isaiam : Re-
velata sunt hæc in auribus meis (Domini
Exod. iii, 9; vi, 5. exercituum). Et in Exodo dicitur : Clamor
filiorum Israel venit ad me, et gemitum
eorum audivi. Verumtamen, sicut Spiritus
Sanctus dicitur corda scrutari ac investi-
gare, non quasi ex ignorantia quadam ri-
mando, aut quasi ardua ac difficilia sibi
discutiendo et inquirendo, sicut homo di-
citur Scripturas scrutari; sed quia omnia
clarissime et profundissime ac diligentis-
I Cor. ii, 10. sime intuetur, juxta illud Apostoli, Spiri-
tus scrutatur omnia, etiam profunda Dei :
sic dicitur verba audire, non quasi ab ex-
tra percipiendo, sed intra æternaliter ac
invariabiliter inspiciendo ac prænoscen-
do : nec mirum, quum ipse sit Deus. Ideo
subditur :

7 *Quoniam spiritus Domini replevit or-
bem terrarum*. Sua etenim majestate in-
circumscripta implet ac penetrat omnia,
Jer. xxiii, 24. juxta illud : Numquid non cœlum et ter-
ram ego impleo ? dicit Dominus. Omnia
A quoque per ejus sapientiam sunt formata,
secundum quod in Genesi legitur : Spiri- Gen. i, 2.
tus Dei ferebatur super aquas; et alibi,
Spiritus Domini ornavit cœlos. Rursus : Job xxvi, 13.
Replevit orbem terrarum, id est mundum
inferiorem, variis rebus, speciebus, ani-
malibus mixtis, et necessariis vitæ, sicut
fertur in Psalmo : Impleta est terra posses- Ps. ciii, 24.
sione tua. Etiam per alium Prophetam di-
citur : Respexit terram, et implevit eam Baruch iii, 32.
pecudibus. — Spiritualiter demum reple-
vit orbem terrarum, id est habitantes ubi-
B que per gyrum terræ, seu Ecclesiam toto
orbe terrarum diffusam, variis gratiæ do-
nis, præsertim sub evangelica lege, cujus
tempus dicitur tempus gratiæ. Unde ait
Apostolus : Alii per Spiritum datur sermo I Cor xii, 8-11.
sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia
sanitatum, alii operatio virtutum, alii ge-
nera linguarum, alii discretio spirituum,
alii interpretatio sermonum : hæc omnia
operatur unus atque idem Spiritus, divi-
dens singulis prout vult. Hoc in beatissi-
mis Apostolis et primitiva Ecclesia cœ-
C ptum est fieri in Jerusalem, prout in Actis
recitatur. Sed et bona naturæ, dona fortu-
næ, necessaria vitæ, sunt ab eo.

Et hoc quod continet omnia, id est, Spi-
ritus Sanctus omnem in se perfectionem
comprehendens, in quo omnia causaliter
exemplariterque consistunt, relucent ac
continentur tanquam in creatore, et quod
cuncta conservat in esse, sine cujus ma-
nutenentia nec ad momentum possent du-
rare, *scientiam habet vocis,* id est, omnia
quæ proferuntur per linguam, agnoscit.
D Scientiam quoque linguarum confert, ut
in Apostolis multisque aliis patuit : qui- Act. ii, 1-11.
bus repente concessit facultatem loquendi
omnium linguis, notitiam etiam intelli-
gendi idiomata cuncta. Qui et olim in ædi-
ficatione Babylonicæ turris linguas confu- Gen. xi, 7-9.
dit, et ineffabiliter novas instituit. Vel :
Hoc quod continet omnia, id est, homo
habens aliquid commune cum omni crea-
tura. Propter quod in Evangelio homo, om-
nis creatura vocatur, quum dicitur : Præ- Marc. xvi, 15.
dicate Evangelium omni creaturæ. Nempe

Digitized by Google

cum Deo et angelis in intellectuali perfe- A
ctione communicat; cum brutis, in sensi-
tiva; cum terræ nascentibus, in vegetati-
va; cum elementis et mixtis inanimatis, in
esse. *Scientiam habet vocis,* id est facul-
tatem loquendi atque peritiam : et sicut
jam tactum est, supernaturaliter a Spiri-
tu Sancto accepit facultatem notitiamque
linguarum, atque intelligentiam Scriptura-
I *Cor.* XIV, 18. rum, quemadmodum Paulus fatetur : Gra-
tias ago Deo, quod omnium vestrum lin-
guis loquor.

8 *Propter hoc qui loquitur iniqua, non* B
potest latere Deum omnia cognoscentem.
Jer. XXIII, 23, 24. Qui per Jeremiam prophetam ait : Putasne
Deus e vicino ego sum, et non Deus de
longe? Si occultabitur vir in absconditis,
et ego non videbo eum? *Nec præteriet*
illum corripiens judicium : id est, Deus
districte omnia judicans, non deseret il-
lum impunitum, quum et Christus in Evan-
Matth. XII, 36. gelio protestetur : De omni verbo otioso
quod locuti fuerint homines, reddent de
Ibid. 37. eo rationem in die judicii. Et denuo : Ex
verbis tuis, inquit, damnaberis. Unde et C
Job XXIV, 12. in Job asseritur : Deus inultum abire non
patitur. Contra quod stulti in Isaia præsu-
Is. XXVIII, 15. munt, dicentes : Flagellum inundans quum
transierit, non veniet super nos.

9 *In cogitationibus enim impii interro-*
gatio erit : id est, cogitationes iniquorum
Deus in judicio discutiet, judicabit, ac pu-
Ps. X, 6. niet : juxta illud, Dominus interrogat ju-
* Vultus stum et impium; et rursus, Oculi* Domini
Ps. XXXIII, 17. super facientes mala. Unde per Isaiam pro-
Is. LXVI, 18. testatur : Ego autem cogitationes eorum
venio ut congregem. *Sermonum autem il-* D
lius auditio ad Deum veniet : id est, Deus
per justam sententiam ac vindictam, os-
tendet se audisse et scire verba iniqui.
Gen. XVIII, 20, 21. Qui in Genesi locutus est : Clamor Sodo-
Ibid. IV, 10. morum venit ad me. Atque ad Cain : Vox,
inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me.
Et ad correptionem iniquitatum illius, id
est, auditio sermonum iniqui ad hoc ad
Deum perveniet, ut ab eo debite puniatur
cum vitiis sibi annexis. Vel sensus est,
quod Deus suo justo judicio veniet ad ini-
quum, ad puniendum iniquitates ipsius,
quemadmodum per Sophoniam disseruit :
Disperdam eos qui avertuntur de post *Soph.* I, 6.
tergum Domini, et qui Dominum non ex-
quisierunt. *Quoniam auris zeli audit om-* 10
nia, id est intellectus Dei zelantis, id est
vehementer amantis animarum salutem,
et contra vitia æmulantis, universa cogno-
scit. Hinc Deus vocatur zelotes, et amor, *Exod.* XXXIV, 14.
ac zelus : qui essentialiter caritas est; et I *Joann.* IV, 8. 16.
in quo idem sunt, zelans, ac zelus. Qui in
Exodo fatetur : Ego sum Dominus Deus *Exod* XX, 5.
fortis, zelotes. *Et tumultus,* id est inquie-
tudo, *murmurationum non abscondetur :*
quia in judicio manifestabitur, ac gravi-
ter punietur, quantumcumque nunc occul-
tetur.

Custodite ergo vos a murmuratione, id 11
est, eam diligenter vitate, *quæ nihil pro-*
dest. Imo et plurimum obest; atque tam
grave peccatum est, ut asserat Augustinus
quod populus Israel nullo peccato legitur
Deum tam graviter offendisse ut murmu-
rando. Ideo ait Apostolus : Neque mur- I *Cor.* X, 10.
muraveritis, sicut quidam illorum mur- *Num.* XXI, 5. 6.
muraverunt, et a serpentibus perierunt.
Christus quoque perversis in Evangelio
loquens : Murmuratores, inquit, filii mur-
muratorum, implete mensuram patrum ve- *Matth.* XXIII, 32.
strorum. Nec solum enorme est contra
Deum, sed etiam contra ejus vicarios ex
impatientia murmurare, quum Moyses mur-
murantibus contra se et Aaron, dicat in
Exodo : Non contra nos est murmur ve- *Exod.* XVI, 8.
strum, sed contra Dominum. Et alibi legi-
tur : Ortum est murmur populi, quasi do- *Num.* XI, 1.
lentium pro labore : quod quum audisset
Dominus, iratus est, et accensus est in eos
ignis Domini. Si tam dire ac subito sunt
plagati, qui itinere longo confecti ac lassi,
murmuraverunt : quid damnationis immi-
net eis qui pro levi ac modica murmurant
causa, imo frequenter pro non causa, hoc
est omnino irrationabiliter, ex sua gulosi-
tate, elatione, impatientia? sicut de qui-
busdam in Psalmo fertur : Si vero non *Ps.* LVIII, 16.
fuerint saturati, et murmurabunt. Adver-
tant hi quod Dominus in libro Numero-

Digitized by Google

Num. XIV, 29, 30. rum dixit : Omnes qui murmurastis contra A
me, non intrabitis terram super quam levavi manum meam, ut darem eam vobis.

Et a detractione parcite linguæ, id est, linguas vestras non polluatis, nec ad sup-
Sap. XI, 17. plicia obligetis, obloquendo per eas. Per quæ enim quis peccat, per hæc et puni-
Rom. VI, 13. tur. Unde hortatur et Apostolus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato. Verumtamen a detractione præsertim parcendum est animæ, ne æternaliter condemnetur. Est enim detractio valde enorme crimen, et gravius rapina B
ac furto. Atque, ut ait Bernardus, Lingua detractoris est gladius biceps, occidens non solum animam detrahentis, sed etiam audientis : imo et quantum in se est, animam quoque ejus cui obloquitur, cui dat occasionem invidiæ contra se, quum perceperit sibi esse detractum. Contra hoc pessimum virus, dicta sunt multa super Proverbia. In quibus inter cetera Salomon
Prov. XXIV, 21, 22. ait : Cum detractoribus ne commiscearis, quia repente consurget perditio eorum; et
Ibid. XIII, 13. denuo, Qui detrahit alicui rei, ipse in fu- C
turum se obligat. Itaque qui detrahit, non parcit, sed crudelis est linguæ, quia abutitur ea, et ei injuriatur, sicut et is qui per alia membra peccat. Hinc apostolus Jacobus, ad probandum quam grave sit uti lingua perverse in maledicendo aut obloquendo, utitur exemplo naturæ, dicen-
Jacob. III, 11, 12. do : Numquid fons ex eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam ? Numquid potest, fratres mei, ficus uvas facere,
Ibid. IV, 11. aut vitis ficus ? Et iterum asserit : Qui detrahit fratri, detrahit legi. D

Quoniam sermo obscurus, id est in occulto prolatus, ut est detractio; vel, Obscurus, id est vitiosus, utpote luce justitiæ veritateque carens; vel, Obscurus, id est sophisticus, et quodammodo veritatis colore opertus, quum sit fallax aut falsus; *in vacuum non ibit,* id est, sine pondere culpæ non profertur, nec carebit gravamine pœnæ. *Os autem quod mentitur* mendacio pernicioso, quod intentione nocendi pronuntiatur, *occidit animam* occisione

A peccati. De qua ait Salvator : Dimitte mor- Matth. VIII, 22.
tuos sepelire mortuos suos; atque Eze-
chiel, Mortificabant animas quæ non mo- Ezech. XIII, 19.
riuntur. Hinc ait Psalmista : Perdes omnes Ps. V, 7.
qui loquuntur mendacium. Et præsertim iniquum est mentiri in foro judicii, falsum testimonium perhibendo. Imo et reus mortaliter peccat, veritatem negando judici, a quo pro suo excessu est occidendus : ita quod nec timor mortis eum excusat a mortali peccato in tali mendacio. Quanto magis, qui extra talem casum mendaciter
B se excusant ? Porro mendacium jocosum, et item officiosum, venialia sunt ex genere suo : quæ tamen cum tanta complacentia aut assuefactione possent proferri, quod essent mortalia. Præterea, quamvis dictum sit, Os quod mentitur, occidit animam; aptius tamen dici potest, quod anima per oris sui abusum ac mentitionem occidit se ipsam. Ipsa namque per rationem tenetur membra ac organa sui corporis refrenare ac gubernare.

Nolite zelare mortem in errore vitæ 12
C *vestræ :* id est, non ametis mortem culpæ vivendo erronee; nec etiam desideretis aut vobis ipsis inferatis mortem corporalem ex impatientia propter vitæ præsentis adversa, aut ex irrationabili tædio vitæ, aut quasi putantes per mortem corporalem pœnas vitare, quasi anima sit mortalis, quum post vitam præsentem sequantur multo graviora supplicia, maxime eos qui sibi ipsis sacrilegas injiciunt manus. *Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum,* id est, nolite dam-
D nationem mereri per opera vitiosa. Et per manus, intelligenda sunt cetera membra operativa, seu potius operativæ potentiæ. Similiter per opera, subintelligendæ sunt omissiones operandorum.

Quoniam Deus mortem non fecit. Cer- 13
tum est quod mortem culpæ Deus non fecit : quæ mors est formaliter ipsum peccatum, quod non est aliquid positivum, quantum ad suam deformitatem, nec est a Deo, sed a voluntate perversa. Voluntas namque creata et libera, in quantum ex

Digitized by Google

nihilo, habet ut possit deficere et peccare. A Mortem vero corporalem (quæ non est nisi privatio seu terminus vitæ, aut separatio animæ a corpore) Deus non fecit directe, sed potius concomitanter, quia per accidens sequitur vitam in mixtis; nec est proprie aliquid positivum, sed quædam destructio aut expulsio formæ. Unde mors aliquo modo a Deo est, quum in Ecclesia-
Eccli. XI, 14. stico scriptum sit : Mors et vita a Deo est. Verumtamen, in quantum mors est pœna peccati, directe a Deo est, qui testatur :
Deut. XXXII, 39. Ego occidam, et ego vivere faciam. Respi- B ciendo autem ad primam hominis institutionem, qua Deus instituit eum taliter immortalem, quod nisi peccaret, non moreretur, Deus mortem directe non fecit,
Sap. II, 23. quum scriptum sit : Deus creavit hominem inexterminabilem. Mortem vero damnationis æternæ (quæ est malum pœnale) Deus fecit et infert, sicut et cetera mala pure pœnalia, quum per Prophetam affirmet :
Is. XLV, 6, 7. Ego Dominus faciens pacem, et creans
Amos III, 6. malum. Unde et alius ait Propheta : Si erit malum in civitate quod Dominus non C
Jonæ III, 10. fecit? Et apud Jonam dicitur : Misertus est Dominus super malitiam quam locutus fuerat ut faceret eis, et non fecit.

Nec lætatur in perditione vivorum, id est in morte seu damnatione viventium, in quantum sunt viventes, seu homines salutis capaces, et creaturæ ipsius. Imo
I Tim. II, 4. sic vult omnes homines salvos fieri. Et
Ezech. XVIII, 23. per Ezechielem locutus est : Numquid voluntatis meæ est mors impii, et non magis ut convertatur, et vivat? Verumtamen, in quantum vivi sunt impii, obstinati ac re- D probi, sic Deus zelo justitiæ lætatur in
Ps. LVII, 11. eorum perditione, sicut et justus lætabitur quum viderit vindictam. Propter quod in
Prov. I, 26. Proverbiis ait : Ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, quum vobis
Ezech. V, 13. quod timebatis, evenerit; et alibi, Complebo furorem meum in eis, et consolabor.

14 *Creavit enim, ut essent, omnia :* id est, cuncta originaliter produxit ex nihilo, ut unumquodque esset et permaneret juxta cursum suæ periodi, sicut de homine sanctus Job loquitur Deo : Constituisti ter- *Job* XIV, 5.
minos ejus, qui præteriri non poterunt. Quædam vero produxit incorruptibilia et immortalia, ut angelos ac animas rationales, atque cœlestia corpora, ac elementa : ita quod, quoad se tota, corrumpi non valent. Mixta vero fecit ut essent, directa intentione; sed corruptio concomitatur conditionem eorum. Et quæ in se ipsis perpetuari non queunt, voluit per successionem perpetuum esse sortiri : ut sic omnia aliquo modo divinum esse participent, ut etiam docet Philosophus.

Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum : id est, omnes homines atque progenies fecit salutis capaces, et per rationem liberumque arbitrium pœnitere ac reformari potentes, auxiliante gratia Dei; multa quoque concessit naturalia remedia contra morbos. *Non enim est in illis medicamentum exterminii,* id est remedium contra mortem. Quasi dicat : Nationes possunt in hac vita sanari et reformari, non autem mortem corporalem omnino evadere : juxta illud, Quis est homo qui vivet, et non *Ps.* LXXXVIII, 49.
videbit mortem? Vel, Non est in illis medicamentum exterminii, id est, interimendo se ipsos non medentur suis doloribus, sed graviores incurrunt, ut patuit. *Nec inferorum regnum in terra :* id est, dæmones non possunt hominibus in hoc mundo ad suum libitum dominari, neque nocere, nisi homines sponte illorum tentamentis consentiant, aut Deus permittat. Rursus, Regnum inferorum non est in terra, quia et his, puta iniquis, quibus diaboli dominantur, non ita dominantur sicut damnatis, quum isti valeant pœnitere, et dæmonum manus evadere, illi nequaquam. Imo isti pœnitendo possunt in æternum salvari. Propter quod subditur :

Justitia enim perpetua est et immortalis. 15
Hanc autem acquirit homo veraciter pœnitendo. Non tamen est sic intelligendum, quod justus non possit peccando justitiam perdere, sed quod justitia ex sua natura potest perpetua permanere, quum ejus subjectum sit immortalis voluntas, et

Digitized by Google

in patria perseveret, quantum ad actus A
suos perfectos, quemadmodum caritas, quæ
I Cor. xiii, 8. (Apostolo teste) non excidit; et etiam quoniam justus habet propositum jugiter adhærendi justitiæ, et permanendi in ea, sine quo proposito nemo est justus. Hinc a viris perfectis sic definitur justitia : Justitia est constans et perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens. Et sumitur ibi voluntas, pro actu seu habitu voluntatis. Nam et secundo Ethicorum Aristoteles docet : Ad hoc quod actus sit virtuosus, tria exiguntur : primo, ut aliquis agat B
sciens; secundo, ut agat eligens et propter debitum finem; tertio, quod immobiliter operetur : non quod actus incessabiliter exerceatur, sed quoad agentis firmum et rectum propositum, prout in secunda secundæ, quæstione 58, Thomas plenius hæc declarat. Insuper justitia immortalis atque perpetua perhibetur, quoniam liberat a morte peccati, et deducit ad regnum æter-
Matth. xiii, 43. num, juxta quod ait Salvator : Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.

Injustitia autem, mortis est acquisitio, C
id est, æternam damnationem meretur : quemadmodum enim ex suo genere est mortale quidquid caritati contrariatur, ita et quidquid repugnat justitiæ. Et potest hoc loco per injustitiam, intelligi omne peccatum mortale, hoc est omnis transgressio legis divinæ : quæ injustitia contrariatur justitiæ quæ est virtus communis. Injustitia autem quæ opponitur justitiæ, prout est virtus specialis ac cardinalis, est speciale, et ex suo genere peccatum mortale.

16 *Impii autem,* præsertim qui peccant ex D
habitu pravo, *manibus et verbis,* id est factis ac dictis, *arcessierunt illam,* id est, injustitiam seu mortem culpæ advocaverunt, et accesserunt. De quibus in libro Job fertur, quod quasi de industria reces- Job xxxiv, 27.
serunt a Deo. Excogitant etenim et laborant, qualiter impiam inclinationem opere exsequantur. *Et existimantes illam amicam,* id est, tanquam rem caram et congruentem sibi, apprehendentes eam propter delectationem annexam, aut propter alium finem perversum, *defluxerunt,* id est, per diversa vitia sunt dispersi. Talium quippe judicium est ita corruptum, quod malum sub ratione boni concipiunt, et lætantur quum impie egerint, quia ex ha- Prov. ii, 14.
bitu vitioso sic inclinantur. Ideo ait Philosophus : Qualis quisque est, talis sibi finis bonus videtur ac placet. Et Salomon : Via, Ibid. xii, 15.
inquit, stulti recta in oculis ejus. *Et sponsiones posuerunt ad illam,* id est, firmiter statuerunt adhærere iniquitati, quemadmodum sponsus sponsæ. De quibus in Zacharia legitur : Cor suum posuerunt ut Zach. vii, 12.
adamantem, ne audirent legem. Et Jeremias : Induraverunt, inquit, facies suas su- Jer. v, 3.
pra petram, et noluerunt reverti. Quibus in Isaia ait sermo divinus : Dixistis : Per- Is. xxviii, 15.
cussimus fœdus cum morte, et cum inferno fecimus pactum. Hoc etenim dicunt ipso facto, quamvis non verbo. *Quoniam morte* æternæ damnationis *digni sunt, qui sunt ex parte illius,* utpote injustitiæ, hoc est injusti injustitiæ servi. Juxta quod dicitur Deo in Psalmo : Odisti omnes qui Ps. v, 7.
operantur iniquitatem; et, Neque perma- Ibid. 6.
nebunt injusti ante oculos tuos.

Digitized by Google

ARTICULUS II

EXPLANATIO CAPITULI SECUNDI : DIXERUNT IMPII, COGITANTES APUD SE NON RECTE.

UT opposita juxta se posita evidentius innotescant, auctor hujus voluminis, præmisso uno capitulo documenta sapientialia continente, et infra de sapientia plenius tractaturus, interponit hic unum capitulum de insipientium erroribus ac peccatis, dicens :

1 *Dixerunt impii, cogitantes apud se non recte,* id est, ex perversa et perfida cogitatione locuti sunt verba infidelia et Matth. xii, 34. mendosa : quia ex abundantia cordis os loquitur, et ea quæ sunt in voce, sunt signa et notæ conceptionum affectionumque animæ. Ideo qualis vir, talis sermo. *Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ,* id est breve, et tædiis afflictionibusque admixtum : sicut et sanctus Job Job xiv, 1. loquitur, Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis; II Cor. iv, 17. Paulus quoque, Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ. *Et non est refrigerium in fine hominis,* id est quies et merces post mortem, nec tempore mortis restat spes vitæ alterius. Juxta quod ex persona talium dicitur per- Eccle. iii, 19. fidorum in Ecclesiaste : Unus est interitus hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio; et nihil habet homo jumento amplius. Et rursus Scriptura ait : Is. xxii, 13. Comedamus et bibamus, cras enim moriemur. *Et non est qui agnitus sit reversus ab inferis.* Quasi dicant : Nil certi scitur de alia vita. Hoc impii isti faciliter sibi persuadent, non considerantes historias sacræ Scripturæ, Sanctorum legendas, in quibus multi resuscitati leguntur, imo et aliqui in mortalibus defuncti, et pœnas purgatorii ac inferni experti : qui reversi, narraverunt viventibus quæ viderunt atque senserunt.

2 *Quia ex nihilo nati sumus,* quantum ad animam, et quoad ipsam materiam primam in exordio temporis ex nihilo factam, secundum quod ponuntur quatuor coæquæva, videlicet tempus, cœlum, angelus, materia : de quibus in libro de IV Coæquævis diffuse tractat Albertus. Unde et Deus vocatur Conditor omnium rerum. Hæc autem particula refertur ad illam, Non est refrigerium in fine hominis. Tanquam dicant : Sicut ex nihilo facti sumus, ita post mortem nihil nostri manebit. Hinc subditur : *et post hæc erimus tanquam* si *non fuerimus : quoniam fumus afflatus,* id est aer instar fumi spiratus, *est in naribus nostris :* quoniam inspirando respirandoque vivimus; *et sermo scintillæ ad commovendum cor nostrum,* id est calor naturalis, modicus ut scintilla, et sermone significatus : cujus caloris virtute cor se movet, et membris influit motum. Et sumitur hic Cor, pro parte corporea quæ dicitur fons caloris, et primum vivens, ac ultimo moriens in animali, secundum Philosophum.

3 *Quia exstinctus cinis erit corpus nostrum.* Post mortem enim corpus exanime incineratur. *Et spiritus diffundetur tanquam mollis aer,* id est, spiritus animales et vitales ac motivi deficient. Vel, Spiritus diffundetur, id est, in nihilum resolvetur ac evanescet, sicut mollis aer, qui a suo contrario fugatur, ac cito corrumpitur. *Et transibit vita nostra,* id est, suo cursu deficiet, *tanquam vestigium nubis,* quæ cito dissolvitur. Unde subjungitur : *et sicut nebula dissolvetur, quæ* nebula *fugata est a radiis solis, et a calore illius aggravata,* id est victa, dispersa, seu pressa deorsum calore radiorum solarium, tempore magni

Digitized by Google

æstus, quo raro pluit, sicut et tempore fri- A
goris maximi. Intentus equidem calor va-
pores nubis dissolvit sive consumit; vehe-
4 mens vero frigus eos constringit. *Et nomen
nostrum oblivionem accipiet per tempus,*
id est, paulatim deficiet memoria personæ
Eccle. II, 16. ac nominis nostri: juxta illud, Futura tem-
pora oblivione cuncta operient. Verumta-
men, sicut aliqui ob actuum suorum lau-
dabilem eminentiam, relinquunt post se
perpetuam sui memoriam; ita nonnulli
propter præcipuam suam perversitatem,
manent in perpetua quadam hominum me- B
moria cum vituperiis: juxta quod in Pro-
Prov. X, 7. verbiis scriptum est, Memoria justi cum
laude, nomen impiorum putrescet. *Et ne-
mo memoriam habebit operum nostrorum:*
Eccle. I, 11. prout in Ecclesiaste habetur: Non est pri-
orum memoria; sed nec eorum quidem
quæ postea futura sunt, erit recordatio
apud eos qui futuri sunt in novissimo.
5 *Umbræ enim transitus est tempus no-
strum:* id est, duratio vitæ nostræ, brevis
ac defluens est, sicut apparentia umbræ:
quæ secundum motum ambulantis videtur C
procedere, et celerrime evanescit. Unde et
I Par. XXIX, 15. primo Paralipomenon habetur: Dies nostri
quasi umbra super terram, et nulla est
Ps. CI, 4. mora; et in Psalmo, Quia defecerunt sicut
fumus dies mei. *Et non est reversio finis
nostri:* id est, post mortem non reverte-
mur ad vitam hanc: sicut et sanctus Job,
Job XVI, 23. Viam, inquit, per quam non revertar, am-
bulo. *Quoniam consignata est,* id est clau-
sa, operta, et nunquam apparens, quia nec
exsistens ipsa reversio. Sicque per mo-
lem sepulcro superimpositam est sublata: D
Matth. XXVII, 64, 66. quemadmodum et Judæi, corpore Christi
clauso in monumento per lapidem consi-
gnatum, putabant ejus memoriam, omnem-
que spem suæ resurrectionis, esse penitus
Ps. XLVIII, 12. exstinguendas. Unde et in Psalmo: Sepulcra
eorum, domus illorum in æternum. *Et ne-
mo revertetur* ad hanc vitam post mortem.
Quod quamvis naturaliter ita sit, miraculo-
se tamen frequenter contingit oppositum.
6 *Venite ergo, et fruamur bonis quæ sunt:*
id est, quum non sit vita alia post præ-
sentem, nec retributio, imo nec tandem
memoria, non quæramus nisi delectabilia
carni, et desiderabilia hujus mundi. Qui-
dam autem quamvis non crederent esse
vitam post istam, tamen desiderio magnæ
famæ, qua in memoriis hominum rema-
nerent, studuerunt agere quædam bona et
magna. Isti vero considerantes famam quo-
que tandem deficere, toto impetu elege-
runt vacare libidini: quemadmodum in
Ecclesiaste ex persona talium legitur: Co- Eccle. IX, 7, 9.
mede in lætitia panem tuum, et bibe cum
jucunditate vinum tuum; perfruere vita
cum uxore quam diligis: hæc est enim
pars tua. *Et utamur creatura tanquam in
juventute celeriter,* id est, rebus creatis ad
libitum sine mora inhæreamus. *Vino pre-* 7
tioso, quantum ad gustum, *et unguentis,*
quoad tactum et odoratum, *nos implea-
mus,* quatenus singuli sensus nostri dele-
ctationibus utantur objectorum suorum; *et
non prætereat nos flos temporis:* id est,
adolescentiam, seu juventutem nostræ du-
rationis, non expendamus absque abun-
dantia voluptatum. *Coronemus nos rosis* 8
antequam marcescant, ut sic ornati, mulie-
ribus magis complaceamus; *nullum pra-
tum sit, quod non pertranseat luxuria no-
stra:* id est, in locis virentibus et amœnis
nostram exerceamus libidinem. *Nemo ve-* 9
strum exsors sit,* id est sine communione * alias nostrum
et participatione, *luxuriæ nostræ; ubique
relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc
est pars nostra, et hæc est sors nostra,* id
est, taliter delectari et vivere, est præci-
puum bonum nostrum et eventus fortuna-
tior qui potest nobis accidere, quia in his
felicitatem constituimus nostram: juxta
illud Ecclesiastæ, Quid amplius habet ho- Eccle. III, 9.
mo de labore suo?

Præterea, quoniam vitia ista carnalia
hominem in tantum excæcant, ut cadat in
crudelitatem, et alios spoliet ut habeat
unde suam expleat voluptatem; et præci-
pue eum exasperant contra eum a quo
pro suis corripitur vitiis, recte subjungi-
tur de impiis ista dicentibus: *Opprima-* 10
mus pauperem spiritu, id est humilem,

Digitized by Google

justum, qui vel non possit, aut non optet
nobis resistere; *et non parcamus viduæ :*
quum tamen pauperes et viduæ sint mise-
rabiles personæ, in quas exercere tyranni-
dem, est specialiter sævum; *nec veterani
revereamur canos multi temporis,* id est,
non honoremus senes, qui habent albos
crines ex diuturnitate vitæ : quum tamen
*Lev.*xix,32. scriptum sit, Coram cano capite consurge,
11 et honora personam senis. *Sit autem for-
titudo nostra lex justitiæ,* id est, potestate
utamur pro jure, et voluntate pro ratione:
quod proprium est tyrannis. Rex autem
sequitur rationem, et potestatem regulat
legibus æquitatis. *Quod enim infirmum
est, inutile invenitur :* id est, inutile judi-
camus succumbere, impotentioremque es-
se, ac subjici; dominari vero et prævalere,
reputamus beatum : quum tamen dicat
I *Cor.* I, 27. Apostolus, Infirma mundi elegit Deus, ut
confundat fortia; et multo salubrius sit
injurias pati, quam irrogare, Christo te-
Matth. v, 10. stante, Beati qui persecutionem patiuntur
propter justitiam, etc.

Porro quæ sequuntur, secundum Augu-
stinum, verba sunt Salomonis, ad litteram
de Christi passione et persecutione præ-
nuntiata : et littera ad hoc optime conso-
nat, nec de alio aliquo tam convenienter
aptatur. Sed huic expositioni non videntur
consonare præhabita : pontifices namque,
Scribæ ac Pharisæi persecutores Christi,
non fuerunt illius perfidiæ, ut dicerent
animas hominum esse mortales; nec ad
luxurias et cetera vitia jam prætacta tota-
liter se exposuerunt. Ad quod dici potest,
quod inter illos fuerunt aliqui Sadducæi,
*Act.*xxiii,8. qui animarum immortalitatem et futurum
judicium negaverunt. Ceteri autem ita obte-
nebrati et carnales fuerunt, quod etsi non
verbo, tamen ipso facto dixerunt, Venite,
et fruamur bonis quæ sunt : quemadmo-
Tit. I, 16. dum de quibusdam scribit Apostolus, Di-
cunt se nosse Deum, factis autem negant.
Fuerunt quippe summe avari, et præsenti-
*Luc.*xvi,13, 14. bus dediti. Propter quod Christum contra
avaritiam prædicantem, atque terrenorum
contemptum exemplo ac verbis persua-
dentem, maxime abhorruerunt et irrise-
runt, dicentes : Dæmonium habet et insa- *Joann.* x, 20.
nit : quid eum auditis? prout in Evangelio
legitur.

Exponendo ergo de Christo, iste est sen-
sus : *Circumveniamus ergo justum,* id est, 12
Jesum decipiamus : quia multas posuerunt *Ibid.* viii, 3-6.
ei insidias, et frequenter observaverunt, *Marc.* iii, 2; *Luc.* xiv, 1; xx, 20.
ac quosdam miserunt qui eum caperent
in sermone. Et quamvis Jesus omnia sci-
ens, non potuerit decipi, ipsi tamen præ-
sumpserunt se posse fallere eum, tan-
quam hominem purum aliis similem. Unde
ait Salvator in Psalmo : Quoniam gratis *Ps.* xxxiv, 7.
absconderunt mihi interitum laquei sui;
et denuo : Narraverunt ut absconderent *Ps.* lxiii, 6.
laqueos; dixerunt, Quis videbit eos? Et
quamvis dicatur hic ex eorum persona,
Circumveniamus justum; ipsi tamen Je-
sum non reputaverunt nec nominaverunt
justum. Sed quia verissime justus fuit,
ideo ad rem ipsam adspiciendo dixerunt,
Circumveniamus justum : quoniam is de
quo sic contulerunt, fuit summe justus.
Sic et in Apocalypsi ministri Antichri-
sti leguntur dicturi, Quis similis bestiæ? *Apoc.* xiii, 4.
quum tamen dicturi sint, Quis similis Chri-
sto? Sed quoniam is quem pro Christo
recipient, bestialissimus erit; ideo respi-
ciendo ad rem, prænuntiantur dicturi, Quis
similis bestiæ? *Quoniam inutilis est nobis.*
Christus, quantum in se erat, utilissimus
et saluberrimus fuit illis, eos erudiendo
doctrinis, exemplis, miraculis, et caritati-
ve corripiendo ac advisando. Sed inutilis
fuit eis, quoad perversum finem ab eis in-
tentum : quoniam toto affectu inhiabant
divitiis atque honoribus : quod Christus
vituperavit, humilitatem et paupertatem
exemplis ac verbis commendans. Juxta
hunc modum narratur secundo Regum,
quod consilium Achitophel utile fuit Ab- II *Reg.* xvii, 14.
saloni ac suis : quod tamen sceleratis-
simum erat. *Et contrarius est operibus
nostris :* quia opera ejus fuerunt sanctissi-
ma, opera autem ipsorum pravissima. *Et
improperat nobis peccata legis* Mosaicæ, id
est, imputat et objicit nobis peccata quæ

Digitized by Google

contra legem Moysis perpetramus sive ad-
Joann. VII, 19. mittimus : prout in Evangelio copiose nar-
ratur ; *et diffamat in nos peccata discipli-
næ nostræ,* id est, publice reprehendit nos
de statutis et observantiis quibusdam re-
gularibus, asserens ea esse vitiosa ac divi-
næ legi contraria. Nempe in Evangelio ait :
Matth. XV, 6 ; Marc. VII, 9. Bene irritum fecistis mandatum Dei pro-
pter traditionem vestram ; et rursus, Quare
Matth. XV, 3. vos transgredimini præceptum Dei, ut tra-
ditionem vestram servetis ?

13 *Promittit,* id est, firmiter asserit, *se sci-
entiam Dei habere,* imo et Deo Patri in sci-
Ibid. XI, 27. entia esse æqualem, dicens : Nemo novit Fi-
lium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit,
Joann. VII, 16. nisi Filius. Et alibi : Mea doctrina non est
mea, sed ejus qui misit me. Et iterum ad
Ibid. 28, 29 ; VIII, 55. Judæos ibidem : Est verus qui misit me,
quem vos nescitis : ego autem scio eum ;
et si dixero quia nescio eum, ero similis
vobis, mendax. *Et Filium Dei se nomi-
nat,* imo Filium naturalem unigenitum
Ibid. X, 30. consubstantialem, dicendo : Ego et Pater
Ibid. 29. unum sumus ; et rursus, Pater quod dedit
mihi, majus omnibus est. Unde rursus
Ibid. V, 17, 18. apud Joannem habetur : Pater meus usque
modo operatur, et ego operor. Propterea
persequebantur Judæi Jesum, quia non so-
lum solvebat sabbatum, sed et patrem su-
um dicebat Deum, æqualem se faciens
Ibid. X, 36. Deo. Et alibi : Quem Pater sanctificavit,
et misit in mundum, vos dicitis, Quia
blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum ?

14 *Factus est nobis in traductionem cogita-
tionum nostrarum :* id est, non solum re-
prehendit ac propalavit exteriora nostra
peccata, sed etiam secreta vitia cogitatio-
num nostrarum manifestavit : juxta illud,
Matth. IX, 4. Quum vidisset Jesus cogitationes eorum,
Joann. II, 25. dixit. Et alibi habetur : Opus ei non erat
ut quis testimonium perhiberet de homi-
ne ; ipse enim sciebat quid esset in ho-
mine.

15 *Gravis est nobis etiam ad videndum,*
propter rancorem et displicentiam quos
contra eum concepimus, *quoniam dissimi-
lis est aliis vita illius :* quia in omnibus
sine personarum acceptione pro veritate
A zelatur, nec ullum veretur, nec parcit ali-
cui ; *et immutatæ,* id est aliis dissimiles,
sunt viæ ejus, id est actiones, instructio-
nes, institutionesque ejus. Quemadmodum
autem similitudo est causa unionis et com-
placentiæ, sic dissimilitudo aversionem ac
displicentiam parit, et veritas odium. Talia
tamen sunt scandala passiva et sumpta,
non activa et data. *Tanquam nugaces,* id 16
est vani, fatui et mendaces, *æstimati su-
mus ab illo.* Unde loquitur eis in Evange-
lio : Vos ex patre diabolo estis, et in pecca- Joann. VIII, 44, 21, 47.
B to vestro moriemini. Qui ex Deo est, verba
Dei audit : propterea vos non auditis, quia
ex Deo non estis. Et rursus : Est Pater Ibid. 54, 55.
meus qui glorificat me : quem vos dicitis
quia Deus vester est, et non cognovistis
eum. Ego autem novi eum ; et si dixero
quia non scio eum, ero similis vobis, men-
dax. *Et abstinet se a viis,* id est operibus
et traditionibus *nostris, tanquam ab im-
munditiis ; et præfert novissima justorum,*
id est, prædicat, laudat, et cunctis præsen-
tibus anteponit finalia bona ac præmia,
C justis pro mercede præstanda, dicendo :
Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris Matth. XIII, 43.
eorum ; et rursum, Ibunt justi in vitam Ibid. XXV, 46.
æternam ; et, Erunt sicut angeli Dei ; ac
multa similia. *Et gloriatur patrem se ha-* Ibid. XXII, 30.
bere Deum : sicut jam patuit. Et fuit hæc
gloriatio sancta et vera, non vana et falsa.

Videamus ergo, id est, per effectuum 17
evidentiam inquiramus, *si,* id est an, *ser-
mones illius veri sint, et tentemus,* id est,
experimentaliter scire conemur, *quæ ven-
tura sunt illi* inter adversa quæ inflige-
D mus ei ; *et sciemus quæ erunt novissima
illius,* id est, quæ finaliter ei evenient. *Si* 18
enim est verus Filius Dei, suscipiet illum,
ipsum defendendo et exaudiendo, *et libe-
rabit eum de manibus contrariorum,* id
est inimicorum suorum.

Istud, secundum Augustinum, fuit to-
tum acumen Judæorum. Viderunt etenim
Jesum multa et præclarissima miracula fa-
cientem, et copiosum post se populum de-
ducentem, ac omnium terrenorum prædi-
cantem contemptum. Sicque videbant sibi

Digitized by Google

ab ipso principatum, ad quem maxime anhelabant, auferri. Ideo collegerunt concilium pontifices et Pharisæi, et dicebant : (Joann. xi, 47, 48.) Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; et venient Romani, et tollent locum nostrum et gentem. Sicque ex una parte metuebant eum ita dimittere, ex alia quoque parte verebantur eum occidere, tot et tanta agentem prodigia. Ideo invenerunt medium istud, ut per adversa et amarissima supplicia explorarent an vere esset Filius Dei, dicentes : Si verus Filius Dei est, non permittet eum Pater occidi, sed eruet eum de manibus nostris. Quod si fecerit, agnoscemus quod sit Filius Dei, et credemus in eum. Si vero permiserit eum occidi, patebit quod non sit nisi quod ceteri, nec sit verus Filius Patris æterni. Huic demum considerationi B. Augustini concordat evangelica veritas, quoniam Christo in cruce suspenso, dixerunt : Si rex Israel est (vel, Si hic est Christus Dei electus), descendat nunc de cruce, et credimus ei. (Matth. xxvii, 42. Luc. xxiii, 35.) Insuper, teste Augustino, volebant a morte Christi immunes videri : propter quod tradiderunt eum Pilato, ut morti adjudicaretur ab illo, eis accusantibus tantum. (Matth. xxvii, 2.) Verumtamen Pilato hoc facere renuente, a propria invidia incitati sunt et coacti, importune crucifixionem ejus efflagitare. (Ibid. 23.) Hinc etiam leguntur dixisse Apostolis : Replestis Jerusalem doctrina vestra, et vultis super nos inducere sanguinem hominis istius. (Act. v, 28.) Quasi dicant : Nos sumus immunes a sanguine ejus, quem præses per suos crucifixit ministros, et quem tradidit suus discipulus. His concordant sequentia.

19 *Contumelia et tormento interrogemus eum :* id est, inferendo ei opprobria et tormenta, inquiramus et perscrutemur an sit Filius Dei, et eruendus ex manibus nostris; *ut sciamus reverentiam ejus,* id est, an vere sit honorandus ut Filius Dei et rex Messias; *et probemus patientiam illius,* an scilicet impleat opere, quæ alios
20 docuit de patientiæ exhibitione. *Morte turpissima condemnemus eum,* id est, procuremus eum adjudicari patibulo : quæ fuit turpissima mors in lege, juxta illud Deuteronomii : Maledictus qui pendet in ligno. (Deut. xxi, 23.) Quasi dicant : Tam ignominiosissimam mortem Deus Pater nequaquam Filio suo infligi permittet. Ideo subdunt : *erit enim ei respectus ex sermonibus illius :* id est, ex verbis ejus conspiciemus atque pensabimus quid habeat veritas : quia si poterimus eum exstinguere, cognoscemus quod mendaciter vocavit se Filium Dei.

Hæc cogitaverunt iniqui præfati, *et erraverunt,* quum in Prophetis apertissime 21
prænuntiata sit passio Christi. Ideo nullam prorsus consequentiam habuit : Si hic est Christus, descendat de cruce; et, Si filius Dei est, liberabit eum de manu contrariorum. (Matth. xxvii, 42; Marc. xv, 32.) Imo, si non permisisset eum Pater occidi, consequens fuisset quod non fuisset Christus Filius Dei, de quo erat prædictum quod occideretur, et sua passione redimeret mundum. *Excæcavit enim illos malitia eorum,* id est invidia, impatientia, ira, amaritudo, indignatio, superbia, quas contra Christum conceperant : ita quod quanto plura et majora fecit miracula, quo gloriosius prædicavit, et Christum se esse monstravit, eo plus torquebantur, et omnia interpretabantur in pejus, ac dæmonum principi adscripserunt. (Matth. xii, 24.) Et probabilis illa, quam ante habuerunt ad tempus de Christo, notitia, post passiones istas nequissimas fuit exstincta et offuscata.

Et nescierunt sacramenta Dei, id est 22
secreta ejus mysteria atque consilia de modo salvandi genus humanum per Christi oblationem; *neque mercedem speraverunt justitiæ,* id est felicitatem æternam pro actibus justitiæ retribuendam. Certum est enim quod impii isti Judæi non habuerunt spem formatam, quæ ex gratia Dei et actibus bonis procedit. *Nec judicaverunt honorem animarum sanctarum :* id est, non cognoverunt per fidem formatam, nec discreverunt, quam gloriose coronandæ sint a Deo animæ sanctæ; sed temporalia sola pensabant.

Digitized by Google

23 *Quoniam Deus creavit hominem,* scili-
cet primum nostrum parentem Adam, *in-
exterminabilem,* id est impassibilem et
immortalem, nisi peccaret. Nam animam
ejus condidit immortalem, et per origi-
nalem justitiam mansisset corpus animæ
perfecte subjectum, et a læsionibus libe-
rum. *Et ad imaginem similitudinis suæ
fecit illum,* id est ad imitationem sui ipsi-
us, ut per intellectum, memoriam, volunta-
tem esset capax Dei, contemplando, aman-
Gen. I, 26. do, ac inhærendo : juxta illud, Faciamus
hominem ad imaginem et similitudinem
24 nostram. *Invidia autem diaboli mors in-
troivit in orbem terrarum :* id est, diabo-
lus ex invidia, qua invidit primo parenti
ac ejus posteritati beatitudinem, quam ip-
Ibid. III, 1-7, 12. se amiserat, decepit et ad transgressionem
induxit primos parentes. Qui mox ob suam
transgressionem originali justitia sunt pri-
vati : sicque mente eorum per inobedien-
tiam a Deo aversa, statim cœpit sensualitas
rationi reniti, et corpus spiritui ; sicque
corpus necessitati moriendi subjectum est.
Itaque mors culpæ, per suggestionem dia-
boli intravit in primos parentes, et per
illam mors corporalis : ac ita in posteros
eorumdem, qui originali justitia destituti
25 nascuntur. *Imitantur autem illum,* id est
diabolum, et ejus invidiam atque mali-
tiam, *qui sunt ex parte illius,* id est re-
probi et iniqui, perditionisque filii : qui-
Joann. VIII, 44. bus dicitur apud Joannem, Vos ex patre
diabolo estis.

Insuper, ab illo loco, Circumveniamus
ergo justum, quidam exponunt de impiis,
et de populo Judæorum olim justo : de
quo Scriptura aliquando loquitur quasi
de homine uno. Ita quod gentiles adver-
12 santes populo illi, dixerunt : *Circumve-
niamus justum,* id est populum istum Dei
A cultorem ; *quoniam contrarius est operi-
bus nostris,* quia idololatriam vitat ac re-
probat, *et improperat nobis peccata legis,*
id est vitia quæ contra naturalem facimus
legem. *Promittit se scientiam Dei habere,* 13
scilicet legem desuper datam, *et filium Dei
se nominat :* juxta illud Deuteronomii, Fi- *Deut.* XIV, 1.
lii estote Domini Dei vestri. Unde et in Ex-
odo Dominus loquitur : Filius meus pri- *Exod.* IV, 22.
mogenitus Israel ; et in Osee : Puer Israel, *Osee* XI, 1.
et dilexi eum ; et ex Ægypto vocavi filium
meum. Justi autem dicuntur filii Dei per
B adoptionem. *Factus est nobis in traductio-* 14
nem cogitationum nostrarum : quia Pro-
phetæ, Deo revelante, frequenter noverunt
et reprehenderunt cogitationes impiorum
gentilium. *Gravis est nobis etiam ad vi-* 15
dendum : multum enim oderant filios Is-
rael ; *quoniam dissimilis est aliis vita
illius :* quia secundum legis præcepta, ha-
buerunt modum vivendi omnino diversum
a ritu gentilium. Et juxta expositionem
præhabitam, potest littera sequens aliqua-
liter applicari ad istum sensum ; non ta-
C men proprie, ut videtur.

Porro, spiritualiter potest exponi de
hæreticis ac aliis perfidis, populum ca-
tholicum tanquam Dei filium adoptivum
persequentibus. Qui populus vere habet
scientiam Dei, et gloriatur se dicere Deo,
Pater noster qui es in cœlis ; ac infideles *Matth.* VI, 9.
reputat prorsus erroneos. Quem dum per-
fidi et iniqui persequuntur ac superant,
præsumunt populum christianum a Deo
relictum ac reprobum, ignorantes quod
Deus suos electos in hac vita exercet, pur-
D gat ac probat per reprobos et injustos. Is-
tas expositiones, brevitati studens, tango
solum, non prosequor : quia ex prima jam
introducta expositione possunt facillime
elici ac patere.

Digitized by Google

ARTICULUS III

DECLARATIO CAPITULI TERTII : JUSTORUM AUTEM ANIMÆ IN MANU DEI SUNT.

CAPITULO præcedenti descriptæ sunt A
perversitates et opera impiorum, et
qualiter circa Christum se habuerunt. Hic
describuntur virtutes, actiones, proprieta-
tes, privilegia, ac præmia electorum atque
Sanctorum, potissime martyrum : quorum
constantiam ac martyrium impii reputa-
verunt insaniam ac perditionem.
1 *Justorum autem animæ in manu Dei
sunt.* Multis modis accipitur manus Dei in
Scripturis. Primo, pro omnipotentia ejus :
sicque universa creata in manu sunt Dei,
Ps. xciv, 4. juxta illud Psalmi : In manu ejus sunt B
omnes fines terræ. Secundo, pro conser-
vatione ipsius : sic quoque omnia in manu
Dei exsistunt. Tertio, pro vindicta divinæ
Ps. xx, 9. justitiæ : juxta illud, Inveniatur manus
tua omnibus inimicis tuis. Quarto, pro
gratioso et pio auxilio, seu magnifico ope-
Exod. xiv, 8. re Dei : sicut in Exodo legitur eduxisse
filios Israel de Ægypto in manu excelsa.
Quinto, pro præsentiali repræsentatione :
Is. xlix, 16. sicut in Isaia, Ecce in manibus meis de-
scripsi te. Sexto, pro Filio Dei Patris. Nam
sicut Spiritus Sanctus dicitur digitus Dei, C
quia per eum secreta indicat ac revelat,
Luc. xi, 20. prout in Evangelio loquitur Christus, Si in
digito Dei ejicio dæmones; sic Filius dici-
tur manus, seu dextera ac brachium Patris,
quia per Filium omnia operatur. De quo
Is. lii, 10. Isaias asserit : Paravit Dominus brachium
sanctum suum in oculis omnium gentium.
Septimo, pro divina protectione : et ita
jam dicitur, Justorum animæ in manu
Dei sunt : quia a corpore exeuntes, non
pereunt, nec damnantur, ut perfidi puta-
verunt; sed custodiuntur a Deo, et de sua D
beatitudine fiunt securæ. Imo sub evan-
gelica lege mox admittuntur ad gloriam
animæ martyrum : et ita sunt in manu
pietatis divinæ, per assecurationem salutis
collatæ. Quæ autem aliquid deferunt se-
cum purgabile, sunt usque ad suæ con-
summationem purgationis in purgatorii
locis : in quibus tamen certæ sunt de
adeptione præstandæ salutis. Porro ante
Christi passionem, animæ sanctæ nihil se-
cum portantes purgabile, erant in limbo
patrum, et de futura gloria erant tutæ : a
qua retardabantur ob reatum naturæ, qui
auferri non poterat, nisi per Christum.
Et non tanget illos tormentum mortis,
id est pœna æternæ damnationis, quæ est
mors secunda ac crudelissima. Unde in
Apocalypsi habetur : Pars iniquorum erit *Apoc.* xxi, 8.
in stagno ardenti igne et sulfure, quod est
mors secunda. Vel ideo ait, Non tanget
illos tormentum mortis, quia tormenta
quæ sustinuerunt, non occiderunt eos to-
taliter : imo principalis pars, scilicet ani-
ma, mansit immortalis. Ideo subditur :
Visi sunt oculis insipientium mori : id 2
est, insipientes tyranni et infideles æsti-
maverunt eos mori, quantum ad corpus et
animam, vel damnari in anima; *et æsti-
mata est afflictio exitus illorum :* id est,
impii illi reputaverunt exitum justorum
de sæculo isto, videlicet mortem, non esse
nisi afflictionem, et non esse januam ad
vitam beatam : quia non crediderunt esse
vitam aliam post præsentem, aut credide-
runt eos post corporalem temporalemque
mortem descendere ad infernum in affli-
ctionem acerbiorem. *Et ab itinere justo
abierunt in exterminium,* id est, ipsi in-
sipientes recedentes a via justitiæ, exter-
minati sunt, et eradicati a statu salutis, a
vita naturæ et gratiæ, et in mortem dam-
nationis prolapsi sunt; *et quod a nobis* 3
est iter exterminii, id est in præfatam

Digitized by Google

exterminationem, quæ est eradicatio seu iter exterminationis a nobis, id est recessus ac defectio ab hac vita. Vel sensus est, quod justi reputatione atque judicio impiorum recesserunt a recto itinere veritatis, in exterminationem. De qua fertur in Isaia, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei; et alibi, Exterminati sunt, et ad inferos descenderunt; atque alio loco, Vidi iniquos Domino flante perisse. *Illi autem*, scilicet justi, *sunt in pace* æternitatis: quia quantum ad animam, ad quietem pervenerunt perpetuam, et ab inquietudinibus atque laboribus vitæ præsentis requieverunt, prout in Apocalypsi asseritur: Beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.

Is. xxvi, 10, juxta LXX. Baruch iii, 19. Job iv, 8, 9. Apoc. xiv, 13.

4 *Etsi*, id est quamvis, *coram hominibus*, imo et ab impiis ac tyrannis, *tormenta passi sunt*: juxta illud ad Hebræos: Ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt; *spes illorum immortalitate plena est*, id est, æternam ac securam salutem est consecuta. Vel: Spes illorum, id est merces sperata ab eis, videlicet salus perpetua, immortalitate plena est, quia in nullo potest deficere, prout apud Isaiam scriptum est: Lætitia sempiterna super capita eorum; gaudium et lætitiam obtinebunt, et fugiet dolor et gemitus.

Hebr. xi, 36, 37. Is. li, 11.

5 *In paucis vexati* corporaliter, id est, parva et modica passi tormenta, comparatione æternæ et ineffabilis felicitatis. Propter quod loquitur Paulus: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam; itemque, Id quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Vel, In paucis, id est corporalibus, vexati: quæ communia sunt hominibus ac jumentis, et respectu spiritualium, præsertim bonorum cœlestis patriæ, pauca sunt, sicut in Evangelio dicitur servo fideli: Quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam. *In multis bene disponentur*, id est, copiosa præmia consequentur, atque in anima et corpore glorificabuntur, sicut Paulus et Isaias testantur, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum. Unde Christus dixit in Cœna novissima: Ego dispono vobis regnum; et rursus, Vado parare vobis locum.

Rom. viii, 18. II Cor. iv, 17. Matth. xxv, 21, 23. I Cor. ii, 9; Is. lxiv, 4. Luc. xxii, 29. Joann. xiv, 2.

Quoniam Deus tentavit eos. Jacobus apostolus ait: Nemo, quum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur; Deus enim neminem tentat. Quomodo ergo nunc dicitur, Deus tentavit eos? Et respondendum, quod multiplex est tentatio: Una, quæ ordinatur ad fallendum atque nocendum: et sic tentat diabolus. Alia, quæ ordinatur ad sumendum experimentum de re incognita: sicque homines aliquando tentant. Alia, quæ ordinatur ad exercitationem et profectum tentati, et ad informationem ædificationemque aliorum: et sic Deus tentat electos ac virtuosos, sicut tentavit Abraham, Job et Tobiam. Unde et Moyses monet: Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus, ut affligeret te atque tentaret. Itaque, Deus tentavit eos, id est, per adversa exercitavit, approbavit, purgavit, et aliis manifestavit illos. *Et invenit illos dignos se*, id est sua beatifica visione, in quantum ex caritate omnia æquanimiter pertulerunt ad gloriam Dei, Spiritu Sancto actualiter concurrente et movente interius ad taliter patiendum. Sic enim principium effectivum meritorii actus, fuit correspondens et proportionatum fini retributionis beatæ, id est beatificæ visioni seu ejus objecto. Nec obstat illud Apostoli, Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam: quia afflictiones vitæ præsentis secundum se consideratæ, non sunt condignæ gloria tanta; sed consideratæ modo prætacto, cum caritatis et divinæ motionis inclusione, sunt dignæ. Nam et idem Apostolus alibi exhortatur: Ut ambuletis digne Deo.

Jacob. i, 13. Deut. viii, 2. Rom. viii, 18. I Thess. ii, 12.

Tanquam aurum in fornace probavit illos: id est, sicut aurum in igne fornacis examinatur, an sit verum et bonum au- 6

rum, et ibidem ab admixta fæculentia A
expurgatur, splendidiusque efficitur; sic
Deus suos electos in igne adversitatis pro-
bavit, et probatos monstravit, puriores
effecit, et ad splendorem salutis æternæ
perduxit : et quamvis quorumdam corpora
combusta sint igne, aut bestiis devorata,
animæ tamen majori gratia et gloria sunt
Job xxiii, 10. dotatæ. Hinc et sanctus Job dixit : Proba-
vit me Dominus quasi aurum quod per
ignem transit. Per Zachariam quoque Do-
Zach. xiii, 9. minus loquitur : Ducam eos per ignem, et
uram eos sicut uritur argentum, et pro-
babo eos sicut probatur aurum. Unde et
Judith viii, 23. Judith ait : Omnes qui Deo placuerunt,
per multas tribulationes transierunt fide-
les. Hinc igitur discamus patientiam, et in
adversis sicut in omnibus divitiis glorie-
mur. *Et quasi holocausti hostiam accepit
illos :* id est, sicut sacrificium legis quod
holocaustum vocatum est, quia ad divinæ
majestatis honorem totaliter incendebatur
ac cremabatur, in signum quod homo se
totum debet Deo ac cultui ejus : sicut,
inquam, sacrificium illud fuit Deo acce-
ptum ex offerentium fide, caritate et de-
votione ; sic martyres sancti et viri per-
fecti, Deo valde accepti fuerunt per hoc
quod ex fidei sinceritate, caritatis fervore,
et devotionis fragrantia, se ipsos Deo to-
taliter obtulerunt per martyrii passionem
aut cultum perfectum. Ideo scriptum est :
Ps. cxv, 15. Pretiosa in conspectu Domini mors San-
ctorum ejus. *Et in tempore erit respectus
illorum :* id est, quamvis Deus ad tempus
permittat electos suos ita affligi, tamen
tempore opportuno, et ab ipso præordina-
to, ipsos clementer adspiciet, et ab omni
pœna ereptos, gloriose ac copiose corona-
bit ac præmiabit. Ideo in Apocalypsi ait :
Apoc. ii, 10. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi
Ps. xc, 15. coronam vitæ; atque in Psalmo : Cum ipso
sum in tribulatione; eripiam eum et glo-
rificabo eum. Denique, In tempore erit re-
spectus illorum, id est, qui nunc in pœnis
et persecutionibus videntur viles, et quasi
a Deo relicti, in die judicii conspicientur
ab omnibus gloriosi. Ideo subditur :

Fulgebunt justi in corporibus glorifica- 7
tis, in die extremi judicii et deinceps in
cœlestis gloria paradisi, per dotem clari-
tatis. Incomparabiliter vero clarius ful-
gebunt in corde, per lumen gloriæ et
beatificam visionem immediate conjuncti
lumini increato : quod erit eis objectum,
et quasi forma ac medium cognoscendi
Deum, qui non per speciem creatam, sed
increatam, videtur clare et immediate fa- *I Cor.* xiii, 12.
cie ad faciem. Hinc asserit etiam Domi-
nus : Fulgebunt justi sicut sol in regno *Matth.* xiii, 43.
B Patris eorum. Et rursus Deus apud Mala-
chiam testatur : Orietur vobis timentibus *Malach.* iv, 2.
nomen meum Sol justitiæ. *Et tanquam
scintillæ in arundineto discurrent :* id est,
per dotem agilitatis erunt celerrime mo-
biles, sicut scintillæ velocissime agitantur
in arundineto, videlicet in loco quo cannæ
nascuntur. Idcirco ait Deus per Mala-
chiam : Salietis quasi vituli de armento. *Ibidem.*
Et sicut ignis cito consumit arundinetum,
sic Sancti in die judicii velocissime diju-
dicabunt iniquos. Unde subjungitur :

C *Judicabunt nationes :* quoniam asses- 8
soria dignitate, et approbatione sententiæ
judicabunt cum Domino Salvatore, qui
cunctis Sanctis promisit : Vos qui secuti *Matth.* xix, 28.
estis me, sedebitis super sedes, judicantes
duodecim tribus Israel. Judicabunt ergo
nationes, id est omnes reprobos et ini-
quos. Propter quod ait Apostolus : An ne- *I Cor.* vi, 2.
scitis quia Sancti de hoc mundo judica-
bunt? Et Psalmista : Gladii ancipites in *Ps.* cxlix, 6, 7.
manibus eorum, ad faciendam vindictam
in nationibus. *Et dominabuntur populis.*
D Jam interim habent dominium super exsi-
stentes in sæculo isto ; et in die judicii
apparebunt judices ac domini persecuto-
rum suorum ac omnium iniquorum. Hinc
in Propheta legitur : Egrediemini, et cal- *Malach.* iv, 2, 3.
cabitis impios. In Apocalypsi quoque as-
serit Christus : Qui vicerit, et qui custo- *Apoc.* ii, 26, 27.
dierit usque in finem opera mea, dabo
illi potestatem super gentes; et reget eas
in virga ferrea, et tanquam vas figuli
confringentur. *Et regnabit Dominus illo-
rum in perpetuum,* et ipsi cum Domino

Digitized by Google

suo, Dominusque cum eis, quemadmodum
Apoc. III, 21. Judex in Apocalypsi testatur : Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in
Dan. VII, 27. throno ejus. Hinc fertur in Daniele : Regnum et potestas dabitur populo Sanctorum Altissimi.

9 *Qui confidunt in illo, intelligent veritatem :* id est, qui cum humili fiducia invocant Deum constanter pro illuminatione interna, intelligent veritatem de necessariis ad salutem, quia Dominus illuminabit
Eccli. II, 12. eos per se, aut per suos ministros. Quis enim invocavit illum, et despexit eum?
Hebr. IV, 16. Ideo monet Apostolus : Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Nempe qui confidunt in Domino, non præsumunt de ingenio suo, ideo illuminari merentur.
Ps. XXXIII, 6. Propterea hortatur Propheta : Accedite ad eum, et illuminamini. *Et fideles in dilectione,* id est, qui Deum constanter et efficaciter diligunt, *acquiescent illi,* id est, obedient, adhærebunt, et suum intellectum humiliter subdent auctoritati fidei ac Scri-
II Cor. X, 5. pturis, redigentes intellectum suum in captivitatem, in obsequium Christi. Hinc
Joann. XIV, 23. ait Salvator : Si quis diligit me, sermonem
Ibid. XV, 10. meum servabit; et alibi, Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea. Etenim signum fidelis et veræ dilectionis, est exhibitio operis. Dilectio enim conformat voluntatem diligentis voluntati dilecti, et quasi ligat eas ad invicem, quia dilectio dicitur quasi duorum ligatio. *Quoniam donum et pax est electis ejus :* id est, electi Dei habent a Deo dona gratiæ, pacemque pectoris in præsenti, ac dona gloriæ ac pacem æternitatis in futuro. Denique electis seu prædestinatis Deus largitur in via omnia necessaria pro beatitudine obtinenda, quemadmodum ab æterno decrevit et præordinavit.

10 *Impii autem secundum quæ cogitaverunt, correptionem habebunt,* id est, debitas luent pœnas, et in judicio corripientur secundum cogitationum suarum demerita.
Matth. XXV, 41. Illis etenim Judex dicturus est : Ite, maledicti, in ignem æternum. *Qui neglexerunt*

A *justum,* id est, Deum essentialiter justum, et justa ejus præcepta omiserunt. Hinc apud Sophoniam præcipitur : Quærite ju- Soph. II, 3.
stum, quærite mansuetum, si quo modo abscondamini in die furoris Domini. *Et a Domino recesserunt* per mentis aversionem et inobedientiam, non per localem distantiam : juxta illud, Dereliquerunt Do- Osee IV, 10.
minum in non custodiendo.

Sapientiam enim, quæ est sapida di- 11
vinorum notitia, *et disciplinam,* id est moralia documenta, seu correptionem ca-
B ritativam, justamve castigationem, *qui abjicit* a se, *infelix est* jam miseriis culpæ, et demeritis pœnæ æternæ. Hoc autem faciunt, qui recedunt a Domino. Hinc et in Proverbiis scriptum est : Qui abjicit Prov. XV, 32.
disciplinam, despicit animam suam; qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Apostolus quoque : Si extra Hebr. XII, 8.
disciplinam, inquit, estis, ergo adulteri, et non filii estis. *Et vacua est spes illorum :* quia inaniter sperant obtinere salutem, et in rebus caducis damnabiliter figunt spem
C suam, et frustrabuntur fine optato seu bono sperato; *et labores sine fructu,* id est, profectu et merito vitæ æternæ carent labores ipsorum : imo vitiosi sunt, et damnationem merentur, quum sit perversa eorum intentio; *et inhabitabilia opera ipsorum :* id est, ipsi per opera sua perversa, nec in militanti Ecclesia habitant, tanquam viva membra ad mysticum corpus Christi spectantia, nec cœlestem mansionem acquirent per ea. Idcirco de non confidente in Domino, et recedente ab eo, loquitur
D Jeremias : Erit tanquam myricæ in deser- Jer. XVII, 6.
to, et habitabit in terra salsuginis. Tales namque ad ecclesiam malignantium, et ad Babylonicam pertinent civitatem.

Mulieres eorum insensatæ sunt, confor- 12
mando se vitiis maritorum suorum : quod tamen non semper sic est, sed frequenter. Et juxta hunc sensum subjungitur : *et nequissimi filii eorum :* quia a parentibus non informantur, nec educantur in salubri scientia, et moribus atque virtutibus, sed magis in vitiis.

Digitized by Google

13 *Maledicta creatura eorum*, id est posteritas, sive domestici vel cognati pertinentes ad eos, et eis consimiles : qui cum perversis pervertuntur, et majorum suorum sectantur prava vestigia. (Ps. xvii, 27.) *Quoniam felix sterilis et incoinquinata :* id est, quæ talem non habet sobolem, felix est, et felicior quam si fecunda esset hujusmodi prole : quemadmodum et in Ecclesiastico scriptum est, Melius est mori sine filiis, quam relinquere post se filios nequam. (Eccli. xvi, 4.) Nam et turpe est parentibus, tam indisciplinatam et vitiosam habere prolem, præ- B sertim dum ex parentum negligentia oritur infrenata malitia sobolis. Et inde multum augebitur parentum damnatio, in quos utique filiorum redundant peccata. Felix, inquam, sterilis, dummodo aliunde non exsistat culpabilis. Propterea additum est, Et incoinquinata, id est mortali vitio non fœdata.

Quæ nescivit torum in delicto, id est, adulterium non commisit, vel carnalem conjugalemque copulam non est experta, ita quod virgo permansit. Vel, Nescivit C torum in delicto, id est, quamvis exstitit maritata, non tamen abusa est conjugio in peccatum, voluptatem quærendo, aut alio modo, sed solum reddendo debitum, aut desiderio prolis ad Dei obsequium educandæ, seu causa vitandi incontinentiam in contorali : sicque implevit illud Apostoli, Honorabile connubium, et torus immaculatus. (Hebr. xiii, 4.)

Habebit fructum, id est spiritualem profectum, atque internæ munditiæ incrementum in via, æternæ quoque beatitudinis D remunerationem in patria, *in respectione animarum sanctarum*, id est ex divinæ pietatis respectu et infusione : quibus Deus adspicit, intuendoque implet animas virtuosas. De quo respectu dixit beatissima Virgo : Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; (Luc. i, 48.) et Dominus : Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum et contritum? (Is. lxvi, 2.) Hinc et Christus in Evangelio castitati virginali promittit fructum centesimum, castitati viduali sexagesimum, conjugali

A tricesimum : Semen, inquiens, cecidit in terram bonam, et ortum, fecit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud tricesimum. (Matth. xiii, 8; Luc. viii, 8.)

Et spado, qui non operatus est per manus suas, id est vires operativas, *iniquitatem*, peccando verbis aut factis, *nec cogitavit adversus Deum nequissima*, id est, per cogitationes pravas Deum non offendit, dolendo de impotentia sua, et voluptates optando. Dicitur equidem spado, impotens coeundi, seu eunuchus castratus : et tales quandoque corrupti ac libidinosi sunt mente, sicut in Ecclesiastico legitur : Spado complectens virginem, et suspirans. (Eccli. xxx, 21.) Talis, inquam, spado est felix, quamvis corporaliter sterilis; estque felicior vitiosis parentibus sobolis pravæ. *Dabitur enim illi fidei donum electum*, id est præclarum munus puritatis internæ ac interioris profectus, ad quod per fidem pertingitur, atque post hujus incolatum exsilii, donum gloriæ æternalis; *et sors in templo Dei acceptissima*, id est gratissima portio supernorum charismatum in militanti ac triumphanti Ecclesia. Nec ab ingressu excludetur materialis ecclesiæ, sicut in lege, juxta illud in Deuteronomio : Non intrabit eunuchus in ecclesiam Dei. (Deut. xxiii, 1.) 14

Bonorum enim laborum, qui ex caritate procedunt, assumuntur aut tolerantur, *gloriosus est fructus*, id est retributio copiosa ac felix. Propter quod monet et Apostolus : Stabiles estote, abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino. (I Cor. xv, 58.) Et alibi scriptum est : Non dissolvantur manus vestræ; erit enim merces operi vestro. (II Par. xv, 7.) Et Paulus rursus loquitur : Unusquisque recipiet secundum suum laborem. (I Cor. iii, 8.) *Et quæ non concidat radix sapientiæ*, id est, habitus seu donum sapientiæ stabilis, quæ manet in patria, spadoni tali præstabitur. Talis etenim, quum careat vitiis carnis, nec impugnetur ab eis, ad contemplationem est aptus : cujus radix et origo, est sapientiæ donum; cujus actus, est contemplatio ipsa. Et hæc radix sapientiæ dicitur non conci- 15

1 *Cor.* XIII, 8. dere, quemadmodum caritas non excidere A
perhibetur.

16 *Filii autem adulterorum,* qui parentum
vitia imitantur, sive corporaliter, sive spi-
ritualiter adulteri sint (et præsertim in le-
ge idololatria appellatur adulterium seu
Exod. XXXIV, 15, 16; *Lev.* XVII, 7; XX, 5. fornicatio spiritualis), *in consummatione*
erunt, id est, extremæ damnationi, quæ
est vitiorum consummatio ac merces fina-
lis, adjudicabuntur. Juxta quem modum le-
Hebr. VI, 8. gitur ad Hebræos : Cujus consummatio in
combustione erit. *Et ab iniquo toro semen*
exterminabitur, id est, soboles nata a toro B
seu conjugibus vitiosis, de electorum nu-
mero auferetur, si parentum vitia imitetur.
Vel sensus est, quod conjugati iniqui, pro-
pter sua demerita privabuntur prolis fe-
cunditate. Quemadmodum enim in lege
promittebatur justis fecunditas, juxta illud
Deut. XXVIII, 4. Deuteronomii, Benedictus fructus uteri
Ps. CXXVII, 3. tui; et in Psalmo, Uxor tua sicut vitis
abundans in lateribus domus tuæ : sic
fecunditatis privatio quandoque pro culpa
irrogabatur.

17 *Et si quidem longæ vitæ erunt,* id est, C
dato quod tales iniqui diu vivant in carne,
in nihilum computabuntur, id est, nullius
virtuositatis aut ponderis erunt : imo, quo
diutius vixerint, eo viliores deterioresque
apparebunt; *et sine honore erit novissima*
senectus illorum. Honor quippe est exhi-
bitio reverentiæ in signum testimonium-
que virtutis : ideo, sicut carebunt virtu-
te, sic et honore in senio. Quamvis enim
senectus ex se sit aliquo modo venerabilis,
Lev. XIX, 32. juxta illud Levitici, Honora personam se-
nis; tamen propter vitia puerilitatis, seu D
perversitatis ei adjuncta, fit aspernabilis.
Is. LXV, 20. Propter quod Isaias ait : Puer centum an-
norum morietur, et peccator centum anno-
18 rum maledictus erit. *Et si celerius defun-*
cti fuerint, non habebunt spem formatam
felicitatis futuræ, nec ipsam spei rem con-
sequentur, *nec in die agnitionis allocutio-*
nem : id est, in die judicii universalis seu
particularis, quando cuncta eorum peccata
pandentur, non poterunt pro se reddere
rationem, nec Judici respondere; nec ap-
probationis sententiam audient ab eodem,
qua dicet : Venite, benedicti Patris mei, *Matth.* XXV,
percipite regnum quod vobis paratum est 34.
ab origine mundi. *Nationes enim iniquæ,* 19
diræ sunt consummationis, id est, cru-
delem habebunt finem, et damnationem
asperrimam. Quibus dicetur : Ite, maledi- *Ibid.* 41.
cti, in ignem æternum.

Præterea, ab illo loco, Mulieres eorum
insensatæ sunt, possunt hæc spiritualiter
interpretari : ita quod *mulieres* iniquo- 12
rum, id est sensualitates, *insensatæ sunt,*
quia rationi rebelles; *nequissimi* quoque
filii, id est actus *eorum :* quia ex habitu
prodeunt vitioso. *Maledicta creatura eo-* 13
rum, id est conversatio ab ipsis egrediens.
Creare enim, frequenter accipitur pro fa-
cere seu formare. *Quoniam felix sterilis et*
incoinquinata, quæ nescivit torum in de-
licto. Hoc de virginibus specialiter accipi
potest, et de qualibet anima casta quæ nec
in hæresim, nec in idololatriam, neque in
mortalis peccati corruptionem est lapsa :
quæ in futuro sequetur Agnum quocum- *Apoc.* XIV, 4.
que perrexerit. *Et spado qui non operatus* 14
est iniquitatem. Quocirca loquitur Glossa :
Potest in sterili et spadone ordo virginum
designari : de quo fertur in Isaia : Non di- *Is.* LVI, 3.
cat eunuchus, Ecce ego lignum aridum. Et
talem fuisse eunuchum Joannem aposto-
lum, ecclesiasticæ tradunt historiæ : qui
ausus est dicere quod sæcula nescierunt,
In principio erat Verbum. Deficit ergo ca- *Joann.* I, 1.
villatio Judæorum, quæ semiviris aperit
regnum cœlorum, quum pudicitia sit in
voluntate animi, non in corporis debilitate.
Dabitur enim illi fidei donum electum.
Unde in Evangelio Christus : Sunt, inquit, *Matth.* XIX,
eunuchi qui se ipsos castraverunt propter 12, 11.
regnum cœlorum; non omnes capiunt ver-
bum hoc, sed quibus datum est. Hinc legi-
tur et in Isaia : Hæc dicit Dominus eunu- *Is.* LVI, 4, 5.
chis : Qui custodierint sabbata mea, et
elegerint quæ volui, dabo eis in domo mea
locum, et nomen melius a filiis et filia-
bus. *Filii autem adulterorum* spirituali 16
adulterio, puta discipuli hæresiarcharum
et omnium vitiosorum imitatores, *in con-*

Digitized by Google

summatione damnationis *erunt :* sicut expositum est. Postremo, omnis anima cœlesti Sponso per fidem et gratiam in Baptisma- A te consecrata, mortaliter peccans, adultera est diaboli : quæ cum imitantibus se peribit.

ARTICULUS IV

DECLARATIO CAPITULI QUARTI : O QUAM PULCHRA EST CASTA GENERATIO CUM CLARITATE !

1 OSTENSA calamitate vituperiisque pravorum, subditur laus justorum : *O quam pulchra est casta generatio!* id est, congregatio continentium est splendida valde : casta, inquam, generatio *cum claritate,* id est splendori sapientiæ ac discretionis adjuncta, ut sint casti sapientes ac prudentes, omnia ad Dei gloriam referentes, nec suis viribus, sed Dei auxilio innitentes, et castimoniam adscribentes. Nam fatuæ virgines inani gloriæ deditæ, in Evangelio reprobantur. [*Matth.* xxv, 12.] Quemadmodum autem in vitiis carnis est maxima turpitudo et præcipua inhonestas, ita in castitate est decor ingens et honestas præclara, et quædam non solum animæ, sed corporis quoque munditia : sicut et vitia carnis, corpus animamque contaminant. Hinc sanctus asserit Cyprianus : Pudicitia est ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo deformium, solamen mœrentium, augmentum totius pulchritudinis, decus Religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, amica Creatoris universorum, sororque angelorum. *Immortalis est enim memoria illius,* id est, perpetua commemoratione ac laude est digna, secundum illud, Memoria justi cum laudibus; [*Prov.* x, 7.] *quoniam et apud Deum nota est, et apud homines,* id est approbata in mente Dei et rationabilium hominum. Imo et ipsi incontinentes frequenter valde commendant castos : et semper sunt aliqui in Ecclesia militanti castam generationem recolentes ac collaudantes; in triumphanti vero Ecclesia nunquam oblivionem incurrit.

2 *Quum præsens est,* id est, dum casta B generatio cohabitat aliis, *imitantur illam* aliqui ædificati ab illa, et provocati ejus exemplo : juxta quod legitur in Psalmo, Cum sancto sanctus eris; [*Ps.* xvii, 26.] *et desiderant eam,* id est, ejus præsentiam habent libenter, et diu cupiunt habere præsentem, etiam tunc *quum se eduxerit,* id est, de vita ista recesserit, si fieri posset; *et in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens :* id est, ipsa casta generatio post hanc vitam a Deo coronata, plene triumphat, C habens præmium incoinquinatorum certaminum, id est resistentiarum virtuosarum, quibus restitit tentationibus voluptatum et carnis atque diaboli, quas fuit vincens.

3 *Multigena autem,* id est multiformis ac copiosa, *impiorum multitudo :* qui multi sunt nimis, quia multi vocati, et stultorum infinitus est numerus; [*Matth.* xx, 16; xxii, 14. *Eccle.* i, 15.] *non erit utilis :* imo sibi ipsi nociva est, nec proficit ad salutem; sed et alios scandalizat, et multiplicat mala in terra. Quamvis autem iniqui non sint directe veraciter utiles, in- D directe tamen ex ordinatione divina multipliciter utiles sunt. Nam et Deus tam bonus et sapiens est, quod non permitteret esse mala, inutilia ac nociva, nisi vellet et posset aliqua bona atque proficua ex illis elicere. Sunt itaque mali utiles. Primo, quia per eos electi purgantur et exercentur in vita præsenti. Secundo, quoniam bonos et sanctos persequendo et occidendo, sunt eis maximorum bonorum occasio, utpote sublimium meritorum ac præmiorum : ut patuit in martyribus et tyrannis.

Digitized by Google

Sic et Judæi Christum crucifigendo, facti sunt occasio salvationis totius mundi. Tertio, quia in ipsorum relictione ac condemnatione relucet divina justitia. Quarto, quia ex illorum punitione augetur gloria ele-
Ps. LVII, 11. ctorum, juxta illud Psalmistæ : Lætabitur justus quum viderit vindictam. Quinto, quia in temporalibus sæpe deserviunt justis. *Et adulterinæ plantationes,* id est pravæ collectiones quæ fornicantur a Deo, *non dabunt radices altas,* id est, non emittent ex se profundas radices, ut faciunt arbores bonæ, hoc est sobolem virtuosam, seu vitam laudabilem, secundum quod tales : quæ tamen poterunt pœnitere. Hinc
Matth. XV, 13. ait Salvator : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. *Nec stabile fundamentum collocabunt,* id est, in fidei firmitate, in Dei timore, in profundo humilitatis non fundant se, neque in Christo summo et incommutabili
I Cor. III, 11. bono : de quo ait Apostolus, Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.

4 *Et si in ramis in tempore germinaverint,* id est, ad tempus floruerint in sobole aut prosperitatibus hujus vitæ, *infirmiter positæ,* id est, debili ac fallaci fundamento inhærentes, videlicet rebus caducis, *a vento commovebuntur:* id est, irruente quacumque tentatione, persecutione, aut adversitate, per impatientiam cadent; *et a nimietate ventorum eradicabuntur:* id est, ex vehementia persecutionum, tentationum, justarumve ultionum penitus evellentur, et corporaliter spiritualiterque deficient.

5 *Confringentur enim rami inconsummati,* id est, propagines talium destruentur antequam compleantur, quia in sua iniquitate auferuntur de medio; *et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum,* id est, actus eorum sunt scandalosi ac vene-
Deut. XXXII, 32. nosi ad imitandum, juxta illud : Uva eorum uva fellis, et botri amarissimi. Unde
Is. LIX, 5. habetur in Isaia : Qui comederit de uvis * eorum, morietur; et quod confotum fuerit, erumpet in regulum. *Et ad nihilum apti* sunt fructus eorum directe, et ipsis sic

* ovis

A operantibus, per comparationem ad veram salutem : quamvis interdum per opera vitiosa consequantur temporalia commoda; sed hoc est ad damnationem eorum majorem.

Ex iniquis enim parentibus *omnes filii* 6
qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua : id est, filii tales pravorum parentum, et imitatores scelerum paternorum, factis aut verbis testantur quod parentes eorum sint nequam et impii, utpote qui filios suos sic
B neglexerunt ac infecerunt. Denique istam sententiam Christus apud Matthæum compendiosius evidentiusque deprompsit, dicendo : Omnis qui audit verba mea hæc, Matth. VII, 26, 27.
et non facit ea, similis erit viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam; et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina ejus magna. Et ibidem : Non potest, inquit, arbor mala Ibid. 18, 19.
fructus bonos facere; omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur et in
C ignem mittetur. Hinc loquitur Isaias : Et Is. XL, 24.
quidem non satus, nec radicatus in terra truncus eorum; repente flavit in eos, et aruerunt. Qui rursus de impio Achaz ac suis loquens : Commotum est, inquit, Ibid. VII, 2.
cor eorum, sicut moventur ligna a facie venti.

Spiritualiter, casta generatio pulchra est valde, id est congregatio eorum qui vita et doctrina catholici sunt, et nulla infidelitatis aut hæreticæ pravitatis seu inobedientiæ labe se polluunt, atque custodiunt
D se a simulacris dogmatum perversorum : quam congregationem amant, cupiunt et sectantur omnes electi. Multigena vero est multitudo hæreticorum, qui sicut a Catholicis, sic discrepant a se ipsis : quoniam quidam sunt Ariani, quidam Sabelliani, quidam Manichæi : qui omnes sunt adulterinæ plantationes, non fixæ in Christo, nec fundatæ in veritate. Et si interdum videantur in aliquo bene sentire, impulsu tentationis diabolicæ, seu pestifera suggestione, faciliter prosternuntur; ac, teste

Digitized by Google

Ephes. iv, 14. Apostolo, circumferuntur omni vento do- A
ctrinæ, in nequitia hominum, in astutia
ad circumventionem erroris. Quorum fru-
ctus, id est erronei intellectus, amari sunt
infectivique cordium; omnes quoque eo-
rum filii, id est imitatores ac discipuli,
sunt iniqui, et majorum suorum attestan-
tur erroribus, in interrogatione sua : quia
si examinentur, qualiter ad tantam sint
devoluti malitiam et errorem, ex eorum
responsione patebit quod parentes eorum
carnales seu spirituales in culpa sint.

Illi ergo ita peribunt. Et quia nonnun- B
quam justi celeriter et in juventute mori-
untur sicut et impii, subjungit quid inde
7 sit sentiendum. *Justus autem si morte præ-
occupatus fuerit,* id est præventus inopi-
nate, improvise, celeriter, aut ante seni-
um moriendo, *in refrigerio erit,* ita quod
talis mors suæ animæ non nocebit, quia
in caritate et gratia recedit a corpore. Et
quamvis non plene purgatus, in purgato-
rio puniatur ad tempus; tamen et ibi ha-
bet refrigerium, utpote certus de sua futu-
ra salute, atque ex vivorum suffragiis, ex C
consolatione quoque (ut creditur pie) an-
gelica. Ideo pusilli scandalizari non de-
bent, si agnoverint justos cito aut impro-
vise decedere, quia in talibus sunt occulta
Dei judicia. Insuper docet, quod quamvis
justus morte præoccupatus, non sit sene-
ctutem corporalem sortitus, spiritualem ta-
8 men ac meliorem adeptus est. *Senectus
enim venerabilis est* veneratione quæ vir-
tuti impenditur, *non diuturna, neque an-
norum numero computata,* id est, non illa
quæ solo tempore est protracta, quia non D
ætas corporis, sed mentis maturitas, mo-
rumque probitas, laudem et honorem me-
9 rentur. Hinc subditur : *cani autem sunt
sensus hominis,* id est, sapientiales inte-
rioresque sensus hominis justi, sunt vere
cani, maturi, et spirituali senio decorati,
utpote puerilitatibus ac passionibus pue-
rorum et adolescentium juvenumque ca-
rentes : sicut de S. Benedicto refert Gregori-
us, quod ætatem moribus transiens, nulli
animum voluptati dedit. Et de B. Agnete
Ambrosius : Corpore erat, inquit, juven-
cula, sed senectus mentis suæ fuit immen-
sa. De Tobia quoque narratur : Quumque Tob. i, 4.
esset junior omnium, nihil tamen puerile
gessit in opere. *Et ætas senectutis, vita
immaculata :* id est, qui irreprehensibili-
ter conversatur, bene senex censetur.

Consequenter ponitur, cur justus quan-
doque tam celeriter hinc emigret. *Placens* 10
Deo, factus dilectus, id est, justus per ope-
ra bona Deo placens, et per hæc factus
ejus amicus, *et vivens inter peccatores,
translatus est,* id est per mortem a vita
ista sublatus, atque ad aliud sæculum du-
ctus. *Raptus est,* id est repente abstractus 11
a vita hac, *ne malitia mutaret intellectum
ejus :* id est, ne ex aliorum manifesta pra-
vitate mens ejus flecteretur ad mala pau-
latim; *aut ne fictio deciperet animam il-
lius,* id est, ne ex aliorum simulatione,
hypocrisi, suggestioneve apparenter bona
seduceretur. Periculosum est equidem, in-
ter simulatores et callidos conversari : quia
quos per evidenter mala non queunt deci-
pere, sub specie boni, et per amicitiam
fictam tentant elidere. *Fascinatio enim* 12
nugacitatis, id est deceptio vanitatis seu
loquacitatis, *obscurat bona,* id est, vere
bona facit quandoque apparere non bona,
et mala facit bona putari : ita quod homo
errat in judicando, sicut errat sensus ex-
terior ex incantatione et magicæ artis illu-
sione. Unde ad Galatas scribit Apostolus :
Quis vos fascinavit non obedire veritati? Galat. iii, 1.
Est autem fascinatio proprie incantatio, aut
sensuum illusio, aut transmutatio unius
ex visu alterius, juxta illud Virgilii :

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

De qua re Platonici, et Avicenna atque
Alkindus, multa etiam falsa scripserunt,
prout Ægidius in tractatu contra errores
philosophorum, et Thomas in Summa con-
tra gentiles, ac alibi plenius prosequuntur.
Et inconstantia concupiscentiæ, id est in-
constans concupiscentia ac libido : quæ
inconstans est, quia ratione non utitur, et
impetu suo fertur, modisque variis gene-

ratur; *transvertit sensum,* id est, rationis A
corrumpit judicium, et etiam exteriores
sensus ad objecta sua convertit, *sine mali-
tia,* id est ex infirmitate. Hoc namque in
multis contingit, non ex habitu vitioso,
* autem sed ex fragilitate humana; fit etiam* in
vitiosis hominibus ex malitia eorumdem,
qui ex proposito concupiscentiam excitant
Dan. XIII, 56. in se, juxta illud : Semen Chanaan, et non
Juda, species decepit te, et concupiscentia
subvertit cor tuum.

13 *Consummatus in brevi, explevit tempo-
ra multa :* id est, justus morte præoccu- B
patus, intra paucos annos virtuosus effe-
ctus, vitamque finiens, tantum profecit, et
tantam salutem est consecutus, ac si diu
vixisset, vel sicut quidam intra longos et
14 multos faciunt annos. *Placita enim erat
Deo anima ejus : propter hoc properavit
educere illum de medio iniquitatum,* id
Ps. XVII, 27. est de consortio iniquorum, ne cum per-
versis perverteretur. Et ita fuit hoc si-
gnum dilectionis Dei ad eum. Quamvis
autem Omnipotens possit electum et ju-
stum etiam inter iniquissimos conservare C
immunem, sicut et multos tales conservat
quotidie; ipse tamen in diversis electis
diversimode operatur, quemadmodum et
in naturalibus rebus, nec omnia agit se-
cundum omnipotentiam suam, sed aliqua
potius juxta sapientiæ suæ decentiam, aut
penes rerum dispositionem. Unde prædi-
ctæ rationi de tam celeri subtractione ju-
Ps. XXX, 21. sti, consonat illud Psalmistæ : Abscondes
eos in abscondito faciei tuæ a conturba-
tione hominum.

At vero totum quod dictum est hic, ab D
illo loco, Placens Deo, factus dilectus, ali-
qui dicunt ad litteram dictum de Enoch :
Gen. V, 23. qui licet vixerit annis trecentis, tamen
comparatione eorum qui tunc communiter
nongentis annis vixerunt, modico tempore
videtur vixisse, et in brevi explesse tem-
pora multa; atque translatus est in para-
Ibid. 24. disum, juxta illud : Ambulavit Enoch cum
Deo, et non apparuit, quia transtulit illum
Dominus. Et in Ecclesiastico habetur :
Eccli. XLIV, 16. Enoch placuit Deo, et translatus est in pa-
radisum. Sicque littera ista satis concordat
hujusmodi dicto.

Consequenter ostenditur, qualiter insi-
pientes scandalizantur et errant ex consi-
deratione tam celeris mortis justi. *Populi
autem videntes* justum morte præoccupari,
et non intelligentes cur Deus id faciat, *nec
ponentes* sunt *in præcordiis talia,* id est,
in secretis suæ mentis non pensant hujus-
modi quæ sequuntur, videlicet : *quoniam* 15
gratia Dei et misericordia in sanctos ejus,
id est, quod Deus pietatem et gratiam suam
non tollit a suis electis, quamvis videan-
tur foris relinqui, nec distingui in morte
ab impiis; *et respectus in electos illius,*
id est, quod Deus gratiosum suum adspe-
ctum ac benignissimum vultum, a præde-
stinatis non avertit finaliter, imo copiose
eos remunerat, et de gratia transfert ad
gloriam.

Condemnat autem justus mortuus vivos 16
impios, id est, in futuro judicio condem-
nabit assessoria dignitate, sicut expositum
est. Condemnat quoque eos comparatione,
quia ex consideratione et comparatione
vitæ suæ apparet, quam justa sit impio-
rum damnatio. Imo sic minus mali dam-
nant pejores, Christo dicente : Viri Ninivi- Matth. XII, 41.
tæ surgent in judicio contra generationem
istam, et condemnabunt eam. Rursus, ju-
stus mortuus damnat impios vivos : quia
recordatio justitiæ suæ demonstrat eos
damnatione condignos. Iterum, justus de-
functus damnat iniquos viventes : quia
Sanctorum animæ zelo justitiæ aliquando
expetunt de suis persecutoribus ultionem,
juxta illud Apocalypsis : Animæ interfecto- Apoc. VI, 9, 10.
rum clamabant voce magna : Usquequo,
Domine, sanctus et verus, non judicas et
non vindicas sanguinem nostrum de his
qui habitant in terra? Unde et in Evange-
lio Christus disseruit : Deus non faciet vin- Luc. XVIII, 7, 8.
dictam servorum suorum clamantium ad
ipsum die ac nocte? Dico vobis quia cito
faciet vindictam illorum. Hinc rursus in
Apocalypsi inducitur : Reddite illi sicut Apoc. XVIII, 6.
et ipsa reddidit vobis; duplicate duplicia
secundum opera ejus. *Et juventus celerius*

Digitized by Google

consummata, longam vitam injusti : id A
est, justus in juventute defunctus, et in
paucis annis in virtutibus exercitatus, con-
demnat modis prætactis senem injustum :
sicuti et scholaris cito multum proficiens,
confundit diu frequentantem, et parum
vel nihil proficientem. Quo etenim quis
diutius vivit, eo damnabilior est, si ad
virtutes non attigit : præsertim quum alii
similes ei, in brevi tempore tantum pro-
fecerint.
17 *Videbunt enim finem sapientis,* id est,
injusti adspicient justum morte præoccu- B
patum, suæque vitæ terminum; *et non
intelligent quid cogitaverit de illo Deus,*
id est, cur decreverit eum ita subtrahere,
et quantam gloriam velit ei conferre, *et
quare minuerit illum Dominus,* id est,
18 quam ob causam breviaverit dies ejus. *Vi-
debunt* justum sic mortuum, *et contemnent
eum,* quasi inaniter vixerit juste, quia tam
cito beneficio vitæ privatus est, nec ab
injustis videtur distinctus in morte. Hinc
Job XII, 4, 5. et in Job legitur : Deridetur justi simplici-
tas, lampas contempta apud cogitationes C
divitum, usque ad tempus præfinitum. Un-
de Dominus per Prophetam talibus con-
Malach. III, 13-15. temptoribus loquitur : Invaluerunt super
me verba vestra, et dixistis : Vanus est
qui servit Domino : ergo nunc beatos di-
cimus arrogantes, siquidem ædificati sunt.
Idcirco subjungitur :

Illos autem justorum contemptores *Do-
minus irridebit :* sicut in Psalmo habetur,
Ps. II, 4. Qui habitat in cœlis irridebit eos. *Et erunt*
19 *post hæc decedentes* * *sine honore :* nam
* *decidentes* quamvis in medio propinquorum exspi- D
rent, et magnifice sepeliantur, tamen eo-
rum animæ confusibilissime tractabuntur;
*et in contumelia inter mortuos in perpe-
tuum,* id est, sine fine in suis opprobriis
inter reprobos permanebunt. De quibus
Ps. LXXXVII, 6. dicitur in Psalmo : Sicut vulnerati dor-
mientes in sepulcris, quorum non es me-
mor amplius. Hinc etiam fertur de divite
Luc. XVI, 22. vitioso : Mortuus est dives, et sepultus est
in inferno. Econtra autem de Lazaro justo
Ibidem. dicitur : Factum est ut moreretur mendi-
cus, et portaretur ab angelis in sinum
Abrahæ.

Quoniam disrumpet illos inflatos : id
est, Deus avellet animas eorum a suis cor-
poribus omnino discruciatis et intus cor-
ruptis. Sic quippe per Osee loquitur de
iniquis : Occurram eis ut ursa raptis catu- *Osee* XIII, 8.
lis; dirumpam interiora eorum, et consu-
mam eos ut leo (qui erant inflati super-
bia). Et hoc faciet Dominus *sine voce :*
quoniam impii in fine vitæ præ debilitate
nequeunt loqui; et in judicio respondere
non valent Deo, nec vocem excusationis
emittere : quia, ut ait Apostolus, inexcusa- *Rom.* I, 20, 21.
biles sunt, qui quum cognovissent Deum,
non sicut Deum glorificaverunt. *Et com-
movebit illos a fundamentis,* id est, fun-
ditus agitabit et auferet, et ab omnibus
rebus, quibus quasi fundamentis innite-
bantur, tollet eos ac dividet; *et usque ad
supremum,* id est maxime, *desolabuntur,*
tam in morte, quam in æterna damnatio-
ne : sicut cantatur in Psalmo, Quomodo *Ps.* LXXII, 19.
facti sunt in desolationem? *Et erunt ge-
mentes* in pœnis, nec consolationem inve-
nient, ut constat de divite, qui nec guttam *Luc.* XVI, 24-26.
aquæ potuit in tormentorum suorum in-
cendio impetrare. In quibus illud Jeremiæ
maxime adimpletur : Dabo eos in vexati- *Jer.* XXIX, 18, 19.
onem, et maledictionem, et stuporem, et
sibilum, et opprobrium sempiternum, eo
quod non audierint verba mea. *Et memo-
ria eorum peribit :* juxta illud in Job,
Memoria vestra comparabitur cineri; et *Job* XIII, 12.
item, Laus impiorum brevis est; ac alibi, *Ibid.* XX, 5.
Nomen impiorum putrescet. *Prov.* X, 7.
Venient in cogitatione peccatorum suo- 20
rum timidi, id est, ex remorsu conscientiæ
et consideratione suorum excessuum, cum
inæstimabili timore divino præsentabun-
tur judicio. Juxta quod in Job legitur :
Angustia vallabit impium, sicut regem qui *Job* XV, 24.
paratur ad prælium; et rursus ibidem,
Sonitus terroris in auribus impii. *Et tra-* *Ibid.* 21.
*ducent illos ex adverso iniquitates ipso-
rum :* id est, propter peccata sua abdu-
centur seorsum a societate Sanctorum, et
constituentur ad judicantis sinistram, at- *Matth.* XXV, 33.

Digitized by Google

Matth. xxv, 41, 46. que in ignem projicientur æternum. Quod A
totum eos promeruisse, protestabuntur eo-
rum facinora : quorum sibi conscii erunt,
et accusabuntur a conscientia propria.
Sicque justis in sublime scandentibus, ipsi
deprimentur in ima.

ARTICULUS V

EXPOSITIO CAPITULI QUINTI : TUNC STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA.

QUAM diversimode justus Deus post B
hanc vitam tractet justos et impios,
1 hic narratur. *Tunc,* scilicet in futuro ge-
nerali ac finali judicio : de quo in fine
Sap. iv, 20. præcedentis fertur capituli, Venient in co-
gitatione peccatorum suorum timidi ; *sta-*
Matth. xxv, 33. *bunt justi* ad dexteram Judicis elevati in
aere, *in magna constantia,* id est in im-
mobili securitate, ac insuperabili fortitu-
dine, *adversus eos qui se angustiaverunt,*
id est contra suos persecutores, a qui-
bus fuerunt oppressi atque afflicti. Contra
quos movebuntur zelo justitiæ, zelantes C
pro Judice, et pro divinæ majestatis ho-
nore, ut satisfiat Deo per condemnationem
iniquorum, pro injuriis et offensis ipsius;
non autem zelo invidiæ aut vindictæ, nisi
in quantum vindicta est effectus justitiæ.
Juxta quem modum, vindicta esse pars ju-
stitiæ perhibetur. *Et qui abstulerunt labo-*
res eorum, id est, bona eorum opera im-
pediverunt pro posse, et virtuosos eorum
labores ac patientias in adversis, atque
certamina pro Deo et fide, reputaverunt
cassos et vanos, nulla mercede beata re- D
munerandos. Laboraverunt quoque justi
convertere proximos, quorum conversio-
nem impii impediebant pro viribus. Inter-
dum etiam sumitur labor pro temporali
possessione, quæ laboribus congregatur et
Ps. cv, 44. colitur, sicut in Psalmo : Dedit illis regio-
nes gentium, et labores populorum posse-
derunt. Tales autem labores abstulerunt
impii justis, præsertim martyribus, juxta
Hebr. x, 34. id ad Hebræos : Rapinam bonorum ve-
strorum cum gaudio suscepistis.

Videntes turbabuntur timore horribili. 2
Nec mirum, quia horrendum est incidere Hebr. x, 31.
in manus Dei viventis. Videntes, inquam,
Judicem omnipotentem iratum : quem of-
fenderunt, blasphemaverunt, spreverunt.
Qui in Apocalypsi ita describitur : Vidi Apoc. i, 13-16.
vestitum podere, et oculi ejus ut flamma
ignis, et pedes ejus similes aurichalco, sic-
ut in camino ardenti, et vox illius tan-
quam vox aquarum multarum, et de ore
ejus gladius ex utraque parte acutus exi-
bat, et facies ejus sicut sol lucet in virtute
sua. Quibus verbis adjecit Joannes : Et Ibid. 17.
quum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus
tanquam mortuus. Si ergo imaginaria vi-
sio judicis hujus fuit ita terribilis etiam
S. Joanni, quod ex ejus horrore cecidit
tantus Apostolus tanquam mortuus : quid
mirum, si iniqui et reprobi in die judicii,
ex reali et sensitiva judicis hujus visione
turbabuntur timore horribili ? Turbabun-
tur quoque tam horribiliter ex magnifica
apparitione et inspectione justorum, quos
pro nihilo reputaverunt et angustiaverunt.
Tertio, turbabuntur ex sui ipsorum inspe-
ctione : quia deformiora et horribiliora
erunt eorum corpora, quam fuerunt quan-
do in monumentis erant pro media parte
a vermibus serpentibusque corrosa. Quar-
to, ineffabiliter turbabuntur præ horrore
sententiæ contra se proferendæ, atque im-
minentis damnationis æternæ.

Et mirabuntur in subitatione insperatæ
salutis, id est de hoc, quod electi et justi
tam repente et improvise eis apparent in
gloria tanta, et tantam salutem sunt con-

Digitized by Google

secuti, quam reprobi nequaquam putaverunt eos consecuturos. Tunc, ut sanctus testatur Hieronymus, judicaturo Domino lugubre mundus immugiet, et tribus ad tribum pectora feriet; potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Tunc Aristotelis argumenta non proderunt, quum venerit filius illius pauperculæ quæstuariæ judicare fines terræ.

3 *Gementes præ angustia spiritus :* juxta (Is. LXV, 14.) illud Isaiæ : Ecce servi mei laudabunt præ exsultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis, et præ contritione spiritus (I Thess. V, 3.) ululabitis. Hinc ait et Apostolus : Repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis. Verum, juxta Ezechielis (Ezech. XXX, 24.) oraculum, Gement gemitibus incircumcisorum : quia non erit gemitus pœnitentiæ (Ibid. XVIII, 21, 22.) salutaris, de quo loquitur Dominus, In quacumque hora peccator ingemuerit pro peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor; sed erit gemitus desolationis extremæ, procedens ex servili dolore et desperante mœrore. Unde subjungitur : *dicent* intra se,* id est cogitabunt, *pœnitentiam agentes,* id est, dolorem habentes de suis peccatis, non utique ex caritate, nec zelo justitiæ, nec virtutis seu boni honesti amore; sed ex servili tantarum pœnarum timore, et ex amore privato ac improbo sui, quo adversa refugient. Pœnitebunt igitur se peccasse, non in quantum peccata sunt offensiva inhonorativaque Dei, et sinceritati virtutum contraria, sed in quantum sunt eis tantæ miseriæ causa. Talis fuit pœnitentia vitiosi Antiochi, de (II Mach. IX, 13.) quo fertur, quod orabat scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus; pœnitentia quoque Esau, de quo (Hebr. XII, 17.) scriptum est ad Hebræos, Non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrimis inquisisset eam. Hoc modo solent miseri pœnitere in magna infirmitate, instantique morte, qui tempore juventutis ac sanitatis nolunt a vitiis abstinere, dicentes (Num. XXIII, 10.) cum Balaam, Moriatur (id est, a corpore separetur) anima mea morte justorum ; vitam vero justorum renuunt sequi, dicen-

* dicentes

A tes cum pravis discipulis, Durus est hic sermo. (Joann. VI, 61.) *Et præ angustia,* id est desolatione, tristitia et pressura, *spiritus,* id est animæ suæ, *gementes* interiori dictione, ut tactum est.

Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Quemadmodum quarto Regum leguntur principes dixisse ad Jehu de filio prophetarum misso ab Eliseo : Quid venit (IV Reg. IX, 11.) insanus iste ad te? Nam carnalis homo (I Cor. II, 14.) non sapit ea quæ sunt Spiritus Dei, sed stultitia est illi, quod pertinet ad salutem. B Hinc vitiis obtenebrati, transitoria et sensibilia toto cupientes affectu, eos despiciunt et irrident quos vident talia aspernari. Hinc justi in Psalmo dicunt : Posuisti (Ps. XLIII, 15, 14.) nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis, subsannationem et derisum his qui sunt in circuitu nostro. *Et in similitudinem,* id est proverbium, *improperii :* id est, tantum contempsimus eos velut miserrimos, quod volentes alicui maledicere, formam sumpsimus maledicendi ex eis, dicendo : Accidat tibi sicut C Laurentio aut Vincentio.

4 *Nos insensati,* id est vera et salutari sapientia destituti, utpote carnalia, non divina ac spiritualia, sapientes, gustantes, amantes, *vitam illorum æstimabamus insaniam.* Idcirco dixit Ezechiel insanis filiis Israel : Ego portentum vestrum. (Ezech. XII, 11.) Paulus quoque Corinthiis scribens : Tanquam purgamenta, (I Cor. IV, 13.) inquit, hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc. *Et finem illorum sine honore :* id est, æstimabamus quod mortem eorum nullus honor, nulla D gloria consequeretur. Ideo scriptum est in Isaia : Justus perit, et non est qui recogitet; (Is. LVII, 1.) et viri misericordiæ tolluntur, et non est qui intelligat. In † Threnis etiam Israel ait : Posuit me in proverbium vulgi, et fa- (Job XVII, 6.)
5 ctus sum quasi vas inutile. *Quomodo computati sunt inter filios Dei,* id est inter electos et Sanctos, et inter angelos Dei? De quibus Deus loquitur ad Job : Ubi eras, (Ibid. XXXVIII, 4, 7.) quum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei? *Et inter Sanctos sors,* id est hereditaria portio, *illorum*

Digitized by Google

est : quia cum Sanctis æternam beatitudi- A
nem sunt sortiti, prout primo Regum in
I *Reg.* ii, 8. cantico Anna fatetur : Suscitat Dominus
de pulvere egenum, et de stercore elevat
pauperem, ut sedeat cum principibus, et
solium gloriæ teneat.
6 *Ergo erravimus,* id est, ex isto perpen-
dimus nos errasse, *a via veritatis,* id est a
notitia et tenore veritatis vitæ, veritatis
doctrinæ, et veritatis justitiæ; *et justitiæ
lumen non luxit nobis :* id est, ab increa-
ta luce, a qua omnis procedit justitia, il-
lustrati non sumus lumine supernaturali B
gratiæ ac virtutum, quia posuimus obicem
illuminationi ipsius, qui quantum in se
est, omnibus præsto est, imo aversos in-
vitat ad se; naturali tamen ingenio uni-
versos illustrat : de quo accipi potest illud
Ps. iv, 7. Psalmistæ, Signatum est super nos lumen
vultus tui, Domine; et illud B. Joannis,
Joann. i, 9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem ho-
minem venientem in hunc mundum. *Et
Sol intelligentiæ non est ortus nobis,* id
est, Christus evangelicæ legis dator, non se
infudit cordibus nostris. Unde et ad Corin- C
II *Cor.* iv, 4. thios scribit Apostolus : Deus hujus sæculi
excæcavit mentes infidelium, ut non ful-
geat eis Evangelium gloriæ Christi.
7 *Lassati sumus in via iniquitatis et per-
ditionis,* id est in operibus, curis et occu-
pationibus vitiorum, quibus annexæ sunt
multæ angustiæ, afflictiones ac tædia. Pro-
Eccle. ii, 26. pter quod dicitur in Ecclesiaste : Homini
bono dedit Deus sapientiam et scientiam
et lætitiam, peccatori autem afflictionem
et curam superfluam. Aliqua etiam vitia
in se ipsis afflictione, molestia atque pe- D
riculis plena sunt : ut ira, invidia, amari-
tudo, indignatio, impatientia, furtum, ra-
pina; sed et ipsas voluptates gustus ac
tactus concomitantur multa incommoda.
Et ambulavimus vias difficiles. O quam
difficiles ac molestas vias, occupationes,
labores, incedunt ambitiosi et lubrici; quot
resistentias patiuntur; quoties cassatur
eorum conatus, et frustratur fine inten-
to! Quam multi e regione contra eos in-
cedunt, a quibus multoties opprimuntur,
ita quod recte in libro Job dictum est :
Involutæ sunt semitæ gressuum eorum. *Job* vi, 18.
Viam autem Domini, id est arctam viam
salutis, conversationem pœnitentialem, ob-
servantiam præceptorum, id est evangeli-
cæ legis doctrinam, et Christum, qui ait,
Ego sum via, veritas, et vita, *ignoravimus,* *Joann.* xiv, 6.
id est, formatam practicamque notitiam
non habuimus rerum illarum, sed infor-
mem ac nudam notitiam. Non tamen per
hoc excusantur, quoniam juris, quod quis
scire tenetur, ignorantia non excusat; sic-
ut nec ignorantia crassa seu affectata.
Quid nobis profuit superbia? aut divi- 8
tiarum jactantia quid contulit nobis? quasi
dicant : Nil profuit nobis ad salutem, imo
plurimum impedivit et nocuit, nostras-
que animas spiritualiter interemit. Quod
consequenter per multas similitudines pan-
dunt. *Transierunt omnia illa tanquam* 9
umbra, id est velocissime, instar umbræ.
Nam et vita præsens est cursus ad mor-
tem, et instabilissima valde, ita ut dicat
apostolus Jacobus : Quæ est vita vestra? *Jacob.* iv, 15.
Vapor est ad modicum parens, deinceps
exterminabitur. *Et tanquam nuntius præ-
currens.* Unde Job asserit : Dies mei velo- *Job* ix, 25, 26.
ciores fuerunt cursore; transierunt quasi
naves poma portantes. Hinc sequitur : *et* 10
*tanquam navis quæ pertransit fluctuan-
tem,* id est inundantem, *aquam : cujus,
quum præterierit, non est vestigium in-
venire,* id est impressionem aut signum
transitus ejus, *neque semitam carinæ illius
in fluctibus.* Carina, vocatur venter navis,
scindens et deprimens aquam, non tamen
relinquens in ea stabilem impressuram.
Aut avis quæ transvolat in aere : cujus 11
*nullum invenitur argumentum itineris il-
lius,* id est indicium sui volatus, *sed tan-
tum sonitus alarum verberans levem ven-
tum : et scindens per vim itineris aerem,
commotis alis transvolavit; et post hoc
nullum signum invenitur itineris illius.*
Aut tanquam sagitta emissa in locum de- 12
stinatum, id est intentum, *divisus aer* ex
sagitta volante in eo : quia duo corpora
non possunt naturaliter esse in uno loco,

Digitized by Google

ideo unum alteri cedit, et mollius duriori;
continuo, id est statim, *in se reclusus est,*
ut ignoretur transitus illius : aer enim
est maxime fluxibilis, mollis, et refluens
in se.

13 *Sic et nos nati, continuo desivimus es-*
se : id est, ab exordio quo cœpimus esse,
cœpimus et deficere ac corrumpi, eo quod
sumus ex contrariis compositi, in quibus
unum corruptive seu læsive agit in aliud,
scilicet calidum naturale, in humidum ra-
dicale : et quanto plus protenditur vita,
tanto plus breviatur. Quidquid enim præ-
teriit, jam ex ea deperiit, et ei abscissum
est. Sicque vitæ istius decursus, instar
prædictarum volubilium rerum, omnino
instabilis est, et incerta ejus duratio. Un-
Job xx, 8. de in Job legitur de iniquo : Velut somni-
um avolans non invenietur; transiet quasi
visio nocturna. Et de se ipso sanctus Job
Ibid. vii, 6. loquitur : Dies mei velocius transierunt,
quam a texente tela succiditur. Hinc loqui-
Is. xl, 6. tur et Isaias : Omnis caro fœnum, et om-
nis gloria ejus quasi flos agri. Horum ergo
consideratione discamus transitoria asper-
nari, et spiritualia ac divina toto corde
amplecti; et ibi sint fixa desideria no-
stra, ubi poterimus beatitudine adimpleri
æterna.

Et virtutis quidem nullum signum va-
luimus ostendere, id est nullum opus ha-
bitus virtuosi : quia jugiter eramus malis
intenti, ita quod affectiva vis nostra erat
quasi immobilitata in vitiis, et sic non
valuimus, id est, vix aut difficulter potui-
mus, aliquid boni efficere, aut virtutem
habere. Juxta quem sensum Christus in
Matth. xii, 34. Evangelio loquitur : Quomodo potestis lo-
qui bona, quum sitis mali? Philosophus
quoque affirmat, quod incontinens vult
continere, sed non potest. Vel, Nullum
signum virtutis, id est firmæ stabilitatis,
Job xiv, 2. juxta illud Job : Homo quasi flos egreditur
et conteritur, et fugit velut umbra, et
nunquam in eodem statu permanet. *In*
malignitate autem nostra, id est vitiosi-
tate habituata, qua ex igne seu ferventi
affectu, et forti inclinatione habituum

A pravorum peccavimus, non ex ignorantia
aut infirmitate dumtaxat, *consumpti su-*
mus, id est corrupti, defuncti, et finem
vitæ sortiti; spiritualiter quoque annihi-
lati, et mortui corde.

Talia dixerunt in inferno hi qui pec- 14
caverunt. Jam dictum est, quod in die
judicii ista dicturi sint, quando justi sta-
bunt in magna constantia contra eos : quo-
modo ergo nunc dicitur, quod in inferno
dixerunt hæc? Præterea, qualiter potue-
runt in inferno ita prudenter loqui, et sta-
B tum suum tam rationabiliter considerare,
quum in Ecclesiaste legatur, Quodcumque *Eccle.* ix, 10.
potest manus tua, instanter operare, quia
nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec
scientia, erunt apud inferos? Respondetur,
quod damnati in inferno locati, possunt
hæc dicere etiam ante diem judicii. Vel
infernus vocatur omnis locus punitionis
damnatorum. Ad aliud respondetur, quod
damnati considerare queunt ea quæ aug-
mentativa sunt calamitatis eorum, non ea
quæ possent relevare eamdem, prout ple-
C nius super Ecclesiasten fuit expositum. Et *Ibidem.*
merito ista dixerunt, *quoniam spes impii* 15
tanquam lanugo est, quæ a vento tolli-
tur, id est vana, fallax, et facillime per-
iens, quia in rebus transitoriis et caducis
figit spem suam. Contra quem loquitur
Jeremias : Maledictus homo qui confidit *Jer.* xvii, 5.
in homine, et ponit carnem brachium
suum, et a Domino recedit cor ejus. Porro
lanugo est flos tribuli : qui desiccatus,
levi motu fertur in aerem et dissipatur,
quemadmodum spuma ac fumus, atque
D memoria hospitis, una tantum nocte ali-
cubi hospitati. De quibus mox additur : *et*
tanquam spuma gracilis ex inundatione
aquæ consurgens, *quæ a procella,* id est
tempestate, *dispergitur; et tanquam fu-*
mus qui a vento diffusus est, id est hinc
inde fusus ac dissipatus : unde ait Psal-
mista, Defecerunt sicut fumus dies mei; *Ps.* ci, 4.
et tanquam memoria hospitis unius diei
prætereuntis.

Præterea, reproborum vanitate, instabi-
litate et ærumna descriptis, ut opposita

Digitized by Google

juxta se posita lucidius pateant, subditur A de electorum proprietate, felicitate et gloria :
16 *Justi autem in perpetuum vivent :* quia in sæculo isto vivunt per caritatem, (I Cor. XIII, 8.) quæ nunquam excidit, et in futuro per beatam fruitionem. Et ita hic vivunt vita gratiæ, de qua transferuntur ad vitam gloriæ. Quod si ad tempus in purgatorio detineantur, manent ibidem in caritate et gratia, et vehementissime adspirant ad gloriam, cujus dilatio eis ineffabiliter est pœnosa. Hinc in Evangelio asserit Christus : (Joann. XI, 26.) Qui credit in me, non morietur in B æternum; (Ibid. VIII, 52.) itemque, Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum.

Et apud Dominum est merces eorum : id est, tota eorum salus ac præmium essentiale consistit in Deo, videlicet in immediata, clara, faciali ac fruitiva visione ipsius. Accidentale autem præmium consistit in rebus et objectis creatis, ad Deum relatis : præsertim in Christi humanitate, deinde in gloriosissimæ Virginis intuitione, ac deinceps in omnium supernorum C civium mutua contuitione, societate, dilectione, communione. Hinc ait in prima sua (I Joann. III, 2.) Canonica Joannes apostolus : Nunc filii Dei sumus, et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum (I Cor. XIII, 12.) sicuti est. Paulus quoque : Videmus, inquit, nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. *Et cogitatio illorum apud Altissimum.* In hac etenim vita conantur cogitationes suas stabilire in (Ps. LIV, 23.) Deo, juxta illud, Jacta cogitatum tuum in D Dominum; et tota eorum intentio fertur in Deum, ad cujus honorem ac gloriam ordinant se et omnia sua. Porro in patria cogitatio eorum est immobilitata in Deo, nec ibi sunt cogitationes volubiles sicut modo. Nulla vero potest ibi evagatio cordis consistere : quoniam quidquid aliud cogitant quam Deum, indeviabiliter referunt in eum.

17 *Ideo accipient regnum decoris* de manu Domini, id est splendidissimum illud regnum cœleste, de omnipotenti liberalitate Salvatoris : qui dicet, Venite, benedicti (Matth. XXV, 34.) Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. De quo ait Propheta : Domine, dilexi decorem domus (Ps. XXV, 8.) tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ; et Isaias : Non erit tibi sol amplius ad lucen- (Is. LX, 19.) dum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, et Deus tuus in gloriam tuam. *Et diadema speciei de manu Domini,* id est coronam pulchritudinis gloriosæ, quæ est aurea, scilicet præmium essentiale. De qua fertur in Psalmo : Posuisti in (Ps. XX, 4.) capite ejus coronam de lapide pretioso; itemque, Gloria et honore coronasti eum, (Ps. VIII, 6.) Domine. *Quoniam dextera sua teget eos,* id est, per virtutem gratiosæ suæ præsentiæ hic eos operiet, eisque obumbrabit contra æstum tentationum et impugnationes concupiscentiarum; *et brachio suo defendet illos,* id est, virtute et omnipotentia sua atque per dona gratiæ suæ contra invisibiles ac visibiles hostes eos tuebitur : non ut non impugnentur, sed ne finaliter ac spiritualiter superentur, sed magis prævaleant : quemadmodum scriptum est, Do- (Ps. XXVII, 8.) minus fortitudo plebis suæ, et protector salvationum Christi sui est. Ideo exoramus : Custodi me, Domine, ut pupillam (Ps. XVI, 8.) oculi; sub umbra alarum tuarum protege me. Hinc hortatur Apostolus : Conforta- (Ephes. VI, 10.) mini in Domino, et in potentia virtutis ejus. Et apud Isaiam inducitur : Super (Is. IV, 5, 6.) omnem gloriam protectio erit in umbraculum diei ab æstu, et in securitatem et absconsionem a turbine et a pluvia. Hoc est quod promittitur in Psalmo : Scapu- (Ps. XC, 4, 5.) lis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis; scuto circumdabit te veritas ejus.

Consequenter describitur impiorum punitio, magis quam ante in speciali : et loquitur de Deo quasi de homine judicante, irato, seque armante, et alios in adjutorium assumente adversus reos. Frequenter equidem loquitur Scriptura de Deo more humano, ut humanæ mentis imbecillitas

amplius informetur, ac fortius compunga- A
18 tur. *Et accipiet armaturam zelus illius :*
id est, amor Dei ad justitiam, et zelatio
ejus contra iniquitatem, per modum ar-
mantis se procedet contra iniquos. Porro
arma Dei sunt, omnipotentia, justitia, ve-
ritas ejus : quæ dicitur accipere, quando
per ea procedit in actum, juxta illud in
Apoc. xi, 17. Apocalypsi : Gratias agimus tibi, Domine
Deus omnipotens, qui accepisti virtutem
Ps. xxxiv, 2. tuam magnam. Unde orat vir sanctus : Ap-
prehende arma et scutum, et exsurge in
adjutorium mihi. Sic homo dicitur pedem B
suum accipere, quando cum eo aliquem
trudit. *Et armabit,* id est, expeditam ef-
ficacemque faciet, *creaturam ad ultionem*
inimicorum, id est, ad puniendum per
creaturam subjectorum vitia iniquorum,
qui sunt adversarii Dei : quos Deo jubente
ignis succendet, et cetera elementa affli-
gent, impressionesque aeris perterrebunt,
Luc. xxi, 25. sicut Christus prædixit : Erunt signa in
sole et luna et stellis, et in terra pressura
gentium præ confusione sonitus maris et
fluctuum. C
19 *Induet pro thorace justitiam,* id est,
propria justitia utetur pro forti lorica ; *et*
accipiet pro galea judicium certum : id
est, tam evidenter justum exercebit ju-
dicium, quod nullus poterit reclamare,
omnesque scient rectissimum ejus esse
20 judicium. *Sumet scutum inexpugnabile,*
æquitatem : id est, æquitate sua pietati
contemperata, pro invincibili et imperfo-
21 rabili scuto utetur. *Acuet autem diram*
iram in lanceam : id est, severa ultione
tanquam lancea punget reos ; *et pugnabit* D
cum illo orbis terrarum contra insensa-
tos : id est, terra, et contenta in ea, Deo
jubente, impiorum augebunt tormenta, et
creaturæ Creatoris sui ulciscentur inju-
riam. Nam et maximi erunt tunc terræ
motus, caligo, et tempestates.
22 *Ibunt directe emissiones fulgurum :* id
est, coruscationes terribiles dirigentur in
impios, et horrenda tunc fient tonitrua,
multo majora quam olim in Ægypto ; *et*
tanquam a bene curvato arcu nubium ex-
terminabuntur : id est, sicut lineæ quæ
apparent in iride, quando sunt nubes in
aere, cito disparent et dissolvuntur ; sic
impii expellentur a superficie terræ, et ab
electorum cohabitatione ; *et ad certum lo-*
cum insilient, id est, in profunda infero-
rum projicientur, terra os suum aperiente,
eosque absorbente : et ibi, juxta Isaiam, *Is.* xxiv, 22.
claudentur in carcere. *Et a petrosa ira* 23
plenæ mittentur grandines, id est, ab ira
et rigorositate Dei, instar petrarum acuta
ac dura, emittentur grandines maximæ,
velut saxa, super iniquos. De his in Apo- *Apoc.* viii, 7 ; xi, 19 ; xvi, 21.
calypsi multa dicuntur. Figuraque horum
fuerunt quæ sub Moyse in Ægypto fie-
bant : ubi ignis, grando et fulgura pariter *Exod.* ix, 24, 23.
ferebantur. Unde in Psalmo : Pluet super *Ps.* x, 7.
peccatores laqueos ; ignis, sulfur et spiri-
tus procellarum, pars calicis (id est pœnæ)
eorum. *Excandescet in illos aqua maris :*
id est, mare sua elevatione, turbatione ac
sonitu, quasi iratum se monstrabit ad-
versus malignos ; *et flumina concurrent*
duriter, id est, terribiliter confluent, qua-
si furentia, et exeuntia sua loca.
Contra illos stabit spiritus virtutis, id 24
est ventus fortis, vel angelica virtus ma-
ledictos accusans, et ministeria exhibens
in miraculosa prædictorum productione ;
et tanquam turbo venti dividet illos ab
electis, sicut in Evangelio legitur : Exi- *Matth.* xiii, 49, 50.
bunt angeli, et separabunt malos de medio
justorum, et mittent illos in caminum
ignis. Hinc subditur : *et ad eremum perdu-*
cet omnem terram iniquitatis illorum, id
est, terrenam et carnalem congregationem
impiorum impellet ad locum infernalem :
quæ est terra desolatissima, infructuosa,
terra famis et sitis, atque imago mortis. De
qua sanctus Job loquitur : Dimitte me an- *Job* x, 20-22.
tequam vadam, et non revertar, ad terram
tenebrosam et opertam mortis caligine,
terram miseriæ et tenebrarum ; ubi umbra
mortis, et nullus ordo, sed sempiternus
horror inhabitat. *Et malignitas evertet*
sedes potentium : id est, impietas et abu-
sus potentium erunt causa, quod ipsi cum
sua potestate dejicientur ac disperibunt.

Digitized by Google

Sap. vi, 7. De quibus sequenti capitulo legitur : Po- A
tentes potenter tormenta patientur.
1 (cap. vi) Quum ergo hæc ita se habeant, *Melior,*
id est virtuosior atque salubrior, *est sa-*
pientia, per quam Deo adhæretur ac de-
servitur, et præfata mala horribilia eva-
dentur, *quam vires* corporales potentium;
et vir prudens, qui discrete se habet, et
vitiis spretis, inhæret virtutibus, rationa-
bile obsequium exhibens Deo, melior est
quam fortis corpore, secundum quod talis.
Amos ii, 14. De quo Amos propheta testatur : Peribit
fuga a veloce, et fortis non salvabit ani- B
mam suam. Juxta hunc modum et Salo-
Prov. xvi, 32. mon dixit : Melior est patiens viro forti;
et qui dominatur animo suo, expugnatore
urbium.

Ecce quam terribiliter descripta sunt
hic futurum judicium, supplicia reprobo-
rum, et consummatio mundi. Merito ergo
dixit S. Hieronymus : Sive comedo, sive
bibo, sive aliud quid ago, semper videtur
mihi tuba illa sonare in auribus meis :
Surgite, mortui, venite ad judicium. Si
Sanctus ille ita expavit, qualiter nos for-
midare oportet, ac vivere timorate? Præ-
sertim quum et beatissimus princeps dicat
Apostolorum : Adveniet autem dies Domi- II Petr. iii, 10-12.
ni tanquam fur : in quo cœli magno im-
petu transient, elementa vero calore sol-
ventur, terra autem et quæ in ipsa sunt
opera, exurentur. Quum ergo hæc om-
nia dissolvenda sint, quales oportet nos
esse in sanctis conversationibus et pietati-
bus, exspectantes et properantes in adven-
tum diei Domini, per quem cœli arden-
tes solventur, et elementa ignis ardore
tabescent?

Postremo et id sciendum, quia quod di-
ctum est hic de armatura Dei, consonat ei,
vel sumptum videtur ex eo, quod apud
Isaiam scriptum est : Indutus est Dominus Is. lix, 17, 18.
justitia ut lorica, et galea salutis in capite
ejus; indutus est vestimentis ultionis, et
opertus est quasi pallio zeli, sicut ad
vindictam, quasi ad retributionem indi-
gnationis hostibus suis, et vicissitudinem
inimicis.

ARTICULUS VI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTI : AUDITE ERGO, REGES, ET INTELLIGITE.

ADMONET auctor hic ad sapientiæ de- C
siderium ac amorem : et quia hæc
potissime est necessaria his qui præsunt,
2 primo illos alloquitur. *Audite ergo, reges,*
et intelligite : id est, quum tam horrenda
damnatio instet iniquis, sapientia quoque
melior sit quam vires; idcirco audite au-
ribus corporis, et intelligite audita auribus
mentis; *discite* ea quæ dicam, *judices fi-*
nium terræ, id est hominum habitantium
ubique terrarum, ut possitis et alios edo-
cere. Unusquisque enim scire tenetur, et
diligentissime discere debet ea quæ ad su- D
um pertinent statum ac gradum : quatenus
juxta suæ exigentiam vocationis, ambulet
digne Deo; et qui in aliquo est constitutus Coloss. i, 10; I Thess. ii, 12.
officio, illud idonee exsequatur. *Præbete*
aures cordis ac corporis, per diligentem 3
auscultationem, *vos qui continetis,* id est,
subjectas vobis tenetis, et in unam poli-
tiam, legem, seu observantiam conservatis,
seu a transgressionibus reprimitis, *multitu-*
dines hominum. Qui enim eidem superiori
subduntur, per comparationem ad illum
sunt unum corpus, una collectio, una com-
munitas, et comparantur ad illum sic-
ut membra ad caput. *Et placetis vobis in*
turbis nationum, id est, complacentiam
habetis in primatu ac præsidentia vestra
super turbas subditorum. Sic autem dele-

Digitized by Google

ctari, est elationis, ambitionis, insipientiæ, et gloriæ vanæ, quum dicat Gregorius : Unusquisque præsidens toties ad apostasiæ culpam labitur, quoties hominibus præesse delectatur. Talis etenim perpendit suum officium tanquam primatum et sui ipsius dignitatem et elevationem, non tanquam onus ac servitutem ; nec pensat divini judicii districtionem, nec insufficientiam propriam. Delectari autem in fructu officii, seu digna exsecutione ipsius, vel in officio propter hujusmodi fructum, et hoc solum in Domino, cum humili regratiatione adscribendo ei omne bonum, non est illicitum.

Denique in his, per reges, judices, ac principes, intelligendi sunt utriusque juris primates : utpote tam spirituales quam sæculares rectores ; imo spirituales præcipue, quorum multo major est dignitas, et qui ad perfectionem tenentur majorem. Hæc duo jura, sunt duo gladii, et duo oculi, duoque luminaria magna in ipso Ecclesiæ corpore ; sed quo major et clarior est sol quam luna, eo præstantior ac luminosior est spiritualis potestas sæculari. Et sicut sol lunam illuminat, sic spiritualis sæcularem docere atque dirigere habet : sicut et anima, corpus.

Itaque, o præsidentes, advertite ista,
4 *Quoniam data est a Domino potestas vobis* prælatica, præsidentialis auctoritas, et temporale dominium, *et virtus* punitiva et correctiva reorum, *ab Altissimo :* quia
Rom. XIII, 1. non est potestas nisi a Deo, teste Aposto-
Joann. XIX, 11. lo, imo et Christo, qui dixit Pilato : Non haberes adversus me potestatem ullam, nisi datum tibi esset desuper. Hinc sæculares quoque principes, secundum Apo-
Rom. XIII, 4, 6. stolum, ministri atque vicarii Dei sunt. Nec obstat quod Dominus loquitur per Osee, de vitiosis principibus : de quibus agitur et hic, quia paulo post subditur, Quum essetis ministri regni illius, non recte judicastis : non, inquam, obstat quod
Osee VIII, 4. per Osee locutus est Dominus : Ipsi regnaverunt, et non ex me ; principes exstiterunt, et non cognovi. Ex quibus verbis

A sequi videtur, quod non acceperunt suam a Domino potestatem. Et respondendum, quod potestas ipsa a Deo est, non autem potestatis abusus, ob quem dicuntur non regnasse ex Deo, nisi permissive : secundum quod apud eumdem Prophetam protestatur, Dabo tibi regem in furore meo. *Osee* XIII, 11.
De quo etiam in libro Job asseritur : Qui *Job* XXXIV, 30.
regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. *Qui interrogabit opera vestra,* id est, examinabit vos de actibus vestris, imo et de omissionibus agendo-
B rum ; *et cogitationes scrutabitur,* id est, non solum opera vestra exteriora, sed et actus vestros interiores, videlicet cogitationes et affectiones, discutiet, dijudicabit, discernet.

Quoniam quum essetis ministri regni 5
illius, id est servi et vicarii Dei in regimine populi ejus. Quocirca inquiritur, qualiter vitiosi præsidentes, etiam infideles, dicantur servi Dei atque ministri. Respondetur, quod servi sunt Dei, non servitute caritatis ac obedientiæ salutaris, sed ratio-
C ne generalis subjectionis, et quantum ad id quod bene agunt, loquendo de bene agere in genere. Sic enim subserviunt Deo, etiam ignorantes, juxta illud : Dei *Rom.* XIII, 4.
minister est, in iram ei qui male agit. Nam et per eos Deus providentiæ suæ effectus prosequitur, prout ibidem rursus asserit Paulus : Dei ministri sunt, in hoc ipsum *Ibid.* 6.
servientes. *Non recte judicastis* subditos vestros, imo nec vosmetipsos : si enim vos ipsos dijudicaretis, vitam vestram corrigeretis ; *nec custodistis legem justitiæ,*
D id est legem naturalem : cujus renovatio atque suppletio fuit lex scripta ; utramque vero evangelica lex perfecit. Unde potest per legem justitiæ, Decalogus accipi, cujus præcepta sunt de operibus justitiæ. *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis,* servando præcepta, et exemplariter coram subditis conversando ac sine personarum acceptione proferendo sententiam, et castigando peccantes. Nempe, ut ait Ambrosius : Maximum crimen in præsidentibus est, quod attendunt personas, non causas.

Digitized by Google

6 *Horrende et cito apparebit vobis,* id est, A
terribiliter ac celeriter judicabit vos, et
per justitiæ suæ effectum, per prætactam
discussionem ac reprobationem vobis ap-
parebit, non solum in generali judicio, sed
et in hora mortis vestræ per particulare
judicium, mox ut anima fuerit separata a
corpore, dicente Apostolo ad Hebræos :
Hebr. IX, 27. Statutum est hominibus semel mori, post
hoc autem judicium. Unde legitur apud
Jacob. V, 9. Jacobum : Ecce Judex ante januam adsi-
stit. *Quoniam judicium durissimum in
his qui præsunt, fiet :* id est, ipsos præsi- B
dentes Judex cœlestis districtissime judi-
cabit atque acerrime puniet, si præfato
modo habuerint se. Eorum enim peccata,
ceteris paribus, sunt graviora : quia quo
gradus et dignitas altior, eo lapsus major
et gravior; et quo dignioris sunt officii, eo
virtuosiores esse tenentur. Eorum quoque
peccata plurimos scandalizant, et maxi-
mum damnum inferunt Deo : quia suis
scandalositatibus, negligentiis, et perver-
sitatibus plures trahunt ad damnationem.
Sunt etiam maxime infideles ingratique C
Deo, cujus vices gerunt, nec implent. In-
super, quum de suis dignitatibus atque
officiis consequantur a subditis suis com-
moda et honores, nec tamen condigna suo-
rum exsecutione officiorum hæc merean-
tur; nec subjectis impendant quod eis
tenentur, sed eos potius scandalizent, gra-
vent, ac perdant : nonne justissimum est,
ut durissimum seu rigorosissimum eis fiat
judicium? Hinc Jacobus in sua scribit Ca-
Ibid. III, 1. nonica : Nolite plures magistri fieri, fra-
tres mei, scientes quia gravius judicium D
accipitis. Itaque, quo plus evadunt huma-
na judicia, eo horribilius incidunt in divi-
na; et qui nunc per præsidentes punit vi-
tia subditorum, paulo post per se ipsum
Job XXXIV, 18, 19. puniet præsidentium scelera. Qui, ut in
Job habetur, dicit regi, Apostata; qui vo-
cat duces, impios; qui non accipit perso-
nas principum, nec cognovit tyrannum.

7 *Exiguo enim conceditur misericordia,* id
est, hominibus egenis et parvi status, faci-
lius Deus ignoscit, et mitius judicat eos :
quia et, ceteris paribus, minora sunt eo-
rum peccata, id est, in hac vita plura ha-
bent adversa, et a majoribus corripiuntur.
Ideo loquitur Isaias : Pauperum suorum *Is.* XLIX, 13.
miserebitur. Tales quoque communiter ex
infirmitate vel ignorantia peccant. *Poten-
tes autem potenter,* id est intense et acri-
ter, *tormenta patientur.* Non de omnibus
potentibus dictum est hoc, quum scriptum
sit, Deus potentes non abjicit, quum et *Job* XXXVI, 5.
ipse sit potens; sed de potentibus violen-
tis, superbis, concessa sibi potentia ab-
utentibus : de quibus gloriosissima Virgo,
Deposuit, inquit, potentes de sede. *Luc.* I, 52.

Non enim subtrahet personam cujus- 8
quam Deus, qui est omnium dominator :
id est, nullum quantumlibet parvum, a
sua providentia et judicio eximit aut ex-
cludit, nec ab eo, quod meruit, demit aut
removet in hora judicii ejus; *nec verebi-
tur magnitudinem cujusquam,* quum ipse
sit omnibus infinite potentior. Qui ait per
Jeremiam : Quis similis mei? aut quis sus- *Jer.* XLIX, 19; L, 44.
tinebit me? aut quis est iste pastor, qui
resistat vultui meo? *Quoniam pusillum et
magnum ipse fecit :* nulla autem est com-
paratio creaturæ ad Creatorem, sicut nec
finiti ad infinitum; *et æqualiter est illi
cura de omnibus* hominibus, scilicet pu-
sillis et magnis. Porro cura in Deo, non
est aliqua inquieta sollicitudo, sed tran-
quillissima providentia ejus, quæ in ipso
omnium invariabili provisore, una ac sim-
plex est : et loquendo de hominibus, ut
homines sunt, sic æqualiter est ei cura de
omnibus, et omnes vult fieri salvos, nec I *Tim.* II, 4.
est apud eum personarum acceptio. Ve- II *Par.* XIX, 7; *Rom.* II, 11; *Ephes.* VI, 9; *Coloss.* III, 25; I *Petr.* I, 17.
rumtamen, loquendo in speciali, secun-
dum quod aliqui sunt electi, aliqui re-
probi; et hoc, in multiplici differentia,
quoniam quidam sunt magis aut minus
electi et justi, aliqui vero magis aut minus
injusti ac reprobi : secundum hoc habet
omnipotens Deus de aliquibus curam et
providentiam magis aut minus specialem.
Fortioribus autem fortitudine sua dete- 9
stabiliter abutentibus, *fortior instat cru-
ciatio.*

Digitized by Google

10 *Ad vos ergo, reges,* id est præsidentes
in ecclesiastico aut civili regimine, *sunt hi*
sermones mei : quia vos specialiter cupio
informare, tamen ad subditorum profe-
ctum, quibus valde prodest bona majorum
instructio; *ut discatis sapientiam, et non*
excidatis, id est, non deficiatis a tenore
11 justitiæ et veritatis agnitione. *Qui enim*
custodierint justitiam, id est, in veritate
et observatione justitiæ usque in finem
permanserint, prout sanctus Job fatetur :
Job XXVII, 5, 6. Donec deficiam, non recedam ab innocen-
tia mea; justificationem quam cœpi te-
nere, non deseram; *juste judicabuntur.*
Certum est quod etiam impii juste judica-
buntur : ideo istud intelligendum est de
judicio approbationis et beatæ remunera-
Ps. VII, 9. tionis, de quo ait Propheta, Judica me,
Domine, secundum justitiam meam, et se-
cundum innocentiam meam super me. *Et*
qui didicerint justa, id est divina præce-
pta et jura, ac sacræ Scripturæ sapientia-
lia documenta, ita ut faciant ea, *invenient*
quid respondeant, id est, in judicio pro se
rationem reddere poterunt. Proponentibus
quoque sibi dubia, dabunt veram solutio-
nem; et inquirentibus rationem et expo-
sitionem eorum quæ fidei sunt, promptum
dabunt responsum. Unde admonet prin-
I *Petr.* III, 15. ceps Apostolorum : Parati semper ad sa-
tisfactionem omni petenti vos rationem de
ea, quæ in vobis est, fide et spe. Unde et
Paulus de institutione episcopi loquens,
Tit. I, 9. ait : Potens sit exhortari in doctrina sana,
* eos * arguere et eis* qui contradicunt, resistere*. *Con-*
12 *cupiscite ergo* concupiscentia intellectua-
Ps. LXXXIII, 3. li : de qua in Psalmo, Concupiscit et defi-
cit anima mea in atria Domini; *sermones*
meos, et diligite illos, et habebitis disci-
plinam, id est scientiam a magistris acce-
ptam; correptionem quoque libenter acci-
pietis.

Denique quæ sequuntur, de increata Sa-
pientia accipi possunt, de sapientia quo-
que quæ est donum præcipuum Spiritus.
13 *Clara est, et quæ nunquam marcescit, sa-*
pientia. Increata etenim Sapientia, est lux
puritatis immensæ, et veritas superpul-

A cherrima omnino invariabilis, ut infra
magis patebit. *Et facile videtur ab his*
qui diligunt eam : quia per fidem forma-
tam ac donum sapientiæ eam contem-
plantur; *et invenitur ab his qui quærunt*
illam. Ipsa enim hortatur ac protestatur :
Quærite, et invenietis; pulsate, et aperie- *Matth.* VII, 7, 8.
tur vobis. Omnis enim qui petit, accipit;
et qui quærit, invenit. *Præoccupat qui* 14
se concupiscunt, id est, gratiose prævenit
eos, et frequenter eos illuminat et accen-
dit, antequam rogent, sicut ait vir san-
B ctus : Misericordia ejus præveniet me; *ut* *Ps.* LVIII, 11.
illis se prior ostendat per illuminationem
internam : tamen in hac vita communiter
per speculum in ænigmate. Nam et ipsa I *Cor.* XIII, 12.
inquit : Ego sto ad ostium, et pulso; atque *Apoc.* III, 20.
in Canticis, Aperi mihi, soror mea, spon- *Cant.* V, 2.
sa. *Qui de luce vigilaverit ad illam,* id 15
est, cito ac mane, et statim in exordio
illustrationis internæ, diligenter et fervide
applicuerit ac disposuerit se ad eam, *non*
laborabit, id est, non indigebit multum
fatigari pro ejus adeptione, infusione seu
C incremento. Quum enim fecerit homo quod
suum est, Deus gratiam mox apponit aut
perficit. Ideo subditur : *assidentem enim*
illam foribus suis inveniet, id est prompte
et ultro se offerentem, ac per exteriorum
sensuum objecta se ingerentem ac præ-
sentantem : quia in illis, tanquam in effe-
ctibus suis, relucet.

Cogitare ergo de illa, sensus est con- 16
summatus : id est, perfectio intellectus
consistit in consideratione et contempla-
tione Sapientiæ hujus : secundum quod ait
D ad Patrem, Hæc est vita æterna, ut cogno- *Joann.* XVII, 3.
scant te solum verum Deum, et quem mi-
sisti Jesum Christum; et per Jeremiam, In *Jer.* IX, 24.
hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse
me. *Et qui vigilaverit propter illam,* id
est, continuando vigilias oraverit, et per
alia exercitia studuerit pro ejus infusione
et incremento, *cito securus erit :* id est, in
ea et per eam in tantum proficiet, quod
vanum et inordinatum timorem excludet,
et confidens ac constans erit in Domino,
et tanquam leo confidens, absque terrore *Prov.* XXVIII, 1.

Digitized by Google

quiescet. Sicque conveniet sibi, et expe- A
Prov. xv, 15. rietur quod scriptum est : Secura mens quasi juge convivium. Omnia bona hæc confert sapientia. Propter quod in Prover-
Ibid. xxiv, 5. biis dictum est : Vir sapiens fortis est, et vir doctus robustus. Contemplatur etenim Omnipotentem ubique præsentem, atque sperantes in se protegentem, sine cujus permissione nil potest pars adversa infer-
Ps. xxvi, 1. re. Ideo dixit vir sanctus : Dominus illuminatio mea et salus mea : quem timebo?

17 *Quoniam dignos se ipsa circuit,* id est, undique protegit et custodit, *quærens* ut B quæratur, id est, instigans ad se inquirendam, *et in viis suis ostendens se illis hilariter,* id est, in actibus sibi placentibus, scilicet exsecutionibus præceptorum, præsertim in adimpletione præceptorum caritatis Dei ac proximi, gratiose manifestans se illis. In virtuosis equidem actibus
Eccli. ii, 10. adest. Ideo in Ecclesiastico dicitur : Diligite Dominum, et illuminabuntur corda vestra. Et in Evangelio apertissime prote-
Joann. xiv, 23. statur : Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum; C et ad eum veniemus, et mansionem apud
*providentia eum faciemus. *Et in omni prudentia** occurret illis,* id est, in omni actu quo prudenter, discrete, et rationabiliter occupant se, præbet eis subsidium. Ipsa quoque in omni, id est cum perfecta et summa prudentia, facit hoc.

18 *Initium enim illius, verissima est disciplinæ concupiscentia :* id est, sincerum desiderium instructionis, est initium acquirendi sapientiam istam. Hoc enim desiderium, facit hominem docilem et in- D tentum ad illuminationem divinam, angelicam ac humanam, et ad lectionem Scripturæ. Docilitas vero ponitur prima pars prudentiæ, ac sapientiæ infusæ seu
19 acquisitæ. *Cura ergo disciplinæ,* id est sollicitudo seu diligentia acquirendi disciplinam, seu proficiendi in ea, *dilectio est,* id est signum et effectus dilectionis sapientiæ; *et dilectio, custodia legum illius est,* id est, dilectio spiritualis, causa est observationis præceptorum sapientiæ. Ideo in prima sua Canonica ait Joannes : Hæc *I Joann.* v, 3. est caritas, ut præcepta ejus custodiamus. *Custoditio autem legum,* id est observantia præceptorum seu adimpletio legis naturalis et divinæ ac positivæ, *consummatio incorruptionis est,* id est perfecta integritas, reformatio, sanitas mentis; ad beatam quoque immortalitatem et inviolabilem integritatem æternæ salutis perducens. Hæc nempe integritas, est immunitas a peccato, quod mentem lædit, corrumpit, occidit. Unde ait Apostolus : Integer spiritus ve- *I Thess.* v, 23.
ster et anima servetur. De peccatoribus autem fertur in Psalmo : Corrupti sunt, et *Ps.* lii, 2.
abominabiles facti sunt in iniquitatibus; et alibi, Divisum est cor eorum. *Incorru-* *Osee* x, 2.
ptio autem facit esse proximum Deo : quia 20
a Deo nil separat nos, nisi peccatum, Isaia dicente : Iniquitates vestræ diviserunt in- *Is.* lix, 2.
ter Deum vestrum et vos. Propter quod iterum dicit : Iste est omnis fructus, ut *Ibid.* xxvii, 9.
auferatur iniquitas. Denique incorruptio ista proxime mentem disponit ad dona gloriæ ac salutem, quæ est immediata et proxima unio mentis cum Deo.

Ex his concludit : *Concupiscentia itaque* 21
sapientiæ, deducet ad regnum perpetuum, id est ad beatificam Deitatis fruitionem, per profectum intermedium ascendentem gradatim atque paulatim, sicut jam tactum est : quia paulatim proficitur, nec subito fit quis summus.

Insuper præinducta possunt exponi de sapientia creata infusa, quæ est donum, cum profectu et illuminatione sibi annexis. Nam et hæc sapientia clara est, id est splendidissimus habitus mentis, non marcescens, quantum in se est, et manens in patria. Quæ facile videtur et invenitur : quia quicumque habet caritatem, habet et sapientiam istam, quæ per actus suos probabiliter potest cognosci. Præoccupat quoque eos qui se concupiscunt, id est, cito et gratiose infunditur illis, cum præventione benigna, et ita in ea proficiunt; et si quis eam non habet, quam cito veram habet contritionem, suscipit ipsam, quia simul cum caritate infunditur. Et quia

Digitized by Google

Is. xi, 2. tam necessaria est ad salutem, et primum A
ac nobilissimum donum Spiritus Sancti;
ideo cogitare de ea, qualiter scilicet obtineatur, conservetur, perficiatur, sensus
est consummatus, id est perfecta actio interioris sensus, utpote intellectus. Et sicut increata Sapientia facit hominem cito
securum efficienter, sic ista formaliter :
quæ et in actibus bonis facit hominem
delectari in Deo, ad cujus intuitum elevat
mentem.

22 *Si ergo delectamini sedibus,* vel, ut aliqui habent, stemmatibus, id est dignitati- B
bus prælaturæ, *et sceptris, o reges populi,*
id est regia potestate aut regnis : in quibus
delectari, in se vanum, intimoratum, et
ambitiosum censetur, ut dictum est super
illud, Et placetis vobis in turbis nationum. Ideo sensus est : Si delectamini, id
est, si ordinate delectari vultis, sedibus et
regnis, puta in Domino, et in fructuosa
executione officiorum vestrorum, *diligite
sapientiam* increatam, tanquam principale caritatis objectum; sapientiam quoque
infusam et acquisitam, tanquam medium C
pertingendi ad felicitatem; *ut in perpetuum regnetis,* id est, in vita ista tam
virtuose ac meritorie præsideatis, ut de
præsenti regno atque regimine transferamini ad regnum cœleste : in quo omnes
sunt gloriose coronati, juxta id quod di-
Sap. v, 17. ctum est supra, Ideo accipient regnum
23 decoris, et diadema speciei. *Diligite lumen sapientiæ,* id est sapientiam luminosam, mentis illuminativam, et lumen illud
æternum a quo omnis sapientia profluit :
Joann. i, 9. de quo Joannes ait, Erat lux vera quæ D
illuminat omnem hominem venientem in
hunc mundum; *omnes qui præestis populis,* ut subditos possitis purgare, illuminare, dirigere, imo vos ipsos in primis ir-
Matth. xv, 14. reprehensibiles exhibere. Cæcus enim si
cæco ducatum præbeat, ambo in foveam
cadunt. Et rex seu prælatus illitteratus,
est quasi asinus coronatus.

24 *Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit,* id est a Deo infusa, vel
per lectionis studium, propriam perscrutationem, aut aliorum informationem acquisita, *referam; et non abscondam a vobis sacramenta,* id est sacra mysteria, et
occulta beneficia, ac magnifica et mystica
opera, *Dei, sed ab initio nativitatis investigabo,* id est, de ipsa sapientia disseram
ab exordio suæ productionis, qualiter scilicet nata sit aut infusa, aut in me seu
aliis inceperit esse. Et hoc sequenti capitulo ac deinceps agit hic auctor. Vel, Investigabo de me ipso, ab ipso nativitatis
meæ exordio, tractando de mea conceptione ac nativitate : ut sequenti patet capitulo. *Et ponam in lucem,* id est, evidenter manifestabo, *scientiam illius,* id est
veram sapientiæ cognitionem : nam de sapientia, tanquam de objecto, est quædam
scientia, quemadmodum de fide et caritate; *et non præteribo veritatem* necessariam
aut utilem sciri de ista materia. *Neque* 25
cum invidia tabescente iter habebo : id
est, invidis de aliorum bono tristantibus,
nec bona sibi concessa communicantibus
proximis, non assimilabor; imo caritative
ac liberaliter communicabo vobis spiritualia bona mihi collata; *quoniam talis
homo,* scilicet invidus, *non erit particeps
sapientiæ* quæ est donum : nisi de invidia sua pœnitens, obtineat caritatem, sine
qua donum sapientiæ non habetur. Sapientia tamen scholastica acquisita (aut
etiam infusa, quæ est donum gratiæ gratis
datæ) potest cum mortali peccato haberi.

Multitudo autem sapientium sanitas est 26
orbis terrarum, id est causa spiritualis curationis hominum commorantium in hoc
mundo. Sapientes etenim verbo et exemplo ædificant alios, corripiunt, purgant, illustrantque proximos, potissime sibi commissos. Et sicut per sanitatem corpus est
aptum ad exercendum opera sibi convenientia, sic genus humanum per sapientiam redditur aptum ad actus suæ salutis.
Ideo Salomon loquitur : Pretiosi spiritus Prov. xvii, 27; x, 21.
vir eruditus; et rursus, Labia sapientiæ* * justi
erudiunt plurimos. *Et rex sapiens populi
stabilimentum est :* quia stabilit eos in vita honesta, et in conversatione pacifica,

Digitized by Google

sicque merentur suis hostibus prævalere.
Ideo beata est respublica, quæ a sapienti-
bus gubernatur, et regem habet pruden-
Eccli. x, 2. tem, cui innititur. Nam qualis est rector
civitatis, tales et inhabitantes in ea. Ma-
xime autem Christus rex noster, stabili-
mentum est suorum fidelium sibi obedi-
entium : quos stabiles atque immobiles
facit in bono, et protegit ab adversis.
27 *Ergo accipite disciplinam,* id est mora-

A lem et salubrem informationem, *per sermones meos, et proderit vobis* ad salutem : ignorantia quippe est periculosissimum vitium. Oportet enim in primis scire quid fieri debeat, quid vitari. Ideo, teste Apostolo, Qui ignorat, ignorabitur. Et asserit I Cor. xiv, 38.
Dominus apud Osee : Conticuit populus Osee iv, 6.
meus, eo quod non habuerit scientiam Dei : quia tu scientiam repulisti, repellam te ego, ne sacerdotio fungaris mihi.

ARTICULUS VII

EXPOSITIO CAPITULI SEPTIMI : SUM QUIDEM ET EGO MORTALIS HOMO.

OSTENSURUS auctor hic quid sit sapientia, et multa sublimia locuturus, propriam conditionem et defectuositatis suæ originem reducit ad memoriam, ad declarandum quid conveniat sibi ex sua natura, et quid ex gratia, et ne videatur excedere suam mensuram.
1 *Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus,* id est ceteris in natura specifica, *et ex genere terreno,* id est carnali propagine, *illius qui prior factus,* id est formatus *est,* scilicet Adæ protoplasti
Gen. ii, 7. parentis : de quo legitur, Formavit Deus hominem de limo terræ; *et in ventre matris figuratus sum caro :* id est, caro mea in matrice ex semine est formata, et organizata atque aptata ad animæ susceptionem. Totum autem a parte frequenter de-
2 nominationem sortitur. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine,* id est, tanto tempore fui in utero, et ad corpusculi soliditatem redactus sum ex sanguinolento semine matris meæ et ex semine patris. Unde subjungitur : *ex semine hominis.* Vir enim est perfectior in naturalibus, et semen ejus in formatione habet se per modum agentis : quia in eo est vis formativa, formans semen ministratum a matre in corpusculum fetus, concurrente influxu cœlesti, juxta illud : Homo gene-

B rat hominem et sol. Et juxta physicos, semen viri magis est candidum, semen feminæ sanguinolentum. *Et delectamento somni conveniente :* quia in ipsa conceptione fuit delectatio magna et naturalis, rationem absorbens, ita quod ratio fuit quasi sopita et dormiens, id est ab usu et actu proprio cessans. Denique, quamvis dicatur hic, Decem mensium tempore, etc., non est tamen putandum quod omnes fetus humani tam diu in utero sint : imo communiter dicuntur novem mensibus esse in utero. Aliqui vero pertingunt usque C ad decimum mensem : qui magis vitales esse feruntur. Nonnulli autem septimo mense, quidam octavo nascuntur.

Circa hæc ait Glossa ex Rabano : Cœlestis Adam sine virili semine natus de Virgine, proprium nativitatis habet modum : qui et mortis suæ ordinavit occasum. Decimo mense post conceptionem, nativitas ejus celebratur a Christianis; et ab octavo calendas Aprilis, quo conceptus creditur, usque octavum calendas Januarii, quan- D do natus traditur, ducenti septuaginta sex dies numerantur, id est novem menses, et sex dies.

Et ego natus accepi communem aerem, 3
id est, mox ut natus sum, cœpi per respirationem aeris vivere, seu actus vitales

Digitized by Google

ostendere, sicut et ceteri; *et in similiter* A
factam decidi terram : id est, egrediendo
ex utero, in terrenum sustentaculum de-
scendens, receptus sum ab obstetrice, aut
alia adsistente; *et primam vocem similem*
omnibus emisi plorans : id est, instar alio-
rum infantulorum, in vocem lamentatio-
nis erupi statim ut ventrem exivi, quasi
ipso ploratu contestans, me in vallem la-
crimarum, exsiliumque venisse. Atque, ut
dicitur, masculus nascens, cum gemitu
dicit, A; femina, E; veluti conquerentes
de primorum transgressione parentum, ob B
Ephes. II, 3. quam nascuntur proles iræ atque mise-
riæ. Verumtamen Augustinus in libro de
Civitate Dei recitat Zoroastrem magica-
rum artium inventorem, mox ut natus
fuit, risisse : quem risum Augustinus mon-
struosum appellat, tanquam diabolici festi
præludium. Aliqui quoque dicunt, Moysen
4 natum mox suæ matri arrisisse. *In invo-*
lumentis, id est panniculorum involutio-
nibus, *nutritus sum, et curis magnis.* In-
fantuli namque pannis involvuntur, et ob
suam teneritudinem atque mollitiem, ac C
rationis defectum, diu et sollicite custo-
5 diuntur et educantur. *Nemo enim ex regi-*
bus aliud habuit nativitatis initium : ideo
non est mirum, quod inferiores ita pro-
deunt in hanc lucem.

6 *Unus ergo* in specie *introitus est omni-*
bus hominibus *ad vitam* naturæ, *et similis*
exitus, utpote mors. Et quamvis diversi
diversimode suam finiant vitam, quidam
morte naturali, aliqui violenta (quam ali-
qui inferunt sibimetipsis, alii patiuntur
ab aliis) : tamen quantum ad hoc, est om- D
nibus similis exitus, quod per separatio-
nem animæ a corpore, seu per corporalis
harmoniæ corruptionem, exeunt de hoc
mundo; et item, quod per magnam an-
gustiam et omnium terrenorum dereli-
ctionem.

7 *Propter hoc optavi.* Quasi dicat : Quum
tanta fuerit defectuositas originis meæ,
constat quod sapientiæ meæ excellentiam
et gratiæ affluentiam, a me ipso non ha-
bui, sicut nec ceteri; imo, quia in igno-rantia natus sum, optavi sapientiam obtinere.

Præterea, ut multi dicunt expositores, auctor hujus voluminis in isto capitulo, sicut et in quibusdam sequentibus, in persona loquitur Salomonis : quod et infra (vers. 17.) ex textu manifeste ostenditur. Salomon autem, data sibi desuper optione, sapientiam præelegit, prout tertio Regum et secundo Paralipomenon recitatur. (III Reg. III, 5, 9; II Par. I, 7, 10.) Nihilo minus quæ hic dicuntur, de quocumque homine studioso, desiderio sapientiæ inflammato, pro maxima possunt parte exponi.

Et datus est mihi sensus, id est intellectus illuminatus, seu habitus sapientiæ. Fuit autem Salomoni infusa, non solum sapientia quæ est donum, sed et illa quæ pertinet ad munera gratiæ gratis datæ, per quam scit quis ea quæ fidei sunt, persuadere, declarare, defendere. Sapientia etiam naturalis, quæ studio humano naturalique ratione potest acquiri, fuit supernaturaliter ei infusa. *Et invocavi,* id est, ex intimo cordis Dominum exoravi pro sapientiæ infusione, incremento, perfectione; *et venit in me spiritus sapientiæ,* id est ipsum sapientiæ donum : quod nomine spiritus designatur, quia spiritus denotat quamdam impulsionem seu motionem. Unde frequenter pro vento accipitur. Porro septem dona faciunt hominem prompte mobilem ac dirigibilem a Spiritu Sancto. Propter quod Isaias loquens de eis, singula exprimit cum adjectione hujus nominis, Spiritus : Requiescet, inquiens, super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, etc. (Is. XI, 2) Vel, Spiritus sapientiæ, id est Spiritus Sanctus, auctor, doctor et dator sapientiæ salutaris : qui dicitur Spiritus sapientiæ, sicut et Spiritus veritatis. De quo ait Salvator : Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. (Joann. XVI, 13.) Qui venit in hominem, non locum mutando, nec mutationem in se aliquam sustinendo, sed sua munera influendo, gratioseque intus agendo.

Digitized by Google

8 *Et præposui illam regnis et sedibus,* id A
est auctoritatibus judicialibus; *et divitias*
* duxi corporales *nihil esse dixi* in comparatio-*
ne illius : quia incomparabiliter melior
illis est. Juxta quem modum ait Aposto-
Galat. vi, 3. lus : Qui se dicit aliquid esse, quum nihil
9 sit. *Nec comparavi illi* in dignitate *lapi-*
dem pretiosum : quoniam omne aurum in
comparatione illius, arena est exigua, et
tanquam lutum æstimabitur argentum in
conspectu illius, id est modicæ reputatio-
10 nis et res vilis sicut arena. *Super salutem,*
id est plus quam corporalem sanitatem, B
aut temporalem prosperitatem, *et speciem,*
id est pulchritudinem, *dilexi illam.* His
Prov. III, 13-15. consonat illud Proverbiorum : Beatus homo
qui invenit sapientiam, et affluit pruden-
tia; melior est acquisitio ejus negotiatio-
ne auri et argenti. Pretiosior est sapientia
cunctis opibus; et omnia quæ desideran-
tur, huic non valent comparari. Illud quo-
Job XXVIII, 13, 15, 16. que Job : Nescit homo pretium ejus; non
dabitur aurum obrizum pro ea, nec confe-
retur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi
sardonycho pretiosissimo, vel sapphiro. C
Philipp. III, 8. Hinc et Apostolus protestatur : Existimo
omnia detrimentum esse propter eminen-
tem scientiam Domini nostri Jesu Christi,
propter quam omnia arbitror ut stercora.
Cetera quoque dona gratiæ ac virtutum,
ac spiritualia charismata, sunt exteriori-
bus et corporalibus rebus præstantiora.

Et proposui pro luce habere illam, id
est pro splendida ductrice ac directrice
mea in omnibus. Quemadmodum enim lux
exterior dirigit foris, sic sapientia intus et
in cunctis agendis. *Quoniam inexstingui-* D
bile est lumen illius. Lumen sapientiæ, est
ipsamet sapientia lucens ac fulgida : quæ
non est exstinguibilis aut corruptibilis di-
recte aut ex sua natura; sed quantum in
se est, manet in mente etiam in patria, et
I Cor. XIII, 8. ita non excidit, sicut nec caritas. Indiget
tamen indesinenter conservatione divina,
sicut et quælibet res creata. Ideo, sicut
mortaliter peccans caritatem amittit, quam
Deus in eo conservare desistit; sic perdit
et sapientiam quæ est donum.

Venerunt autem mihi omnia bona pari- 11
ter cum illa, scilicet fama, gloria, honor,
opulentia. Unde et tertio Regum legitur
Deus Salomoni dixisse : Quoniam petisti III Reg. III, 11, 13.
sapientiam, hæc quoque quæ non postula-
sti, dedi tibi. *Et innumerabilis honestas,* id
est virtuositas, modestia, probitas, *per ma-*
nus, id est virtutem et actiones, *illius.* Sa-
pientiæ etenim quæ est donum, connexa
sunt alia dona, et virtutes infusæ ac meri-
toria opera. Sapientia quoque ordinatum
efficit hominem, probatum, constantem,
facetum. Sic et Christus disseruit : Quærite Matth. VI, 33.
primum regnum Dei et justitiam ejus, et
hæc omnia adjicientur vobis. *Et lætatus* 12
sum in omnibus gaudio spirituali, *quo-*
niam antecedebat me ista sapientia, id est,
actiones meas prævenit, ostendens mihi
intus quid et qualiter operari deberem
forinsecus, tanquam optima ductrix, per-
fundens et irradians mentem. Qui autem in
omnibus ordinate procedit, pacem habet,
et delectabiliter operatur, nec perturba-
tur. Animus vero inordinatus, sibi ipsi
pœnalis ac gravis est. *Et ignorabam quo-*
niam horum omnium mater est : id est,
tunc, quando sapientiam hanc nondum
sortitus fui, non putavi quod tot ac tanta
bona eam consequerentur, et orirentur ex
ea, quemadmodum filiæ ex matre; sed de
hac re experientia docuit me.

Quam sapientiam *sine fictione didici* ex 13
revelatione divina, aut aliis modis, ut di-
ctum est, *et sine invidia communico* pro-
ximis, docendo, exhortando, dirigendoque
alios : prout beatissimus Petrus hortatur,
Unusquisque sicut accepit gratiam, in al- I Petr. IV, 10.
terutrum illam administrando; *et honesta-*
tem illius non abscondo, id est, proprieta-
tes sapientiæ hujus cunctis aperio per
verba et scripta, videlicet dignitatem, cla-
ritatem, inexstinguibilitatem, efficaciam,
modestiam, et salubritatem ipsius. Unde
apud Jacobum legitur : Quæ desursum est Jacob. III, 17.
sapientia, primum quidem pudica est,
deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis
consentiens, plena misericordia et fructi-
bus bonis. Hæc autem docendo, alios ad

Digitized by Google

sapientiæ hujus amorem et amplexum al-
licio et accendo.
14 *Infinitus enim thesaurus est,* id est,
opulentia valde magna, et impretiabile
bonum est sapientia ista, *hominibus* eam
habentibus. Infinitum quippe vocatur in-
terdum aliquid insolito modo magnum.
Sicque libro Josue leguntur filii Ruben et
Josue xxii, 10. Gad, fecisse altare infinitæ magnitudinis.
*Quo qui usi sunt, participes facti sunt
amicitiæ Dei :* id est, sapientes utendo
dono sapientiæ per contemplationem di-
vinorum, et conversationem honestam ac
ordinatam, facti sunt amici Dei, utpote
Deo præcipue cari, uniti, placentes, et
conformati : quoniam sicut vita superbea-
tissimi Dei, est suæ æternæ veritatis, infi-
nitæque bonitatis contemplatio atque dile-
ctio; sic et tales, ipsius Dei veritatem et
bonitatem pro modulo suo assidue con-
templantur ac diligunt, sicque divinorum
secretorum agnitionem merentur. Unde
Joann. xv, 15. Christus loquitur talibus : Vos autem dixi
amicos, quia omnia quæcumque audivi a
Patre meo, nota feci vobis. *Propter disci-
plinæ dona commendati,* id est commen-
dabiles atque laudabiles facti per opera ac
merita disciplinæ, quam receperunt.
15 *Mihi autem dedit Deus dicere ex sen-
tentia,* id est, sententialiter loqui, seu ex
certitudine, gustu interno et experientia,
proferre quæ doceo; *et præsumere digna
horum quæ mihi dantur,* id est moderate
attentare talia, qualia decet me attentare,
juxta mensuram gratiæ ac sapientiæ mihi
collatæ. Itaque non sum præsumptuosus,
in altiora tendendo, aut aggrediendo ea
quæ vires gratiæ mihi concessæ excedunt;
nec pusillanimis sum, non audendo me ad
ea extendere, sed in his potius discrete
me habeo.

Quoniam ipse sapientiæ dux est : id
est, sicut Deus est auctor sapientiæ, eam
infundendo, ita ducit ac dirigit hominem
in usu seu actu sapientiæ, ne immoderate
aut indiscrete se habeat utendo sapientiæ
habitu : ne scilicet aliquid extranei, utpote
vana gloria, elatio, præsumptio, pusillani-
A mitas, indiscretio, negligentia, ingratitudo,
aut tale quid, ei se misceat. Quamvis enim
ipsis donis atque virtutibus nemo male
utatur directe, ita quod elicitive non nisi
actio bona procedit ex eis; tamen nisi ad-
sit auxilium Dei, et custodia cordis, multa
se vitia ipsis admiscent, quæ eorum ma-
culant puritatem, et tandem omnino ea
corrumpunt. Denique Deus Pater, seu Tri-
nitas Deus, ductor in omnibus fuit Christi
hominis, qui est sapientia Patris, a cujus I Cor. i, 24.
Spiritu ductus est in desertum. Et per Matth. iv, 1.
B Isaiam testatur : Spiritus Domini super Is. lxi, 1.
me; ad evangelizandum mansuetis misit
me. *Et sapientium emendator.* Nam quia
sapientes ac justi quotidie venialiter pec-
cant, indigent disciplina. Ideo Deus eos
emendat per adversa, et per vicariorum
suorum correptiones ac correctiones, per
compunctionem quoque internam, quam
ingerit eis. Unde fatetur : Ego quos amo, Apoc. iii, 19.
arguo et castigo. Hinc Psalmista de Moyse,
Aaron, et Samuele loquitur Deo : Deus, tu Ps. xcviii, 8.
propitius fuisti eis, et ulciscens in omnes
C adinventiones eorum. Est quoque Deus
sapientium emendator, id est meliorator,
perficiendo in eis sua charismata, ac per-
ducendo eos ad meliora et viciniora saluti. Hebr. vi, 9.
Propter quod oravit vir sanctus : Perfice Ps. xvi, 5.
gressus meos in semitis tuis.

In manu enim illius et nos, et sermones 16
nostri, id est, nos ipsi, et verba nostra ac
documenta, constituti sumus in potestate
Omnipotentis : quia in esse naturæ ac gra-
tiæ indigemus indesinenter conservari,
nec possumus aliquid meritorie cogitare,
D appetere, loqui aut operari, sine auxilio
gratiæ, actualique motione ipsius, sicut
testatur Apostolus : Fiduciam talem habe- II Cor. iii, 4, 5.
mus ad Deum : non quod simus sufficien-
tes cogitare aliquid a nobis, quasi ex no-
bis; sed sufficientia nostra ex Deo est.
Hinc etiam alio loco scriptum est : Domine, Esther xiii, 9.
rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt
posita. Simili modo in manu ejus est *et
omnis sapientia* mentium creatarum, quæ
nec ad momentum possunt in data sibi
sapientia permanere, nec ea salubriter uti,

Digitized by Google

sine conservatione et adjutorio Dei : quod A qui rite perpendit, non superbit; *et operum scientiæ disciplina,* id est moralis doctrina operum scientiæ ethicæ ac practicæ, ex qua opera bona reformationesque passionum procedunt : et per scientiam potest hic specialiter prudentia designari.

Deinde auctor libri istius, in persona
17 Salomonis loquitur evidenter. *Ipse enim dedit mihi horum quæ sunt,* id est rerum creatarum exsistentium in natura, *scientiam veram.* Scientia namque infusa non habet falsitatem admixtam, sicut scientia B acquisita et philosophica sæpius habet. Istud autem intelligitur de scientia naturalium quæ est donum gratiæ gratis datæ. Nam sequitur : *ut sciam dispositionem orbis terrarum,* id est, qualiter elementum terræ situetur et gubernetur a Deo, et qualiter ad alias mundi partes se habeat, quarum centrum vocatur; *et virtutes elementorum,* id est aliorum trium elementorum qualitates, ac vires activas atque passivas, et quæ ex eis possint produci,
Gen. I, 20. juxta illud : Producant aquæ reptile ani- C mæ viventis.

18 *Initium et consummationem et medietatem temporum.* Qualiter tempus simul cum cœlo et motu ipsius incepit, et tandem cessante motu cœli deficiet, et jam interim currat, Salomon novit : similiter, qualiter quælibet temporis particula dividatur in principium, medium, et finem, sicut et cetera continua, de quorum numero tempus est. Verumtamen, quando motus cœli cessabit, tempusque finietur,
Matth. XXIV, 36. Act. I, 7. nescivit, quum dicat Salvator : De die illo D et hora nemo scit; et item, Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. *Vicissitudinum permutationes,* id est variationes mutationum quæ fiunt secundum temporum cursum, in quibus quandoque prædominatur frigus, aliquando calor; *et consummationes temporum,* id est complementa certarum periodorum generabilibus ac corruptibilibus præfixarum : quia unicuique earum ex sua natura competit certa mensura durationis : quæ tamen in diversis individuis ex certis causis, ac principiis intrinsecis aut extrinsecis, et ex divinæ providentiæ moderatione multipliciter variantur. Unde de hominis periodo legitur
in Job : Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Job XIV, 5.
Morum mutationes, id est, qualiter juxta complexionum diversitates diversi sint hominum mores : qui tamen possunt mutari de malo in bonum, et econverso, et de bono in melius; *et divisiones temporum* in dies, hebdomadas,
menses, et annos, secundum illud : Fiant Gen. I, 14.
luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem, et sint in signa et tempora,
et dies et annos. *Anni cursus,* id 19
est, qualiter annus duret et defluat per quatuor partes suas : quæ sunt, ver, æstas, autumnus, et hiems; *et stellarum dispositiones,* quantum ad situm et motum ac influentiam. Hæc scivit Salomon saltem in generali, et quædam in speciali. Verumtamen non scivit omnia hæc perfecte et in speciali, quum a quodam dicatur :

Qui stellas numeras, quarum tu nomina solus,
Signa, potestates, loca, cursus, tempora nosti.

Naturas, id est proprietates, vires, effica- 20
cias, *animalium :* de quibus et philosophi, Aristoteles, Theophrastus, et alii multi scripserunt; *et iras bestiarum :* quarum multæ sunt feroces et iracundæ; *vim ventorum :* aliqui enim venti sunt calidi, aliqui frigidi; aliqui tempestuosi, alii vero sereni et quieti; *et cogitationes hominum :* quas in se ipsis intra cordis secretum cognoscere, Deo est proprium, nec sine ejus revelatione noscuntur in via; possunt tamen conjecturaliter sciri per exteriora quædam indicia et gestus ac apparatus,
juxta illud Proverbiorum : Quomodo in Prov. XXVII, 19.
aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.
Et Ecclesiasticus ait : Ex visu Eccli. XIX, 26.
cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. *Differentias virgultorum :* quæ distinguuntur ab invicem per differentias essentiales et accidentales, va-

riasque ,virtutes et operationes; *et virtutes radicum :* quæ habent diversas vires medicinales, miras, perutiles.

21 *Et quæcumque sunt absconsa,* id est hominibus incognita, *et improvisa,* tanquam subito et impræmeditate evenientia, *didici* ex revelatione et infusione divina. *Omnium enim artifex docuit me sapientia,* id est Sapientia increata, quæ est ars omnium productiva, exemplaribus et idealibus rerum rationibus plena, juxta illud : *Joann.* I, 3, 4. Quod factum est in ipso vita erat. Hinc *III Reg.* IV, 29, 33. alibi scriptum est : Dedit Dominus sapientiam Salomoni, et prudentiam multam nimis : et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete; et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. Porro, quod increata Sapientia potuit eum ita docere, declarat subdendo :

22 *Est enim in illa spiritus intelligentiæ sanctus.* Per spiritum intelligentiæ sanctum, potest intelligi Spiritus Sanctus : de *Sap.* I, 6. quo dictum est supra, Benignus est enim spiritus sapientiæ. Qui est in Christo, secundum naturam assumptam, secundum *Is.* XI, 2. illud in Isaia : Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus. Est quoque in Christo secundum quod Deus, quia procedit a Patre et Filio, et manet in utroque. Insuper unaquæque divina et increata Persona est spiritus, et tota simul Trinitas adoranda est unus spiritus, sicut et unus Deus, quum dicatur, *Joann.* IV, 24. Spiritus est Deus. Sicque in Sapientia increata est spiritus sapientiæ sanctus, id est mens seu animus intellectualis, qui est ipsamet Sapientia increata : sicut in ea est divina essentia et beatitudo, ac pulchritudo immensa.

Est igitur utroque modo in ea spiritus sapientiæ sanctus, id est essentialiter purus, *unicus* in natura, et maxime simplex, *multiplex* in effectu, id est multiplices gratias præstans. Quorum utrumque insi- *I Cor.* XII, 8-10. nuans Paulus : Alii, inquit, per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia sanitatum, alii operatio

A virtutum, etc., et addit, Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult. *I Cor.* XII, 11. *Subtilis,* id est omnia acutissime ac profundissime scrutans ac intuens, dicente Apostolo : Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei; *Ibid.* II, 10. et rursus, Quæ sunt Dei, nullus novit nisi Spiritus ejus; *Ibid.* 11. itemque, Vivus est sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti. *Hebr.* IV, 12. Ab ipso quoque est omnis ingeniorum subtilitas. *Disertus,* id est eloquens, efficaciamque loquendi concedens : qui et B omnium linguarum notitiam in primitiva frequenter dedit Ecclesia; et, ut infra habetur, Linguas infantium fecit disertas. *Sap.* X, 21. *Mobilis,* id est maxime agilis, et omnia cetera movens, atque ad electorum corda se dirigens, et illis progressum in spirituali profectu distribuens. Unde ait Vas electionis : Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei. *Rom.* VIII, 14. Juxta hunc modum loquendi divinus Dionysius asserit, divinas ad nos illuminationes, Patre moto, descendere. Et Plato perhibuit, primum motorem C mobilem esse.

Incoinquinatus : quia mundissimus, et incontaminabilis, et inquinata emundans; *certus :* quoniam cuncta infallibiliter novit, et certitudinem in verorum notitia donans; *suavis :* est enim naturaliter dulcis, et summe conveniens ac consolatorius : quo adspirante, jugum Dei videtur suave; *amans bonum, acutus :* quoniam unumquodque in tantum diligit naturali amore, quantum habet de bonitate : maxime tamen amat bonum gloriæ, deinde D bonum gratiæ, et tertio loco bonum naturæ. Nam et similitudo ratio est amoris : unumquodque autem quantum habet de bonitate, tantum assimilatur Spiritui Sancto. Ideo amat omne bonum, secundum quod tale, et sic conservat illud in esse, saltem ad tempus. *Qui nihil vetat benefacere :* imo ad omne bonum instigat, et quæ justa sunt, fieri jubet. Sed obviare videtur, quod in Actibus Apostolorum leguntur Paulus et Silas vetati a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. *Act.* XVI, 6. Et responden-

Digitized by Google

dum, quod bona agenda sunt tempore op-
portuno, ac desuper præstituto. Ideo, quod
Act. xviii, 6, 18-23; xix, 9, 10. Spiritus tunc prohibuit Paulo, post fieri
jussit. Sic et Christus ante passionem suam
Matth. x, 5. prohibuit discipulis prædicare gentilibus,
Ibid. xxviii, 19: Marc. xvi, 15; Luc. xxiv, 47. ad quos postea misit eos.

Humanus, id est communicativus et
compassivus, non per veritatem affectus,
23 sed per similitudinem operis; *benignus :*
quia naturaliter pius; *stabilis,* id est inva-
riabilis, et nos in virtutibus sanctis stabi-
liens; *certus, securus :* quia scit nil sibi
posse resistere, de sua beatitudine infini-
ta æternaliter tutus; *omnem habens virtu-
tem,* id est potestatem perfectam, tanquam
omnipotens : in quo universæ virtutes su-
perexcellentissime ac simplicissime con-
tinentur, et sunt ipsa ejus essentia, qui
substantialiter virtuosus ac sanctus est;
Hebr. iv, 13. *omnia prospiciens :* omnia namque nuda
et aperta sunt oculis ejus; *et qui capiat
omnes spiritus intelligibiles,* id est om-
nium intellectualium creaturarum et a
materia abstractarum contentivus : quia
illos conservat in esse, et comprehendit in
se; et quidquid perfectionis in illis est
divisim ac imperfecte, in ipso est simpli-
cissime cum infinita perfectione; *mun-
dus, subtilis :* sicut expositum est. Aliqui
tamen habent, Mundos, subtiles : quia in-
tellectuales creaturæ, præsertim a materia
separatæ, sunt in sua natura puræ, quam-
vis quædam sint voluntatis perversæ; sunt
quoque acutæ ingenio.

24 *Omnibus enim mobilibus mobilior est
sapientia.* Sapientia increata eo sensu fer-
tur mobilis, et cunctis mobilior, quo jam
dictum est de spiritu sapientiæ, quod sit
mobilis. Sapientia igitur cunctis mobili-
bus est mobilior, id est agilior, quia ve-
locissime procedit per effectum ad uni-
versa quæ vult, imo instantanee, quum
sit potentiæ infinitæ, cui competit agere
Act. xvii, 28. in instanti : in qua vivimus, movemur, et
sumus, quoniam procedit ad universa per
suam providentiam, gubernationem, re-
rumque conservationem. Hinc subditur :

Attingit autem ubique, quum sit incir-
A cumscripta et omnibus influxiva, portans Hebr. i, 3.
omnia verbo suæ virtutis, *propter suam
munditiam,* id est puritatem et simplici-
tatem immensam : in qua non est materia
limitans, nec differentia contrahens, nec
potentialitas ulla coarctans : ideo purus
actus vocatur, et incircumscriptibile lu-
men. *Vapor est enim virtutis Dei,* id est 25
ab omnipotente Patre procedens, sicut va-
por ab aqua elevatus virtute solis. Itaque
Sapientia dicitur vapor Dei similitudina-
rie. *Et emanatio quædam est claritatis
B omnipotentis Dei sincera,* id est res et
persona æternaliter profluens et nascens
ex Deo Patre : qui intuendo ac intelligen-
do se ipsum, id quod in se et de se intue-
tur ac noscit, hoc intra se profert ac gi-
gnit; et quod sic gignitur generatione
intellectuali supermundissima et imma-
nente, est Verbum Dei Patris æternum, et
unicus Filius ejus, in quo quidquid Patris
est, naturaliter atque plenarie splendet ac
repræsentatur. *Et ideo nihil inquinatum
in illam incurrit,* id est, nihil imperfecti-
C onis, tenebrositatis, aut maculæ invenitur
aut est in ea, quum sit verus Deus in-
commutabilis et perfectus. De quo S. Joan-
nes ait : Deus lux est, et tenebræ non sunt I Joann. i, 5.
in eo ullæ.

Candor est enim lucis æternæ, id est 26
splendidissima lux procedens a Patre, et
splendor pulcherrimus in quo Pater plene
relucet ac cernitur, prout ait : Qui videt Joann. xiv, 9.
me, videt et Patrem; *et speculum sine ma-
cula Dei majestatis,* id est immaculatissi-
mum speculum majestatis paternæ, in quo
D et infinita excellentia Patris resplendet, et
cuncta creata clarissime idealiterque re-
lucent. Quemadmodum enim Pater unico
actu se ipsum et universa creata intelligit,
sic unica generatione genuit Filium, in
quo ipse perfecte resplendet, et universa
relucent creata. Hinc subditur : *et imago
bonitatis illius,* id est ipsius superboni
Dei Patris : cujus infinita bonitas manife-
statur in hoc, quod bonitatem suam tam
plene et infinite communicat Filio suo,
nil proprium et singulare sibi reservans.

Digitized by Google

Bonum namque est sui diffusivum. Est itaque Sapientia increata ac genita, seu Unigenitus Patris, naturalis et perfecta imago ipsius, ipsum plenissime repræsentans. Intellectualis autem creatura, vocatur imago Dei imitativa, vel potius ad Dei imaginem condita. (Gen. I, 27; Sap. II, 23.) Denique de ratione filii est, quod sit similis genitori. His concordat illud Apostoli, loquentis de Christo : Qui quum sit splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ; (Hebr. I, 3.) et alibi, Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. (Coloss. I, 15.)

27 *Et quum sit una,* id est simplex ac indivisa in sua essentia ac persona, *omnia potest,* quia omnipotens, sicut et Pater : imo utriusque est una potestas; *et in se permanens,* id est invariabiliter impermixtibiliterque consistens, quia nil ei potest misceri, *omnia innovat,* id est, regendo immutat, et per generationum successionem restaurat hæc mixta, et elementum terræ in vere, autumno, hieme, et æstate; animas quoque rationales, per gratiæ infusionem seu augmentationem, et spiritualem profectum. Unde dicitur in Psalmo : Emittes Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ; (Ps. CIII, 30.) atque in Apocalypsi : Dixit qui sedebat in throno, Ecce nova facio omnia. (Apoc. XXI, 5.) *Et per nationes,* id est in diversis nationibus absque personarum acceptione, et per generationum successiones, *in animas sanctas se transfert,* multiplicando in eis divina charismata, et tam gratiæ gratum facientis, quam gratiæ gratis datæ dona. Nam animæ sanctæ capaciores sunt ceteris divinæ illuminationis et inhabitationis supernæ : imo jugiter stant quasi in contactu Solis æterni, a quo radios sapientiæ, inflammationes caritatis divinæ, stillicidia gratiæ frequenter ac liberaliter sortiuntur. *Amicos Dei et Prophetas constituit :* id est, eos quos sapientia caritateque replet, et de futuris illuminat, facit Dei amicos atque Prophetas.

28 *Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat,* id est, nisi eos qui per caritatem uniuntur Sapientiæ increatæ, et manent in ea per adhæsionem fidelem; vel qui ipsum sapientiæ infusæ donum intra se habent ac servant. Tales etenim diligit Deus dilectione prædestinationis æternæ, dummodo finaliter perseverent; vel secundum præsentem justitiam, quamdiu sunt tales. Nam sapientiæ donum a caritate non separatur. Quicumque autem hoc dono caret, habet in se vitium puerilitatis dono illi contrarium, quod vocatur stultitia : quod cunctis inest iniquis, de quibus in Ecclesiaste habetur : Stultorum infinitus est numerus. (Eccle. I, 15.) Præterea in lege naturæ, et postea tempore legis scriptæ, multi gentiles facti sunt tales, et non tantum Hebræi.

29 *Est enim hæc speciosior sole :* quo utique increata Sapientia infinite est pulchrior. Sapientia quoque infusa, quum sit spirituali pollens decore, et præclarissima inter dona, speciosior est omni corporea venustate. *Et super omnem dispositionem stellarum luci comparata,* id est corporali claritati astrorum, seu luci stellis superfusæ assimilata, *prior invenitur :* quoniam Sapientia increata prior est illa luce, non solum infinita dignitate, sed et causalitate atque æternitate. Sapientia quoque infusa prior est dignitate : imo in angelis prior fuit illa luce etiam duratione.

30 *Illi enim succedit nox,* id est, lucem claritatis diurnæ nox sequitur; *sapientiam autem non vincit malitia :* imo, per donum sapientiæ resistit homo tentationi, et vincit in bono malum, (Rom. XII, 21.) servans patientiam in adversis, et sua probitate aliorum superans ac confundens improbitatem. Quod si sapientia vinci dicatur a malitia aut insipientia, hoc est ex fragilitate et libertate sui subjecti, quod sponte consentit iniquitati. Verumtamen istud de increata Sapientia dictum censetur, quia mox subditur : Attingit a fine usque ad finem fortiter, etc. Certum est enim, quod increatam Sapientiam nulla queat malitia superare; nec diabolus potuit suis tentationibus vincere Christum.

Digitized by Google

ARTICULUS VIII

ELUCIDATIO CAPITULI OCTAVI : ATTINGIT ERGO A FINE USQUE AD FINEM FORTITER.

ADHUC de excellentia et effectibus increatæ Sapientiæ, et qualiter se ad eam habuerit, et quid fructus ex ea sit consecutus, prosequitur auctor in isto capitulo.
1 *Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter.* Hæc etenim Sapientia quum sit incircumscriptibilis, ubique est præsens, et omnia penetrat, ipsisque essentiis rerum illabitur. Idcirco ab uno fine universi usque ad alium ejus finem, seu de uno extremo mundi ad aliud ejus extremum, attingit, nec infra hos limites terminatur. *Eccli.* xxiv, 8. Hinc in Ecclesiastico protestatur : Gyrum cœli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi. Insuper, quum Sapientia ista sit vere æterna, attingit a fine, id est a termino in quo mundus incepit, usque ad terminum in quo mundus sensibilis iste deficiet. Propter quod in Proverbiis fate- *Prov.* viii, 27. tur : Quando præparabat cœlos, aderam; quando certa lege et gyro vallabat abyssos. Rursus, Attingit a fine usque ad finem fortiter : quia sicut per eam omnia facta sunt potenter, sic per eam gubernantur omnia sapienter. Unde subjungitur : *et disponit omnia suaviter,* id est, cuncta regit et ordinat convenienter, secundum naturam uniuscujusque eorum, per media apta ad finem congruum sibi, ad quem unicuique inclinationem indidit naturalem. Nam etsi hominem ad supernaturalem condidit finem, nihilo minus impressit ei naturalem inclinationem ad felicitatem : et supernaturalis illa beatitudo, est homini incomparabiliter melior ac delectabilior quam naturalis felicitas. Hinc et in Job asse- *Job* xxviii, 3, 24. ritur : Universorum finem considerat, et omnia quæ sub cœlo sunt, respicit. Istud Christus sapientia Patris in Evangelio compendiosissime docet, prohibens sollicitu- A dinem temporalium immoderatam, volens nos in Deo tanquam in providissimo, piissimo ac fidelissimo patre confidere, et declarans etiam irrationalia et inanimata a divina providentia procurari : Respicite, *Matth.* vi, 26. inquiens, volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt; et Pater vester cœlestis pascit ea.

Denique subtiliores ac meliores philosophi, ex consideratione decentissimi ordinis rerum, et propria uniuscujusque adornatione, proprietate, eventu, dixerunt hæc B omnia sub divina providentia cadere. Unde decimo de Civitate Dei loquitur Augustinus : Plotinus Platonicus de Providentia disputans, eam a summo Deo usque ad hæc terrena et ima pertingere, flosculorum ac foliorum pulchritudine comprobat : quæ omnia quasi abjecta ac velocissime pereuntia, decentissimos formarum suarum numeros habere non posse affirmat, nisi inde formentur, ubi forma intelligibilis et incommutabilis simul habens omnia, perseverat. Propter hoc, quinto de Civitate C Dei rursus disseruit Augustinus : Deus nec exigui et contemptibilis animantis viscera, nec herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum convenientia partium et quadam veluti pace reliquit. Idcirco et in libro de Causis pulchre probatur, quod causa prima regit res omnes per finem decoris, id est cum summo decore. Siquidem inferiora regit per superiora, irrationalia per intellectualia, homines per angelos, sed et per se ipsam aliqua agit in rebus. Et quamvis in se et per se universa D disponat, providentiam tamen per causas secundas in multis exsequitur.

Præterea, quamvis in rerum regimine multa videantur indecentia et injusta, ut

Digitized by Google

quod justi ab impiis opprimuntur, ac con- A similia; tamen in ordine ad providentiam Dei cuncta congruentissime disponuntur. Et frequenter quod esse videtur pœna, est medicina; et quod reputatur injuria, est corona. Sed in talibus occulta sunt et latent nos divina judicia.

2 *Hanc,* scilicet increatam Sapientiam, et etiam infusam sapientiam quæ est donum, *amavi, et exquisivi,* id est, obtinere multipliciter laboravi, *a juventute mea,* in qua non concupiscentiæ, sed sapientiæ stu-

Prov. VIII, 17. dui : quoniam ipsa locuta est : Ego dili- B gentes me diligo; et qui mane vigilaverit ad me, inveniet me. Unde rursus Sapiens

Eccli. VI, 18. exhortatur : Fili, a juventute tua excipe doctrinam, et usque ad canos invenies sapientiam. *Et quæsivi sponsam eam mihi assumere :* id est, studui ei amorose ac familiariter adhærere, eamque brachiis caritatis amplecti, atque ex unione cum ea fructum actuum virtuosorum producere : quod totum tam de Sapientia increata, quam de sapientia infusa, suo potest modo intelligi. Porro in Canticis canticorum Sa- C pientia ista increata ac genita, non sponsa,

Cant. VIII, 1; I, 3, 11; I, II, V-VIII. ut hic, sed sub nomine fratris et regis ac dilecti, sponsus vocatur. Cujux triplex, ut ibi expositum fuit, est sponsa : videlicet generalis, quæ est universalis Ecclesia, et etiam sponsa particularis, videlicet anima justi, sponsaque singularis, quæ est beatissima et incomparabilis Virgo Maria. Ipsa etenim sapientia dicitur sponsa, propter rationes jam tactas. Unde et in Proverbiis

Prov. VII, 4. legitur : Dic sapientiæ, Soror mea es; et prudentiam voca amicam. Est itaque spon- D sa, quia amator sincerus, homo justus, seu spiritus rationalis mundus et sanctus, suscipit eam, et brachiis eam stringit amoris, et conjungit se ei, atque ex unione cum ea parit fructum virtutum. Est quoque sponsus, quoniam mentem creatam applicat sibi, et sancta succendit dilectione, spiritualiterque fecundat, atque ex ea et per eam producit opera bona, juxta il-

Is. XXVI, 12; Philipp. II, 13. lud in Isaia : Omnia opera nostra operatus es in nobis. Unde dixit Apostolus : Deus est qui operatur in nobis velle et perficere.

Et amator factus sum formæ illius, id est pulchritudinis Sapientiæ increatæ, imo et sapientiæ infusæ, quæ est pulcherrimus mentis ornatus, increatæ menti ac Sapientiæ ejus æternæ eam conformans. At vero, quamvis pulchritudo toti supergloriosissimæ conveniat Trinitati, attamen Sapientiæ genitæ seu Verbo æterno appropriatur. Verbum namque est emanatio intellectus, ad quod pertinet repræsentare intelligentis conceptum. Ideo quidquid Patris est, repræsentatur ac plene refulget in Filio : quod ad pulchritudinis pertinet rationem. Ideo subtilissime dixit Hilarius : Æternitas est in Patre, species in imagine, id est pulchritudo in Filio, usus in munere, id est communio in Spiritu Sancto, qui est donum Patris ac Filii.

Generositatem illius, id est nobilitatem 3
et excellentiam Sapientiæ increatæ, imo et doni sapientiæ, *glorificat,* id est, præclaram et summam esse manifestat, *contubernium habens Dei,* id est quicumque illuminatus a Deo, et per caritatem sapientiamque infusam, societatem quamdam habens cum eo, ac Creatori cohabitans per charismata gratiæ. Talis quippe sic desuper illustratus per fidem rationibus credendorum ornatam, et infusæ sapientiæ gustum, ac contemplationis acumen, novit, confitetur, magnificat Sapientiam increatam, ejusque donum ac radium, sapientiam infusam. Et talis fuit Salomon, saltem ad tempus, qui de deitate, eminentia, Prov. VIII, 22-31.
ac generatione æterna increatæ ac genitæ Sapientiæ, evidenter locutus est in Proverbiis; alii quoque sancti Prophetæ, et præsertim Apostoli. Potissime autem Christus secundum quod homo, plenissime adimpletus omni superno charismate suæ perfectioni non derogante, contubernalisque Patri, sicut in Apocalypsi testatur, Sedi Apoc. III, 21.
cum Patre meo in throno ejus; declaravit nobis suam deitatem, sapientiam, excellentiamque immensam, juxta illud : Deum Joan. I, 18.
nemo vidit unquam; unigenitus Filius,

Digitized by Google

qui est in sinu Patris, ipse enarravit. *Sed et omnium Dominus dilexit illam,* id est, Deus Pater dilexit ac diligit Sapientiam istam æternam, utpote Verbum suum æternum et unicum Filium, sicut in ejus baptizatione ac transfiguratione locutus est : Matth. III, 17; XVII, 5. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Diligit, inquam, eum dilectione intensive immensa, videlicet tanta, quanta se ipsum. Christum vero secundum naturam assumptam, diligit plus quam totum pariter universum, quia majus bonum voluit communicavitque ei, hoc est increatum et hypostaticum esse Verbi æterni, ad quod assumpta est humanitas Christi.

4 *Doctrix est enim disciplinæ Dei,* id est moralis scientiæ, per quam homines fiunt Deo placentes. Quam disciplinam Christus Ibid. V, 3. in Evangelio docuit copiose, dicendo : Beati pauperes spiritu, etc. Joann. I, 16. Nam de plenitudine ejus accepimus omnes. Et quamvis doctrina ista non sit causa a priori, ob quam Pater diligit Christum modis jam tactis, est tamen causa a posteriori, seu signum quod diligit ipsum. Juxta quem Ibid. VIII, 29. modum Filius in Evangelio ait : Pater non reliquit me solum : quia ego quæ placita sunt ei, facio semper. *Et electrix operum illius,* id est, opera veraciter virtuosa ac placita Deo, approbat et eligi facit, vitiosaque reprobat, dicens : Matth. VII, 15, 16. Attendite vobis a falsis prophetis, etc.; a fructibus eorum cognoscetis eos.

5 *Et si divitiæ appetuntur in terra**, *quid sapientia locupletius?* quasi dicat : Quicumque cupit et amat divitias temporales, merito debet sapientiam istam appetere et amare : quia in ea est omnium bonorum, omniumque pulchrorum ac desiderabilium plenitudo immensa. Quæ in Proverbiis contestatur : Prov. VIII, 18. Mecum sunt divitiæ et gloria. Et iterum Salomon loquitur : Ibid. XVII, 16. Quid prodest stulto habere divitias, quum sapientiam emere non possit? quia in sapientia consistit opulentia vera. Nam et vita æterna est in actu sapientiæ, qui est primæ et summæ contemplatio veritatis. Unde locutus est Isaias : Divitiæ salutis sapientia et scientia. Is. XXXIII, 6. *Quæ omnia operatur.* Increata namque Sapientia, omnium est creatrix, juxta quod in Evangelio legitur : Omnia per ipsum facta sunt. Joann. I, 3. Et cuncta quotidie moderatur ac administrat et regit, quemadmodum testatur : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Ibid. V, 17. Quum igitur omnia operetur, constat quod omnium perfectiones in ea consistant, et ipsa universis sit ditior.

* vita

6 *Si autem sensus operatur,* id est, si intellectus creatus, seu B humana notitia, est activa diversorum effectuum, *quis horum quæ sunt, magis quam illa, est artifex?* tanquam dicat : Utique nullus, quoniam Sapientia increata est universorum exemplaris effectivaque causa, a qua cuncta procedunt, sicut artificiata a suo artifice. Ex quo sequitur, quod nihil potentius sapientia : ideoque, si quæratur potestas, ipsa vere omnipotens, summe est expetenda.

7 *Et si justitiam quis diligit,* id est, si quis appetit esse virtuosus. Justitia enim C uno modo dicitur esse omnis seu quælibet virtus, quoniam per unamquamque virtutem homo se habet ut decet ac debet, debitumque impendit Deo obsequium : quod etiam de misericordia clarum est, quia per eam proximis subvenitur, quod a Deo præcipitur. *Labores hujus magnas habent virtutes :* id est, actus quibus pro sapientia obtinenda ac possidenda laboratur, annexas habent ac promerentur virtutes præcipuas, seu earum opera bona, sive profectuum incrementa, quemadmodum dictum D est supra : Sap. III, 15. Bonorum laborum gloriosus est fructus. Ipsa etiam increata Sapientia taliter laborantibus infundit virtutes, aut spirituales profectus. Propterea subditur :

Sobrietatem enim, id est temperantiam, *et sapientiam,* id est prudentiam, *docet :* quia eas largitur, et qualiter utendum sit eis, inspirat; *et justitiam* quæ est virtus specialis, *et virtutem,* id est fortitudinem, quæ passionem timoris refrenat ac moderatur, et quæ ardua facit viriliter aggredi, et circa pericula mortis se strenue gerit.

Digitized by Google

Hæ sunt quatuor cardinales virtutes. De quibus subjungitur : *quibus nihil utilius est in vita hominibus :* quia istæ quatuor virtutes præcipue conferunt homini ad obtinendum salutem. Verumtamen virtutes theologicæ, et etiam septem dona, sunt eis præstantiores. Sed inter virtutes morales, istæ præfulgent ac utiliores censentur. Unde et in ordine harum, cardinales (id est principales) dicuntur; vel, cardinales, quoniam aliæ virtutes morales circa ipsas versantur et reducuntur, sicut ostium in cardine vertitur. De harum quatuor virtutum cardinalium sufficientia, ratione, proprietate, et distinctione, diffuse loquitur Thomas in prima secundæ, quæstione 61.

De quibus et Seneca in libro de Copia verborum, seu Quatuor virtutibus, pulchre tractat : Si prudentiam, inquiens, amplecteris, ubique idem eris, et prout rerum ac temporis varietas exigit, ita te illis accommodabis; nec in aliquibus te mutabis, sed magis aptabis : sicut manus eadem est, quum in palmam extenditur, et dum in pugnum restringitur. Prudentis proprium est examinare consilia, nec credulitate incauta ac facili falli. Denique fortitudinem vocat magnanimitatem. De qua scribit : Magnanimitas, quæ et fortitudo dicitur, si insit animo tuo, cum magna fiducia vives liber, intrepidus, alacer : quæ tamen si modum suum excedat, faciet virum minacem, inflatum, turbidum, inquietum, et in quascumque extollentias verborum atque factorum, neglecta honestate, festinum. Porro justitia est tacita naturæ conventio, in adjutorium multorum inventa. Justitia non nostra institutio, sed divina lex est, et vinculum societatis humanæ. Quisquis hanc sectari desideras, Deum time prius et ama, ut ameris ab eo. Amabis Deum, si eum in hoc imiteris, ut omnibus velis prodesse, nulli nocere : et tunc omnes te virum justum appellabunt, sequentur, venerabuntur ac diligent. Justus autem ut sis, non solum aliis non nocebis, sed nocentes pro viribus prohibebis. Temperantia demum a brutis te dividet, et a fœdis separabit inquinamentis, ut ratione, non passione, te regas. Hæc Seneca.

8 *Et si multitudinem scientiæ,* id est scientiam copiosam, *desiderat quis, scit præterita, et de futuris æstimat,* id est, prænoscit, et quibusdam certam, quibusdam probabilem, dat futurorum notitiam; *scit versutias sermonum,* id est contortas sententias, astutiasque verborum, quibus nequaquam poterit falli, *et dissolutiones argumentorum.* De quibus omnibus instruit suos, quibus promisit : Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. (*Luc.* XXI, 15.) Hinc quum quidam surrexissent de synagoga, disputantes cum beatissimo Stephano, non poterant resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur per primicerium martyrum. (*Act.* VI, 9, 10.) *Signa et monstra scit, antequam fiant,* id est, futura mirabilia et insolita, aliquid designantia, monstratione admirationeque digna, prænoscit. De quibus in Evangelio loquitur : Erunt signa in sole et luna. (*Luc.* XXI, 25.) Rursus : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum; et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. (*Ibid.* 10, 11.) Et apud Joelem : Dabo prodigia in cœlo et in terra, sanguinem et ignem et vaporem fumi; sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis. (*Joel* II, 30, 31.) *Et eventus temporum et sæculorum,* id est, quid in singulis quibusque temporibus et certis durationibus ac generationibus, fiet sive eveniet.

9 *Proposui ergo hanc* Sapientiam increatam *adducere mihi ad convivandum,* id est, gratiosam ejus præsentiam, inhabitationem, adventum, decrevi promereri ac adipisci, orando et alia bona agendo, ut spiritualiter epuler secum, et ipsa mecum, delectando in ea, et per ejus contemplationem, cultum, amorem, me reficiendo : quoniam ipsa in Apocalypsi testatur : Ego sto ante ostium, et pulso; si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, et cœ- (*Apoc.* III, 20.)

Digitized by Google

nabo cum eo, et ipse mecum. *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis,* id est, dona gratiæ suæ mihi distribuet, et spiritualiter me ditabit : quia quanto quis frequentius et affectuosius ipsam contemplatur, et ei se applicat, tanto plus crescit in donis ipsius; *et erit allocutio cogitationis et tædii mei,* id est, sua inspiratione et illustratione cogitationes meas diriget et purgabit, meaque tædia consolabitur et excludet : quoniam ejus irradiatio mundat, exhilarat, ac dirigit mentem, et vana atque phantastica ejicit tædia.

10 *Habebo propter hanc claritatem ad turbas,* id est, magnæ reputationis ac famæ ero inter homines, propter sapientiam mihi infusam a Sapientia increata; *et honorem apud seniores :* quia eos qui in sapientia clare præfulgent, reputant honorandos.
11 *Juvenis et acutus inveniar in judicio,* id est vigorosus et subtilis ad judicandum de causis etiam arduis; *et in conspectu potentium admirabilis ero, et facies principum mirabuntur me :* id est, principes signa admirationis de eminentia sapientiæ meæ ostendent in vultu suo, se invicem ac me cum apparatu attonito intuendo.
12 *Tacentem me sustinebunt,* id est, patienter ferent et præstolabuntur, quousque loqui incipiam, aut verbum interruptum resumam; *et loquentem me respicient,* verba sapientiæ meæ diligentissime auscultando, meamque facundiam ac peritiam admirando; *et sermocinante me plura, manus ori suo imponent,* id est, loqui non præsument, verba mea interrumpendo.
13 *Propterea * habebo per hanc, immortalitatem,* id est, increatæ Sapientiæ ero conjunctus in vita hac, per caritatem vitamque gratiæ, et in futuro, per vitam gloriæ; *et memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam,* id est, in sæculo isto per generationum successiones ero famosus usque in sæculi finem.

* Præterea

14 *Disponam,* id est, regam, ordinabo, erudiam, *populos :* ad quorum gubernationem fit homo per sapientiæ eminentiam præcipue aptus; *et nationes mihi erunt subditæ :* quia tam caritative ac discrete ad subditos me habebo, quod libenter obedient mihi.
15 *Timebunt me audientes reges horrendi,* id est, audiendo profunditatem verborum meorum, concipient reverentialem ac formidolosum affectum ad me : quemadmodum Nabuchodonosor rex metuendissimus, auditis verbis sancti Danielis, prostravit se, adoravitque eum. *Et in multitudine bonus videbor :* id est, tam sapienter et juste loquar, quod omnes audientes me, reputabunt me virtuosum; *et in bello fortis :* quia ad prævalendum invisibilibus ac visibilibus hostibus præcipue valet sapientia : quæ facit hominem ordinate procedere ac divino inniti auxilio, custoditumque esse, et consideranda considerare. Hinc in Proverbiis dictum est : Cum dispositione initur bellum; et denuo, Gubernaculis tractanda sunt bella.

Dan. II, 46. — Prov. XXIV, 6. — Ibid. XX, 18.

Præterea omnia ista fuerunt ad litteram in Salomone completa, propter excellentiam sapientiæ ejus. Qui, ut tertio Regum et secundo Paralipomenon legitur, undique famosissimus erat : ita quod omnes reges per gyrum desiderabant vultum ejus conspicere, et verba sapientiæ ejus audire, deferebantque ei munera, et fuerunt ei subjecti. Sed et sanctus Job vir sapientissimus testatur, hæc magna ex parte completa in se, dicens : In platea parabant cathedram mihi. Principes cessabant loqui, et digitum superponebant ori suo; vocem suam cohibebant duces; auris audiens beatificabat me.

III Reg. IV, 31, 34; II Par. IX, 22-24, 26. — Job XXIX, 7, 9-11.

16 *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa :* id est, post occupationes externas, redeundo ad cordis proprii discussionem, atque ingrediens mentis cubiculum, conscientiæ thalamum, ecclesiam, seu habitationem quietam, vacabo per contemplationem, cum grandi tranquillitate, Sapientiæ increatæ, et ab omni exteriori strepitu ac tumultu quiescam in hoc invariabili tranquillissimoque objecto, in quo solo est pax pectoris sancta ac salutaris. De quo dixit Propheta : In pace in id ipsum dormiam, et requiescam. Hinc loqui-

Ps. IV, 9.

Is. xxxii, 18. tur Dominus : Sedebit populus meus in A
pulchritudine pacis, et in tabernaculis fi-
duciæ, et in requie opulenta. *Non enim
habet amaritudinem conversatio illius,* id
est, occupatio mentis in Deo per contem-
plationem, dilectionem, et laudem ipsius,
non habet amaritudinem sibi annexam di-
recte, nec inordinatam amaricationem, *nec
tædium convictus illius,* id est, vivifica et
contemplativa unio cum Sapientia sum-
ma, non est tædiosa, sed gaudiosa. Propter
quod subditur : *sed lætitiam* in contem-
plando, *et gaudium* spirituale in diligen- B
do, vel lætitiam redundantem in partem
sensitivam ex plenitudine gaudii exsisten-
tis in superiori animæ parte, juxta illud
Ps. lxxiii, 3. Prophetæ : Cor meum et caro mea exsul-
taverunt in Deum vivum. Nempe, quum
delectatio oriatur ex unione potentiæ cum
objecto convenienti, sitque diffusio animi
in conceptu adeptioneque boni, dum mens
sincere conjungitur summo et incompara-
bili bono illi, habet copiosæ delectationis
incitamentum, rationem, materiam, et bea-
titudini Dei sui congratulatur, atque ex C
spe beatificæ ejus fruitionis exhilaratur :
et quanto spirituales deliciæ istæ plus
gustantur, tanto plus appetuntur, ac com-
placent, et relevant mentem; corporales
vero delectationes cito vertuntur in nau-
seam, et aggravant corpus. Ideo Sapientia
Eccli. xxiv, 29. loquitur : Qui edunt me, adhuc esurient.
Aristoteles quoque fatetur, quod philo-
sophia habet mirabiles delectationes sibi
admixtas. Et rursus : Delectationi, inquit,
quæ est in consideratione, non est tristitia
contraria. Itemque : Homo contemplativus D
plenus est jucundis theorematibus; nec ex-
tra se expetit delectari, quia in se habet
delectationis puræ materiam.

Sed his objici potest quod in Ecclesiaste
Eccle. i, 18. habetur : In multa sapientia multa est in-
dignatio, et qui addit scientiam, addit et
Ibid. vii, 5. dolorem ; et iterum, Cor sapientium ubi
tristitia. Et respondendum, quod contem-
plationi seu considerationi sapientiæ, be-
ne adjungitur bona amaritudo, contritio,
dolor concomitanter, ex hoc quod homo
Deum contemplando reflectitur ad sui ip-
sius considerationem, et ad calamitatem
iniquitatemque propriam intuendam, ad
considerandum quoque statum hujus exsi-
lii, ac distantiam sui a beatifica visione :
et sic suis vitiis indignatur, et cum Sancto
exclamat : Heu mihi! quia incolatus meus Ps. cxix, 5.
prolongatus est; et cum Paulo : Infelix Rom. vii, 24.
ego homo! quis me liberabit de corpore
mortis hujus?

Hæc cogitans apud me, id est in me : 17
juxta quem modum fertur, Verbum erat Joann. i, 1.
apud Deum; *et commemorans,* id est fre-
quenter revolvens, *in corde meo, quoniam
immortalitas est in cogitatione sapientiæ,*
id est, quod homo contemplationi sapi-
entiæ immorando, immortalitatem gloriæ
promeretur, et ipsa contemplatio, quæ hic
inchoatur, in futuro perficitur ac perpe-
tuatur : prout Christus in Evangelio dixit,
Maria optimam partem elegit, quæ non Luc. x, 42.
auferetur ab ea; *et in amicitia illius de-* 18
lectatio bona, id est, quod virtuosa sit de-
lectatio quæ in dilectione Sapientiæ in-
creatæ consistit : quam diligere sanctum
est, et quæ quanto ferventius puriusque
amatur, tanto amplius diligentem dele-
ctat. Nulla etenim virtus, nulla forma tam
delectabiliter operatur, ut caritas. *Et in
operibus manuum illius, honestas sine de-
fectione,* id est, quod in operibus et crea-
turis, seu effectibus justis et sanctis, sit
Sapientiæ æternalis indeficiens honestas,
et irreprehensibilis probitas : quia nil re-
prehensibile ab ea procedit; sed, sicut ait
Psalmista, Justus Dominus in omnibus viis Ps. cxliv, 17.
suis, et sanctus in omnibus operibus suis.
Unde iterum protestatur : Delectasti me, Ps. xci, 5.
Domine, in factura tua; et in operibus
manuum tuarum exsultabo. *Et in certa-
mine loquelæ illius,* id est, quod in confli-
ctu seu disceptatione sapientialium verbo-
rum ac Scripturarum, a Sapientia increata
procedentium, sit *sapientia,* id est instru-
ctio doctrinalis : quia dum sapientes inter
se caritative et sapientialiter disputant ac
conferunt de Scripturis, et contra perfido-
rum errores ac hæreses arguunt, instruunt

Digitized by Google

II Tim. III, 16. audientes. Unde ait Apostolus : Omnis Scri-
ptura divinitus inspirata, utilis est ad do-
cendum, ad arguendum, ad corripiendum
in justitia. De episcopo quoque loquens :
Tit. I, 9. Potens sit, inquit, exhortari in doctrina
sana, et eos qui contradicunt, arguere. *Et
præclaritas in communicatione sermonum
ipsius,* id est, quod magna sinceritas ac
lucida veritas sit in verbis et eruditioni-
bus, quibus Sapientia erudit suos, et quæ
communicat suis fidelibus, sicut in Pro-
Prov. VIII, 8. verbiis contestatur : Justi sunt omnes ser-
mones mei, et non est in eis pravum quid,
neque perversum.

Circuibam quærens, id est, undique in-
vestigans, cuncta occurrentia consideravi,
ut mihi illam assumerem, id est, Sapien-
tiam invenirem, et inventam, ut sponsam
brachiis pii purique amoris amplecterer. In
cunctis etenim rebus creatis Sapientia pri-
ma relucet, sicut artifex in opere suo. Ideo
Cant. III, 2. fertur in Canticis : Surgam, et circuibo
civitatem ; per vicos et plateas quæram
quem diligit anima mea. Iste est bonus cir-
cuitus, qui a Deo incipit, et terminatur ad
ipsum. Est autem et pravus circuitus, qui
est inordinata evagatio per creata : de qua
Ps. XI, 9. ait Propheta, In circuitu impii ambulant.
19 *Puer autem eram ingeniosus,* id est
acuti atque capacis intellectus. Unde in
libro de Civitate Dei asserit Augustinus :
Ingeniosum nasci, felicitatis est ; et rursus,
Faciliter intelligere, et intellecta bene im-
plere, plena felicitas est. *Et sortitus sum
animam bonam,* id est egregiæ indolis,
A utpote ex naturali dispositione ad sapien-
tiam ac virtutes fortiter inclinatam. *Et* 20
quum essem magis bonus, id est melior fa-
ctus, proficiendo in virtutibus atque inge-
nitam inclinationem assidue actuando, *ve-
ni ad corpus incoinquinatum,* id est mun-
dum ; et corpus meum in puritate, puta in
castitate conjugali, servavi, et rationi sub-
jeci, mundans me ab omni inquinamento
animæ et corporis. Salomon enim per mul-
tos annos fuit vir virtuosus, justus, ac con-
tinens, quamvis in senectute ad extremam
B fœditatem dilapsus sit. *Et ut scivi,* id est, 21
statim postquam cognovi, *quoniam aliter
non possem esse continens* a vitiis et con-
cupiscentiis, *nisi Deus det* gratiam conti-
nendi : quia non est volentis, neque cur- Rom. IX, 16.
rentis, sed Dei miserentis, qui ait, Sine Joann. XV, 5.
me nihil potestis facere. *Et hoc ipsum
erat sapientiæ,* id est actus seu conside-
ratio sapientiæ infusæ, et donum ac in-
spiratio et illuminatio Sapientiæ increa-
tæ, *scire cujus esset hoc donum.* Unde ait
Apostolus : Non spiritum hujus mundi ac- I Cor. II, 12.
C cepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut
sciamus quæ a Deo donata sunt nobis. *Adii
Dominum,* id est, Deum ubique præsen-
tem mente accessi, dirigendo cor meum
in ipsum : juxta illud, Accedite ad eum, Ps. XXXIII, 6.
et illuminamini ; *et deprecatus sum illum,
et dixi ex totis præcordiis meis,* id est
intimis affectibus mentis, seu cum tota
attentione intellectus, affectioneque inte-
gra voluntatis : secundum illud, Confite- Ps. CX, 1; CXXXVII, 1.
bor tibi, Domine, in toto corde meo.

ARTICULUS IX

ELUCIDATIO CAPITULI NONI : DEUS PATRUM MEORUM, ET DOMINE MISERICORDIÆ.

1 ORATIO Salomonis hic ponitur : *Deus
patrum meorum,* scilicet patriarcha-
rum Abrahæ, Isaac, Jacob, et David. Et
quamvis sit Deus universorum jure cre-
D ationis, conservationis, et gubernationis,
specialiter tamen per gratiam præcipuæ
electionis voluit Deus illorum trium Pa-
triarcharum vocari, quemadmodum in Ex-

Digitized by Google

Exod. III, 15. odo legitur : Dixit Dominus ad Moysen : A
Hæc dices filiis Israel : Dominus Deus
patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus
Isaac, et Deus Jacob, misit me ad vos; hoc
nomen mihi est in æternum, et hoc me-
moriale meum in generationem et genera-
tionem. *Et Domine misericordiæ,* id est
dominator misericors, et Dominus omni-
um miserationum. Dicitur ergo Dominus
Act. VII, 2. misericordiæ, sicut in Actibus dicitur Deus
Ps. XXIII, 7-10. gloriæ, et in Psalmo, Rex gloriæ, id est
Dominus misericordiam habens, et mise-
ricordes effectus producens. *Qui fecisti* B
omnia verbo tuo, id est per unigenitum
Joann. I, 3. Filium tuum : secundum illud, Omnia per
ipsum facta sunt. Vel, Verbo, id est im-
Ps. CXLVIII, 5. perio tuo : sicut cantamus : Quoniam ip-
se dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et
creata sunt.
2 *Et sapientia tua,* id est per sapientiam
Ps. CIII, 24. tuam, *constituisti hominem.* Omnia enim
in sapientia fecit; et sicut in Proverbiis
Prov. III, 19. dictum est, Dominus sapientia fundavit ter-
ram, stabilivit cœlos prudentia. *Ut domi-*
naretur creaturæ tuæ, quæ a te facta est : C
Gen. I, 26. quemadmodum loquitur Dominus : Facia-
mus hominem ad imaginem et similitudi-
nem nostram; et præsit piscibus maris, et
volatilibus cœli, et bestiis, universæque
terræ, omnique reptili quod movetur su-
3 per terram. Hinc additur : *ut disponat*
orbem terrarum in æquitate et justitia, id
est, elemento terræ et contentis in eo,
utatur sicut est divinitus institutum; vel
potius, ut genus hominum a se propaga-
tum, recte gubernet. Hoc autem dominium
super inferiores creaturas homo plenius D
habuisset, nisi peccasset. Adhuc tamen
aliqualiter habet illud, secundum illud in
Ps. VIII, 8. Psalmo : Omnia subjecisti sub pedibus
ejus, oves et boves universas. *Et in dire-*
ctione cordis judicium judicet, id est, de
judicandis sententiam proferat cum dili-
genti cordis intuitu, et elevatione mentis
ad te, habendo te Judicem summum sem-
per præ oculis, certus quod et ipse judi-
candus sit a te, qui male judicata rejudi-
cabis. Hinc secundo Paralipomenon rex
Josaphat ait judicibus suæ plebis : Quod- II *Par.* XIX, 6, 7.
cumque judicaveritis, in vos redundabit;
sit timor Domini vobiscum, et cum dili-
gentia cuncta facite.
Da mihi sedium tuarum adsistricem 4
sapientiam, id est Sapientiam tuam tibi
æternaliter vere præsentem, et thronis
cœlestibus jugiter adsistentem, omnium-
que judicialium soliorum cœlestium atque
terrestrium directivam. Quæ in Evangelio
protestatur : Vos qui secuti estis me, se- *Matth.* XIX, 28.
debitis super sedes, judicantes duodecim
tribus Israel. Sedes quoque Dei, sunt cœli,
prout fatur Propheta : Cœlum mihi sedes *Is.* LXVI, 1.
est. Sed et animæ justæ, sunt sedes et thro-
ni ipsius, quum scriptum supra sit : Anima Cf. *Prov.* XIV, 33.
justi, sedes est sapientiæ. Est item unus
chorus angelorum, qui specialiter Throni
vocatur, per quos Omnipotens sua decer-
nit judicia : quibus Thronis infallibiliter
directrix est sapientia ista. *Et noli me*
reprobare a pueris tuis, id est, de numero
electorum servorum tuorum non auferas
me, neque condemnes ut reprobum.
Quoniam servus tuus ego sum : id est, 5
jam tibi devote deservio, et precor ne de-
seras me, sed hanc cordis mei devotionem
semper pie attendas; *et filius ancillæ tuæ,*
videlicet Synagogæ, aut Bethsabee, quæ de
suo excessu pœnitens, deinceps fuit devo-
ta : sicque meritis matris meæ deprecor
exaudiri; *homo infirmus,* id est fragilis,
et ad mala proclivis, *et exigui temporis :*
prout primo Paralipomenon David fate-
tur : Dies nostri quasi umbra super ter- I *Par.* XXIX, 15.
ram, et nulla est mora. Ideo sanctus Job
dixit : Homo natus de muliere, brevi vi- *Job* XIV, 1.
vens tempore, repletur multis miseriis. *Et*
minor ad intellectum judicii et legum, id
est ex me ipso insufficiens ad intelligen-
dum quid de singulis occurrentibus sit
judicandum, nec valens ex me pertingere
ad intelligentiam legum, id est præcepto-
rum tuorum judicialium, cærimonialium
atque moralium, legisque naturalis, ac di-
vinæ, et positivæ. Hinc tertio Regum Salo-
mon recitatur dixisse ad Dominum : Quis III *Reg.* III, 9.
potest judicare hunc populum ? Itemque :

Digitized by Google

III Reg. III, 7. Ego sum puer parvulus, nesciens intro- A
6 itum meum et exitum meum. *Et si quis*
erit consummatus inter filios hominum, id
est perfectus inter homines, *si ab illo fu-*
gerit sapientia tua, id est, si Sapientia
tua æterna reliquerit eum, et sapientiam
salutarem, quæ est donum, subtraxerit
ei, *in nihilum reputabitur,* id est, nullius
erit momenti aut ponderis coram Deo, imo
stultus ab eo censebitur, dicente Aposto-
I Cor. I, 20. lo : Nonne stultam fecit Deus sapientiam
hujus mundi?

Consequenter auctor hujus voluminis in B
persona Salomonis apertissime loquitur.
7 *Tu autem elegisti me regem populo tuo,* id
est ad profectum Israelitici populi : unde
I Par. XXIX, 1. David, Salomonem (inquit) filium meum
elegit Dominus adhuc puerum et tenel-
lum ; *et judicem filiorum tuorum et filia-*
rum : quibus in Deuteronomio Moyses ait,
Deut. XIV, 1. Filii estote Domini Dei vestri : filii scilicet
8 adoptivi. *Et dixisti me,* id est, præcepisti
mihi, *ædificare templum in monte sancto*
II Par. III, 1. *tuo,* puta in monte Moria : in quo Abra-
Gen. XXII, 10. ham voluit Isaac immolare, et in quo Ja- C
Ibid. XXVIII, 12. cob vidit in somno scalam pertingentem
ad cœlum ; *et in civitate habitationis tuæ*
III Reg. IX, 25. *altare,* id est altaria templi, videlicet alta-
Ibid. VII, 48. re holocausti in atrio, et altare thymiama-
tis, quod erat in prima et exteriori templi
parte, prout tertio Regum describitur; *si-*
militudinem tabernaculi tui sancti : quia
templum factum per Salomonem, con-
structum est ad imitationem tabernaculi
Moysis, secundum expositores; *quod præ-*
parasti ab initio, id est, in monte Sinai
Exod. XXVI, 30. loquens Moysi, fieri præcepisti secundum D
exemplar ei in monte monstratum.

9 *Et tecum sapientia tua* increata ac ge-
nita, scilicet unigenitus Filius tuus, o Pa-
ter æterne. Opera etenim superbeatissimæ
Trinitatis ad extra, sunt indivisa. *Quæ no-*
vit opera tua, quæ et adfuit tunc quum
orbem terrarum faceres : imo quum to-
tum conderes universum, quia coæterna,
consubstantialis, et coæqualis est tibi. Quæ
Prov. VIII, 27, 29, 30. in Proverbiis attestatur : Quando præpara-
bat cœlos, aderam; quando certa lege et
gyro vallabat abyssos, quando appendebat
fundamenta terræ, cum eo eram cuncta
componens. Hinc et affirmat ipsa Sapien-
tia : Quæcumque facit Pater, hæc et Filius Joann. V, 19, 20.
similiter facit ; Pater enim diligit Filium,
et omnia demonstrat ei quæ ipse facit. *Et*
sciebat quid placitum esset oculis tuis, id
est intellectui tuo, atque justitiæ ac provi-
dentiæ tuæ, *et quid directum,* id est vere
rectum, et ad te rite relatum, *in præceptis*
tuis, et in executionibus eorumdem. In
Patre namque et Filio est una eademque
sapientia.

Mitte illam de cœlis sanctis tuis, id est, 10
Sapientiam increatam ac genitam mitte
mihi invisibili missione, non ut illa variet
locum, sed per effectum, infundendo mihi
charismata ejus. Porro, per sanctos cœlos,
possunt intelligi cives superni, spiritusque
angelici : in quibus Sapientia ista, sicut et
Pater, esse specialiter perhibetur, quia in
illis præclarius operatur, et se ipsam evi-
dentius gloriosiusque demonstrat. Vel or-
bes cœlestes. Hinc quotidie dicimus : Pater Matth. VI, 9.
noster qui es in cœlis. *Et a sede magni-*
tudinis tuæ, id est a throno majestatis
tuæ immensæ : juxta illud, A summo cœlo Ps. XVIII, 7.
egressio ejus. De quo accipi potest illud
Apostoli : Raptus est usque ad tertium II Cor. XII, 2, 4.
cœlum. *Ut mecum sit* per gratiam et illu-
minationem piissimam, *et mecum laboret,*
id est, efficaciter laborare me faciat, me-
que in laboribus meis dirigat et conser-
vet ; *ut sciam quid acceptum sit apud te,*
id est, quid vere complaceat tibi, ne in
particularibus errem, aut sub specie boni
fallar, aut vitiis passionibusque cæcatus,
erronee judicem : quia, ut ait Scriptura,
Est via quæ videtur homini bona, et no- Prov. XIV, 12; XVI, 25.
vissima ejus ducunt ad mortem.

Scit enim illa omnia, et intelligit, tan- 11
quam universorum creatrix ; *et deducet*
me in operibus meis sobrie, id est, mode-
rate ac discrete faciet me in cunctis quæ
ago, procedere, ita ut dicere possim : Te- Ps. LXXII, 24.
nuisti manum dexteram meam, et in vo-
luntate tua deduxisti me ; et rursus, De- Ps. XXII, 3.
duxit me super semitas justitiæ, propter

Digitized by Google

nomen suum; *et custodiet me in sua po-* A
tentia, id est, a ruina me præservabit sua
propria potestate, cui nullus potest resi-
stere. Ipse quippe est principalis custos
electorum suorum : qui et per angelos ac
12 prælatos custodit oves suas. *Et erunt ac-*
cepta opera mea; et disponam, id est, re-
gam ac ordinabo, *populum tuum juste, et*
ero dignus sedium patris mei, id est, di-
gnus ero sedere ac præsidere populo Is-
rael, residendo in throno regali ac solio
judiciali, atque in cathedra doctorali, in
quibus David pater meus digne consedit, B
Ps. cxviii, 121. faciens judicium et justitiam omni populo
Ps. l., 15. suo, et dixit : Docebo iniquos vias tuas.
13 *Quis enim hominum poterit scire consi-*
lium Dei? quasi dicat : Nullus, nisi quan-
tum fuerit ei mediate vel immediate desu-
per revelatum. Sicque scimus consilium
superadorandæ et supersapientissimæ Tri-
nitatis super modo salvationis generis hu-
mani per incarnationem et passionem Ver-
bi æterni. Sic quoque loquitur in Actibus
Act. xx, 27. Paulus : Non subterfugi quominus annun-
tiarem vobis omne consilium Dei. Præter- C
ea quæri potest, qualiter Deo adscriba-
tur consilium, quum asserat Damascenus,
consilium esse ignorantis naturæ. Et res-
pondendum, quod consilium proprie sum-
ptum, dicitur inquisitio de agendis vel
omittendis : et ita ex ignorantia quadam
procedit. Deo igitur non adscribitur, nisi
imperfectione ista seclusa, et quantum ad
id quod perfectionis in ipso est, scilicet
quoad diligentem considerationem. Itaque
nemo scit consilium Dei, nisi divinitus
Jer. xxiii, 18. reveletur. Propterea scriptum est : Quis D
adfuit in consilio Domini, et vidit, et au-
divit sermonem ejus? Et tamen eodem
Ibid. 20. capitulo Dominus asserit : In novissimis
diebus intelligetis consilium meum. Sic
Rom xi, 34. et Apostolus dixit : Quis cognovit sensum
Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?
Aut quis poterit cogitare quid velit
Deus? Certum est quod Deus gloriosus et
sanctus vult omne bonum virtutum, et
quidquid præcepit atque consuluit. Unde
I Thess. iv, 3. et Paulus : Hæc est, inquit, voluntas Dei,

sanctificatio vestra; et rursus, Deus vult I Tim. ii, 4.
omnes homines salvos fieri, et ad agnitio-
nem veritatis venire. Hinc scriptum est :
Beati sumus nos, quoniam quæ Deo placita Baruch iv, 4.
sunt, manifesta sunt nobis. Quomodo ergo
nemo potest cogitare quid velit Deus, nisi
in quantum Deus illud manifestat? Deni-
que quædam sunt indifferentia, id est nec
bona nec mala moraliter, sed prodesse
possunt atque obesse : et de talibus latet
nos quid velit Deus, aut quid magis ex-
pediat nobis. De quibus etiam intelligen-
dum censetur quod Apostolus loquitur :
Quid oremus sicut oportet, nescimus. Rom. viii, 26.
Cogitationes enim mortalium timidæ. 14
Constat quod cogitationes multorum ho-
minum sint audaces, præsumptuosæ, et
quorumdam securæ et firmæ. Attamen
circa particularia multa agenda, sunt for-
midolosæ : quia pro certo non patet quid
amplius conferat ad salutem seu finem
intentum, et quia nescimus an simus in Eccle. ix, 1.
caritate finaliterve salvandi. Propter quod,
sicut in Ecclesiastico legitur, Sapiens in Eccli. xviii, 27.
omnibus metuit. Beatus enim homo qui
semper est pavidus. Unde et sanctus Job : Prov. xxviii, 14.
Verebar, ait, omnia opera mea. *Et incertæ* Job ix, 28.
sunt *providentiæ nostræ :* quia non pos-
sumus omnia prævidere in particulari,
quæ possunt occurrere. Ideo sæpe puta-
mus esse expediens, quod potius nocet, et
econverso. Hinc in talibus indigemus dono
consilii, quo a Spiritu Sancto dirigimur
ac juvamur ad consulendum, inquiren-
dum, et providendum quid magis expe-
diat. Hinc quoque in legibus humanis et
positivis oportet frequenter fieri dispen-
sationes, quia non potest legislator prævi-
dere aut exprimere universos casus qui
possunt emergere.
Corpus enim quod corrumpitur, id est 15
corpus corruptibile, quod et quotidie ten-
dit ad corruptionem, *aggravat animam,*
id est, a spiritualibus exercitiis et con-
siderationibus intellectualibus frequenter
retrahit ac impedit eam, propter multas et
varias quotidianasque necessitudines suas,
infirmitates ac fragilitates, atque ob fo-

Digitized by Google

[Galat. v, 17.] mitis infectionem. Unde caro concupiscit adversus spiritum. De hoc pulchre loquitur Plato in Phædone, ostendens qualiter decem millia impedimenta vacationum seu contemplationum caro adducat spiritui : quæ nunc somno, nunc cibo et potu, nunc veste, nunc domicilio indiget. De hoc beatissimus Andreas apostolus in suo martyrio devotissime, prout in sua legenda narratur, locutus est. Verumtamen in statu innocentiæ corpus non ita animam aggravasset : et multo minus post resurrectionem generalem, quum fuerit glorificatum, eam gravabit ; imo ornabit lætificabitque animam, et in omnibus ei promptissime erit obediens. Et quamvis corpus corruptibile sic animam gravet, anima tamen naturaliter ei conjungitur : quia in multis utile ac necessarium est animæ, cui naturale est cognitionem intellectivam a sensitiva accipere. *Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem :* id est, detentio seu commoratio animæ in corpore isto terreno mortali, frequenter trahit deorsum, et obtundit ac fuscat intellectum plurima meditantem, quem variis imaginationibus, curis, occupationibusque externis involvit. Ideo clamavit Apostolus : [Rom. vii, 24.] Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? [Ps. cxli, 8.] Et Propheta : Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo. [Job iv, 19.] Unde in Job fertur : Hi qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut a tinea.

16 *Et difficile æstimamus quæ in terra sunt :* id est, inferiora ista caduca ac vilia difficulter et cum incertitudine quadam cognoscimus : ita quod ea perfecte agnoscere non valemus, quantum ad omnia quæ circumstant, accidentaliterque inhærent, et de eis possunt inquiri; proprias vero et essentiales eorum differentias difficillimum est invenire. Quod totum pandit opinionum diversitas, quibus inter se diversificantur atque contendunt philosophi, tam gentiles quam christiani, et item Hebræi. *Et quæ in prospectu sunt,* id est, quæ sensibus nostris objiciuntur, sensibiliterque videntur, *invenimus,* id est, inquirendo seu addiscendo cognoscimus, *cum labore,* imo et frequenter cum erroris deceptione, juxta illud : Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone. [Eccle. i, 8.] Et iterum Salomon dixit : Intellexi quod omnium operum Dei nullam potest homo invenire rationem. [Ibid. viii, 17.] Hoc tamen dixit ut concionator. Hinc scriptum est : Nos quippe involvimur tenebris. [Job xxxvii, 19.] *Quæ autem in cœlis sunt,* id est cœlestia et separata a materia ac invisibilia, *quis investigabit?* quasi dicat : Nemo potest illa investigare in lumine naturali, nisi valde defectuose ac penitus imperfecte : quemadmodum Aristoteles, Plato et alii subtiliores philosophi aliqua inde scrutati sunt. Nam et Aristoteles ait : Sunt ibi entia quædam simplicia, optimam vitam ducentia, et de suis sufficientia. Similiter de ordinibus, naturis, proprietatibus et actionibus intellectualium substantiarum multa locutus est Plato. Sed dicta ac scripta eorum, a veritate in pluribus defecerunt. Unde et ipse discretus ac prudentissimus Aristoteles fassus est, quod intellectus noster ad illorum cognitionem se habet sicut oculus vespertilionis ad lucem solis.

Sensum autem tuum, id est intellectus 17
tui sapientiam, judicia, consilia et decreta, *quis sciet, nisi tu dederis sapientiam,* id est, de talibus illuminaveris et docueris hominem, *et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis,* id est, de throno gloriæ tuæ, et de summo cœlo infuderis eum menti ad illustrandum eam de supernaturalibus illis? Inspiratio namque Omnipotentis dat intelligentiam, [Ibid. xxxii, 8.] et unctio Spiritus Sancti docet de omnibus. [I Joann. ii, 27.] Dicitur autem Spiritus Sanctus mitti, infundi, ac dari per suos effectus gratiosos et gratum facientes. Denique in verbis hujus versiculi, superbenedicta trinitas Personarum in simplicissimo Deo evidenter insinuatur. Huic quoque verbo consonat quod asserit Christus : Quum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. [Joann. xvi, 13.] Ex

Digitized by Google

quibus omnibus elucescit, quam necessaria A
sit hominibus gratiosa et supernaturalis
illuminatio Dei, præsertim quum sine ea
agnoscere nequeamus an actiones nostræ
sint veraciter virtuosæ ac meritoriæ. Unde
18 subjungitur : *et si correctæ sint semitæ
eorum, qui in terris sunt,* id est, an ope-
rationes hominum in terra viventium sint
a vitiis emendatæ, et per justitiam ac fi-
dem formatam directæ, *et quæ tibi pla-
cent, didicerint homines,* id est, an homines
sint vere salubriter informati. Ista, in-
quam, sciri non queunt, nisi per illumi- B
nationem tuam, et Spiritus Sancti missio-
Eccle. IX, 1. nem, quum scriptum sit : Sunt justi atque
sapientes, et opera eorum in manu Dei
sunt; et tamen nescit homo utrum amore
an odio dignus sit.

Nam per sapientiam sanati sunt, id 19
est, a vitiis expurgati, a passionum immo-
derantiis reformati, ab originali peccato
mundati, *quicumque placuerunt tibi, Do-
mine, a principio,* id est ab exordio mun-
di, post primorum transgressionem pa-
rentum. Nam et ipsi primi parentes et
posteri eorumdem electi, per fidem et per
sapientiæ donum sunt recuperati, nec si-
ne divina illuminatione pœnituerunt : et
totum istud ab æterna et increata Sapi-
entia misericorditer perceperunt, quæ in
fine sæculorum incarnata, perfecte recu-
peravit et sanavit genus humanum, juxta
illud : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit *Joann.* I, 29.
peccata mundi. Et per Isaiam dicitur :
Vere languores nostros ipse tulit : cujus *Is.* LIII, 4, 5.
livore sanati sumus.

ARTICULUS X

DECLARATIO CAPITULI DECIMI : HÆC ILLUM, QUI PRIMUS FORMATUS EST A DEO, ETC.

EXCELLENTIAM, pietatem, et opera- C
tionem summæ et increatæ Sapientiæ
hic ostendit per historias rerum gestarum.
1 *Hæc* sapientia *illum, qui primus* inter
individua speciei humanæ, *formatus est a
Deo pater orbis terrarum,* id est ipsum
Adam a Deo procreatum, qui fuit produ-
ctivum principium totius humani generis
ipsum sequentis, *quum solus esset creatus,*
id est ante aliorum hominum productio-
nem, non angelorum, qui simul cum cœlo
empyreo sunt plasmati, *custodivit,* id est,
in innocentia conservavit, quousque per D
2 feminam et serpentem est victus; *et edu-
* a xit illum de* delicto suo,* id est, gratiam
contritionis concessit, per quam de sua
transgressione pœnituit. *Et eduxit illum
de limo terræ,* id est, corpus ejus formavit
Gen. II, 7. de limo, prout habetur in Genesi : Forma-
vit igitur Deus hominem de limo terræ; *et
dedit illi virtutem continendi omnia,* id
est facultatem regendi cuncta inferiora; *Gen.* I, 28.
vel, Virtutem continendi omnia : quia sic
dedit ei originalem justitiam, quod si ipse
mansisset in ea, non perdidisset suam po-
steritatem. Dedit quoque ei virtutem con-
tinendi omnia, id est naturam per quam
in se continet universa, habendo aliquid
commune cum qualibet creatura : quia per
intellectum et rationem convenit cum Cre-
atore et angelis; per sentire, cum brutis;
per vivere, cum plantis; per esse, cum
ceteris inanimatis. Continet etiam omnia
per intellectum atque memoriam, quia in-
tellectivus et memorativus est omnium.

Ab hac sapientia, *ut,* id est postquam, 3
recessit injustus, videlicet Cain, qui post
lapsum non pœnituit, sed desperavit : Ma- *Ibid.* IV, 13.
jor est (inquiens) iniquitas mea, quam ut
veniam merear; *in ira sua,* id est per ira- *Ibid.* 5.
cundiam quam contra Abel justum conce-
pit : cui et invidit; *per iram homicidii,* id

Digitized by Google

est per iram ejus vitiosam, ex qua fratri- A
Gen. IV, 8. cidium perpetravit, ipsum Abel necando, *fraternitas deperiit,* id est, frater ejus exstinctus est, dilectio quoque fraterna ex
4 parte ipsius destructa fuit. *Propter quod,* id est propter sapientiæ derelictionem, seu propter recessum a Sapientia increata, et a sapientiæ dono, *quum aqua deleret terram,* Ibid. VII, 17-23. id est, diluvium submergeret genus humanum. Vel : Propter hoc, id est propter scelus Cain, quum aqua diluvii deleret totam ipsius Cain posteritatem, quæ patris sui malignitatem fuit secuta. Sicque B
in diluvio fuit soluta vindicta piaculi tanti, secundum Glossam : quæ tamen et in
Ibid. IV, 11, 12. ipso Cain cœpit antea exerceri. *Sanavit iterum sapientia,* id est, genus humanum reparavit, *per contemptibile lignum,* id
Ibid. VI, 14. est per arcam factam de lignis, *justum gubernans,* id est, ipsum Noe cum sobole sua conservans, et per filios ejus genus
Ibid. VI-X. humanum multiplicans, ut patet in Genesi.

5 *Hæc et in consensu superbiæ, quum se nationes extulissent, scivit justum :* id est, C
sapientia conservavit et approbavit ipsum Abraham virtuosum, postquam perversæ nationes natæ ex semine filiorum Noe extulerunt se, concorditer superbientes et superbe consentientes ad ædificandum tur-
Ibid. XI, 4. rim Babel, dicentes : Venite, faciamus nobis civitatem et turrim, cujus cacumen pertingat ad cœlum; et celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. Quod etiam facere voluerunt, ut ad turrim illam confugerent, si de cetero diluvium inundaret. *Et conservavit* D
sine querela Deo, id est, ipsum Abraham ad laudem Dei præservavit a vitiis, et irreprehensibiliter vivere fecit. Cui dixit :
Ibid. XVII, 1. Ambula coram me, et esto perfectus; et,
Ibid. XV, 1. Ego protector tuus, et merces tua magna nimis. *Et in filiis misericordiam fortem custodivit,* id est, posteris Abrahæ, scilicet ipsis Isaac et Jacob, et eorum posteritati stabilem exhibuit pietatem, prout legitur
Deut. X, 14, 15. in Deuteronomio : En Domini Dei tui cœlum est, et cœli cœlorum, terra et omnia quæ in eis sunt; et tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus, et elegit eos, amavitque semen eorum post eos.

Hæc sapientia *justum* Lot *a pereuntibus impiis,* scilicet Sodomitis, *liberavit fugientem* cum uxore sua, duabusque filiabus, angelis eum educentibus, *descendente igne* sulfureo *in Pentapolim,* id est quinque urbes vitio contra naturam laborantes : quarum quatuor in Deuteronomio exprimuntur, quum dicitur : Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim. 6 Gen. XIX, 16, 17. Deut. XXIX, 23.

Quibus Sodomitis, id est ad perpetuam eorum confusionem atque diffamiam, *in testimonium,* scilicet *nequitiæ* eorumdem, *fumigabunda constat terra deserta :* id est, terra regionis eorum manet inhabitabilis, et [surgit] fumus fœtidus teterrimusque in signum fœtoris turpissimique ardoris carnalitatis eorum ; *et incerto tempore fructus habentes arbores,* id est, in testimonium turpitudinis Sodomitarum, stant ibi arbores, quæ fructus pulchros habere videntur tempore incerto, id est innaturali atque insolito, sicut et illi contra naturam peccaverunt : qui fructus dum manu tanguntur, in cinerem redigi perhibentur, ad ostendendum quod animæ impiorum illorum sine fructu pœnitentiæ emigrantes, in inferno perpetue ardent; *et incredibilis animæ memoria,* id est, memoriale incredulæ animæ uxoris Lot est ibi, *stans figmentum salis,* id est species seu statua salis, in quam corpus illius conversum est, ob suam incredulitatem et inobedientiam : quoniam contra Dei præceptum retrospexit, prout ista historia in Genesi plenius continetur. Cujus et sacratissimus princeps Apostolorum in sua secunda Canonica meminit, dicens : Civitates Sodomorum et Gomorrhæorum in cinerem Dominus redigens, eversione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi sunt, ponens; et justum Lot oppressum, a nefandorum injuria ac luxuriosa conversatione eripuit. Unde uxor Lot in salem conversa, usque in præsens nos sallit, dum ejus exemplo ab incredulitatis et inobedientiæ vi- 7 Gen. XIX, 26. Ibid. 17. II Petr. II, 6, 7.

Digitized by Google

tiis abstinemus. Propter quod in Evangelio A
Luc. xvii, 32. monet Salvator : Memores estote uxoris Lot. Refert Josephus se statuam illam vidisse.

Porro Magister in Historiis scribit : Versa est regio illa Pentapolis in lacum salsum ac sterilem : qui dicitur mare Mortuum, quia nec pisces, nec aves in eo vivere possunt. Navem non patitur, nec aliquam materiam aliam, nisi bituminatam. Poma nata in arboribus circumpositis, usque ad maturitatem viridis sunt coloris : quæ dum matura inciduntur, favillam intus habere B
De Bello Jud. iv, 27. inveniuntur. Atque, ut Josephus recitat, præ nimia levitate materiæ laci illius, etiam gravissima in eam projecta ascendunt. Nam et Vespasianus quosdam, vinctis post tergum manibus, projici fecit in profundum ipsius : qui omnes quasi vi venti sursum impulsi, desuper fluitabant.

8 *Sapientiam enim prætereuntes,* id est relinquentes, *non tantum in hoc* inconveniens *lapsi sunt, ut ignorarent bona* cœlestia, spiritualia ac divina, veramque felicitatem, et opera bona virtutum, per quæ C ad illam pertingitur : quæ omnia per sapientiam cognoscuntur ; *sed et insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam.* Quemadmodum enim quidam bene feliciterque famosi sunt, propter excellentiam suæ sapientiæ ac virtutum ; sic quidam male infeliciterque sunt famosi, propter excessum suæ insipientiæ ac impietatum. Quod ad incrementum calamitatis eorum, et ad augmentum damnationis ipsorum vergit et confert : quoniam in inferno participes fiunt pœnarum illorum, qui exem- D plis ipsorum ad vitia incitantur ac animantur. *Ut in his quæ peccaverunt,* id est in vitiosis actibus suis, *nec latere potuissent :* quia in publicum deducuntur, et frequenter per pœnas a Deo inflictas, eorum manifestantur peccata. Quod tamen Omnipotens facit ad electorum suorum profectum atque cautelam : quatenus exemplo confusionis punitionisque reproborum, a
Prov. xix, 25. vitiis abstrahantur. Etenim pestilente flagellato, stultus sapientior erit.

Sapientia autem hos qui se observant, 9
id est, diligenter custodiunt, et per obedientiam intra se retinent, *a doloribus liberabit.* Nam eripit a peccatis, et a tormentis quæ infliguntur pro illis. Confert etiam mentis tranquillitatem, et ad pacem perducit æternitatis. Et quamvis electi in præsenti vita bonis et salubribus afficiantur doloribus, pro suis et proximorum peccatis, et ex desiderio futuræ beatitudinis, ex meditatione quoque dominicæ passionis; tamen de omnibus his transferuntur ad gloriam tanto majorem, quanto hic amplius tam salubriter affliguntur. Ideo scriptum est : Multæ tribulationes justorum, et Ps. xxxiii, 20. de his omnibus liberabit eos Dominus.

Hæc autem sapientia *profugum iræ fra-* 10
tris justum, id est Sapientia increata ipsum Jacob patriarcham virtuosum, ab ira Gen. xxvii, 41; xxviii, 5 fratris sui Esau fugientem in Mesopotamiam, ut patet in Genesi, *deduxit per vias rectas,* id est per semitas æquitatis, ita quod in fuga illa non est motus invidia contra fratrem, nec per impatientiam victus, sed virtutibus mansit inhærens. Per vias quoque materiales rectas ipsum perduxit, sicut et Eliezer servus Abrahæ dixit : Benedictus Dominus, qui recto itinere me Ibid. xxiv, 27. perduxit in domum fratris domini mei Abrahæ. *Et ostendit illi regnum Dei,* id est, gloriam electorum, et præmia virtuosorum manifestavit ei in visione in somno, quando vidit imaginaria visione sca- Ibid. xxviii, 12. lam in terra stantem usque ad cœlum pertingere, et Dominum in cacumen scalæ procumbentem, sibi mox dicere : Ego sum Ibid. 13, 14. Deus Abraham patris tui ; terram in qua dormis, tibi dabo et semini tuo, et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. Quæ utique promissio, de Christo exponitur. Unde, quod tunc de cœlesti patria et de ingressu in eam, revelationem habuerit, constat ex eo, quod tunc ad se reversus, protinus dixit : Quam terribilis Ibid. 17. est locus iste ! Non est hic aliud, nisi domus Dei et porta cœli. *Et dedit illi scientiam sanctorum,* id est salutarem scientiam divinorum : quæ datur Sanctis, et est

Digitized by Google

donum Spiritus Sancti, quod tunc auctum A
fuit in eo. Dedit quoque ei tunc scientiam
sanctorum, id est notitiam solito amplio-
Gen. XXVIII, 12. rem angelorum beatorum, quos in scala
vidit ascendentes ac descendentes.
Honestavit illum in laboribus suis, id
est, ostendit quod ipse Jacob juste se ha-
buit, pascendo et custodiendo pecora La-
Ibid. XXXI, 40, 41. ban valde laboriose. Propter quod ait : Die
noctuque urebar æstu et gelu, fugiebat
somnus ab oculis meis; sic per viginti an-
nos servivi tibi. *Et complevit labores illius,*
11 dando ei perseverantiam ac mercedem. *In* B
fraude circumvenientium illum adfuit,
id est, sapientia pie adstitit ipsi Jacob in
deceptionibus, quibus Laban et filii ejus
nitebantur ipsum Jacob decipere, frequen-
ter mutando ejus mercedem, secundum
Ibid. 41. quod Jacob : Immutasti, inquit, mercedem
meam decem vicibus. *Et honestum fecit*
Ibid. XXXII, 5, 10. *illum,* id est, virtuosum, et cum grandi
opulentia reduxit eum ad propria, ejusque
12 probitatem in omnibus demonstravit. *Cu-*
stodivit illum ab inimicis suis, scilicet a
Ibid. XXXI, 23. Laban et fratribus ejus, qui insequebantur C
eum animo persequendi ac spoliandi. Un-
Ibid. 42. de dixit ad Laban : Nisi Deus patris mei
Abraham adfuisset mihi, forsitan modo
me nudum dimisisses. *Et a seductoribus*
tutavit, id est, securum fecit, *illum*. Nam
Ibid. 24. dixit ad Laban : Cave ne quidquam aspere
loquaris contra Jacob.
Et certamen forte dedit illi, videlicet
Ibid. XXXII, 24. luctam cum angelo, *ut vinceret* vel ange-
lum sanctum, non fortitudine, sed devoti-
one, id est, per modum vincentis haberet
se, quadam quasi importunitate extor- D
quendo ab angelo benedictionem. Quum
Ibid. 26. enim dixisset angelus, Dimitte me, jam
Ibidem. enim ascendit aurora; respondit : Non di-
mittam te, nisi benedixeris mihi. Vel, Ut
vinceret adversarios suos, homines sibi
inimicantes : et præsertim, ut invisibiles
suæ salutis vinceret inimicos. Hinc ange-
Ibid. 28. lus dixit ei : Si contra Deum fortis fuisti,
quanto magis contra homines prævalebis?
Ibid. XLVIII, 22. In Genesi quoque Jacob ait ad Joseph : Do
tibi partem unam extra fratres tuos, quam
tuli de manu Amorrhæi in gladio et arcu
meo. De hoc sancti Jacob certamine ac
triumpho, in Osee scriptum est : In forti- Osee XII, 3, 4.
tudine sua directus est cum angelo : et
invaluit ad angelum, et confortatus est;
flevit, et rogavit eum. *Et sciret,* id est, in
se ipso per auxilia sibi divinitus exhibita
experiretur, atque ex divina illuminatione
ampliori clarius cognosceret, *quoniam om-*
nium potentior est sapientia increata, quæ
vere omnipotens est, et suis cultoribus
victoriam ad libitum tribuens.
Hæc sapientia venditum justum non 13
dereliquit, scilicet sanctum Joseph, quem Gen. XXXVII, 28.
fratres sui vendiderunt Ismaelitis; *sed a*
peccatoribus liberavit eum, id est a fratri-
bus tunc injustis, quorum aliqui volebant Ibid. 20.
eum occidere; a Putiphare quoque et im-
pia conjuge ejus, quando ab eis de adul- Ibid. XXXIX, 17-19.
terii attentatione accusabatur. *Descendit-*
que cum illo in foveam, id est in carceris
lacum, gratiose adsistens ei ibidem, juxta
illud : Fuit autem Dominus cum Joseph, Ibid. 21.
misertusque illius, dedit ei gratiam in
conspectu principis carceris. *Et in vincu-* 14
lis non dereliquit eum : unde in Psalmo,
Humiliaverunt in compedibus pedes ejus; Ps. CIV, 18.
donec afferret illi sceptrum regni, id est,
ad regiam dignitatem eum proveheret,
dando ei gratiam exponendi somnia Pha- Gen. XLI, 25-32.
raonis : qui dixit ad Joseph, Uno tantum Ibid. 40.
regni solio te præcedam; et rursus, Absque Ibid. 44.
tuo imperio nullus movebit manum aut
pedem in tota terra Ægypti; *et potentiam*
adversus eos qui eum deprimebant. Tunc
enim factus est superior atque potentior
Putiphare et conjuge ejus, a quibus fuit Ibid. XXXIX, 19, 20.
incarceratus. Verumtamen pius et mitis
Joseph non se vindicavit de eis : imo eo-
rum filiam duxit uxorem, ut patet in Ge- Ibid. XLI, 50.
nesi. *Et mendaces ostendit* eos *qui macu-*
laverunt illum, id est, de præfato crimine
eum mendaciter accusaverunt : quia tunc
veritas rei cunctis innotuit. *Et dedit illi*
claritatem æternam.
Hæc populum justum et semen sine 15
querela liberavit a nationibus, quæ illum
opprimebant : id est, sapientia liberavit

Israeliticum populum de manu Ægyptiorum, a quibus gravissime premebantur
Exod. I, 10-14, 22. laboribus durissimis, irrisionibus, et flagellis, atque necatione infantium. Porro populus ille Israel, vocatur justus et semen sine querela, id est absque reprehensibilitate vitiorum, denominando totum a parte : quoniam aliqui justi et sancti inter eos fuerunt. Attamen pro majori parte fuerunt valde imperfecti ac
16 (*Ibid.* XXXII, 9; XXXIII, 3, 5; XXXIV, 9; *Deut.* IX, 6, 13; XXXI, 27.) duræ cervicis. *Intravit* sapientia ista *in animam servi Dei,* videlicet Moysis, quem illuminavit et confortavit, et misit ad educendum filios Israel; *et stetit* Moyses *contra reges horrendos,* id est contra Pharaonem ac principes ejus (*Exod.* III, IV, VI. *Ibid.* VIII, 20; IX, 13.) : qui et in Psalmo reges vocantur, quo legitur : Edidit terra eorum ranas, in penetralibus regum ipsorum (*Ps.* CIV, 30); *in portentis et signis,* id est magnis et terribilibus prodigiis, plagis et ultionibus, quas miraculose fecit contra Ægyptios (*Exod.* VII-X, XII.).
17 *Et reddidit justis mercedem laborum suorum,* id est, filiis Israel contulit spolia Ægyptiorum. Nempe, ut legitur in Exodo, fecerunt filii Israel sicut præceperat eis Dominus, et petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam, et spoliaverunt Ægyptios (*Ibid.* XII, 50, 35, 36.). Et juste id actum : tum quoniam omnia sunt Dei, et potest ea dare cui voluerit; tum quia Ægyptii injuste gravaverant filios Israel multis laboribus, nec eos remuneraverunt. Ideo Deus hoc modo reddidit illis mercedem laborum suorum. Quod etiam de terra promissionis, quam contulit eis, accipi potest. Verumtamen dedit eis spiritualia præmia multo præstantiora, pro tanta patientia atque laboribus patienter exhibitis.

Et deduxit illos in via mirabili, id est per desertum illud horribile, in quo ante nemo transierat : in quo, sicut in Deuteronomio legitur (*Deut.* VIII, 15.), erant diversa serpentium genera et animalia venenosa : quæ tamen filiis Israel justis non nocuerunt. Ostendit quoque eis mirabiliter viam per columnam nubis in die, et per columnam ignis in nocte, ut in Exodo recitatur (*Exod.* XIII, 21.). Hinc subditur : *et fuit illis in velamento die,* id est, nubem concessit eis, per quam contra solis ardorem operiebantur, refrigeriumque habebant in die, *et in luce stellarum nocte,* id est, per columnam ignis illuminavit eos in nocte, quasi per lunam et stellas.

Et transtulit illos per mare Rubrum, id 18
est per desiccatum fundum maris illius (*Exod.* XIV, 21, 22, 29.)
divisi : quod stetit ut murus ab utroque pertranseuntium latere, prout in Exodo plene describitur. Denique mare illud vocatur Rubrum, non quod aqua illa sit rubea, sed quia rubea apparet, propter rubeum fundum, cujus terra et saxa dicuntur rubea. *Et transvexit illos per aquam nimiam,* id est per fundum siccum copiosæ aquæ illius, ut dictum est; *inimicos* 19
autem illorum, puta Ægyptios, *demersit in mare :* prout in Exodo legitur (*Ibid.* 27, 28.). *Et ab altitudine inferorum eduxit illos,* id est de profunditate inferni. Per hoc enim quod liberavit eos de morte corporali, quam incidissent nisi miraculose continuisset aquas in suo situ, ne caderent super ipsos; liberavit et eos de inferis, in quos animæ eorum descendissent, si mortui tunc fuissent. Sunt equidem quatuor loca inferni, videlicet locus damnatorum, purgatorium, limbus patrum, et limbus puerorum. Et ad aliquem locorum illorum animæ descendissent. Juxta quem sensum apud Danielem legitur (*Dan.* III, 88.) : Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino, quia eruit nos de inferno; in Ecclesiastico quoque (*Eccli.* LI, 4, 7.), Liberasti me de altitudine ventris inferi. Vel, Ab altitudine inferorum, id est gravissimarum afflictionum. Solet autem in Scripturis altitudo pro profunditate accipi, juxta illud in Psalmo (*Ps.* LXVIII, 3.), Veni in altitudinem maris; et apud Joannem (*Joann.* IV, 11.), Puteus altus est.

Ideo justi tulerunt spolia impiorum. Circa hoc dicunt quidam Hebræi, aliqui quoque Catholici, quod, submersis Ægyptiis, et ad littus ejectis, filii Israel nudaverunt eos armis, et omnibus pretiosis quæ secum detulerunt, et quod spoliatio ista fuit major quam prima. Et juxta hoc dicere oporteret, quod filii Israel exierunt

Digitized by Google

mare Rubrum in eodem littore in quo il- A
lud introierunt : cujus oppositum Josephus
tenet. Quid autem circa hoc sentiendum
Exod. XIV, 31. potius videatur, super Exodum scripsi.
Glossa vero exponit istud de prima spoli-
20 atione. *Et decantaverunt, Domine, nomen*
sanctum tuum, id est, te Dominum lauda-
verunt cum cantico : quia tunc Moyses et
Ibid. XV, 1. filii Israel cecinerunt, dicentes : Cantemus
Domino ; gloriose enim magnificatus est,
equum et ascensorem dejecit in mare.
Moyses tamen totum canticum illud com-
posuit metrice, et editum docuit filios Is- B
rael : et forsitan præcinebat eis, quemad-
Ibid. 20, 21. modum Maria soror sua, feminis, prout in
Exodo scriptum est. *Et victricem manum,*
id est omnipotentiam *tuam,* qua vicisti
21 Ægyptios, *laudaverunt pariter : quoniam*
sapientia aperuit os mutorum, id est, in-
creata Sapientia excitavit tunc Israelitas
ad Dei præconium : qui ante a laudibus
Dei quasi muti fuerunt, nec contra Ægy-
ptios oppressores suos loqui audebant : et
forsan aliqui naturaliter muti, tunc super-
naturaliter loqui ac Deum laudare exorsi C
sunt ; *et linguas infantium fecit disertas,*
id est, parvulos Hebræorum fecit in laude
Dei facundos : et forsitan anticipatus est
in quibusdam infantibus linguæ usus in
laude hac Dei.

1 (cap. XI) *Direxit opera eorum,* id est facta Is-
raelitarum, *in manibus Prophetæ sancti,*
id est per obsequium et ducatum, per do-
ctrinam atque miracula Moysis, qui fu-
it illorum director, doctor, legislator ac
princeps.

Insuper, quoniam multa hujus capituli
verba cantat Ecclesia de beatissimis mar-
tyribus et confessoribus sanctis, tangen-
dum est breviter qualiter illis conveniant
verba ista.

10 *Justum deduxit* Dominus *per vias re-*
ctas, id est per observantiam præceptorum
seu evangelicorum consiliorum, de loco
hujus exsilii ad patriam Beatorum. Quem-
admodum autem infantuli nequeunt am-
bulare nisi ducantur, seu parvo curriculo
innitantur ; sic fideles indigent indesinen-
ter juvari, sustentari, ac duci a Deo, ne
semitas exeant æquitatis. Alioqui regiam
viam cito relinquerent, declinando ad dex-
teram vel sinistram. Ideo orat vir sanctus :
Deduc me, Domine, in via tua ; et, Gressus *Ps.* LXXXV, 11.
meos dirige secundum eloquium tuum. *Et* *Ps.* CXVIII, 133.
ostendit illi regnum Dei, dando ei gra-
tiam contemplandi ac prægustandi gaudia
regni cœlestis. *Et dedit illi scientiam san-*
ctorum, id est intelligentiam scripturarum
Apostolorum, Evangelistarum, ac Prophe-
tarum, vel illuminationem angelorum san-
ctorum ; donum quoque scientiæ, quod
infunditur cordibus omnium electorum.
Honestavit illum in laboribus, id est, acti-
bus virtuosis fecit eum studiose, fructuo-
se, ac perseveranter intentum ; *et complevit*
labores illius, perducendo eos ad finem
beatum. *In fraude circumveniențium il-* 11
lum adfuit : id est, a fraudibus invisibi-
lium ac visibilium hostium ac tyrannorum
eripuit eum ac præservavit, per illumina-
tionem et directionem internam, per in-
spirationem angelicam ; *et honestum fecit*
illum, id est spiritualiter locupletem, to-
tique mundo venerabilem, canonizando
eumdem, et per diversa miracula Sanctum *Ps.* IV, 4.
suum mirificando.

Custodivit illum ab inimicis præfatis, 12
non ut eum non persequerentur aut truci-
darent, sed ne per impatientiam aut aliam
culpam corrueret ; *et a seductoribus,* qui
conati sunt per blandimenta et vana pro-
missa, aut philosophica argumenta, vel
comminationes et pœnarum acerbitates
D decipere Christi electos, *tutavit illum,* per
sapientiam salutarem atque constantiam.
Et certamen forte dedit illi, ut vinceret :
quia contra diabolum, mundum et carnem
jussit eum fortiter præliari ac prævalere :
Nolite, inquiens, timere eos qui corpus *Matth.* X, 28.
occidunt. Non enim coronatur, nisi qui *II Tim.* II, 5.
legitime certaverit. *Et sciret quoniam om-*
nium potentior est sapientia, id est, victo-
riam suam non sibi ipsi, sed Christo ad-
scriberet, a quo sibi promissum fuit : Ego *Luc.* XXI, 15.
dabo vobis os et sapientiam, cui non po-

Digitized by Google

terunt resistere et contradicere omnes ad-
versarii vestri.
13 *Hæc venditum justum non dereliquit.*
Nam multi Sancti fuerunt perfidis ven-
diti, sed a Sapientia summa nequaquam
relicti. *Sed a peccatoribus liberavit eum*
per patientiam et glorificationem in cœ-
lis æternam. *Descenditque cum illo in fo-
veam.* Certum est quod felicissimis mar-
tyribus in omni eorum cruciatu acerrimo
14 gratiosissime adstitit. *Donec afferret illi
sceptrum regni,* id est, in cœlesti gloria
coronaret.
15 *Hæc* sapientia *populum justum,* vide-
licet christianum, *liberavit a nationibus*
17 perfidorum. *Reddidit* Deus *mercedem la-
borum* Sanctorum *suorum,* id est, pro vir-
tuosis eorum laboribus contulit ipsis co-
piosissimum præmium, etiam ultra con-
dignum, nec solum in patria, sed etiam
consolando, spiritualiterque ditando, et
magnificando eos in via. *Et deduxit illos
in via mirabili,* id est in conversatione
sancta, perfecta, heroica, quæ super homi-
nem est, et supernaturalis omnino; item,
In via mirabili, id est in fide catholica et
evangelica lege, quæ rationem transcen-
dunt. *Et fuit illis in velamento die,* id
est, in prosperis et jucundis, et in omni
spirituali profectu, qui dies vocatur inte-
rior, obumbravit eis per gratiam humilita-
tis, ne extollerentur; *et in luce stellarum
nocte,* id est, in adversis et asperis, ac
subtractione consolationis internæ, contu-
lit eis lumen quoddam sidereum, ad con-
siderandum quod in tali eventu patientia
sit habenda, ac divina pietas invocanda,
ejusque consolatio postulanda, vana quo-
que consolatio contemnenda, ne dejician-
Act. xiv, 21. tur : pensantes quod per multas tribulatio-
nes oporteat nos intrare regnum cœlorum;
Eccli. xi, 27. et quod ait Scriptura : In die bonorum, ne
immemor sis malorum; et in die malo-
rum, ne immemor sis bonorum. Amplius,
Fuit illis in velamento die, id est, in luce
vitæ præsentis eos benigne protexit : juxta
Ps. lx, 5. quod scriptum est, Protegar in velamento
Ps. lxii, 8. alarum tuarum; et rursus, In velamento

A alarum tuarum exsultabo. Et in luce stel-
larum nocte, id est, tempore mortis diræ,
luce miserationis supernæ corda eorum
perfudit et illustravit, ut in statu gratiæ
et conversione ad Deum discederent de
hac vita.
Transtulit illos per mare Rubrum, id 18
est, per Baptismum, quem significavit ma-
re Rubrum, fecit de filiis iræ filios ado- *Ephes.* ii, 3.
ptionis divinæ ac sanctæ Ecclesiæ, dicente
Apostolo : Eripuit nos de præsenti sæculo *Galat.* i, 4; *Coloss.* i, 13.
nequam, et transtulit in regnum Filii dile-
B ctionis suæ. Unde et ipsa Sapientia dixit :
Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu *Joann.* iii, 5.
Sancto, non potest introire in regnum Dei.
Vel, Per mare Rubrum, id est per imita-
tivam dominicæ passionis meditationem,
quæ compendiose ducit ad gloriam. Rur-
sus, Per mare Rubrum, id est per martyrii
palmam, seu quotidianam mortificationem
salubrem. *Et transvexit illos per aquam
nimiam,* id est per abundantiam tribu-
lationum : quemadmodum scriptum est,
Transivimus per ignem et aquam; item- *Ps.* lxv, 12.
C que, Elevaverunt flumina fluctus suos, a *Ps.* xcii, 3, 4.
vocibus aquarum multarum. Potest etiam
per nimiam aquam, abundantia gratiæ de-
signari. Unde ait Salvator : Qui biberit ex *Joann.* iv, 13, 14.
aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æter-
num; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in
eo fons aquæ salientis in vitam æternam.
Inimicos autem illorum, scilicet reprobos 19
et iniquos, *demersit in mare,* id est, in vi-
tiorum suorum inquietudine ac amaritu-
dine ipsos damnavit. Impii etenim quasi *Is.* lvii, 20.
mare fervens, quod quiescere non potest,
D ut in Isaia asseritur. Et in afflictionum
gravissimarum profunditatem illos proje-
cit. *Et ab altitudine inferorum eduxit il-
los,* id est, electos eripuit de potestate in-
fernalium tenebrarum, a jugo peccati, a
statu damnationis : in quo quandoque fue-
runt, sicut ait Apostolus : Fuimus enim et *Tit.* iii, 3.
nos aliquando insipientes, odibiles, odien-
tes invicem.
Ideo justi tulerunt spolia impiorum, id
est, peccatores abstraxerunt dæmonibus,
et converterunt eos ad Christum, gratiam

Digitized by Google

quam acceperant communicantes proxi- A
mis suis : quod viri sancti copiose fece-
runt, orando, prædicando, exemplariter-
que vivendo, ipsisque gratiam conversionis
promerendo per superabundantem merito-
rum suorum erogationem, prout loquitur
Coloss. I, 24. Paulus : Suppleo ea quæ desunt passionum
Christi, pro corpore ejus, quod est Ec-
II Tim. II, 10. clesia. Et denuo : Omnia, inquit, sustineo
propter electos, ut et ipsi consequantur
salutem. De his spoliis scriptum est in
Is. LIII, 12. Isaia : Fortium dividet spolia; in Evangelio
Luc. XI, 21, 22. quoque : Quum fortis armatus custodit
atrium suum, in pace sunt ea quæ possi-
det; si autem fortior illo supervenerit,
spolia ejus distribuet.
20 *Et decantaverunt, Domine, nomen san-
ctum tuum,* gratias agentes Deo Patri per
Filium ejus, dicentes illud Apocalypsis :
Apoc. V, 9. Dignus es, Domine, accipere librum, et
solvere signacula ejus : quoniam occisus
es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo.
Ibid. 12. Et rursus ibidem : Dignus est Agnus qui
occisus est, accipere virtutem, et divinita-
tem, et sapientiam, et fortitudinem, et ho-
norem, et gloriam, et benedictionem. *Et
victricem manum tuam,* qua aerias debel-
lasti potestates, *laudaverunt pariter,* illud
Ibid. VII, 12. concinentes : Benedictio, et claritas, et sapi-
entia, et gratiarum actio, honor, et virtus,
et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculo-
21 rum. *Quoniam sapientia aperuit os muto-
rum,* id est, ora gentilium conversorum,
qui muti erant a laudibus Dei, convertit in
laudes ipsius, et prædicatores fecit ex eis,
juxta illud in Psalmo : Lingua canum tuo- *Ps.* LXVII, 24.
rum ex inimicis, ab ipso. Ora quoque Apo-
stolorum et discipulorum, qui a tempore
passionis Christi non audebant prædicare
et apparere, aperuit gloriosissime in san-
cto Pentecostes die, misso et eis infuso *Act.* II, 4.
Spiritu Sancto : quo facto, mox orsi sunt *Ibid.* 14-41; IV, 4.
constantissime prædicare, multaque millia
converterunt assidue. Corporaliter etiam
B Christus multos mutos fecit loquentes. Imo *Matth.* IX, 33; XII, 22; XV, 30;
quamplures linguis eorum abscisis eloqui
fecit et evangelizare. *Et linguas infanti-* *Marc.* VII, 32-35; *Luc.* XI, 14.
um fecit disertas, scilicet in die Palmarum,
quando pueri Hebræorum cantaverunt di-
centes : Hosanna filio David ! Benedictus *Matth.* XXI, 9.
qui venit in nomine Domini. Quando im-
pletum est illud in Psalmo : Ex ore infan- *Ps.* VIII, 3.
tium et lactentium perfecisti laudem. Sed
et multi infantuli in evangelica lege su-
pernaturaliter sunt locuti.
Direxit opera eorum, id est, opera Chri- 1 (cap. XI)
C stianorum Deus Pater direxit, *in manibus
Prophetæ sancti,* id est in virtute et gra-
tia, in fide et lege, præceptis atque consi-
liis Christi : qui est magni consilii Ange- *Is.* IX, 6.
lus ; et Propheta : de quo quidam vere
dixerunt, Propheta magnus surrexit in no- *Luc.* VII, 16.
bis ; et rursus, Hic est vere Propheta qui *Joann.* VI, 14.
venturus est in mundum.

ARTICULUS XI

EXPLANATIO CAPITULI UNDECIMI : ITER FECERUNT PER DESERTA.

BENEFICIA æternæ et increatæ Sapi- D
entiæ exhibita populo Israel ex Ægy-
pti terra educto, et ipsorum Ægyptiorum
2 justæ punitiones hic recitantur. *Iter fece-
runt* filii Israel per Moysen educti, *per
deserta quæ non habitabantur.* Quamvis
enim fuerit ibi unum totale desertum, in
quo pro maxima parte fuerunt pergentes,
tamen illud in diversis partibus suis di-
versa sortitur vocabula : utpote desertum
Ægypti, desertum Etham, desertum Pha-
ran, desertum Sur, desertum Moab, deser-
tumque Idumææ, ut patet in Exodo, etc.
De quo legitur : Non dixerunt : Ubi est *Jer.* II, 6.

Digitized by Google

Dominus, qui ascendere nos fecit de terra
Ægypti, qui traduxit nos per desertum,
per terram inhabitabilem et inviam, per
terram sitis et imaginem mortis, per ter-
ram in qua non ambulavit vir, neque habi-
tavit homo? *Et in locis deserti* illius totalis
fecerunt casas, id est tabernacula de ar-
boribus : in cujus rei memoriam præcepit
Dominus festum Tabernaculorum serva-
Lev. xxiii, 34-36; *Deut.* xvi, 13-15. ri, ut in Levitico et Deuteronomio patet.
Ad Hebræos quoque scribitur de Abraham:
Hebr. xi, 9. Fide demoratus est in terra repromissio-
nis, tanquam in aliena, in casulis habi-
tando cum Isaac et Jacob.
3 *Steterunt contra hostes, et de inimicis
se vindicaverunt.* Hoc cœptum est fieri,
Exod. xvii, 9-13. quando, ut in Exodo legitur, Josue et mis-
si cum eo, pugnaverunt contra Amaleci-
tas, et eos in ore gladii fugere compule-
4 runt. *Sitierunt, et invocaverunt te, et data
est illis aqua de petra altissima.* Hoc con-
Ibid. i, 6. tigit, quando in deserto Raphidim aqua
defuit eis, et Deo jubente Moyses percus-
sit petram Horeb : de qua mox aqua co-
piosa manavit, bibitque populus. Unde
subjungitur : *et requies sitis de lapide du-
ro,* id est cessatio a siti, seu sitis ex-
stinctio, per hoc quod potaverunt aquam
fluentem de saxo illo durissimo, prout
præallegato Exodi narratur capitulo. Vo-
catur demum petra illa, altissima, vel quia
alte sita, vel propter excellentiam tanti
miraculi in ea peracti. Sed quomodo dici-
tur hic, Invocaverunt te? quum scriptum
Ibid. 2, 3. sit prætacto capitulo, quod jurgati sunt
contra Moysen, et murmuraverunt contra
Ibid. 2. eum : quibus et dixit, Cur tentatis Domi-
num? Et respondendum, quod quidam de
melioribus simul cum Moyse Dominum in-
vocaverunt : de quibus Dominus dixit ad
Ibid. 5. Moysen, Sume tecum de senioribus Israel.
5 Sequitur de pœnis Ægyptiorum. *Per
quæ enim pœnas passi sunt inimici illo-
rum,* id est Ægyptii adversarii Israelita-
rum : qui Ægyptii passi sunt sitim, quum
Ibid. vii, 20. Deus convertisset aquas eorum in sangui-
nem ; *a defectione potus sui,* id est ex de-
fectu aquæ quam solebant potare ; *et in
eis,* scilicet in aquis, *quum abundarent
filii Israel :* quia in terra Gessen, in qua
morabantur, aqua non fuit in sanguinem
versa, ut loquitur Augustinus ; *lætati sunt*
de beneficiis Dei et abundantia potus.
Per hoc beneficium, *quum illis deesset,* 6
id est, dum deesset Ægyptiis sufficientia
potus, *bene cum illis actum est,* id est,
cum filiis Israel factum est gratiose, quia
non fuerunt plagati sicut Ægyptii. Unde
Dominus ait : Percutiam aquam fluminis, *Exod.* vii, 17, 18.
et vertetur in sanguinem ; pisces quoque
qui sunt in flumine, morientur, et putre-
scent aquæ, et affligentur Ægyptii, biben-
tes aquam fluminis. Aliqui autem dicunt,
quod etiam in terra Gessen aqua fuit in
sanguinem commutata. Sed quando filii
Israel hauserunt ex flumine, statim rever-
tebatur sanguis ad aquæ naturam. De hoc *Ibid.* art. xii, circa finem.
super Exodum dictum est plenius.
Nam pro fonte quidem sempiterni flu- 7
minis, id est pro aqua Nili instar fontis
potabili : qui dicitur, flumen sempiter-
num, quia est unus de quatuor fluviis pa-
radisi, et in Genesi vocatur Gehon : cir- *Gen.* ii, 13.
cumiens omnem terram Æthiopiæ, et ibi
dicitur Gehon ; inde autem in Ægyptum
descendens, ubi Nilus vocatur, et per di-
versa loca ibidem dividitur : ut dictum est
super Genesim. *Humanum sanguinem,* id
est sanguinem in colore similem sanguini
hominis, *dedisti injustis,* id est Ægyptiis,
ad potandum, convertendo aquas eorum
in sanguinem. Quam plagam juste perpes-
si sunt, quoniam peccaverunt infantulos *Exod.* i, 22.
Hebræorum submergendo in flumine. Unde
adjicitur : *Qui,* scilicet filii Israel, *quum* 8
*minuerentur in traductione infantium oc-
cisorum,* id est, pauciores numero fierent,
per hoc quod eorum infantes occideban-
tur per submersionem in Nilo, *dedisti il-
lis,* puta Hebræis, *abundantem aquam* ad
potandum, *insperate,* id est præter spem,
vel non convertendo aquas terræ Gessen
in sanguinem, vel sanguinem haustum ab
eis reducendo in aquæ naturam ; *osten-* 9
dens per sitim quæ tunc fuit in Ægyptiis,
quemadmodum tuos, scilicet filios Israel,

Digitized by Google

exaltares per diversa beneficia atque mi- A
racula, *et adversarios illorum necares,* ut-
pote Ægyptios, qui vel siti, vel corrupti
sanguinis potatione letaliter sunt afflicti.
10 *Quum enim tentati sunt,* id est, quum
etiam filii Israel per adversa et sitim pro-
bati sunt, et paternaliter castigati, *et qui-
dem,* id est certe seu utique, *cum mise-
ricordia disciplinam accipientes,* id est
correctionem a Deo clementer, quia ad
suam emendationem, et quia post discipli-
nam consecuti sunt consolationem; *scie-
runt,* id est cognoverunt, *quemadmodum* B
cum ira judicati impii, id est Ægyptii a
Deo severiter puniti sine consolatione se-
quente, *tormenta paterentur :* quia de tem-
porali pœna ad æternam prolapsi sunt.
Exod. VIII, 12, 13, 30, 31 : IX, 33; X, 18, 19. Ps. CIV, 28. Frequenter tamen, Moyse exorante, Deus
abstulit inflictam plagam Ægyptiis, juxta
illud in Psalmo : Et non exacerbavit sermo-
nes suos. Sed illis in sua obstinatione ma-
nentibus, statim durius sunt plagati, quo-
usque totaliter perierunt. Hinc subditur :
11 *Hos quidem,* puta Hebræos, *tanquam pater*
monens probasti, id est, paternaliter per C
adversa exercitasti : juxta quod dictum est
Sap. III, 6. supra, Tanquam aurum in fornace proba-
vit illos. *Illos autem,* scilicet Ægyptios,
*tanquam durus rex interrogans condem-
nasti,* id est, rigorose peremisti, sicut rex
per tormenta extorquet confessionem ex-
cessus a reo, et damnat confessum. Sic et
Rom. XI, 22. Apostolus loquitur : Vide severitatem et
bonitatem Dei : severitatem in eis qui per-
ierunt; in te autem bonitatem, si tamen
12 permanseris in bonitate. *Absentes enim et*
præsentes similiter torquebantur : id est, D
tam illi Ægyptii qui non erant cum Pha-
raone, quam præsentes eidem, eisdem pla-
gis puniebantur.

Deinde subditur de Hebræis, propter
quorum oppressionem iniquam sic punie-
13 bantur Ægyptii. *Duplex enim illos accepe-
rat tædium,* id est, duplici tædio afflige-
bantur : *et gemitus cum memoria præter-
itorum :* id est, tædium et gemitus fuit in
eis, propter mala seu adversa præsentia,
Exod. II, 23. juxta illud, Ingemiscentes filii Israel pro-
pter opera; et etiam ex recordatione præ-
teritarum afflictionum, quas diu sustinu-
erunt, quia jam ante proprios amiserunt Exod. I, 22.
infantulos. Vel, Cum memoria præterito-
rum, id est ex recordatione prosperita- Gen. XLVII, 6, 11, 12; L, 21.
tum, quas patres eorum tempore Joseph in
Ægypto habebant. Qui enim adversitatibus
premitur, gravius affligitur, quando se
quandoque prosperatum fuisse reminisci-
tur. Unde sanctus Job dixit : Ego quondam Job XVI, 13, 8.
ille opulentus, repente ad nihilum reda-
ctus sum. Boetius quoque : Infelicissimum,
inquit, infortunii genus est, fuisse felicem.

Quum enim audirent per sua tormenta 14
bene secum agi, id est, quum filii Israel
didicissent, quod Deus eos paternaliter sic
probaret ad profectum eorum, *commemo-
rati sunt Dominum,* id est, Deum et ejus
pietatem utiliter consideraverunt, *admi-
rantes in finem exitus,* id est obstupescen-
tes de sua pia eductione finali ex Ægypto
et tribulationibus illis. *Quem enim in ex-* 15
positione prava projectum deriserunt, id
est Moysen, ex iniquo Pharaonis præcepto Exod. I, 22; II, 3.
in aquis expositum : quem irriserunt, tam
Ægyptii, quando primo venit ad Pharao- Ibid. V, 23.
nem ad educendum Hebræos, quam He-
bræi, quorum unus dixit ad eum : Quis te Ibid. II, 14.
constituit judicem aut principem super
nos? Et alii dixerunt Moysi, Recede a no- Ibid. XIV, 12.
bis, ut serviamus Ægyptiis. *In finem even-
tus mirati sunt. Non similiter justis fa-
ciens,* id est, Deus fuit ipsis Hebræis suis
cultoribus, non taliter faciens sicut Ægy-
ptiis, ut patet ex dictis : quod et generaliter
accipi potest, quoniam aliter agit Deus
cum justis, aliter cum injustis, sicut et
diversimode peccant. Nam, teste Scriptu-
ra, Septies cadit justus, et resurgit; impius Prov. XXIV, 16.
autem, quum in profundum venerit pec- Ibid. XVIII, 3.
catorum, contemnit.

Consequenter tangitur causa derelictio-
nis et punitionis Ægyptiorum. *Pro cogi-* 16
*tationibus autem insensatis, iniquitates
illorum :* id est, propter insipientissimas
Ægyptiorum cogitationes, quibus sense-
runt creaturis cultum latriæ exhibendum,
permissi sunt ad pravissima facta corrue-

Digitized by Google

re, atque in suis obdurari excessibus. *Quæ* A
quidem, id est quæ iniquitates, fuerunt,
quod errantes per incredulitatem, *colebant*
mutos serpentes et bestias supervacuas, id
est viles atque inutiles, seu earum imagi-
nes, nullam vocem formare potentes. Unde
Is. II, 20. dicitur per Prophetam : Ut adorarent tal-
pas et vespertiliones. Quæ dicuntur mutæ,
vel quia raucum et modicum sonum, aut
quia non articulatam vocem producunt.
Rom. I, 23. Hinc quoque ait Apostolus : Mutaverunt
gloriam incorruptibilis Dei, in similitudi-
nem corruptibilis hominis, et volucrum, et B
serpentium, et quadrupedum. Ob tantam
impietatem, *immisisti illis multitudinem*
mutorum animalium in vindictam, vide-
Exod. VIII, 6, 17, 24; X, 13-15; *Ps.* CIV, 30, 31, 34. licet ranas, scinifes, muscas, locustas, bru-
chos : ut patet in Exodo et in Psalmo ; *ut*
scirent, id est, ex qualitate suarum pœna-
17 rum adverterent, *quia per quæ quis pec-*
cat, per hæc, id est eadem vel similia, *et*
* *torquetur* *punitur**, ut pœna correspondeat culpæ :
Gen. XIX, 4-9. sicut Sodomitæ, qui per ardorem et fœto-
rem sceleratissimæ immunditiæ peccave-
runt, per ardorem intensissimum et fœto- C
Ibid. 24. rem teterrimum ignis sulfurei sunt puniti.
18 *Non enim impossibilis*, id est impotens,
erat omnipotens manus, id est virtus *tua*,
quæ creavit orbem terrarum ex invisa
materia, id est ex materia primo infor-
mi et confusa ac tenebrosa, juxta illud :
Ibid. I, 2. Terra autem erat inanis et vacua, et te-
nebræ erant super faciem abyssi. Quod
qualiter intelligendum sit, ibi diffuse ex-
positum est.

Vel dicitur orbis terrarum creatus ex
invisa materia, quia materia prima secun- D
dum se, non est quid, nec quanta, nec
qualis, quum sit expers omnis substantia-
lis accidentalisque formæ. Sed quum cre-
are, sit ex nihilo facere, quomodo orbis
terrarum dicitur creatus ex materia? Et
respondendum, quia ut in exordio Genesis
Ibid. 1. legitur, In principio creavit Deus cœlum
et terram. Sicque elementum terræ imme-
diate a Deo productum est in sua forma
atque materia. Idcirco, quod dicitur crea-
tum ex informi invisaque materia, intelli-
gendum est, quod factum sit ex forma et
materia, tanquam ex substantialibus par-
tibus, non quasi ex præjacenti materia,
quamvis aliqui aliter opinentur, ut super *In Gen.*
Genesim dictum est. Creare autem fre- *art.* VI.
quenter sumitur extense, pro Facere. Unde
et Deus dicitur omnium Creator, quamvis
multa ex materia facta sint præjacenti.

Immittere illis multitudinem ursorum,
aut audaces leones, aut novi generis ira 19
plenas et ignotas bestias, id est feras ira-
cundissimas, ante non visas, *aut vaporem*
ignium spirantes, ut dracones, *aut fumi*
odorem, id est afflictivum fœtorem, *pro-*
ferentes, aut horrendas ab oculis suis *scin-*
tillas emittentes : quarum non solum læ- 20
sura, id est vulneratio, morsus, intoxicatio,
poterat illos, scilicet Ægyptios, *extermina-*
re, sed et adspectus per timorem occidere,
id est, tam excessivum timorem poterant
Ægyptiis incutere, quod ex timore obis-
sent. Passiones namque partis sensitivæ,
fiunt cum corporali transmutatione; et
quanto sunt intensiores ac magis prædo-
minantes, tanto plus lædunt complexio-
nem : et sua nimietate possunt mortem
inducere, sicut et in Ecclesiastico legitur :
Multos occidit tristitia. Et Daniel ex visio- *Eccli.* XXX, 25.
ne perterritus : Domine, inquit, in visione *Dan.* X, 16,
tua dissolutæ sunt compages meæ; sed et 17, 8.
halitus meus intercluditur, et nihil in me
remansit virium, et emarcui.

Sed et sine his, id est absque læsione 21
ferarum istarum, *uno spiritu*, id est in
sola indignatione jussioneve tua, aut mi-
nisterio unius angelici spiritus, *poterant*
occidi ipsi Ægyptii, *persecutionem passi*
ab ipsis factis suis, id est, propter impia
opera sua plagati; vel, Ab ipsis factis suis,
id est propter manufacta idola sua, ac
idololatrias, et præsertim propter excessus
eorum in filios Israel; *et dispergi*, id est,
diversimode perdi, *per spiritum virtutis*
tuæ, id est per imperium omnipotentiæ
tuæ, vel per spiritum angelicum tua vir-
tute creatum.

Sed omnia in mensura, et numero, et
*pondere constituisti**. Hoc ad litteram vi- * *disposuisti*

Digitized by Google

detur inductum, ad assignandum causam A
cur Deus justus ac sapiens punivit Ægyptios per minuta ac vilia animalia : quia videlicet talia coluerunt. Et ita omnia Ægyptiorum tormenta disposuit et effecit ministerio angelorum, in mensura, id est certa proportione : ut quo majora erant peccata, eo et majora essent supplicia,
Apoc. XVIII, 7. juxta illud in Apocalypsi : Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit; tantum date illi tormentum et luctum. Unde per Isaiam
Is. XXVII, 8. testatur Altissimus : In mensura contra mensuram, quum abjecta fuerit, judicabo B
eam : id est, in mensura justitiæ seu pœnæ, judicabo eam, contra mensuram, id est ad puniendum ejus iniquitatem secundum ipsius quantitatem. Sic quoque supplicia inferuntur in numero certo, prout meretur et exigit numerositas culpæ, eo quod nulla culpa maneat impunita; atque in pondere, quoniam quanto quis peccat ex majori libidine, et intentiori pravitatis affectu, eo acutiorem meretur ac sortitur punitionem. Potest etiam per mensuram certa duratio pœnæ intelligi : quamvis C
enim pœnæ inferni sint æternales, pœnæ tamen vitæ præsentis sunt temporales : quæ divinitus moderantur ac dispensantur. Sicque plagæ Ægyptiorum fuerunt sibi invicem succedentes, ac tempore certo
Exod. VIII, 8, 28; IX, 28; X, 17. durantes, secundum quod Pharao petiit sibi et suis ignosci, et plagas auferri.

Præterea verba ista per se sumpta profundius possunt exponi. In primis etenim dicere possumus, quod omnia simul sumpta, id est totum universum, constitutum et factum sit in mensura, quia finitum D
est in dignitate et esse specifico, in quantitate et potestate; et item in numero, quoniam unus est mundus, non multi aut innumerabiles, ut quidam imaginati sunt; in pondere quoque, quo omnia tendunt ad centrum, inclinationemque habent ad proprium finem. — Insuper quælibet res subsistens, facta est in mensura, quoniam habet esse limitatum ac determinatam naturam. Facta est quoque in numero, in quantum constat ex essentialibus suis partibus aut principiis, ut ex forma et materia, vel ex actu et potentia, sive ex quod est et quo est, et certam differentiam habet, qua ad gradum aliquem essentialis perfectionis suæ contrahitur; et in pondere, id est in naturali inclinatione ad proprium finem. Hinc Augustinus asserit, omnia facta in modo, specie et ordine : per modum, intelligens mensuram; per speciem, numerum, nam et species rerum se habent ut numeri ; per ordinem, pondus. Ad quæ reducuntur tria, quæ in libro LXXXIII Quæstionum inducit, dicendo : Quod constat, quod discernitur, quod congruit. Unumquodque etenim per suum esse constat, per naturam specificam seu formam cognoscitur, per ordinem congruit. Amplius, quum Deus dicatur causa universorum efficiens et exemplaris atque finalis, causat hæc tria in rebus secundum quamdam appropriationem. Nam in quantum causa efficiens, dat esse; in quantum causa exemplaris, largitur speciem ; in quantum causa finalis, imprimit pondus seu ordinem ad proprium finem. — De hac materia possunt multa introduci subtilia : quæ in opusculo de Venustate mundi et pulchritudine Dei induxi.

Hinc ait Scriptura de Creatore : Qui Ps. CXLVI, 4.
numerat multitudinem stellarum. Et in libro Job : Qui fecit ventis pondus, et Job XXVIII, 25.
aquas appendit in mensura. Unde dixit Boetius : Omnia quæ a primæva rerum origine processerunt, ratione numerorum sunt condita. In his Deus mundum constituit, regit, ac judicabit. In his justus Judex nec comprehendi potest, nec reprehendi. Omnia in clausura horum trium latent abscondita : quæ clavibus sapientiæ, justitiæ, ac judicii Dei reserabuntur, quando illuminabuntur abscondita tenebrarum, et I Cor. IV, 5.
revelabuntur consilia cordium.

Multum enim valere, tibi soli supererat 22
semper : id est, non ex impotentia immisisti Ægyptiis animalia illa minima in vindictam, quoniam æternaliter omnipotens es, et semper facere potes majora ac plura quam facis, imo infinities plura, quum

sis infinitæ potentiæ. *Et virtuti brachii* A
tui quis resistet? id est, potestati majesta-
tis tuæ nullus potest resistere. Potest etiam
per brachium Dei, Filius ejus intelligi,
Ps. xcvii, 1. juxta illud : Salvavit sibi dextera ejus, et
Luc. i, 51. brachium sanctum ejus ; itemque, Fecit
23 potentiam in brachio suo. *Quoniam tan-*
quam momentum, id est stilus seu lin-
gua, *stateræ, sic ante te est orbis terra-*
rum, id est parvæ et modicæ reputationis,
imo dependens incessanter a te, et tanquam
pulvis exiguus respectu majestatis tuæ im-
mensæ : juxta quem modum loquitur Isa- B
Is. xl, 15. ias, Ecce gentes quasi stilla situlæ, et
quasi momentum stateræ reputatæ sunt ;
et tanquam gutta roris antelucani, id est
roris qui ante lucem descendit, et solis
ardore mox desiccatur.
24 *Sed misereris omnium :* nam Creator
universa pie conservat in esse, et providet
creaturis, viatoribus quoque misericors
est ; *quoniam omnia potes :* sicque omni-
potentia tua plena est pietate ac sapien-
tia, non tyrannide, nec violentia. Imo sub-
stantialiter est ipsa bonitas, pietas, et C
sapientia tua, quæ etiam damnatos punit
citra condignum. *Et dissimulas peccata*
hominum propter pœnitentiam, id est, ea
punire differs, et habes te quasi non vi-
deas, quatenus interim pœniteant, et sal-
Ibid. xxx, 18. ventur : juxta illud Isaiæ, Propterea exspe-
ctat Dominus, ut misereatur vestri. Unde
Rom. ii, 4. ait Apostolus : Ignoras quoniam benigni-
tas Dei ad pœnitentiam te adducit? Vel,
Dissimulas peccata hominum propter pœ-
nitentiam, id est, per pœnitentiam ho-
minum ea dimittis, et impunita transire D
permittis, non infligendo saltem pœnam
æternam, sed illam mutando in tempora-
lem. Possetque esse tanta contritio, quod
tota pœna dimitteretur : quoniam ipsa
contritio, est magna spontaneaque sui ip-
sius interior punitio.
25 *Diligis enim omnia quæ sunt,* in quan-
tum sunt, et tuam bonitatem participant :
sic enim tibi aliqualiter assimilantur, et
amabilia, non odibilia, exstant. Natura
quippe secundum se considerata, pura est
atque amabilis. Propter quod frequenter
in Prophetis tota gens, etiam iniqua, no-
mine filiæ et nomine virginis designatur :
sicut dicitur per Isaiam, Descende, sede Is. xlvii. 1.
in pulvere, virgo filia Babylon : ad in-
sinuandum quod natura hominum in se
instar virginis pura sit, et instar filiæ ex-
sistat amabilis, ut super Isaiam tangit Hie-
ronymus. *Et nihil odisti eorum quæ feci-*
sti, quantum ad id quod habet creatura a
te ; sed quantum ad id quod habet ex li-
bera voluntate, potest odibilis fieri, non
in se, sed per comparationem ad culpam :
prout infra habetur, Odio sunt Deo impius Sap. xiv, 9.
et impietas ejus ; et in Psalmo, Odisti om- Ps. v, 7.
nes qui operantur iniquitatem. Iste est
amor Dei ad creaturas naturalis. Porro
amore prædestinationis amat solos ele-
ctos. Unde testatur per Prophetam : Jacob Malach. i, 2, 3.
dilexi, Esau autem odio habui. Universos
quoque qui in caritate exsistunt, amat
amore præsentis justitiæ. *Nec enim odiens*
aliquid constituisti, aut fecisti. Omnia
enim fecit propter bonum convenientem-
que finem, ut suo modo bona sint, et bene
sit eis.
Quomodo autem posset aliquid perma- 26
nere, nisi tu voluisses? quasi dicat, Nequa-
quam : quoniam tanta est dependentia
creaturæ ad Creatorem, ut nec ad momen-
tum queat subsistere aut durare sine il-
lius voluntate et conservatione. Imo plus
dependet ab illo, quam splendor a luce,
aut dies a sole, aut quævis creatura ab
alia. *Aut quod a te vocatum non esset,*
conservaretur? id est, impossibile est ali-
quid conservari, nisi te imperante. *Parcis* 27
autem omnibus : eo modo quo dictum est,
Misereris omnium ; *quoniam tua sunt. Do-*
mine : causa enim naturaliter amat et con-
servat suum effectum, et bonus Creator
propriæ creaturæ libenter propitiatur, dum-
modo illa non se figat in malo ; *qui*
amas animas, id est, rationales animas
specialiter diligis, quoniam ad æternam
beatitudinem, ad tui ipsius beatificam frui-
tionem eas creasti et ordinasti, saltem
antecedente voluntate, et quantum in te

Digitized by Google

1 Tim. II, 4. est, qui omnes homines vis fieri salvos; verumtamen quosdam, non omnes, prædestinasti. Corpora vero propter animas dilexisti et condidisti.

Sensus mysticus. Juxta mysticum intellectum, sicut filii Israel iter fecerunt per deserta inhabitabilia, sic veri Christifideles per vastitatem sæculi hujus tendunt ad patriam regni cœlestis. Stantque spiritualibus armis accincti contra hostes suæ salutis : de quibus se vindicant, dum tanto instantius serviunt Deo, quanto acrius ab illis tentantur ac impugnantur ut recedant ab eo. Matth. v, 6. Sitiunt quoque esuriuntque justitiam, et invocant Deum Patrem : qui de petra altissima tribuit eis aquam, id est, de plenitudine gratiæ Christi eis propinat, ac meritis Salvatoris virtuteque suæ salutiferæ passionis spiritualiter reficit eos. Quemadmodum etiam reprobi, perfidi, hæretici, schismatici, atque in vitiis obstinati, moriuntur in præsenti morte peccati, deinde morte infernalis supplicii, ex spiritualis inopia defectuque poculi, de quo loquitur Joann. VII, 37. Filius Dei, Qui sitit, veniat ad me, et bibat; sic electi et veri Christiani misericordiam consequuntur finalem, et aqua sapientiæ, poculo consolationis internæ, rore illustrationis supernæ potantur. Quibus clamat Salvator: Venite ad me, omnes Matth. XI, 28. qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Porro iniquis et reprobis dat pro fonte sempiterni fluminis, id est pro communicatione et infusione donorum gratiæ et gloriæ Unigeniti Dei (de quo in Psalmo: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et Ps. XXXV, 9, 10. torrente voluptatis tuæ potabis eos; quoniam apud te est fons vitæ), humanum sanguinem bibere, id est sanguinolentis ac turpibus operibus delectari, et persecutione justorum gaudere; aut trucidare se invicem, ita quod sanguis sanguinem Osee IV, 2. tangit, ut in Osee habetur.

Postremo, sicut Ægyptii sunt puniti per parva et vilia animalia, qualia coluerunt; sic indurati Judæi, pagani, hæretici, schismatici, qui fabularum suarum et vanitatum atque errorum colunt figmenta magis, quam Deum atque catholicam veritatem, infernalibus traduntur bestiis devorandi, et exterminat eos multitudo vilissimorum spirituum immundorum.

ARTICULUS XII

EXPOSITIO CAPITULI DUODECIMI : O QUAM BONUS ET SUAVIS EST, DOMINE, SPIRITUS TUUS!

RECITANTUR hic beneficia filiis Israel præstita tempore ingressionis in terram promissionis sub Josue.
1 *O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus,* scilicet Spiritus Sanctus, *in omnibus!* Ipse enim est substantialiter et incircumscriptibiliter bonus et dulcis in se, bonus quoque et dulcis in omnium gubernatione, et suorum charismatum communicatione. Hoc auctor admirative præmittit ex consideratione pietatis et gratiæ Dei circa
2 Israeliticum populum. *Ideoque hos qui exerrant,* id est, a via veritatis et salutis ac gratiæ deviant, *partibus corripis,* id est, particulariter et segregatim castigas et punis, quatenus unus emendetur exemplo alterius, atque pœniteat : et quamvis interdum plures simul corripiantur, raro tamen aut nunquam iniquorum collectio, universæve gentes et nationes iniquæ. *Et de quibus peccant admonens alloqueris :* id est, per instinctum divinum et angelicum, per flagella et beneficia, per miracula et doctrinas, exhortaris iniquos de his in quibus peccant : ut scilicet cessent peccare, nec abutantur rebus creatis. Ideo

Digitized by Google

subditur : *ut relicta malitia* infidelitatis, A
idololatriæ, ac habitus vitiosi, *credant in*
te, Domine, per fidem formatam.
3 *Illos enim antiquos inhabitatores terræ*
tuæ sanctæ, videlicet septem, vel potius
decem gentes Chananæorum, habitantes
olim in terra promissionis : quæ sancta
vocatur, quia in ea tempore veteris Te-
stamenti viguit cultus Dei ; et in fine ve-
teris legis, inchoante novi tempore Testa-
menti, completa sunt ibi mysteria Christi,
et primitiva Ecclesia conversata est ibi
sanctissime. *Quos exhorruisti,* non ob id B
quod erant, sed quod fecerant, sicut sub-
4 jungitur : *quoniam odibilia tibi opera,*
id est peccata gravissima, *faciebant per*
medicamina, id est sortilegia atque au-
guria, per quæ sibi quærebant mederi, *et*
sacrificia injusta idolis immolata, imo
I Cor. x, 20. dæmonibus, dicente Apostolo : Quæ im-
molant gentes, dæmoniis immolant.
5 *Et filiorum suorum necatores sine mi-*
sericordia : quia propriam sobolem offe-
rebant in holocaustum idolis suis, juxta
Ps. cv, 38, 37. illud in Psalmo : Et effuderunt sanguinem C
innocentem, sanguinem filiorum suorum
et filiarum suarum, quas sacrificaverunt
dæmoniis ; *et comestores viscerum homi-*
num : quia de carnibus sacrificatis ali-
quid comedebant, ut aliqui dicunt, juxta
Ibid. 28. illud in Psalmo : Comederunt sacrificia
mortuorum. Aliqui vero opinantur oppo-
situm, asserentes quod iste sit metaphori-
cus sermo : quemadmodum de oppressore
et cupido officiato communiter dicitur,
quod hominum sit comestor. Secundum
quod Dominus loquitur per Prophetam : D
Mich. III, 3. Qui comedunt carnem populi mei ; et in
Ps. xxvi, 2. Psalmo, Dum appropiant super me nocen-
tes, ut edant carnes meas. Et alibi dicitur
Job xix, 22. per Job : Quare persequimini me sicut
Deus, et carnibus meis saturamini ? *Et*
devoratores sanguinis : quia ex sanguine
pecorum immolato sumpserunt in usum
6 suum ; *et auctores parentes,* id est gene-
rativa principia, *animarum inauxiliata-*
rum, id est sobolis suæ auxilio parentum
propriorum destitutæ. Nam contra legem
naturalem ac divinam, occidebant et diis
suis offerebant propriam prolem, quam
potius a morte debebant defendere.
Perdere, id est occidere et auferre, *vo-*
luisti a medio sacramento tuo, id est a
Terra sancta in medio terræ habitabilis si-
tuata, in qua sacra implesti mysteria, *per*
manus parentum nostrorum, scilicet duo-
decim tribuum sub Josue, sicut in libro Josue XII.
ejus describitur, *ut dignam perciperent* 7
peregrinationem puerorum Dei, id est, me-
rito acciperent Terram sanctam in heredi-
tatem : in qua pueri Dei, Abraham, Isaac Gen. XII, 5;
et Jacob, fuerunt peregrinati, secundum XXVI, 1, 25; XXXIII, 18.
illud : Dedit illam Jacob puero suo, et Is- Baruch III, 37.
rael dilecto sibi. *Quæ tibi omnium carior*
est terra : id est, pro tempore illo magis
erat electa, ut in ea verus Deus coleretur,
et Christi mysteria complerentur, ac pri-
mitiva conversaretur Ecclesia.
Sed et his tanquam hominibus peperci- 8
sti, id est, Chananæis tribuisti pœnitentiæ
locum : et quidam eorum fuerunt conver-
si, ut Gabaonitæ, et aliarum trium ur- Josue IX.
bium habitatores, ut in libro Josue habe-
tur. *Et misisti antecessores exercitus tui*
vespas, id est animalia parva sic dicta,
quæ (ut aliqui scribunt) præcesserunt po-
pulum Israel, qui vocatur hic exercitus
Dei : quæ venenatis suis aculeis multos
occiderunt Chananæorum, ut subditur, *ut*
illos paulatim exterminarent. Alii per ve-
spas intelligunt acerrimos timores, atque
angustias Chananæorum, formidantium Is-
raelitarum adventum, prout in libro Josue
habetur : Irruit in nos terror vester, et Ibid. II, 9.
elanguerunt omnes habitatores terræ. Un-
de ex vehementi timore Hevæi dicuntur
fugisse a terra illa ante Hebræorum in-
gressum.
Non quia impotens eras in bello subji- 9
cere impios justis : id est, non ideo præ-
misisti sic vespas, quod non potueris per
filios Israel aut ministerio angelico sub-
dere Chananæos illos Hebræis, *aut bestiis*
sævis, id est ferocibus, *aut verbo duro si-*
mul exterminare illos iniquos. *Sed par-* 10
tibus judicans, id est paulatim et per par-

Digitized by Google

tes illos ejiciens et occidens, *dabas pœnitentiæ locum* residuis, ut dictum est. Ideo quoque non simul exterminavit illos, ne terra illa tam magna, pro grandi parte re-
Deut. VII, 22. digeretur in solitudinem, et sic bestiæ multiplicarentur in ea contra Israelitas : quoniam filii Israel non poterant totam terram illam sufficienter populare tam cito, ut in Deuteronomio legitur. *Non ignorans quoniam iniqua est natio eorum,* puta Chananæorum, id est a juventute et pueritia vitiis assueta, *et naturalis malitia ipsorum,* id est in consuetudinem ducta, quæ est altera natura, et quia ex dispositione suæ complexionis erant multum proni ad vitia. Verumtamen, sicut peccatum est contra rationem, quæ deprecatur et inclinat ad optima; sic est contra naturam bene institutam seu integram, non corruptam, et innaturale. Propter quod Tullius virtutem definiens : Virtus, inquit, est habitus naturæ rationique consentaneus. *Et quoniam non poterat mutari cogitatio cordis illorum* prava ad bonum, *in perpetuum :* id est, valde difficulter poterant flecti et emendari, utpote obstinati : non tamen simpliciter inconvertibiles erant, utpote liberum habentes arbitrium, nondum determinate fixum ad unum.

11 *Semen enim erat maledictum ab initio* secundæ ætatis mundi. Nam mox post di-
Gen. IX, 22. luvium, quum Cham filius Noe ostendisset fratribus suis patris sui virilia, locutus est
Ibid. 25. Noe : Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis. Verumtamen maledictio illa Chanaan filii Cham, et Chananæorum natorum ex Chanaan, non fuit nisi addictio ad quædam temporalia mala pœnalia : quoniam filii pro parentum peccatis non maledicuntur quantum ad animam, per spiritualium subtractionem bonorum, ut plenius dixi super Genesim, et super Jeremiam, ac alibi sæpe. Verumtamen ex illa maledictione poterant posteri proniores esse ad vitia, ægre ferentes servituti se esse subjectos. Vel sensus est, quod in præscientia Dei erant maledicti, id est præsciti ac reprobi. Nihilo minus bonus et pius Deus fecit pro illorum conversione, quod erat in se; et quia tam difficulter convertibiles erant, paulatim ac diu admonuit eos.

Nec timens aliquem, veniam dabas peccatis illorum : id est, non distulisti punitionem Chananæorum, nec pepercisti quibusdam eorum ex timore alicujus superioris aut potentioris, quum tu sis universis ac singulis infinite potentior incomparabiliterque sublimior, nec appellari potest a
tuo judicio. *Quis enim dicet tibi, Quid fecisti?* 12
id est, nullus te reprehendere potest : juxta illud ad Romanos : O homo, tu *Rom.* IX, 20.
quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? Hoc, inquam, nemo potest dicere de jure, quamvis de facto quis irrationabiliter dicat. *Aut quis stabit contra judicium tuum* ad resistendum efficaciter
ei? secundum illud Isaiæ : Væ qui contra- *Is.* XLV, 9.
dicit factori suo. Numquid dicit lutum figulo suo, Quid facis? *Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?* id est, nullus poterit ante te comparere ad vindicandum in te punitionem aut condemnationem iniquorum, quos pœnis ad-
judicas : quia in ditione tua cuncta sunt *Esther* XIII, 9.
posita, et non est qui tuæ possit resistere voluntati, aut tuum reprobare judicium.
Ideo in Job fertur : Si fortitudo quæritur, *Job* IX, 19.
robustissimus est; si æquitas judicii, nemo audet pro me testimonium dicere. Un-
de rursus sanctus Job fassus est : Vere *Ibid.* 2, 3.
scio, quod non justificetur homo compositus Deo; si voluerit contendere cum eo, non poterit ei respondere unum pro mille. *Aut quis tibi imputabit, si perierint nationes quas tu fecisti?* id est, nullus valet tibi juste imputare pereuntium peccata ac tormenta : quoniam quantum in te est, nullum perire permittis; imo per instinctus divinos atque angelicos ac aliis variis modis ad salutem hortaris. Qui per
Ezechielem locutus es : Numquid volunta- *Ezech.* XVIII, 23.
tis meæ est mors impii, et non ut convertatur a viis suis, et vivat? Verumta-

Digitized by Google

men quidam omnino perversi, conantur in
Deum retorquere pereuntium culpam. De
Ps. xx, 12. quibus ait Psalmista : Quoniam declinave-
Rom. ix, 14-33. runt in te mala. Contra quos ad Romanos
disputat Paulus.
13 *Nec enim est alius Deus quam tu :* ideo
superiorem non habes, neque æqualem a
te diversum ; *cui cura est de omnibus,* id
est, universorum providentiam habes, spe-
cialiter tamen intellectualium creatura-
rum, potissime electarum. Propter quod
I Cor. ix, 9. dixit Apostolus : Numquid de bobus cura
est Deo? Divinæ autem providentiæ dispo-
sitio aut præcognitio, ad universa et sin-
gula distincte ac plenarie se extendit, sicut
cognitionis requirit perfectio; exsequitur
autem providentiam suam in multis per
Luc. xii, 6, 7. causas secundas. Ideo ait Salvator : Non-
ne quinque passeres veneunt dipondio, et
unus ex illis non est in oblivione coram
Deo? Vestri autem et capilli capitis omnes
numerati sunt. *Ut ostendas quoniam non
injuste judicas,* id est, judicialiter seu sen-
14 tentialiter profers, *judicium. Neque rex,*
qui in suo officio sequitur rationem, sa-
pientiam et virtutes, *neque tyrannus,* qui
utitur voluntate pro ratione, et impetum
sequitur passionum, *in conspectu tuo in-
quirent de his quos perdidisti,* id est, discu-
tere poterunt, aut conqueri valebunt, cur
impios perire permisisti, aut condemnasti.
Job xl, 3. Hinc Dominus in Job loquitur : Numquid
condemnabis me, ut tu justificeris?
15 *Quum ergo sis justus, juste omnia dis-
ponis,* dando unicuique quod meretur. Nec
obstat quod multa pie disponit, et quod
Ps. xxiv, 10. universæ viæ ejus misericordia et veritas:
quoniam ipse tam bonus est, ut justum sit
eum quædam clementer ac pie disponere.
Ps. cxliv, 9. Imo miserationes ejus super omnia opera
Jacob. ii, 13. ejus. Unde et Jacobus ait : Superexaltat au-
tem misericordia judicium. Idcirco, quum
Deus dicitur omnia juste disponere, intel-
ligendum est quod universa decenter, et
sicut dictat sapientia ejus, disponit. Sic-
Ps. cxliv, 17. que cantatur in Psalmo : Justus Dominus
in omnibus viis suis. Sed et quantum ad
finalem retributionem, omnia juste dispo-

A nit, et injustitiam culpæ per æquitatem
supplicii recompensat atque instaurat. *Ip-
sum quoque qui non debet puniri,* id est
innocentem ac justum, *condemnas,* id est,
temporalibus pœnis quandoque adjudicas,
ad majus meritum suum, et ad aliorum
ædificationem, et ad patientiæ suæ exerci-
tationem, probationem, et coronationem :
ut Job, Tobiam, et Paulum. Unde sanctus Tob. ii, 12. II Cor. xi, 23-27; xii, 7-10.
Job : Multiplicabit (inquit) vulnera mea,
etiam sine causa, id est sine culpa mea. *Et* Job ix, 17.
exterum æstimas a tua virtute, id est, per-
B mittis reputari extraneum a tua protecti-
one : quia secundum exteriorem apparen-
tiam, ita te habes ad eum, quasi non
pertineat ad te. Unde amici Job et Tobiæ
insultaverunt eis tanquam hypocritis et a
Deo relictis. Propter quod Job dixit : De- Ibid. xii, 4.
ridetur justi simplicitas ; et rursus, Nunc Ibid. xxx, 9.
in eorum canticum versus sum ; itemque,
Fratres mei elongaverunt a me, et noti Ibid. xix, 13.
mei quasi alieni recesserunt a me. Deni-
que istud in Christo maxime patet : qui
quæ non rapuit, exsolvit ; quem propter Ps. lxviii, 5.
C scelus populi sui Pater percussit in tan- Is. liii, 8.
tum, quod reputatus fuit tanquam lepro- Ibid. 4.
sus, et percussus a Deo, et humiliatus.
Virtus enim tua, justitiæ initium est : 16
id est, tu ipse, seu sanctitas aut omnipo-
tentia tua, est causa, regula, et mensura
omnis justitiæ ac virtutis. Ideo eo ipso
quod tu judicas aliquid esse justum, se-
quitur quod sit justum. Et quidquid agis,
eo ipso quod illud a te, qui essentialiter
bonus et sanctus es, agitur, bonum et ir-
reprehensibile est. Ideo loquitur Isaias :
D Cum quo iniit consilium, et instruxit eum, Is. xl, 14.
et docuit eum semitam justitiæ, et eru-
divit eum scientia, et viam prudentiæ os-
tendit illi? Ideo ait : An non licet mihi Matth. xx, 15.
quod volo facere? *Et ob hoc quod omnium*
Dominus es auctoritate creationis, judicia-
ria potestate, et omnipotenti imperio. Non
tamen omnium Dominus est per debitam
inferiorum subjectionem atque obsequi-
um. Propter quod in Evangelio loquitur :
Quid dicitis mihi, Domine, Domine, et non Luc. vi, 46.
facitis quæ dico? Etiam dicitur per Pro-

Digitized by Google

Malach. I, 6. phetam : Si Dominus ego sum, ubi est ti- A
mor meus? *Omnibus te parcere facis,* id
est, propria voluntate ac pietate cunctis te
exhibes pium. Nam et reprobos in præsen-
ti a multis retrahis vitiis instinctu divino
et per angelorum custodiam, multa quoque
beneficia tribuis impiis et ingratis ; dam-
natos etiam minus quam meruerunt, affli-
Luc. VI, 35, 36. gis. Ideo asserit Christus : Altissimus, be-
nignus et misericors est super ingratos et
malos.

17 *Virtutem enim ostendis,* id est, omni-
potentiam tuam variis modis declaras, in B
operibus naturæ ac gratiæ, in naturalibus
et supernaturalibus, in actibus justitiæ et
pietatis ; *tu qui non crederis in virtute
esse consummatus,* id est, quem perfidi
quidam putant non esse omnipotentem, et
in omni potestate perfectum. De quibus
Job XXII, 17. in libro Job fertur : Quasi nihil possit fa-
cere Omnipotens, ita æstimaverunt eum.
Et hos qui te nesciunt esse, et in omni
perfectione esse immensum, *in audaciam
traducis,* id est, propter eorum stultam
audaciam, qua se putant impune peccare, C
et audacter provocant Deum, ducis de cul-
pis eorum ad debitas pœnas. Interdum ta-
men aliquos tales misericorditer traducit
de tanta ignorantia ac perfidia, ad fidei
veritatem ac gratiam. Traducit quoque et
tales, dum justo judicio permittit eos de
vitiis in vitia prolabi.

18 *Tu autem dominator virtutis,* id est
dominator virtuosus ac potens, vel, domi-
nator, causa omnis creatæ virtutis, *cum
tranquillitate judicas,* id est cum pace
imperturbabili et summa quiete. Nam sine D
occupatione et inquietudine regit et judi-
cat universa, quum sit potentiæ et sapi-
entiæ penitus infinitæ. Verumtamen in
Scripturis adscribuntur Deo quædam ani-
Is. XIII, 9. mi passiones, ut quod cum ira, furore, in-
dignationeque judicet : quæ omnia intel-
ligenda sunt tropice, quantum ad simili-
tudinem operis, non quoad inquietudinem
mentis. Propter quod ait per Jeremiam :
Jer. VII, 19. Numquid me ad iracundiam provocant?
nonne semetipsos in confusionem vultus
sui? *Et cum magna reverentia disponis
nos,* id est magnifice et præclare, prout
tuam condecet majestatem. Vel etiam, Cum
reverentia magna, quia multum honorifi-
cas homines, quod tam benigne eos guber-
nas, et eorum pœnitentiam præstolaris, ac
jugiter eis offers gratiam et amicitiam
tuam, sanctosque angelos ad eorum custo-
diam deputas. Ideo ait Psalmista : Minui- Ps. VIII, 6.
sti eum paulo minus ab angelis. *Subest
enim tibi, quum volueris, posse :* id est,
potestas ad omnia tibi placentia peragen-
da, adest tibi juxta libitum tuum.

Docuisti autem populum tuum per ta- 19
lia opera, id est per opera tuæ pietatis et
æquitatis, *quoniam oportet justum esse et
humanum,* id est, ut ipsi exemplo tui, sint
justi simul et pii, justitiam et clementiam
contemperando per discretionem. Unde in
Evangelio ait Salvator : Estote misericor- Luc. VI, 36.
des, sicut et Pater vester cœlestis miseri-
cors est. Apostolus quoque : Estote, inquit, Ephes. V, 1.
imitatores Dei sicut filii carissimi. Et istud
ad præsidentes præcipue spectat; omnium
tamen intellectualium creaturarum perfe-
ctio est, suo Creatori in virtutibus assi-
milari. *Et bonæ spei fecisti filios tuos,* id
est, filiis Israel dedisti spem veniæ impe-
trandæ dum peccarent; *qui judicans, das
locum in peccatis pœnitentiæ,* id est, tem-
pus et facultatem pœnitendi das homini-
bus quando peccant, quia non statim eos
condemnas, sed ad pœnitentiam exhor-
taris.

Si enim, id est quia, *inimicos servorum* 20
tuorum, id est Ægyptios et Chananæos,
adversarios filiorum Israel, *et debitos mor-
ti,* quia mortem temporalem ac infernalem
promeruerunt, *cum tanta cruciasti atten-
tione,* id est cum tam pio moderamine et
consideratione fragilitatis humanæ, pu-
niendo eos paulatim, et cum interpolatio-
ne, ut interim pœniterent, *et liberasti* eos
a plagis inflictis, Moyse exorante, et pœ- Exod. VIII, 12, 13, 30, 31; IX, 33; X, 18, 19.
nam differendo, ac aliquos convertendo,
ut dictum est : nam et vulgus promiscu- Ibid. XII, 38.
um Ægyptiacum innumerabile exivit cum
filiis Israel de Ægypto; *dans tempus et*

locum, per quæ possent mutari a malitia, A
Is. xxviii, 19. vexatione eis intellectum præbente : *cum*
21 *quanta diligentia judicasti filios tuos?* id
est, utique cum ampliori miseratione dis-
posuisti filios Israel, et peccantes pater-
naliter corripuisti, et castigasti pro eorum
salute, *quorum parentibus,* scilicet Abra-
hæ, Isaac, et Jacob, *juramenta et conven-
tiones dedisti bonarum promissionum,* id
est, cum juramento eis promisisti, dare
eorum posteritati terram promissionis :
imo et bona gratiæ ac gloriæ promisisti
eisdem, sicut in Missa cantatur : Michael B
repræsentet animas in lucem sanctam,
quam olim Abrahæ promisisti et semini
Gen. xv, 1. ejus. Nam Abrahæ dixit : Merces tua ma-
gna nimis. Dedit quoque Patriarchis illis
conventiones harum promissionum, quia
Ibid. xvii, 9-14, 8; xxvi, 2-5; xxviii, 13-15. multa præcepit eis, cum hujus conditionis
adjectione, quod si facerent ea, daret eis
hujusmodi bona.
22 *Quum ergo nobis disciplinam das,* pa-
ternaliter castigando in vita hac, ne æter-
Prov. iii, 12. naliter pereamus : juxta illud, Quia quem
diligit Dominus, corripit, et quasi pater in C
filio complacet sibi; *inimicos nostros,* sci-
licet infideles, *multipliciter flagellas,* eos
in sua duritia relinquendo, et non solum
temporaliter, sed æternaliter puniendo.
Ibid. xi, 31. Unde et Salomon ait : Si justus in terra
recipit, quanto magis impius et peccator?
Ut bonitatem tuam cogitemus, consideran-
do quam paterne ac pie agas nobiscum,
judicantes, id est, prudenter discernentes
correctionem nostram a reproborum puni-
tione; vel, Judicantes, id est, dum proxi-
mos judicamus, ut simus eis benigni et D
indulgentes, sicut Deus nobiscum miseri-
corditer egit. Unde in Evangelio dicitur
Matth. xviii, 32, 33. servo iniquo : Serve nequam, omne debi-
tum dimisi tibi, quia rogasti me : nonne
ergo oportuit et te misereri conservi tui,
sicut et ego tui misertus sum? Hinc hor-
Ephes. iv, 32. tatur Apostolus : Donantes vobismetipsis,
sicut et Deus in Christo donavit vobis. *Et
quum de nobis judicatur,* id est, quum
pro nostris culpis judicamur et punimur
in vita præsenti, *speremus misericordiam*
tuam obtinere : quia non judicas bis in *Job* xxxiii, 14.
id ipsum, et pœnæ vitæ præsentis sunt
medicinales.
Unde et illis qui in vita sua insensate 23
et injuste vixerunt, videlicet Ægyptiis, qui
insipienter se habuerunt ad Deum, et in-
juste ad Hebræos, quos oppresserunt, *per
hæc quæ coluerunt,* id est per parva et
vilia animalia, quæ adoraverunt, *dedisti
summa tormenta,* id est valde magna sup-
plicia, immittendo eis ranas, muscas, sci- *Exod.* viii, 6, 24, 17; x, 13-15; *Ps.* civ, 34.
nifes, bruchos, locustas, quoniam talpas,
vespertiliones, serpentesque coluerunt : et
quia non pœnituerunt in pœnis his, ade-
pti sunt pœnas æternas. Ideo subditur :
Etenim in erroris via diutius errave- 24
runt, id est, in sua idololatria ac ceteris
vitiis permanserunt pro majori parte us-
que ad mortem, *deos æstimantes hæc, quæ
in animalibus sunt supervacua,* id est
vilia et inutilia bruta præfata, *infantium
insensatorum more viventes,* id est stulte
et pueriliter, non pensantes tam vilia non
esse colenda. *Propter hoc tanquam pueris* 25
insensatis judicium in derisum dedisti :
id est, Ægyptiis intulisti derisibile illud
supplicium muscarum et similium bestio-
larum, sicut pueri insensati solent derisi-
biliter corrigi. *Qui autem ludibriis,* id est 26
pœnis illis irrisione aspernationeque di-
gnis, *et increpationibus* Moysis, seu Dei
punientis, *non sunt correcti,* id est, non
pœnituerunt veraciter et constanter, *di-
gnum judicium Dei experti sunt :* quia in
mari Rubro submersi seu aliter mortui,
perpetuo sunt damnati.
In his enim quæ patiebantur, moleste 27
ferebant, id est, ipsas suas punitiones
ægre et impatienter sustinuerunt; *in qui-
bus patientes,* id est, pœnam magnam
habentes, *indignabantur* contra Deum He-
bræorum eos sic punientem, cujus omni-
potentiæ invidebant : sicut in Apocalypsi
scribitur de quibusdam : Manducaverunt *Apoc.* xvi, 10, 9.
linguas suas præ doloribus, et non egerunt
pœnitentiam, ut darent gloriam Deo; sed
blasphemaverunt nomen Dei habentis po-
testatem super has plagas. *Per hæc, quæ*

Digitized by Google

putabant deos, in ipsis quum extermina- A *rentur, videntes illum quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt.* Littera intricata est. Est igitur sensus et ordo verborum : Ægyptii aut etiam Chananæi, *videntes,* id est aliqualiter cognoscentes, *illum quem olim negabant se nosse,* scilicet Deum Israel : de quo Pharao
Exod. v, 2. dixit : Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, et dimittam Israel? Nescio Dominum, et Israel non dimittam. Cognoscentes, inquam, illum *per hæc* flagella, *quum exterminarentur quæ putabant esse deos,* id B est, idola eorum (quæ putabant esse deos suos, seu deos inter ipsos) destruerentur a
Ibid. xii, 12. Deo qui in diis Ægyptiorum exercuerat ultionem, ut fertur in Exodo, vel a filiis Israel qui idola Chananæorum dissipaverunt, sicut in Deuteronomio sæpissime jus- Deut. vii, 5, 25; xii, 3.
sum fuit; *agnoverunt verum Deum :* quia experiebantur eum esse potentiorem omnibus diis ipsorum, a quibus juvari non poterant, imo et omnipotentem in multis prodigiis, sicut in statione solis et lunæ, Josue x, 13.
et maris Rubri divisione. Non tamen ho- Exod. xiv, 21.
noraverunt eum ut Deum : idcirco inexcu- Rom. i, 21, 20.
sabiles erant. Ideo subditur : *propter quod et finis condemnationis eorum,* id est finalis seu ultima et plena condemnatio illorum, *veniet super illos :* et hoc in die generalis judicii, quando cum corpore et anima damnabuntur.

ARTICULUS XIII

DECLARATIO CAPITULI TERTIIDECIMI : VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI.

REPROBATUR hic idololatria, non so- C lum Ægyptiorum aut Chananæorum,
1 sed gentium universarum. *Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei,* id est, qui veri Dei carent notitia. Vanum namque vocatur, quod ad finem propter quem institutum est, non pertingit : quemadmodum vana est medicina quæ ad sanitatem non confert. Quum ergo finis et salus hominum sit Dei co-
Joann. xvii, 3. gnitio, sicut asserit Veritas, Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; homines qui ad Dei notitiam non D pertingunt, recte vani censentur. Et horum triplex est genus. Quidam enim habent cognitionem Dei, non solum naturalem, sed etiam theologicam et supernaturalem illam quæ est donum gratiæ gratis datæ, et studio potest acquiri; tamen non habent scientiam Dei quæ est donum, et caritati semper conjuncta est : et isti sunt vani, quum sint extra caritatem et statum salutis, seu in peccato mortali. Alii solum habent cognitionem Dei naturalem, philosophicam, acquisitam, ignorantes sacram Scripturam, et fide carentes : et isti sunt vaniores, ut infideles. Alii nesciunt unum summum universorum principium esse, et omni Deitatis notitia destituuntur, ut quidam idololatræ, de quibus hic agitur : et isti perhibentur vanissimi. Porro primum genus potest subdividi. Nam aliqui habentes supernaturalem scientiam Dei traditam in Scripturis, et quæ est donum gratiæ gratis datæ, habent veram fidem, ut mali Catholici; alii carent fide, sicut hæretici.

Et de his quæ videntur bona, id est ex rerum creatarum notitia, quæ aliquid bonitatis participant, et quibusdam meliora apparent quam sunt, *non potuerunt,* id est, non curaverunt, nec studuerunt, seu facili conatu nequibant, *intelligere eum qui est,* scilicet verum Deum, qui solus est

Digitized by Google

ipsum esse separatum, plenum, independens, incircumscriptum, purum, simplicissimum, infinite perfectum, in se ipso incommutabiliter æternaliterque consistens: quod tantæ est excellentiæ, ut ejus comparatione omne creatum esse, sit quasi non esse. Ideo primum nomen Dei ponitur, Esse, seu, Qui est. Qui Moysi nomen
Exod. III, 14. suum sciscitanti legitur respondisse : Ego sum qui sum. Hæc dices filiis Israel : Qui est, misit me ad vos. Cui sanctus Job di-
Job XIV, 4. xit : Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui
Jer. LI, 19. solus es? De quo legitur in Propheta : Qui fecit omnia, ipse est; Dominus exercituum nomen ejus.

Neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex, id est, creaturarum considerationi vacantes, non agnoverunt quod productæ essent ab uno summo artifice.
2 *Sed aut ignem, aut spiritum,* id est ventum seu ætherem, *aut citatum,* id est commotum aut mobilem, *aerem, aut gyrum stellarum,* id est circulum siderum, seu zodiacum (qui est circulus obliquus, in quo moventur planetæ, habens duodecim
IV *Reg.* XXIII, 5. signa : unde legitur, Delevit Josias eos qui adolebant soli et lunæ et duodecim signis), *aut nimiam,* id est abundantissimam, *aquam,* videlicet elementum aquæ, sive Oceanum, *aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt,* id est, æstimaverunt esse principales rectores inferiorum, ac deos. Nempe aliquo modo verum censetur, quod Aristoteles ait : Oportet hunc mundum esse contiguum lationibus superiorum, ut tota ejus virtus inde gubernetur. Sicque cœlestia corpora agunt et influunt in elementa ac mixta, et instrumentaliter regunt ea ; non tamen directe agunt in superiorem partem animæ rationalis, nec eam necessitant. Hinc sol suo accessu in zodiaco, dicitur causa generationis in inferioribus; et sua elongatione, causa corruptionis. Ad quod etiam super secundum Sententiarum Thomas divinum Dionysium allegat et sequitur.

3 *Quorum* entium creatorum, *si,* pro quia, A *specie,* id est decore, *delectati* idololatræ, *deos putaverunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est,* id est, advertant et sciant, quod creator et rector eorum, utique infinite sit speciosior ipsis. Denique summi philosophi, planetas et stellas ac orbes cœlestes, dixerunt esse animatos, et deos. Nihilo minus cognoverunt primam causam, scilicet Deum, esse incomparabiliter digniorem ac pulchriorem, utpote purum actum, et infinitam virtutem. Unde in primo Timæi Plato inducit opificem B universi, stellis orbibusque loquentem : O dii deorum! quorum pater et opifex ego. Aristoteles quoque tertio de Anima, solem appellat patrem virorum ac deorum. Et quamvis isti in aliquibus erraverunt, minus tamen, quam illi qui istis creatis attribuebant principalem auctoritatem, deitatem, et formositatem. *Speciei enim generator,* id est Deus omnis pulchritudinis institutor et auctor, *hæc omnia constituit,* id est, fecit : ideo quidquid perfectionis ac pulchritudinis inest istis, multo præcla- C rius est in illo.

Aut si virtutem et opera eorum mirati 4
sunt, id est, quia causalitatem et effectus solis ac lunæ, aut consimilium, sunt admirati, *intelligant ab ipsis,* id est ex consideratione ipsorum, *quoniam qui hæc constituit,* id est, creavit, *fortior,* id est causalior atque potentior, *est illis;* et quidquid efficaciæ habent, ab illo sortiti sunt, et ab eodem incessanter dependet.

A magnitudine enim speciei et creatu- 5
ræ, id est ex consideratione magni decoris D rerum et ipsarum creaturarum, *cognoscibiliter poterit creator horum videri,* id est, Deus omnium causa intelligi. Quamvis enim incomprehensibilis sit, quantum ad quid est, nec cognosci possit per causam, id est, sciri non possit a priori; tamen cognoscibilis est, quia est, et a posteriori, per suos effectus, quum omne causatum sit quædam similitudo suæ causæ. Sic et omnis creatura est quædam participata similitudo, et velut quidam radius Creatoris. Ex ordine quoque causarum, et mobi-

Digitized by Google

lium et moventium, atque regentium, et
ex ordine universi, et decentissima conca-
tenatione et coordinatione specierum ip-
sius, atque ex aliis multis concluditur,
quod sit unum primum et summum ens,
prima omnium causa, primus rector et
motor. Rursus, quum non sit processus in
infinitum, et videamus multa suum esse
aliunde sortiri, necesse est devenire ad
unum primum et increatum. Et quia nihil
est imperfectum, nisi in quantum distat a
fonte suæ perfectionis, oportet hoc pri-
mum ens fateri omnino perfectum atque
æternum. Unde ex his considerationibus
cognoverunt meliores philosophi multa ve-
ra et alta de Deo, quemadmodum scribit
Rom. I, 20, 19. Apostolus : Invisibilia Dei a creatura mun-
di, per ea quæ facta sunt, intellecta con-
spiciuntur; sempiterna quoque virtus ejus
et divinitas, ita ut sint inexcusabiles : quia
quod notum est Dei, manifestum est in il-
lis. Verumtamen isti, qui nobiles creatu-
ras dixerunt deos, sunt minus reprehensi-
biles quam qui vilissimas bestiolas deos
putabant. Ideo subditur :

6 *Sed tamen adhuc in his* ita errantibus,
minor est querela, id est culpa seu repre-
hensio, quam in aliis, de quibus dicetur.
*Et hi enim fortassis errant, Deum quæ-
rentes, et volentes invenire.* Non dubium
quin errent : idcirco quod ait, Fortassis,
referendum est ad participia illa, Quæren-
tes, et, Volentes. Forsitan enim, dicendo
nobiliora quæque esse deos, quærunt, in-
venireque volunt Deum, quem æstimant
7 aliquem magnum. *Etenim quum in operi-
bus illius conversentur,* id est, quum occu-
pent se in considerationibus creaturarum
Dei, *inquirunt* scire, *et persuasum habent,*
id est, tanquam probabile tenent, *quoniam
bona sunt quæ videntur :* et sic aliquo mo-
do bene sentiunt de creatis, et de Deo,
quoad hoc quod nobilioribus et causabi-
lioribus rebus attribuunt deitatem. Non ta-
men sunt totaliter excusabiles. Propterea
sequitur :

8 *Iterum autem nec his debet ignosci* er-
ror eorum : imo damnatione sunt digni.

A *Si enim tantum potuerunt scire,* id est in 9
scientia proficere, *ut possent æstimare sæ-
culum,* id est probabilem habere cogni-
tionem de mundo, et de ordine, cursu,
successioneque rerum; *quomodo hujus Do-
minum facilius non invenerunt?* id est, in
hoc negligenter et irrationabiliter se ha-
bebant, quod ex rebus creatis et prætactis
earum considerationibus, statim non at-
tenderunt omnia ista ab uno primo prin-
cipio profluxisse, quum omnis multitudo
procedat ab uno, et omne participatum ac
B dependens et imperfectum, reducatur fi-
naliter ad aliquod imparticipatum, inde-
pendens ac perfectum. Denique, sicut ni-
hil est incomprehensibilius Deo, quantum
ad quid est; sic nihil facilius aut certius
est Deo, quantum ad quia est. Imo multi
magni dixerunt, quod Deum esse, sit per
se notum. Verumtamen Deum cognoscere
quantum ad aliqua attributa ipsius, diffi-
cile est : sicque verificatur quod asserit
Plato, Genitorem opificemque universi, tam
difficile inveniri, quam inventum impossi-
C bile digne effari. Et hoc consonat ei quod
scriptum est : Digne eum invenire non pos- Job XXXVII, 23.
sumus, et enarrari non potest. Quod ta-
men de inventione Dei quoad quid est, po-
test intelligi.

Consequenter ostenditur, quod prædictis
infeliciores sunt, qui rebus inanimatis ac
vilibus deitatem attribuebant. *Infelices au-* 10
tem sunt, id est æternaliter condemnati,
aut digni damnari, *et inter mortuos spes
illorum est,* id est, non plus sperandum
de eorum salute, quam de mortuorum, id
D est rerum non viventium, seu in vitiis de-
functorum, felicitate ; *qui appellaverunt
deos opera manuum hominum,* id est idola
fabrefacta, *aurum et argentum,* id est ido-
la facta ex auro et argento, consimilibusve
materiis : quæ opera manuum hominum
sunt, quantum ad formam eorum artifici-
alem : unde subjungitur, *artis inventio-
nem,* quia per humanæ artis excogitatio-
nem ita formata sunt; *et similitudines
animalium* deos dixerunt, *aut lapidem
inutilem,* id est lapideam statuam factam

Digitized by Google

de saxo vili, quod conculcatur velut inuti-
le : omne tamen creatum est ad aliquid
utile; *opus manus antiquæ,* id est forma-
tum a manu in vitiis veterati. Vel additur
hoc, quoniam idola vetustiora amplius ho-
norabant.

Deinde ad ostendendum idololatrarum
11 fatuitatem, exemplificatur. *Aut si quis ar-*
tifex faber, id est faber lignarius, *de silva*
lignum rectum securerit, id est, cum secu-
ri absciderit, *et hujus docte eradat omnem*
corticem, id est, perite deponat vel purget
corticem ejus, *et arte sua usus, diligenter*
fabricet vas inutile, id est valde utile, juxta
Glossam : secundum illud Virgilianum :
Nunquam imprudentibus (id est multum
prudentibus) imber obfuit. Vel, Inutile, id
est intus utile, puta ad usus domesticos.
In conversationem vitæ, id est ad huma-
num convictum, ad quem vasa lignea re-
quiruntur. Posset quoque sic legi : Vas in
utile, id est in vas utile, ut, *in utile,* duæ
12 sint dictiones. *Reliquiis autem hujus ope-*
ris, id est reliqua parte ligni ita erasi,
ad præparationem escæ abutatur, id est,
ignem ex ea faciat pro cibo coquendo.

13 *Et reliquum horum,* id est residuum
partium ligni hujus, *quod ad nullum usum*
facit, id est, de quo non format vas aut
instrumentum in usus humanos, videli-
cet *lignum curvum, et verticibus,* id est
globosis eminentiis seu nodis apparenti-
bus, *plenum, sculpat diligenter per vacui-*
tatem suam, id est per propriam vanita-
tem et mentem inanem; *et per scientiam*
artis suæ figuret illud, imprimendo ei for-
mam artificialem, *et assimilet illud ima-*
14 *gini hominis,* id est figuræ humanæ, *aut*
alicui ex animalibus irrationabilibus *com-*
paret, id est conformet, *illud,* imprimen-
do ei figuram bestialem; *perliniens rubri-*
ca, id est rubeo colore, *et rubicundum*
faciens fuco, id est tinctura, quæ fit de
herba quæ etiam fucus vocatur (sed et
quidam superpositus color dicitur fucus;
interdum quoque fraus, mendacium, astu-
tia, dicitur fucus, quia supponitur veritati
aut falsitati colorandæ), *colorem illius, et*
A *omnem maculam quæ in illo est perlini-*
ens; et faciat ei dignam habitationem, sci- 15
licet templum, altare, aut alium locum
quem arbitratur congruere hujusmodi deo
suo; *et in pariete ponens illud, et confir-*
mans, id est, fortiter figens in loco, *ferro,*
id est cum clavis, *ne forte cadat, prospi-* 16
ciens illi, id est, providens periculo casus
illius, *sciens quoniam non potest adjuva-*
re se, id est, ipso facto suo ostendit se id
scire, quamvis aliunde deceptus, putet ali-
quid numinis esse in illo; *imago enim est*
B inanimata, *et opus est illi adjutorium,* id
est, adjutorio sustentationis hujusmodi in-
diget, ne ruat ex loco suo.

Et de substantia sua, id est facultati- 17
bus, *et de filiis suis, et de nuptiis votum*
faciens, ut scilicet bona sua aut prolem
consecret diis, aut alio modo de eis dispo-
nat, *inquirit* ab illa imagine, quid agere
debeat. *Non erubescit loqui cum illo, qui*
sine anima est, id est cum homine sculpto
inanimato; *et pro sanitate quidem* obti- 18
nenda aut conservanda, *infirmum,* id est
C impotentem, *deprecatur; et pro vita sua*
conservanda *mortuum rogat,* id est non
viventem; *et in adjutorium, inutilem in-*
vocat; et pro itinere petit ab eo, qui am- 19
bulare non potest; et de acquirendo lucro,
et de operando, et de omnium rerum even-
tu petit ab eo, qui in omnibus inutilis
est : quia nec se, nec alios potest defende-
re aut juvare. Verumtamen Trismegistus
erronee posuit statuas animatas, sensu et
spiritu plenas, imbecillitatem aut incolu-
mitatem hominibus facientes : quod pe-
D nitus falsum est, prout in Summa contra
gentiles, S. Thomas diffuse prosequitur
ac demonstrat. Dæmones vero per ido-
la dabant responsa, et hominibus multi-
pliciter illudebant, ac quosdam fecerunt
infirmos, qui ad invocationem deorum
videbantur sanari, dæmonibus a vexatio-
ne cessantibus : quorum deceptiones per
gloriosos Apostolos patefactæ sunt et con-
victæ.

Postremo, dictis in isto capitulo conso-
nant quæ per Isaiam de ista materia plene

Digitized by Google

Is. XLIV, 9-20. scribuntur : Plastæ, inquit, idoli omnes
nihil sunt. Ipsi sunt testes eorum, quia
non vident, neque intelligunt, ut confundantur : et cetera quæ ibi sequuntur. Unde
Psalmista : Oculos habent, et non vide- *Ps.* CXIII, 5, 6.
bunt ; aures habent, et non audient.

ARTICULUS XIV

ELUCIDATIO CAPITULI QUARTIDECIMI : ITERUM ALIUS NAVIGARE COGITANS.

VANITATEM et impietatem idololatrarum, in marinis negotiis ac periculis
1 idola invocantium, hic ostendit. *Iterum
alius navigare cogitans, et per feros,* id
est crudeles, quantum ad effectum, seu
periculosos, *fluctus iter facere incipiens,
ligno portante se, fragilius lignum,* id est
idolum ligneum frangibilius nave qua vehitur, *invocat :* quod prorsus stultissimum
est et iniquum, utpote non invocare Creatorem, qui navigantibus dedit rationem et
artem fabricandi navigia, sed idolum hu-
2 mana arte formatum. *Illud enim,* scilicet
idolum, *cupiditas acquirendi excogitavit :*
id est, una causa formationis culturæque
idolorum, avaritia fuit artificum, qui ut
plus lucrarentur, fecerunt imagines multum formosas et quasi vitales. Hinc in Actis, Demetrius artifex idolorum, concitans
Act. XIX, 25. suos collegas adversus Paulum : Scitis, inquit, quia de hoc artificio acquisitio est
nobis. *Et artifex sapientia,* id est arte,
sua practica *formavit.*
3 *Tu autem, Pater, gubernas providentia,*
id est, o Pater cœlestis, tu per providentiam tuam gubernas homines in terra et
mari : quod patet, *quoniam dedisti in ma-*
Exod. XIV, 21, 22. *ri viam,* id est, per fundum maris Rubri hinc inde divisi, dedisti populo Israel
iter, *et inter fluctus semitam firmissimam,*
Josue III, 15, 16. quando duxisti filios Israel per Jordanem,
una parte aquarum Jordanis stante fixa in
tumulo uno instar turris, et alia decurren-
4 te deorsum ; *ostendens* per illos miraculosos effectus, *quoniam potens es ex omnibus sanare,* id est ab omni periculo maris
eripere, *etiam si sine rate aliquis adeat
mare,* id est, quamvis aliquis tentet mare
seu aquas perambulare pedester sine navigio : secundum quod Christus ambulavit
super mare, et admirabile vas illud infinitæ misericordiæ Dei, contemplativissima
atque sanctissima illa Maria Ægyptiaca.
Sed ut non essent vacua, id est infructu- 5
osa, *sapientiæ tuæ opera,* scilicet divitiæ
temporales ad usum ordinatæ humanum ;
propter hoc etiam et exiguo ligno, id est
ligneæ navi, *credunt homines animas suas,*
id est se ipsos, sperantes adjutorio navis
non periclitari in mari, et vitam suam exponentes eventibus maris valde incertis ;
et transeuntes mare ad vendendum merces
quas deferunt secum, vel ad emendum ea,
quæ alibi plus abundant, *per ratem,* id est
per navem, *liberati sunt* a maris periculis.

Sequitur alia navigiorum ac navigationum utilitas. *Sed et ab initio* secundæ 6
ætatis, quæ cœpit tempore Noe, *quum perirent,* id est, diluvio mergerentur, *superbi gigantes :* qui tunc præcipue erant rei,
et magna causa diluvii ; *spes orbis terrarum,* scilicet Noe et soboles sua, in quibus
mansit genus humanum, et spes recuperationis illius, *ad ratem,* id est ad arcam,
quæ et navis vocatur, *confugiens* ex Dei
præcepto, *remisit sæculo semen nativitatis,* id est, post diluvium propagavit filios
ac filias, per quas recuperata est hominum multitudo, *quæ* nativitas *manu tua
erat gubernata,* id est, processum habuit
et propagationem secundum potentiam et
sapientiam tuam.

Digitized by Google

7 *Benedictum est enim lignum,* id est suo
modo laudibus dignum Deoque consecra-
tum, *per quod fit justitia,* id est, tua justa
ordinatio adimpletur, sicut exstitit arca,
quæ fuit typus Ecclesiæ. In qua arca, prin-
1 Petr. iii, 20. cipe Apostolorum testante, pauci, id est
octo animæ seu personæ, salvæ factæ sunt
Ibid. 21. per aquam : quæ aqua fuit Baptismi figu-
ra, per quem animæ electorum salvantur.
Potissime autem benedictum est lignum
salvificæ crucis, per quod Christus per
viam cujusdam justitiæ redemit genus hu-
manum, sustinens amarissimam mortis
pœnam ex ardentissima caritate et obedi-
entia summa, ad satisfaciendum pro hu-
mani generis culpis.

8 *Per manus autem quod fit idolum,* id
est, idolum quod fit per artificis manum,
maledictum, id est vituperatum ac dete-
standum, *est et ipsum* idolum, *et qui fecit*
illud, scilicet artifex, qui fecit illud ut co-
leretur : *quia ille quidem,* scilicet artifex,
operatus est materiam tantorum facino-
rum, intentione perversa ac prava radice;
illud autem idolum, *quum esset fragile,* id
est faciliter corruptibile, *deus cognomina-*
tus est: et ita fuit peccandi occasio, et ido-
9 lolatrandi materia. *Similiter autem odio,*
id est odibiles, *Deo,* secundum præsentem
justitiam, ut dictum est supra, *sunt im-*
pius et impietas ejus : impius propter im-
pietatem, et impietas propter se ipsam.
Is. i, 14. Unde per Isaiam testatur : Festivitates ve-
stras odivit anima mea. Et per Jeremiam
Jer. xii, 8. dicit : Facta est mihi hereditas mea quasi
leo in silva; dedit contra me vocem suam,
ideo odivi eam. Atque per Osee dicitur :
Osee ix, 15. Exosos habui eos, propter malitiam adin-
10 ventionum ipsorum. *Etenim quod factum*
est, scilicet idolum, vel potius dæmonium
in idolo habitans ac respondens, *cum illo*
qui fecit idolum manu propria, aut per
artificem fieri procuravit aut jussit, *tor-*
menta patietur æterna, tanto acerbiora,
quanto gravius scelus est idololatria.

11 *Propter hoc et in idolis nationum non*
erit respectus : id est, Deus oculo pietatis
et indulgentiæ non adspiciet idola, id est

A dæmonia eis præsidentia, juxta quod scriptum est : Quoniam omnes dii gentium Ps. xcv, 5. dæmonia. Indurati enim sunt dæmones, et irremissibilia sunt eorum peccata; et peccant gravissime, procurantes ac usurpantes sibi divinos honores, avertentesque a Creatoris obsequio creaturas rationales.

Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt. Istud ad litteram, juxta textus connexionem, de dæmonibus dictum videtur : qui secundum suam bonam naturam creaturæ sunt Dei; sed concomitanter, et
B per propriæ voluntatis perversitatem, facti sunt in odium, quia se ipsos fecerunt Deo odibiles, et eos quos vincunt et ad idololatriam trahunt, Deo faciunt odiosos. *Et in tentationem animæ hominum :* quia ex sua invidia assidue tentant animas, ad eam beatitudinem quam ipsi perdiderunt creatas. Unde præhabitum est : Invidia autem Sap. ii, 24. diaboli mors introivit in orbem terrarum. *Et in muscipulam pedibus insipientium,* id est in deceptionem affectibus ac gressibus iniquorum, qui capiuntur, et irretiti
C tenentur a malignis spiritibus. Quibus qui consentiunt, vere sunt insipientes, quia atrocissimis hostibus suis præbent consensum : quod agendo occidunt atque æternæ damnationi adstringunt se ipsos. Sapientibus vero et justis tentamenta vincentibus, facti sunt dæmones in exercitium et coronam.

Insuper verba hæc per se sumpta, sic possunt intelligi, quod creaturæ istæ hujus mundi inferioris, puta divitiæ, deliciæ et honores, sensuumque objecta, factæ
D sunt in odium, et in tentationem animarum hominum, et in muscipulam pedibus insipientium : quia in istis rebus creatis est aliquid boni delectabilis, utilis, et honesti, videlicet aliquid pulchritudinis, et utilitatis, et voluptatis, et honorabilitatis, per quod appetibiles sunt, et humanum alliciunt appetitum. Sapientes vero et virtuosi, non afficiuntur ad eas, nec eis utuntur, nisi secundum legem divinam, rectamque rationem : ideo creaturæ hæ eis deserviunt atque proficuæ sunt. Homines

Digitized by Google

vero carnales, cupidi, libidinosi, ambitiosi A
attrahuntur ab eis, sicut mures alliciuntur
a nucleo nucis in muscipula positæ. Non
enim considerant eas per comparationem
ad Deum, ad ultimum finem, ad animarum
suarum salutem, sed solum quoad propri-
am voluptatem, aut transitoriam utilita-
tem, seu temporalem honorem. Ideo sicut
mures capiuntur muscipula, sic ipsi per
objecta creata, circumventione diabolica.
Job xviii, 10. Hinc fertur in Job : Abscondita est in ter-
ra pedica ejus, et decipula ejus juxta se-
mitam. Ad quod pertinere mystice potest B
Ps. cxxxix, 5, 6. illud in Psalmo : Cogitaverunt supplantare
gressus meos, et funes extenderunt in la-
queum ; juxta iter scandalum posuerunt
mihi.
12 *Initium enim fornicationis* spiritualis,
scilicet superstitionis idololatricæ, *est ex-
quisitio,* id est excogitatio, procuratio,
formatio, *idolorum; et adinventio illorum
corruptio vitæ est,* id est infectio et macu-
latio conversationis humanæ, et directe
formaliterque destructio vitæ caritatis ac
gratiæ, quæ consistit in amore et cultu C
summi boni : cui vitæ directe contrariatur
amor et adoratio idolorum. Denique, quum
omnis anima sit sponsa Dei, aut adultera
diaboli, et desponsatio illa cum Deo per
omne mortale peccatum tollatur : constat
quod omne peccatum mortale sit fornica-
tio spiritualis, id est recessus mentis a
Sponso cœlesti, et unio quædam cum dia-
bolo, ac constupratio mentis ab illo. Hinc
Coloss. iii, 5. avaritiam appellat Apostolus idolorum ser-
vitutem. Specialissime tamen idololatria
est fornicatio spiritualis, quoniam creatu- D
ram pro Creatore assumit in Deum. Simi-
liter hæretica pravitate corrumpi, est spi-
ritualiter fornicari.
13 *Non enim erant ab initio :* quia in prima
mundi ætate non erant, propter recentem
memoriam creationis mundi, ex qua pa-
tuit cunctis unum esse verum Deum, so-
lum adorandum ; *neque erunt in perpe-
tuum.* Nam per Christi Apostolos et eorum
discipulos, idololatria pro maxima parte
exstincta fuit. Nunquam tamen ex quo
incepit, fuit in toto destructa : nam et in
aquilonaribus quibusdam partibus mundi
viget adhuc, ut in libro de Fide et legibus
refert Guillelmus Parisiensis. Sed et post
Mahometi detestabilem legem, imo potius
fæcem et sordem, multum invaluit idolo-
latria in populo Tartarorum. Sed ante sæ-
culi finem totaliter destruenda asseritur,
præsertim quando Antichristo occiso, to-
tum pene genus humanum convertetur ad
Christum, paucissimis induratis Antichri-
sti demptis ministris : qui tamen non pu-
tantur fore idololatræ, quia Antichristus
idololatriam reprobabit, simulans se Moy-
sis legem servare. Et de illis dixit Aposto-
lus : Quum dixerint, Pax et securitas, re- I *Thess.* v, 3.
pentinus eis superveniet interitus. Sicque
verificatur quod subditur : *neque erunt in
perpetuum,* id est, semper non erunt. *Su-* 14
pervacuitas enim hominum, id est vanitas
et defectus veræ sapientiæ, *hæc adinvenit
in orbem terrarum, et ideo brevis illorum,*
scilicet idolorum, *finis inventus est.* Philo
enim creditur libri hujus conscriptor :
qui Alexandriæ habitavit tempore quo be-
atissimus princeps Apostolorum Romæ se-
dit, et Marcus in Alexandria prædicavit ;
tuncque per gloriosos Apostolos et eorum
cooperatores, idololatria undique valde ex-
stinguebatur.
Consequenter docetur qualiter idolola-
tria sumpsit exordium. *Acerbo enim luctu* 15
dolens pater de morte filii sui ante se de-
functi, *cito sibi rapti,* id est per mortem
subtracti, *filii fecit imaginem* pro sua
consolatione et filii veneratione ; *et illum
qui tunc quasi,* id est vere ut *homo mor-
tuus fuerat :* sicque, Quasi, hic denotat ve-
ritatem, non similitudinem tantum ; *nunc,*
scilicet facta ejus imagine, *tanquam deum,*
quum non esset aliquid habens deitatis,
colere cœpit, propter aliquam eminentiam
quæ videbatur esse in filio, quando vixit,
*et constituit inter servos suos sacra et sa-
crificia.* Per sacra, intelliguntur festa, tem-
pla, vel altaria, aut ritus colendi, conse-
crata filio mortuo aut ejus imagini, cui
sacrificia jussit pater offerri. *Deinde in-* 16

Digitized by Google

terveniente tempore, convalescente iniqua A
consuetudine taliter sacrificandi, *hic error*
superstitiosus colendi defunctum, aut ejus
imaginem, *tanquam lex custoditus est, et*
tyrannorum imperio colebantur figmenta,
videlicet idola. Nam quidam tyranni jus-
serunt sui ipsorum imagines coli, ut sub-
17 ditur. *Et hos* tyrannos, *quos in palam,* id
est præsentialiter, *homines* subditi eis *ho-*
norare non poterant, propter hoc quod
longe essent, id est, ob hoc quod longa lo-
corum distantia erant absentes ab invi-
cem, *e longinquo figura illorum allata,* id B
est imagine talium tyrannorum apportata
ad subditos longe absentes, *evidentem ima-*
ginem regis, quem honorare volebant, fe-
cerunt, juxta formam imaginis eis missæ;
ut illum qui aberat, tanquam præsentem
colerent sua sollicitudine.

Auxit autem idololatriam pulchritudo
18 imaginum. Ideo subditur : *Provexit au-*
tem, id est promovit, *ad horum* idolorum
culturam et hos qui ignorabant, id est
simplices et indoctos, nescientes nihil esse
numinis in illis figmentis, *artificis eximia* C
diligentia ad faciendum formosam imagi-
19 nem. *Ille enim* artifex *volens placere illi*
qui se assumpsit, id est principi a quo
inductus fuit ad formandum imaginem,
elaboravit arte sua pictoria, *ut similitu-*
dinem in melius figuraret, id est, idolum
20 faceret pulchrius quo valebat. *Multitudo*
autem hominum indoctorum *abducta per*
speciem operis, id est per pulchritudinem
idoli facti decepta, *eum qui ante tempus,*
scilicet nondum facta ejus imagine, *tan-*
quam homo honoratus fuit cultu duliæ D
tanquam parens, aut princeps, seu judex,
nunc deum æstimaverunt, facta ejus ima-
gine, impendentes ei latriæ cultum.

21 *Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio, quo-*
niam aut affectui, aut regibus deservientes
homines, id est, subditi cupientes regibus
suis placere, vel adulari, aut propria com-
moda consequi ex idolorum formatione
aut cultu, ut dictum est, *incommunicabile*
nomen, id est Deitatem, seu ejus appellatio-
nem, quæ pluribus substantialiter diversis
convenire non potest, *lapidibus et lignis,*
id est idolis ligneis ac saxeis, *imposuerunt.*
Verumtamen per quamdam imitationem et
participationem divinarum proprietatum,
aliqui appellati sunt dii, imo et deus, sicut
ad Moysen Dominus dixit : Constitui te *Exod.* VII, 1.
deum Pharaonis. Et Christus in Evangelio :
Illos, inquit, dixit deos, ad quos sermo Dei *Joann.* X, 35.
factus est. Et Psalmista : Deus stetit in sy- *Ps.* LXXXI, 1.
nagoga deorum. Sicque in lege Moysis præ-
sidentes ac judices, dii vocantur, juxta
illud in Exodo : Diis non detrahes; et rur- *Exod.* XXII, 28.
sus ibidem, Dominus domus applicabitur *Ibid.* 8.
ad deos. Vera autem deitas et cultus la-
triæ creaturis nequeunt convenire. Propter
quod Dominus ait per Isaiam : Ego Domi- *Is.* XLII, 8.
nus; hoc est nomen meum : gloriam meam
alteri non dabo, et laudem meam sculpti-
libus. Ideoque incommunicabilitatem divi-
ni nominis tangit Psalmista, dicendo : Quo- *Ps.* XVII, 32.
niam quis Deus præter Deum nostrum?
Unde asserit Jeremias : Stultus factus est *Jer.* X, 14, 15; LI, 17, 18.
omnis homo a scientia sua, confusus est
omnis conflator in sculptili, quia mendax
conflatio ejus, nec spiritus est in eis. Va-
na sunt opera ejus, et risu digna; in tem-
pore visitationis suæ peribunt. Et denuo :
Dii, inquit, qui non fecerunt cœlum et *Ibid.* X, 11.
terram, pereant de terra.

Deinceps tanguntur facinora idololatri-
am consecuta. *Et non suffecerat errasse* 22
eos circa Dei scientiam : id est, perversi-
tati idololatrarum satis non fuit, tam in-
sipienter sentire de Deo, seu nomen ejus
communicare vilibus rebus; *sed et in ma-*
gno viventes inscitiæ bello, id est in gran-
di insipientia, per quam Deo, et omni
veritati ac honestati, veræque beatitudini
repugnabant, *tot et tam magna mala,* id
est tam enormia scelera, quæ mox expri-
mentur, *pacem appellant,* id est, salubria
reputant sibi.

Aut enim filios suos sacrificantes ido- 23
lis : quibus quandoque propriam sobo-
lem offerebant in holocaustum; *aut ob-*
scura sacrificia facientes : sicut in sacris
Isidis Ægyptiæ et Cereris, quæ fiebant no-
cturnis temporibus; *aut insaniæ plenas*

Digitized by Google

vigilias habentes : quia in nocturnis suis A
vigiliis turpissima et insensatissima opera
commiserunt; et interdum sacerdotes red-
debantur arrepticii, ex diabolico spiritu lo-
quentes, et quasi vaticinantes, seu quædam
24 occulta pandentes; *neque vitam, neque*
nuptias mundas jam custodiunt : quoniam
vitam suam spiritualibus atque carnalibus
maculant vitiis, et connubia per adulteria
fœdant. *Sed alius alium per invidiam oc-*
cidit, aut adulterans contristat, polluendo
25 conjugem ejus; *et omnia,* quæ sequuntur
peccata, *commixta sunt : sanguis,* id est B
effusio sanguinis, *homicidium, furtum et*
fictio, corruptio, id est violatio fidelitatis,
seu defloratio virginum, *et infidelitas, tur-*
batio et perjurium, tumultus, id est in-
quietudo passionum, sive seditio, *bonorum*
26 *Dei immemoratio,* id est oblivio beneficio-
rum Dei, *animarum inquinatio, nativitatis*
immutatio, id est innaturalis et sodomiti-
ca commixtio, aut animalium diversarum
specierum illicita conjunctio, *nuptiarum*
inconstantia, id est repudiatio contoralis,
vel mutua uxorum mutatio ad fruendum, C
inordinatio mœchiæ, id est adulterationis,
et impudicitiæ.
27 *Infandorum,* id est innominandorum,
enim idolorum cultura, omnis mali causa
est : quia omnia vitia possunt oriri, et
quasi oriuntur ex ea, similiter multa mala
pœnalia in præsenti et in futuro; *et ini-*
tium : non quod sit prius tempore omni-
bus aliis vitiis, quia, ut patuit, in prima
mundi ætate non fuit; sed gravitate quo-
dammodo primum est, et in certo genere;
et finis, id est consummatio vitiorum, quia D
per alia vitia merentur homines tandem
in illud corruere. Et ita secundum diver-
sas considerationes, vocatur causa, ini-
tium, et finis omnium vitiorum : et eadem
specie, non numero, idololatria hæc reci-
28 pit prædicata. *Aut enim dum lætantur*
idololatræ, *insaniunt,* irrationaliter aut ar-
repticie se habendo; *aut certe vaticinan-*
tur falsa, ex inspiratione diabolica, *aut*
29 *vivunt injuste, aut perjurant cito. Dum*
enim confidunt in idolis, quæ sine intel-
lectu et sine anima sunt, male jurantes
noceri se non sperant, id est, non putant,
nec metuunt se lædendos aut puniendos.
Utraque ergo illis evenient digne : id 30
est, bina supplicia merito patientur, unum
pro idololatria, aliud pro perjurio; vel pro
perjurio, et pro eo quod putabant se per-
jurare ac peccare impune. *Non enim ju-* 31
rantium est virtus, id est, jurare non est
commendabile, nec juranti imputatur in
laudem jurare. Ideo ait Salvator : Ego dico *Matth.* v, 34.
vobis, non jurare omnino. Non quod jura-
re sit semper illicitum, sed quia ruinæ
vicinum est, nec sine rationabili aut ne-
cessaria causa assumendum : pro qua, si
admittatur, actus virtutis est, quæ latria
nuncupatur. Sic enim juravit Apostolus :
Ego, inquiens, Deum testem invoco in II *Cor.* I, 23.
animam meam; et iterum, Deus mihi testis *Rom.* I, 9;
est. Unde scriptum est : Dominum Deum *Philipp.* I, 8.
timebis, et per nomen ejus jurabis. *Sed* *Deut.* VI, 13.
peccantium pœna perambulat semper, id
est, pœna iniquorum continuo augmenta-
tur, *in justorum prævaricationem,* id est,
per hoc quod prævaricantur quæ justa
sunt, videlicet divina præcepta. Pœna quo-
que peccantium est, quod demerito culpæ
prioris permittuntur cadere in sequens
peccatum : et ita hæc perambulat semper,
id est, assidue crescit, dum de vitiis ca-
dunt in vitia, et de minoribus ad majora.

Amplius, sicut Magister in historiis re-
fert, Nemrod compulit homines ignem ad-
orare. Judæi autem dicunt, quod Ismael
fecit de luto simulacra. Alii dicunt, quod
Ninus rex Assyriorum, de morte Beli pa-
tris sui vehementissime dolens, fecit ei
imaginem, quam coli præcepit, et confu-
gientibus ad eam tribuit libertatem. De
ista materia, et de origine ac reprobatio-
ne idololatriæ, subtiliter scribit Lactantius
in libro adversus gentes; Thomas quoque
in secunda secundæ, quæstione 94. In Iti-
nerario vero S. Clementis diffuse tracta-
tur, qualiter gentiles diversimode idola co-
luerunt. Quidam etenim posuerunt totum
mundum esse unum deum, non propter
corporalem substantiam, sed propter ani-

Digitized by Google

mam ejus, dicentes, Deum non esse nisi A animam mundum ratione ac motu regentem. Propterea toti mundo et omnibus ejus partibus æstimabant divinum exhibendum honorem : cujus opinionis videtur et Varro fuisse.

ARTICULUS XV

EXPOSITIO CAPITULI QUINTIDECIMI : TU AUTEM, DEUS NOSTER, SUAVIS ET VERUS ES.

1 RECITATUR hic devotio Judæorum ad B Deum sub lege. *Tu autem, Deus noster,* qui quamvis sis omnium Deus per creationem, generalemque providentiam et conservationem, specialiter tamen es Deus noster, per multiplicem pietatem et gratiam tuam in nobis, per cultum quoque et devotionem nostram, quos tibi impendimus; *suavis et verus es,* imo suavitas infinita, et veritas per essentiam, verus quoque in omnibus verbis tuis atque promissis, *patiens,* id est longanimis, non statim ulciscens, sed clementer peccantium C pœnitentiam præstolans. Patientia autem, prout est virtus moralis, passionem tristitiæ moderans ac refrenans, non competit Deo, nisi quantum ad similitudinem operis. *Et in misericordia disponens omnia,* id est, mundum pie misericorditerque gubernans, quia miserationes tuæ super omnia opera tua : qui pluis super justos et injustos, et solem tuum facis oriri super bonos ac malos, multaque beneficia largiris ingratis. Nihilo minus Deus disponit omnia in sua justitia, et item in sapientia D sua. Justus enim Dominus in omnibus viis suis : qui et omnia in sapientia fecit. Hæc namque in eisdem concurrunt effectibus, et sapienter contemperantur, ut dictum est plenius.

Ps. cxliv, 9. *Matth.* v, 45. *Ps.* cxliv, 17. *Ps.* ciii, 24.

2 *Etenim si peccaverimus, tui sumus,* id est, adhuc in tua potestate, quam nusquam evadere possumus, permanemus, teque vere Deum et Creatorem nostrum esse agnoscimus et fatemur, saltem informi notitia : et sic tui manemus adhuc per fidem, atque facilius recuperari poterimus quam infideles fidei fundamento carentes. Sicut in Evangelio testatur : Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum. *Scientes magnitudinem tuam,* id est majestatem et pietatem tuam, qua potes et paratus es nobis ignoscere : idcirco non desperamus, nec idola adoramus. *Et si non peccaverimus,* mortalia evitando et in bonis perseverando, *scimus quoniam apud te sumus computati,* id est inter electos numerati, atque in libro vitæ et prædestinationis æternæ conscripti, in quo certus est numerus electorum. Unde dixisti : Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.

Matth. xxi, 44. *Luc.* x, 20.

Nosse enim te per fidem formatam, et 3 per sapientiæ donum, *consummata justitia est,* id est perfectio vitæ præsentis, et felicitas inchoata. Et sumitur hic justitia, prout est virtus communis. Porro nosse te clare per speciem, est consummata et plena perfectio omnis mentis creatæ. Unde Dominus loquitur : Non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me. *Et scire,* modo prætacto per fidem et sapientiam, *justitiam* tuam increatam, *et virtutem,* id est omnipotentiam *tuam, radix est immortalitatis,* id est actio meritoria futuræ felicitatis ac beatæ incorruptibilitatis : quæ est immortalitas gloriæ, qua mens creata inavertibiliter est Deo unita per fruitionem felicem, corpus quoque dotem immorta-

Jer. ix, 23, 24.

Digitized by Google

litatis habebit. Vel : Scire, per scientiam
actualem et operosam, justitiam et virtu-
tem tuam, id est sciendo exercere actus
justitiæ ac virtutum infusarum, radix est
immortalitatis, quia ad immortalitatem be-
atam perducit.
4 *Non enim in errorem* idololatriæ *indu-
xit nos hominum malæ artis excogitatio,*
id est adinventio hominum impiorum, qui
arte prava operati sunt idola, *nec umbra
picturæ,* id est apparentia imaginis, *labor
sine fructu,* id est, quæ pictura facta est
infructuoso labore, *et effigies,* id est simi-
litudo, *sculpta* et decorata *per varios colo-
5 res : cujus adspectus insensato dat con-
cupiscentiam,* id est, affectum insipientis
inspectoris inclinat ad idoli cultum atque
amorem. Istud ad litteram recitat auctor
hujus voluminis de populo Judæorum tem-
poris sui. Nam tempore judicum et re-
gum sæpius idola coluerunt, etiam pro
parte ad aliquod tempus post reditum a
Babylonica captivitate sub Antiocho rege.
Sed a tempore quo præfuerunt Jonathas
ac Simon fratres Judæ Machabæi, ac dein-
de, non videntur in idololatriam lapsi; nec
statuam Caii imperatoris missam eis ad
adorandum, adorare acquierunt. Propter
quod Caius eis vehementer indignans, ab
Act. xii, 2. Herode, qui S. Jacobum decollavit, placa-
tus est. *Et diligit* ipse insensatus *mortuæ
imaginis effigiem sine anima,* id est ina-
nimatam formam imaginis non viventis,
seu idoli.
6 *Malorum,* id est vitiorum, *amatores,
digni sunt morte* æternæ damnationis, imo
et temporali : quum enim quis peccat mor-
taliter, meretur a Deo relinqui, et a dia-
bolo perimi; *qui spem habent in talibus,*
puta in idolis, seu hominibus impiis, quo-
rum sunt idola illa repræsentativa; *et qui
faciunt illos, et qui diligunt* eorum imagi-
nes ut colantur, *et qui colunt.* Sic et Apo-
Rom. i, 32. stolus ait : Digni sunt morte, non solum
qui faciunt ea, sed et qui consentiunt fa-
cientibus.

Deinde per exemplum ostendit idolola-
7 triæ fatuitatem. *Sed et figulus mollem ter-*
A *ram,* scilicet lutum, *premens manibus,*
aptando illud ad vasis formationem, *labo-
riose fingit,* id est format, *ad usus nostros
unumquodque vas; et de eodem luto,* id
est de una parte ejusdem luti, *fingit quæ
munda sunt in usum vasa,* id est vasa
apta et ordinata ad usum honestum, ut
quod manducetur ex eis, *et similiter quæ
his sunt contraria,* id est, de alia ejusdem
luti parte, format vasa ad viles usus. *Ho-
rum autem vasorum quis sit usus,* id est,
ad quem usum sint aptiora, *judex est fi-
B gulus :* quia unicuique in sua arte perito
et experto credendum est. His consonat il-
lud Apostoli : Annon habet potestatem fi- Rom. ix, 21.
gulus ex eadem massa faciendi vas aliud
in honorem, aliud in contumeliam ? *Et* 8
cum labore vano, id est prorsus inutili,
deum fingit de eodem luto, id est luteum
idolum, quod ipse aliique idololatræ no-
minant deum. Pauperes quippe, qui de
pretiosis materiis non poterant sibi idola
procurare, de vilioribus materiis, scilicet
ligno, saxo, luto, ea procuraverunt. *Ille,*
C scilicet figulus, *qui paulo ante de terra
factus fuerat,* id est ex elementis compo-
situs, in quibus in corpore humano terra
prædominatur, *et post pusillum reducit se
unde acceptus est,* id est, ex intrinseco
principio tendit ad mortem : per quam
resolvitur in ea ex quibus corpus suum
fuit compositum, quoniam ex contrariis
constat; *repetitus animæ debitum quam
habebat,* id est exactus, Deo jubente, pro-
priam animam exhalare, sicut requirit hu-
mana conditio. Unde legitur : Hac nocte Luc. xii, 20.
D animam tuam repetunt a te. Et alibi dicit
Scriptura : Revertatur pulvis in terram Eccle. xii, 7.
suam, unde erat, et spiritus redeat ad
Deum qui dedit illum.

Sed est illi, videlicet figulo, *cura, non* 9
quia laboraturus est, idola faciendo, *nec
quoniam brevis illi vita est,* id est de hoc
quod vita sua non diu durabit : hoc est,
non solum sollicitatur propter laborem
quem habebit in idolorum formatione, nec
propter vitæ suæ incertissimam brevita-
tem ; *sed concertatur aurificibus et ar-*

Digitized by Google

gentariis, id est, contendit et arguit cum A
artificibus operantibus ex auro et argen-
to : non quod artificiata sua sint magis
pretiosa quam artificiata illorum; sed
quod vel subtilius facta sint, seu magis
accommode, quia parvo sumptu possunt
formari, et a cunctis etiam pauperibus fa-
ciliter obtineri. *Sed et ærarios,* id est arti-
fices operantes ex ære, *imitatur,* faciendo
idola similia imaginibus factis ab illis; et
quia illi quoque concertantur aurificibus
ac argentariis, secundum sensum jam ta-
ctum; et quoniam idola illorum ærea pos- B
sunt a communi populo satis faciliter adi-
pisci. *Et gloriam præfert,* id est, in hoc
præponit artem suam arti ærariorum, quod
idola sua lutea facilius emuntur et acqui-
runtur quam ærea; *quoniam res superva-
cuas fingit,* videlicet luteas imagines.
10 *Cinis est enim cor ejus,* id est, propter
amorem suum inordinatum ad terrena, cor
ipsius figuli cinis vocatur, et vile ut cinis,
I Cor. VI, 16, 17. cinerique conforme : sicut qui adhæret
meretrici, unum corpus fit cum illa; et qui
Deo adhæret, unus est spiritus per amo- C
rem. Per adhæsionem namque affectionis,
unum alteri assimilatur, sicut Augustinus
testatur : Si terram amas, terra es. Hinc
expositorie subditur : *et terra supervacua,
spes illius :* id est, in terrenis figit spem
suam, imo in luteo idolo, et in luto de
quo efficit statuam; *et luto vilior, vita
ejus,* id est, propter peccata sua, ipse et
conversatio sua viliores sunt luto : sicut
et Aristoteles asserit, impium hominem
brutis millies viliorem. Nam et eo ipso
quo figit spem suam in re vili, facit ea se D
viliorem : quia facit se medium, et illud
finem. Finis autem ponitur dignior his
11 quæ ordinantur in ipsum. *Quoniam igno-
ravit qui se finxit,* id est Deum, a quo
tanquam a prima principalique causa for-
matus est, etiam quantum ad corporis for-
maturam, sicut sanctus Job protestatur :
Job X, 8, 9. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt
me totum in circuitu; memento, quæso,
quod sicut lutum feceris me; *et qui inspi-
ravit illi animam :* quam Deus creando
infundit. Denique non solum tam vilis est,
qui nullam penitus habet Dei notitiam,
etiam nec informem; sed item qui non
habet notitiam Dei formatam, id est cari-
tati conjunctam : qui etsi dicat nosse se Tit. I, 16.
Deum, factis tamen negat. *Et amat quæ
operatus est,* id est idola a se facta, tan-
quam deos; *et qui inspiravit ei spiritum
vitalem,* id est Deum, a quo habet animam
intellectualem, *non agnovit :* ideo justo
Dei judicio permissus est cadere in tan-
tam vesaniam, ut neglecta salute animæ
suæ, lutum adoret, et solum quæ carnis
sunt quærat.
Sed æstimaverunt lusum esse vitam no- 12
stram : id est, vitam nostram non æstima-
bant a Creatore institutam ac ordinatam
ad veram beatitudinem in futuro, ad quam
per virtutum exercitia pertingeretur; sed
ad præsentia bona, videlicet voluptates et
opes terrenas tantummodo ordinatam, et
esse leve quid tanquam ludum, atque in
luxu et lusibus consistere summum vitæ
nostræ bonum, non in spiritualibus rebus.
Hinc supra dixisse narrantur iniqui : Non Sap. II, 1, 2, 6, 8, 9.
est qui agnitus sit reversus ab inferis :
quia ex nihilo nati sumus, et post hæc eri-
mus tanquam si non fuerimus. Fruamur
ergo bonis quæ sunt; nullum pratum sit
quod non pertranseat luxuria nostra; ubi-
que relinquamus signa lætitiæ. *Et conver-
sationem vitæ compositam ad lucrum,* id
est, humanæ vitæ convictum et operatio-
nem arbitrati sunt datos ac constitutos ad
augendum temporalia bona; *et oportere
undecumque,* id est quocumque modo, sive
per fas, sive per nefas : ideo subditur,
etiam ex malo, id est injuste, seu per frau-
dem violentiamque, *acquirere* transitoria
bona, non ponentes providentiam Dei, nec
futurum judicium, imo nec vitam aliam
post præsentem. Unde superius dicunt :
Opprimamus pauperem justum; sit autem Ibid. 10, 11.
fortitudo nostra lex justitiæ.

O quam multi, adhuc tales esse non
verentur! qui furto, rapina, taxillatione,
usura, fraude, mendacio, perjurio, aut si-
moniaca pravitate student temporalia con-

Digitized by Google

gregare. Verumtamen hos errores etiam
nobiliores philosophi, Plato, Aristoteles, So-
crates, reprobaverunt : docentes hominem,
quantum ad meliorem sui partem, habere
convenientiam quamdam, communionem
atque consortium cum intellectualibus, im-
mortalibus, incorporeisque substantiis ; et
virtutibus debere vacare, justitiam, sapi-
entiamque amplecti, et per has ad beatitu-
dinem proficisci : prout Plato in Phædone
et Menone ac Timæo disseruit ; Aristote-
les quoque decimo tetigit Ethicorum, dis-
putans contra poetam Simonidem, asse-
rentem quod homo, quum sit mortalis,
mortalia sapere ac quærere debeat.
13 *Hic enim,* utpote figulus idolifex, *scit,*
id est, merito scire debet, et faciliter potest
perpendere, *se super omnes delinquere,* id
est, præ cunctis hominibus quodammodo
gravius peccare, *qui ex terræ materia,* pu-
ta ex luto, *fragilia vasa et sculptilia,* id est
idola, *fingit :* quæ idola, quum fuerint for-
mata, ornantur ac complanantur quadam
sculptura.
14 *Omnes enim insipientes et infelices,* sci-
licet idololatræ, et ceteri vitiosi : qui nunc
miseri sunt, miseria culpæ ad æternæ pœ-
næ miseriam pertrahente ; *supra modum*
animæ suæ superbi, id est, ultra propriam
conditionem et potestatem se extollentes :
sicut in Isaia et Jeremia fertur de Moab,
Is. XVI, 6; *Jer.* XLVIII, 29, 30. Superbus est valde, superbia et arrogantia
ejus plus quam fortitudo ipsius ; *sunt ini-*
mici populi tui. Tales enim persequuntur
ac odiunt justos, et sæpe dominantur eis
per fastum atque tyrannidem : quia per
tales Deus exercet, probat, purgat, coro-
Eccli. XIII, 23. nat suos electos, sicut ait Scriptura : Pa-
scua divitum pauperes. Hinc subditur, *et*
Habac. I, 4. *imperantes illi :* juxta illud, Impius præ-
15 valet adversus justum. *Quoniam omnia*
idola nationum deos æstimaverunt : in
quo patet eorum insipientia ; *quibus* idolis
nec oculorum visus est, neque nares ad
percipiendum spiritum, id est ad attra-
hendum aerem, vel ad sentiendum odo-
ris vaporem ; *neque aures ad audiendum,*
neque digiti ad tractandum ; sed et pe-

A *des eorum pigri,* id est impotentes, *ad*
ambulandum. Homo enim fecit illos ; et 16
qui spiritum mutuatus est, scilicet ipse
artifex homo : qui animam quasi mu-
tuo accepit a Deo, ut eam virtutibus di-
tet, et ipsam sic exornatam suo restituat
Creatori ; *is finxit illos,* id est, idola illa
formavit : idcirco non vivunt, nec sen-
tiunt ; nec sensus nec membra humana
conveniunt eis univoce, sed metaphorice
potius.
Nemo enim sibi similem homo poterit
B *deum fingere,* id est, nullus homo potest
formare deum similem sibi, vitalem et in-
tellectualem, præsertim quum de ratione
dei sit, esse quid altius homine. *Quum sit* 17
enim mortalis ipse homo idolifex, *mor-*
tuum, id est non viventem, *fingit mani-*
bus iniquis, id est per manus suas scele-
ratas, quas exhibet arma iniquitatis tanto *Rom.* VI, 13.
peccato. *Melior est enim ipse his quos co-*
lit, id est falsis diis seu idolis ; *quia ip-*
se quidem vixit, quum esset mortalis, il-
li autem, scilicet idola, *nunquam.* Vivum
C autem et intellectuale, est melius entibus
quæ non vivunt. Sed obviare videtur, quod
dixit jam paulo ante : Luto vilior, vita ejus.
Et respondendum, quod bonitate ac digni-
tate naturæ specificæ, melior est artifex
idolis, sed moribus pejor ac vitiis vilior
est quam illa.
Sed et animalia irrationalia *miserrimi* 18
idololatræ *colunt.* Qui merito appellantur
Miserrimi, quoniam colunt ea quibus ipsi
sunt digniores : idcirco tali cultu non sa-
lutem, sed calamitatem mercantur. Hoc
D est quod subditur : *Insensata enim,* vide-
licet animalia irrationalia, *comparata his*
idololatris, *illis,* id est præfatis idololatris,
deteriora sunt, id est viliora in natura et
specie. *Sed nec adspectu, aliquod ex his* 19
animalibus, id est nullum horum irratio-
nalium animalium, suo adspectu sensitivo,
bona potest conspicere, id est, ea quæ vere
bona sunt ac salutaria valet discernere,
quum careat ratione. Idcirco nec proprios
noscit cultores : ideo stultum est colere
illud. Vel sensus est, quod homo suo ad-

Digitized by Google

spectu seu consideratione, non potest per-
pendere aliquod irrationalium animalium
esse bonum, seu bona includere, propter
quæ colendum exsistat. *Effugerunt autem*
Dei laudem, id est, miserrimi idololatræ
recesserunt a laudibus Creatoris, et fuge-
A runt ab ejus obsequio, servientes creaturæ *Rom.* I, 25.
magis, quam Creatori : ideo effugerunt *et*
benedictionem ejus, id est, dona gratiæ
Dei non sunt consecuti, quia averterunt
se inde, dilexeruntque maledictionem, et *Ps.* CVIII, 18.
veniet eis.

ARTICULUS XVI

ELUCIDATIO CAPITULI SEXTIDECIMI : PROPTER HÆC ET HIS SIMILIA, ETC.

HISTORIÆ quædam veteris Testamenti
in isto capitulo, sicut et in quibusdam
aliis, breviter recitantur cum declarationi-
1 bus earumdem. *Propter hæc et his similia,*
id est prætacta in præcedenti capitulo
scelera, et potissime idololatriæ crimina,
passi sunt digne tormenta, id est, idolola-
træ juste perpessi sunt diversa supplicia :
atque ad litteram fit de Ægyptiis sermo,
sicut ex consequentibus innotescit; *et per*
multitudinem bestiarum exterminati sunt,
id est valde afflicti, puta per ranas, mu-
scas, scinifes : a quibus tamen non legun-
tur occisi.
2 *Pro quibus tormentis,* id est vice et loco
tormentorum illorum Ægyptiis inflicto-
rum, *bene disposuisti populum tuum* Is-
rael, *quibus dedisti concupiscentiam dele-*
ctamenti sui, id est rem ab eis concupitam
boni saporis : ideo subditur, *novum sapo-*
rem, id est cibum novi saporis, quem an-
tea non erant experti, *escam parans,* id
est mittens ac providens, *eis ortygome-*
tram, id est coturnicem (juxta illud in
Ps. CIV, 40. Psalmo, Petierunt, et venit coturnix), hoc
est avium illarum multitudinem copiosam.
Num. XI, 31. Unde in Numeris legitur : Ventus egre-
diens a Domino, arreptas trans mare co-
3 turnices detulit, et demisit in castra. *Ut*
illi quidem, puta Ægyptii, *concupiscentes*
escam more consueto, *propter ea quæ illis*
ostensa et missa sunt, id est ex horrore
parvorum, venenatorum et vilium anima-
B lium, scilicet ranarum, muscarum, etc.,
per quæ plagati fuerunt, *etiam a necessaria*
concupiscentia, id est appetitione alimen-
torum, *averterentur,* in pœnam suorum
facinorum : nam ranæ illæ innumerabiles
atque fœdissimæ, intraverunt reliquias ci- *Exod.* VIII, 3.
borum Ægyptiorum, ut in Exodo habetur.
Sicque cibi illi eis in nauseam verteban-
tur. *Hi autem,* scilicet filii Israel, *in brevi*
inopes facti : quia quæ secum detulerunt
ex Ægypto, cito fuerunt comesta, ita quod
ex inopia indiguerunt supernaturali Dei
C provisione; *novam gustaverunt escam,* id
est coturnices, et etiam manna. Verum-
tamen carnes illas petierunt perversi et
ingrati, ipsum manna fastidientes, atque
dicentes : Anima nostra arida est; nihil *Num.* XI, 6.
aliud respiciunt oculi nostri nisi man.
Oportebat enim, secundum ordinem di- 4
vinæ justitiæ, *illis,* utpote Ægyptiis, *sine*
excusatione, id est evasione, *quidem su-*
pervenire interitum : potissime his qui in
mari Rubro demergebantur, quia indura-
tissimi erant, nec ex tot ac tantis prodigiis
D fuerunt conversi; propter quod inexcusa-
biles fuerant : illis, inquam, *exercentibus*
tyrannidem, id est crudelitatem in Israe-
litas, quos ferociter oppresserunt; *his au-*
tem, scilicet Hebræis, *tantum ostendere*
per evidentiam facti, *quemadmodum ini-*
mici illorum, puta Ægyptii, *extermina-*
bantur per plagas eis inflictas : quod fuit
ad filiorum Israel consolationem, qui zelo

Digitized by Google

justitiæ de Ægypti percussionibus pote- A
rant gloriari.
Sed quia his objici posset, quod etiam
filii Israel per serpentes plagati sunt, sub-
5 ditur : *Etenim quum supervenit illis,* pu-
ta Hebræis, *sæva bestiarum ira,* videlicet
furor serpentium, qui eos invaserunt eo
quod contra Dominum murmurassent, di-
Num. XXI, 5. centes ad Moysen : Cur eduxisti nos de
Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest
panis, non sunt aquæ, anima nostra jam
nauseat super cibo isto levissimo. Quam-
Ibid. 6. obrem misit Dominus in populum ignitos B
serpentes, ut in Numeris describitur. Un-
de subjungitur : *morsibus perversorum,* id
est feralium, *colubrorum exterminaban-*
Ibidem. *tur :* quia multi de populo Israel, ab illis
6 serpentibus occidebantur. *Sed non in per-*
petuum permansit ira tua, id est punitio
Ibid. 8, 9. illa tua justa. Deo namque jubente, Moyses
fecit et erexit serpentem æneum, quem
intuendo sanabantur percussi. *Sed ad cor-*
rectionem in brevi turbati sunt, id est, ad
modicum tempus fuerunt ita plagati, ut
de cetero melius se haberent, et qui occisi C
fuerunt, per temporalem mortem evade-
rent æternalem : quam et evaserunt, qui
in sua temporali punitione pœnituerunt;
signum habentes salutis, videlicet serpen-
tem æneum : qui fuit signum curationis
præfatæ, non causa : unde Dominus Moysi
Ibid. 8. dixit, Fac serpentem æneum, et pone eum
pro signo; *ad commemorationem mandati*
legis tuæ, id est, quatenus signo illo ad-
moniti, de cetero memores essent præce-
ptorum legis quam dedisti per Moysen.
7 *Qui enim conversus est,* id est, quicumque D
ex filiis Israel pœnituit, et pœnitendo ser-
pentemque æneum intuendo curabatur,
non per hoc quod videbat, id est non vir-
tute illius ænei serpentis, *sanabatur, sed*
per te omnium salvatorem, id est virtu-
te tua divina, qui salvas, non omnes, sed
cunctos qui salvantur. Juxta quem sensum
Ps. CXLIV, 14. fertur in Psalmo : Allevat Dominus omnes
qui corruunt, et erigit omnes elisos. Por-
ro Deo proprium est salvare. Qui in Isaia
Is. XLV, 21. testatur : Deus justus et salvans non est

præter me. Et alibi per Prophetam dici-
tur : Ego Dominus Deus tuus, et salvator *Osee* XIII, 4.
non est præter me.
Præterea Deus per serpentem æneum sic
voluit subvenire, ad præfigurandum my-
sterium passionis redemptionisque Chri-
sti. Ideo ait Glossa : Non serpens æneus
sanavit illos, sed sacramentum mysterii,
id est mors Christi in serpente præfigura-
ta. Christus quippe antiquum serpentem
triumphavit in cruce, et ejus venenum
devicit : ut qui vere imaginem Christi et
ejus passionem conspexerit, salvetur. Un-
de dicitur : Sicut Moyses exaltavit serpen- *Joann.* III, 14, 15.
tem in deserto, ita exaltari oportet Filium
hominis : ut omnis qui credit in ipsum,
non pereat, sed habeat vitam æternam.
Recte æneus serpens in ligno suspenditur.
Æs enim ceteris durabilius est metallis. In
serpente ergo Christus mortuus designa-
tur, in ære, æternus insinuatur : quia mor-
tuus per humanitatem, quasi non mortuus
est per divinitatem.
In hoc autem miraculo, quo ita sanasti 8
percussos ab ignitis serpentibus, per ænei
serpentis intuitum, *ostendisti inimicis no-*
stris, puta Ægyptiis, quando hoc ipsum
devenit ad eorum notitiam; vel Ægyptiis
qui egressi erant Ægyptum cum filiis Is- *Exod.* XII, 38.
rael, et antea quandoque erant adversarii
Israelitarum; *quia tu es qui liberas ab*
omni malo. Illos enim, puta Ægyptios, 9
locustarum et muscarum occiderunt mor-
sus. Ex quo elicitur, quod aliqui Ægy-
ptiorum obierunt ex punctionibus morsi-
busque muscarum ac locustarum : quod
tamen in Exodo non legitur evidenter. *Et*
non est inventa sanitas animæ, id est vitæ
animali, *eorum :* quia curati non sunt, sed
occisi; nec anima eorum pœnituit. Verum-
tamen ad tempus suspendit et interrupit
Deus plagas Ægyptiorum; sed impœniten-
tibus paulo post graviores inflixit. *Quia*
digni erant ob duritiam et impœnitentiam
suam, *ab hujusmodi* plagis *exterminari.*
Filios autem tuos adoptivos Hebræos, qui 10
de suo excessu pœnituerant, *nec draco-*
num, nec venenatorum, scilicet ignitorum

Digitized by Google

serpentium, *vicerunt dentes,* id est, mor- A
sus dentium non occiderunt. Denique dra-
co serpens quidam est, et maximus inter
serpentes, sicut elephantus inter bruta
terræ, et gryphus inter aves. *Misericordia
enim tua adveniens,* id est illis succur-
rens per ænei serpentis intuitum, sicut
Num. xxi, 7. prædictum est, *sanabat illos,* qui pœniten-
tes confugerunt ad Moysen, deprecantes ut
oraret pro eis.

11 *Immemoria enim sermonum tuorum,* id
est propter oblivionem verborum ac præ-
ceptorum tuorum, *exterminabantur :* sic- B
que quod dicitur, Immemoria, una est
dictio. Vel duæ sunt dictiones, ut sit sen-
sus : In memoria, id est ad hoc, ut de
cetero memores sint corde et opere ser-
monum tuorum, exterminabantur, id est,
lædebantur. *Et velociter sanabantur,* qui
pœnitebant, per modum præhabitum. Vel,
Exterminabantur, id est, quidam occide-
bantur, ut alii qui sanabantur memores
tui essent : et ita quamvis quod dicitur,
Exterminabantur, et, Sanabantur, videatur
ad eosdem referri, tamen ad diversos re- C
fertur, juxta unam regularum Tichonii.
Juxta quem modum fertur in Psalmo :
Ps. lxxvii, 34. Quum occideret eos, quærebant eum; et
revertebantur, et diluculo veniebant ad
eum. *Ne in altam,* id est profundam, gra-
vem et obstinatam, *incidentes oblivionem*
majestatis et beneficentiæ tuæ, *non pos-
sent tuo uti adjutorio,* id est, omnino in-
habiles fierent et inepti ad impetrandum
auxilia pietatis ac gratiæ tuæ. Nempe qui
ingratus est de præteritis donis, futuris
indignus est. D

12 *Etenim neque herba* medicinalis natu-
ralis, *neque malagma,* id est medicamen-
tum seu emplastrum artificiale, *sanavit
illos* a morsu serpentium, et multo minus
a vulneribus animarum; *sed tuus, Domine,
sermo, qui sanat omnia,* id est imperi-
um tuum. Sic enim in Scripturis sumitur
sermo, seu verbum : juxta illud in Psalmo,
Ps. cxlviii, 8. Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procel-
larum, quæ faciunt verbum ejus; itemque,
Ps. cii, 20. Benedicite Domino, angeli ejus, potentes
virtute, facientes verbum illius. Et Apo-
stolus dicit : Portansque omnia verbo vir- Hebr. i, 3.
tutis suæ. Qui sanat omnia quæ sanantur:
vel quædam de omnibus, seu omnia quan-
tum in se est. Etenim dixisse Dei, fecisse
est, secundum Hieronymum. Et idem est
aliquid fieri Deo volente, et Deo agente,
secundum Augustinum. Profundius tamen,
per sermonem Dei, intelligitur Verbum
Patris æterni : de quo ad Hebræos ait Apo-
stolus : Vivus est sermo Dei, et efficax. Ibid. iv, 12.
Hic sermo, Salvator est mundi : per quem
sicut Pater omnia fecit, sic cuncta refecit.

Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes 13
potestatem, id est, vitam naturæ, vitam
gratiæ, vitamque gloriæ dare, conservare,
atque auferre potes. Vitam quippe naturæ
aufert directe, tanquam malum pœnæ; vi-
tam gratiæ, indirecte et permissive; vitam
gloriæ nunquam aufert a Beatis, quamvis
de potentia absoluta hoc possit; sed ab
his qui ad horam ad eam admissi credun-
tur, ut Paulus et Moyses, abstulit eam. II Cor. xii, 2-4; Exod. xxxiii, 11. 23.
Hinc ait in Apocalypsi : Habeo claves mor-
tis et inferni. *Et deducis ad portas,* id est Apoc. i, 18.
ingressum, *mortis, et reducis :* id est, cor-
poraliter quos vis occidis, et eosdem dum
vis, ad nutum rursus vivificas. Quod et
Christus inter homines corporaliter con-
versans, sæpius fecit, et multo frequentius Matth. ix, 18, 25; Luc. vii, 14, 15; Joann. xi, 43, 44. Act. ix, 40; xx, 9-12. Deut. xxxii, 39.
per suos discipulos. Unde : Ego, inquit,
occidam, et ego vivere faciam. Ad portas
demum spiritualis mortis, non nisi per-
missive deducit. Portæ vero mortis corpo-
ralis, possunt etiam dici infirmitates incu-
rabiles et letales. Insuper ad portas mortis
infernales efficienter deducit eos qui in
culpa moriuntur mortali; et quos vult, ex
speciali gratia inde reducit : juxta illud
primo Regum, Deducit ad inferos, et re- I Reg. ii, 6.
ducit.

Homo autem occidit quidem per mali- 14
tiam, id est per propriam atque sponta-
neam pravitatem cogitationis, affectionis,
locutionis, commissionis, aut omissionis,
animam suam, morte culpæ : de qua
loquitur Christus, Dimitte mortuos sepe- Matth. viii, 22.
lire mortuos suos; atque in Apocalypsi,

Digitized by Google

Apoc. III, 1. Nomen habes quod vivas, sed mortuus es.
Et ipsa malitia formaliter est mors ani-
mæ ; sed in quantum ex propria oritur vo-
luntate, dicitur homo per ipsam malitiam
suam occidere animam. Nec potest alter
occidere animam hominis hujus aut ali-
cujus alterius, nisi dispositive, et homine
isto volente, cujus peccatum est aliquo
modo voluntarium. Ideo nulla nocebit ei
adversitas, nulla tentatio, nulla injuria, si
non dominetur ei propria culpa, vel con-
sensus illicitus. *Et quum exierit spiritus,*
non revertetur : id est, quum anima de
corpore per mortem exierit, non redibit
in illud de lege communi, naturalique cur-
su : quamvis supernaturaliter possit cor-
pori suo rursus uniri. Ideo sanctus Job
Job XVI, 23. dixit : Viam per quam non revertar, am-
bulo. *Nec revocabit* quis *animam quæ re-*
cepta est a Deo, qui corpori eam immisit :
id est, post exitum a corpore, alicui re-
ceptaculo, secundum suorum exigentiam
meritorum, deputata est a judice Deo. Por-
ro de receptaculis animarum, quæ et quot
sint, quarto Sententiarum tractatur. Jam
equidem sunt, infernus, purgatorium, lim-
bus puerorum, et regnum cœlorum. Sed
ante Salvatoris adventum, fuit et limbus
15 patrum. *Sed tuam manum,* id est potesta-
tem, *effugere, impossibile est :* juxta quod
Ps. CXXXVIII, 7. ait Psalmista : Quo ibo a spiritu tuo? et
quo a facie tua fugiam? Ideo Jonas, qui
Jonæ I, 3. fugit a facie Domini, deprehensus fuit in
Ibid. 15. mari. Hinc consultissimum est, ut qui Om-
nipotentis manum non valemus effugere,
non cessemus ad ejus pietatem obedienter
humiliterque confugere.

16 *Negantes enim te nosse impii,* puta Ægy-
Exod. V, 2. ptii, quorum rex dixit, Nescio Dominum,
per fortitudinem brachii tui flagellati sunt
variis plagis, sicut expositum est ; *novis*
aquis, et grandinibus, et pluviis, persecu-
tionem, id est debitam punitionem, *passi*
sunt, et per ignem consumpti, id est per
aquas, grandines, pluvias insolito modo
Ibid. VII, 21. generatas et supervenientes. Nam et flu-
vii Ægyptiorum computruerunt, et suas
ripas forsitan exeuntes, damna intulerunt
A eisdem. Et, ut legitur in Exodo, Dominus *Exod.* IX, 18, 23, 24.
pluit super terram Ægypti grandinem co-
piosam ac maximam, et simul cum gran-
dine descendit ignis et discurrentia fulgu-
ra : ex quibus multi Ægyptiorum exstincti *Ibid.* 25.
sunt.

Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ 17
omnia exstinguit, specialiter ignem, cui
sua frigiditate et humiditate contrariatur,
plus ignis valebat : id est, ignis ille qui
simul ferebatur cum grandine et pluvia,
intensius viguit et gravius nocuit ipsis
B Ægyptiis, quosdam eorum incendendo, et
terræ nascentia quædam vastando. *Vin-*
dex est enim orbis justorum, id est, uni-
versitas creaturarum, te jubente, ulcisci-
tur justorum injurias, et contra injustos
consurgit, ac Creatoris inhonorationem pa-
rata est vindicare. *Quodam enim tempore,* 18
dum scilicet Ægyptii variis plagis punie-
bantur, *mansuetabatur ignis,* id est, vim
sui caloris non exercebat in quædam, ut
subditur, *ne comburerentur quæ ad im-*
pios missa erant animalia, id est, ne par-
C va ac vilia animalia a Deo missa ad puni-
endos Ægyptios, læderentur ab illo igne
qui ferebatur mixtim cum grandine ; *sed*
ut ipsi videntes, id est, ut Ægyptii con-
spicientes qualiter ignis ille non egit in
illas bestiolas ipsis nocivas, sed eorum ju-
menta utilia, scilicet equos, boves, vaccas,
combussit, *scirent quoniam Dei judicio*
patiuntur persecutionem, id est, ex tanto
signo adverterent quod Deo jubente pate-
rentur hujusmodi plagas. *Et quodam tem-* 19
pore in aqua super virtutem, id est ultra
D naturalem vim suam, *ignis ardebat undi-*
que, quando videlicet ignis simul cum im-
bre et grandine ferebatur, ut dictum est, *ut*
iniquam terræ nationem exterminaret, id
est, Ægyptios dire vexaret, et quosdam eo-
rum occideret.

Pro quibus, id est vice et loco tantarum 20
plagarum, *angelorum esca,* scilicet manna
ministerio angelorum exhibito ac descen-
dente, *nutrivisti populum tuum* Israel, *et*
paratum panem de cœlo præstitisti illis
sine labore. Nam angeli formaverunt man-

Digitized by Google

na in cœlo aerio, et fecerunt illud simul
cum rore descendere. Filii autem Israel
Exod. XVI, 21, 31. collegerunt manna, quod erat quasi semen
coriandri, et inde fecerunt panes : ita quod
sine eorum labore manna pervenit ad eos.
Omne delectamentum in se habentem, et
omnis saporis suavitatem. Naturalis sapor
mannæ fuit unus. De quo scriptum est :
Ibid. 13, 14, 31. Mane ros jacuit per circuitum castrorum,
et apparuit in solitudine manna minutum,
et quasi pilo tusum in similitudinem prui-
næ super terram : quod erat quasi semen
coriandri album, gustusque ejus quasi si-
milæ cum melle. Idcirco quod dicitur hic,
habuisse omne delectamentum et omnis
saporis suavitatem, non erat naturale, nec
ex natura et vi mannæ, sed divina virtute :
quemadmodum etiam ipsum manna in se
(ut dictum est) dulce, videbatur iniquis
Num. XXI, 5. insipidum : qui dixerunt, Anima nostra
nauseat super cibo isto levissimo. Justis
vero et Deo gratis sapiebat quasi omnium
habens saporum suavitatem. Hinc subdi-
21 tur : *substantiam enim,* id est opulentiam
tuam, et dulcedinem, id est piam et ca-
ritativam munificentiam *tuam, quam in*
filios adoptivos, quales tunc erant multi
in Israel, *habes, ostendebas* per tam præ-
clarum miraculum, et delicatam justorum
illorum refectionem ; *et deserviens* manna
uniuscujusque justi *voluntati, ad quod*
quisque volebat, convertebatur, id est ad
præbendum talem saporem, qualem talium
quisque optavit, sapiendo nunc ut panis,
nunc ut carnes, nunc ut pisces.
22 *Nix autem et glacies,* id est nix et gran-
dines (quæ sunt aquæ congelatæ, et cum
igne, ut dictum est, descendebant), *susti-*
nebant vim ignis, et non tabescebant, id
est, absque sua corruptione et liquefactio-
ne sustinebant supernaturaliter ignis il-
lius calorem ; *ut scirent quoniam fructus*
inimicorum exterminabat ignis, id est,
quatenus filii Israel adverterent, et super
hoc gratias Deo referrent zelo justitiæ,
quod ignis ille *ardens in grandine, et in*
pluvia coruscans, destruxit terræ nascen-
23 tia Ægyptiorum. *Hoc autem iterum, ut*

A *nutrirentur justi, ignis etiam suæ virtutis*
oblitus est : id est, hoc rursus mirabile
fuit, quod ignis suam naturalem actionem
non exercuit in quibusdam, ut justi nutri-
rentur ex his, quæ ignis (ut naturaliter
potuisset) non consumpsit. Aliqui autem
exponunt istud de Anania, Azaria, Misa-
ele : quos ignis fornacis non læsit, ut nu- *Dan.* III, 50.
trirentur, id est, in vita manerent, atque
reficerentur. Alii applicant istud ad filios
Israel in Ægypto, qui habitabant ibi in
terra Gessen : quam ignis ille Ægyptios *Exod.* IX, 26.
B vastans, non intravit, nec Hebræorum læ-
sit jumenta, quum tamen naturaliter se
forsitan diffudisset in terram Gessen, et
læsisset ibidem pecora Hebræorum.
Creatura enim etiam inanimata *tibi fa-* 24
ctori deserviens, excandescit, id est, acui-
tur, et quasi ira fervens, intense movetur,
in tormentum, id est ad inferendum pœ-
nas, *adversus injustos,* id est ipsis injustis
ac reprobis, non ad bonum correctionis,
sed ad malum extremæ perditionis eorum;
et lenior, id est mitior ac convenientior,
C *fit ad benefaciendum pro his qui in te*
confidunt, id est sperantibus in te, ad pro-
fectum ac salutem ipsorum, finaliter ta-
men ad honorem et gloriam tui ipsius, qui
es universorum ultimus finis, ad quem
omne bonum est referendum, qui et pro- *Prov.* XVI, 4.
pter te ipsum operatus es omnia.
Propter hoc et tunc omnia transfigura- 25
ta, id est ignis, aqua, manna, de quibus
jam dictum est, mutata tunc a naturali
cursu, proprietate, et actione, ita quod
ignis in aqua plus viguit, sicut præhabi-
D tum est, *omnium nutrici gratiæ tuæ,* id
est tuæ gratiositati, seu gratiosæ voluntati
omnibus providenti, *deserviebant,* obedi-
endo eidem ad nutum, *ad voluntatem ho-*
rum qui a te desiderati sunt, id est juxta
desiderium et petitionem filiorum Israel,
quorum profectum et salutem specialiter
desiderasti : de quibus locutus es Moysi :
Quis det talem eos habere mentem, ut be- *Deut.* V, 29.
ne sit eis? Et alibi per Prophetam : Utinam *Is.* XLVIII, 18.
attendisses mandata mea. *Ut scirent filii* 26
tui, quos dilexisti, Domine, id est filii Is-

Digitized by Google

rael specialiter tibi cari, quibus in veteri A
Testamento multa et magna beneficia spe-
cialia, tam spiritualia quam corporalia tri-
Deut. IV, 7. buisti. De quibus scriptum est : Non est
Ibid. VII, 6, 8. alia natio tam grandis; et rursus, Te elegit
Dominus, ut sis ei populus peculiaris de
cunctis populis qui sunt super terram,
quia dilexit vos Dominus. *Quoniam non*
nativitatis fructus pascunt homines, id
est, quod non soli fructus nati ex terra,
ipsos homines alunt; *sed sermo tuus,* id
est tua instructio et doctrina, *hos qui in*
te crediderunt fide formata, *conservat* in B
esse statuque gratiæ ac virtutum : et sic
spiritualiter reficit atque vivificat eos, jux-
Ibid. VIII, 3; ta illud : Non in solo pane vivit homo, sed
Matth. IV, 4. in omni verbo quod procedit de ore Dei.
Jacob. I, 21. Ideo admonemur per Apostolum : In man-
suetudine suscipite insitum verbum, quod
potest salvare animas vestras.
27 *Quod enim ab igne non poterat exter-*
minari, scilicet manna, quod coquebatur
et indurabatur ad ignem, *statim ab exiguo*
solis radio calefactum tabescebat, id est li-
28 quefiebat, *ut notum omnibus esset, quo-* C
niam oportet prævenire solem ad benedi-
ctionem tuam : id est, quatenus cunctis
filiis Israel innotesceret, quod ante solis
ortum, adspectum, seu elevationem no-
tabilem super nostrum horizontem, vel
antequam sol magnum in terra calorem
produceret, oportuit eos accedere ad colli-
gendum manna : quod vocatur benedictio
Dei, id est donum ab eo gratis exhibitum.
Unde et Abigail primo Regum ait ad Da-
I Reg. XXV, 27. vid : Accipe benedictionem ancillæ tuæ,
id est escam quam attuli ad te. Hinc in D
Exod. XVI, 21. Exodo fertur : Colligebant mane singuli,
quantum sufficere poterat ad vescendum;
quumque incaluisset sol, liquefiebat. *Et*
ad ortum lucis te adorare, id est statim
sole oriente, et radios super terram diffun-
dente, te invocare, et grates tibi refundere
pro beneficiis tuis.

Itaque, quod ait, Oportet ad ortum lucis
te adorare, non est intelligendum quod
secundum legem Moysis jussum aut lici-
tum fuerit adorare versus orientem, sed ad
occidentem : quia et tabernaculum Moysis
templumque Salomonis respiciebant ad
occidentem, et ab oriente intrabatur in
ea. Nam in Exodo jussum fuit, versus oc- Cf. *Exod.* XXVI, 22. 23;
cidentem fieri adorationem : et hoc, ut *Ezech.* VIII, 16.
populus Israel veri Dei cultor, a genti-
bus distingueretur, qui fere omnes versus
orientem orabant, ad honorem solis ac
planetarum, qui omnes ab illa cœli parte
super terram ascendunt. Hinc ab Ezechiele
increpantur, qui versus orientem orabant. *Ezech.* VIII, 16.
Hinc, quod dictum est, Ad ortum solis,
non denotat situm loci, sed certam tempo-
ris horam : de qua loquitur Isaias, De *Is.* XXVI, 9.
mane vigilabo ad te; et Psalmista, Mane *Ps.* V, 5.
adstabo tibi, et videbo. Unde et in Eccle-
siastico legitur : Sapiens cor suum tradet *Eccli.*
ad vigilandum diluculo, ad Dominum qui XXXIX, 6.
fecit illum.

Sic ergo oportet adorare, et Deo regra-
tiari. *Ingrati enim spes, tanquam hiber-* 29
nalis, id est hiemalis, *glacies tabescet :* id
est, spes ingratorum non consequetur sa-
lutem; sed sicut glacies calore cito dissol-
vitur, sic illa privabitur optato effectu; *et*
disperiet tanquam aqua supervacua : id
est, omnino peribit, et ipse ingratus dam-
nationem incurret, sicut aqua superflua
defluendo cito percurrit ac deficit. Hinc
dictum est supra : Spes impii tanquam *Sap.* V, 15.
lanugo; et in Psalmo, Iter impiorum peri- *Ps.* I, 6.
bit. In Job quoque legitur de iniquo : Ecce *Job* XL, 28.
spes ejus frustrabitur eum, et videntibus
cunctis præcipitabitur. Sic et spes perfi-
dorum Judæorum, regem Messiam adhuc
præstolantium, et Domino Jesu Christo in-
gratissimorum, quæ spes frigore infideli-
tatis atque duritia obstinationis instar gla-
ciei constricta est, apparente Sole justitiæ
Christo Domino penitus confundetur.

Digitized by Google

ARTICULUS XVII

ELUCIDATIO CAPITULI SEPTIMIDECIMI : MAGNA ENIM SUNT JUDICIA TUA, DOMINE.

QUAM diversimode Deus se habeat circa A
1 electos et reprobos, hic docetur. *Ma-*
gna enim, id est sancta, justa, sapientia-
lia et præclara, *sunt judicia tua, Domi-*
ne, id est decreta sapientiæ atque justitiæ
tuæ, seu earumdem effectus, in rationali-
bus creaturis, censuræ quoque sapientiæ
Ps. xxxv, 7. tuæ in temetipso. Unde ait Psalmista : Ju-
stitia tua sicut montes Dei; judicia tua
Rom. xi, 33. abyssus multa. Hinc clamat Apostolus : O
altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ
Dei! Quam incomprehensibilia sunt judi-
cia ejus, et investigabiles viæ ejus! Unde B
Apoc. xv, 3. et in Apocalypsi fertur : Magna et mirabilia
sunt opera tua, Domine Deus omnipotens;
justa et vera, judicia tua. Horum judicio-
rum ratio potest esse occulta, non autem
injusta. *Et inenarrabilia verba tua,* id est,
verba illa interna, quæ tu, Deus, in cordi-
bus loqueris electorum, plene exprimi ne-
queunt : præsertim profundiora illa eloquia
et secreta, quæ melius intelligi possunt
quam eloqui. Unde et sanctus Apostolus
II Cor. xii, 4. affirmat se audivisse arcana verba, quæ
non licet homini loqui. In Ecclesiastico C
Eccli. xxxvi, 16. quoque oratur : Reple Sion inenarrabilibus
verbis tuis. Frequenter etiam per verba
designantur facta, seu opera quæ signifi-
cantur per verba : quæ Dei opera frequen-
ter inenarrabilia sunt. *Propter hæc indi-*
sciplinatæ animæ erraverunt : quæ tua
judicia non verentur, nec tuis obediunt
verbis, sed incultæ sunt moribus atque
indomitæ : quales fuerunt Ægyptii, de qui-
bus subjungitur :

2 *Dum enim persuasum habent iniqui,* id
est, quoniam sibi ipsis persuaserunt *pos-* D
se dominari nationi sanctæ, id est Israe-
liticæ plebi, quam putabant non posse
liberari a Deo suo de servitute ipsorum;
vinculis tenebrarum, id est infidelitatis et
errorum suorum, *et longæ noctis,* id est
obstinatæ excæcationis, *compediti,* id est
mente ligati et capti; vel, Vinculis tene-
brarum palpabilium quas sustinuerunt, et
longæ noctis, quia tribus diebus duravit Exod. x, 22.
illa caligo, ut legitur in Exodo; *inclusi*
sunt * *tectis :* quia intra tantum tempus * sub
nullus se movit de loco suo; *fugitivi :*
quia timore imminentium plagarum, quan-
doque hinc inde fugerunt; *perpetuæ pro-*
videntiæ jacuerunt, id est, divinæ provi-
dentiæ erant, vellent nollent, subditi et
prostrati, sustinendo inevitabiliter pœnas
quas Deus eis inferre præordinavit.

Et dum putant se latere in obscuris 3
peccatis, id est divinæ providentiæ non
patere in occultis peccatis, quæ vel secre-
te, vel in tenebris faciunt, juxta illud :
Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt Ps. cxxxviii, 11.
me; et nox illuminatio mea in deliciis
meis. De quibus ait Propheta : Quorum Is. xxix, 15.
sunt in tenebris opera, et dicunt : Domi-
nus non videt. *Tenebroso oblivionis vela-*
mento dispersi sunt, id est propter suam
teterrimam oblivionem, qua oblivisceban-
tur Dei : qua corda eorum erant operta tan-
quam velamento, sicut ait Apostolus, Te- Ephes. iv, 18.
nebris obscuratum habentes cor; *paventes*
horrende, id est, terribiliter formidantes
ex plagis imminentibus aut inflictis, *et*
cum admiratione nimia perturbati : quia
de tanta sua devastatione ac dejectione
maxime mirabantur ac turbabantur, vi-
dentes filios Israel, quos paulo ante pro
nihilo reputabant et oppresserunt, tam
inopinate superiores eis effectos, seu de-
super defensatos : ita quod rex Ægypti
compulsus est veniam postulare a Moyse, Exod. viii, 8, 28; ix, 28; x, 17.
et liberationem a plagis immissis.

Digitized by Google

4 *Neque enim quæ continebat illos spe-* A
lunca, sine timore custodiebat : id est,
etiam in suis latibulis in quæ confugerunt,
ex plagarum horrore vehementer time-
bant; *quoniam sonitus descendens,* id est
de aere veniens, puta tonitruum, vel qui-
cumque aeris fragor, *perturbabat illos :*
homines enim in adversitatibus et diffor-
tuniis positi, faciliter perterrentur; *et per-*
sonæ tristes illis apparentes, pavorem illis
præstabant. Homines quippe formidolosi
et angustiis pleni, patiuntur in somno, imo
et in vigilia, tempore noctis præsertim, B
imaginationes terribiles; et sæpe apparent
eis miserabilium personarum phantasma-
ta, timorem eis incutientia : ad quod dæ-
mones sæpe cooperantur. Ideo fertur in
Ps. LXXVII, 49. Psalmo : Misit in eos iram indignationis
suæ, immissiones per angelos malos. Nam
et sanctus Job in percussionibus positus,
Job VII, 14. dixit : Terrebis me per somnia. *Et ignis*
5 *quidem nulla vis poterat illis lumen præ-*
bere : id est, ignis nulla sua claritate aut
vi poterat Ægyptiis lucem exhibere triduo
illarum palpabilium tenebrarum, propter C
nimiam densitatem earum; *nec siderum*
limpidæ flammæ, id est claræ scintillati-
ones et irradiationes stellarum, *illumina-*
re poterant illam noctem horrendam tam
diu durantem : vel quia aer capax non
fuit, nimium ingrossatus, ut aliqui di-
cunt; vel, ut potius creditur, quoniam
sicut Deo jubente sol radios suæ lucis
subtraxit Ægyptiis tribus diebus, sic pla-
netæ et stellæ noctibus illis.
6 *Apparebat autem illis subitaneus ignis*
timore plenus. Hoc dispensative continge- D
re potuit ad majorem Ægyptiorum afflicti-
onem, ut suam inspicientes dispositionem
et cladem, ad modicam moram gravius
angustiarentur. Unde subjungitur : *et ti-*
more percussi illius, quæ non videbatur,
faciei, id est, valde perterriti imaginaria
apparitione facierum miserabilium, quæ
in veritate non aderant, *æstimabant dete-*
riora esse quæ videbantur, id est, puta-
bant quod magis periculosa et nociva es-
sent quæ apparebant, quam erant : sicut
communiter putant hi, quibus talia appa-
rent in somno.
Et magicæ artis appositi erant derisus: 7
id est, ceteris miseriis et flagellis Ægy-
ptiorum apposuit Deus irrisiones et con-
fusiones magorum et maleficorum : quos *Exod.* VII,
Pharao advocavit, ut resisterent Moysi; cœ- 11, 12, 22; VIII, 7.
peruntque ei resistere, sed defecerunt, non
valendo producere scinifes, ut dicitur in *Ibid.* VIII,
Exodo. Et paulo post fuerunt vulnerati ul- 18.
ceribus vesicarum turgentium, ita quod *Ibid.* IX, 11.
stare non poterant coram Moyse, nec se
ipsos, nec alios adjuvare, ut patet in Ex-
odo. Hinc additur : *et sapientiæ gloriæ*
correctio : id est, Deus addidit illis cor-
rectionem vanæ gloriationis, qua de sa-
pientia magorum gloriabantur : quam glo-
riationem Deus correxit *cum contume-*
lia, ostendens magorum insipientiam, per
confusibilem ipsorum vulnerationem præ-
fatam. *Illi enim,* scilicet magi, *qui promit-* 8
tebant timores et perturbationes expellere
se ab anima languente, id est, qui præsum-
pserunt et asseruerunt quod ab Ægyptiis
expellerent anxietates et inquietudines,
quas sustinuerunt ex plagis Dei, *hi cum*
derisu pleni timore languebant, id est,
sicut et ceteri vulnerati fuerunt, ac territi
ex flagellis Altissimi. *Nam etsi nihil illos* 9
ex monstris perturbabat, id est, quamvis
magi illi non terrebantur ex monstrorum
terribilium facierum apparitione, quoniam
assueti erant talia sæpe videre : quemad-
modum Balaam, alloquente eum asina sua, *Num.* XXII,
non fuit turbatus, utpote talibus monstris 28-30.
assuetus, secundum Augustinum; *transitu*
animalium, et serpentium sibilatione com-
moti, tremebundi peribant : quia post-
quam in se ipsis experti fuerunt acerbi-
tatem plagationis eis inflictæ, cœperunt
timere, etiam solo adspectu ac sonitu ani-
malium nocivorum. Hinc ad Timotheum
scribit Apostolus : Quemadmodum Jannes II *Tim.* III,
et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi re- 8, 9.
sistunt veritati. Sed ultra non proficient :
insipientia enim eorum manifesta erit om-
nibus, sicut et illorum fuit. *Et aerem quem*
nulla ratione quis effugere posset, id est,

Digitized by Google

sine cujus respiratione nemo potest vive- A
re, *negantes se videre :* non quod aer sit
exteriori visu directe visibilis, sed medi-
ante luce perceptibilis : quem, durante
densitate palpabilium tenebrarum, ita per-
cipere non valebant.

Frequenter enim præoccupant pessima,
id est, maxima pœnalia mala sæpe præve-
niunt, seu citius adesse putantur quam
adsint, *redarguente conscientia,* id est ex
remorsu propriæ conscientiæ, qua impius
sibi suorum conscius vitiorum suspicatur
sibi assidue adversa instare, quæ se noscit B
10 promeruisse. *Quum sit enim timida ne-
quitia,* id est, timidum faciat hominem,
ratione prætacta : propter quod fures et
latrones semper sunt pavidi, metuentes
jugiter deprehendi; *dat testimonium con-
demnata,* id est, accusat se ipsam, et juste
se damnari testatur atque puniri ipsa sua
inordinata formidine. Alii habent : Data
est in omnium condemnationem, id est, a
Deo judice ordinatur ad ipsorum reorum
punitionem et condemnationem. Inordi-
natus etenim animus, sibi ipsi frequenter C
est gravis; et timor quem parit nequitia in
suo subjecto, est quædam ejus punitio.

*Semper enim præsumit sæva perturba-
ta conscientia :* id est, conscientia nequi-
tiosa jugiter suspicatur, præsupponit, seu
putat sibi adfutura et propinqua esse
dura ferociaque tormenta. Sicque patitur
supplicia antequam veniant : sicut et Leo
Papa testatur, quod rea conscientia intra
se patitur quidquid Dei bonitate differ-
11 tur. *Nihil enim est timor* hujusmodi inor-
dinatus, ex nequitia oriens cum sua ma- D
tre, puta nequitia, *nisi præsumptionis*
præfatæ, qua quis prava conscientia suspi-
catur sibi instare tormenta, *adjutorium :*
quia fovet et auget talem præsumptionem,
quam causat nequitia. Est quoque timor
iste *proditio cogitationis auxiliorum :* quia
ex timore solet procedere tremor corpo-
ris, pallorque vultus, adulatio et humilia-
tio quædam : ex quibus manifestatur, quod
timens cogitat qualiter possit obtinere au-
12 xilia contra imminentia sibi adversa. *Et*
dum ab intro minor est exspectatio, id est,
dum ex se ipso minus confidit se auxilia
adepturum, minusque ea exspectat, *majo-
rem putat potentiam ejus causæ, de qua
tormentum præstat :* id est, eum ex cujus
consideratione concipit metum et afflicti-
onem in corde, reputat esse potentiorem
ad nocendum sibi, quam est, et graviora
putat sibi ab illo imminere adversa, quam
imminent. Timor namque dejicit eum, pu-
sillanimemque constituit : sed et ipsa ir-
refrenata passio timoris, a recto abducit
judicio rationis, sicut et ceteræ passiones.

Denique his concordat quod apud Job
legitur : Sonitus terroris semper in auri- *Job* xv. 21.
bus impii; et quum pax sit, ille insidias
suspicatur. Itemque : Angustia vallabit *Ibid.* 24.
impium, sicut regem qui paratur ad præ-
lium. Quod etenim impius intulit alteri,
suspicatur sibi posse inferri. Econtra, ni-
hil quietius innocente sinceraque mente,
quæ sicut non nocuit proximis, sic nec
sibi præsumit nocendum esse ab illis. Hinc
innocentia, justitia, sapientia vera, præ-
stant fiduciam et confidentiam bonam, et
imperterritum statuunt animum. Propter
quod ait Scriptura : Fugit impius nemine *Prov.*
persequente; justus autem quasi leo con- xxviii. 1.
fidens, absque terrore erit. Et rursus Sa-
pientia ait : Qui me audierit, absque ter- *Ibid.* i, 33.
rore quiescet, et abundantia perfruetur,
malorum timore sublato. Unde habetur de
Juda, qui cum fratribus suis non vere ac-
cusabatur de furto : Accedens autem pro- *Gen.* xliv.
pius, confidenter ait. Aristoteles quoque 18.
fatetur, quod hi qui melius habent se in
divinis, sunt fiduciæ melioris.

Sequitur de Ægyptiorum punitione. *Illi* 13
autem qui in potentem venere noctem, id
est Ægyptii, qui inciderunt in tempus il-
lud tenebrosum palpabilium tenebrarum,
*et ab infimis et ab altissimis supervenien-
tem :* id est, quæ nox causabatur partim
ex terra et aqua, id est ex vaporibus et
exhalationibus ascendentibus de terra et
aqua, et ingrossantibus aerem; partim ve-
ro ex causa altissima, scilicet divino im-
perio, angelicoque ministerio, atque ex

Digitized by Google

spissitudine nubium, illuminationem aeris A
impedientium, ut aliqui dicunt : verius
tamen putatur, quod ex supernaturali sub-
tractione radiorum solarium; *eumdem som-
num dormientes,* id est somnum gravem et
14 tædiosum, nocti illi consimilem ; *aliquan-
do monstrorum* eis in somno terribiliter
apparentium, ut dictum est, *exagitaban-
tur timore; aliquando animæ deficiebant
traductione,* id est separatione a corpore.
Nam intra triduum illud multi Ægyptio-
rum præ timore et angustia obierunt; et,
ut narrant Hebræi, multi quoque ex filiis B
Israel, qui nolebant exire Ægyptum, tunc
obierunt. Ideoque Deus tam diu protraxit
tenebras illas, ne Ægyptii mortem perci-
perent Hebræorum. Vel, Animæ Ægyptio-
rum deficiebant traductione, id est, nimia
terribilium rerum imaginatione, quasi ex-
tra se ducebantur, debilesque fiebant. *Su-
bitaneus enim illis* Ægyptiis, *et inspera-
tus,* id est improvisus, *timor supervenerat*
ex plagis eis inflictis. Talis autem timor
plus torquet, quoniam jacula prævisa mi-
nus feriunt. Nam in Exodo, ubi de plaga C
tenebrarum illarum tractatur, non legitur
Deus præadvisasse Ægyptios de hac pla-
ga : sicque improvise creditur eis su-
pervenisse. — Præterea nox illa vocatur
potens : primo, quia tam diu duravit; se-
cundo, quia tenebrosissima fuit; tertio, ra-
tione suorum effectuum prædictorum, per
quos ita afflixit Ægyptios.
15 *Deinde si quisquam ex illis decidisset*
ex timore in terram, *custodiebatur in car-
cere sine ferro reclusus :* id est, in loco
quo cecidit, mansit absque vinculis ita de- D
tentus, ac si fuisset incarceratus. Nam tri-
Exod. x, 23. bus diebus nullus illorum se movit de
loco suo, nec vidit proximum suum. Et
sumitur hic *si,* pro *quia,* quemadmodum
16 in verbis sequentibus. *Si enim rusticus
quis erat, aut pastor* pecorum, *aut agri la-
borum operarius,* id est cultor agrorum,
quales utique multa millia fuerant in Ægy-
pto, *præoccupatus,* id est improvise præ-
ventus, *esset* tenebris illis, et lapsus in eas
in agro, aut alibi ubicumque, *ineffugibi-
lem sustinebat necessitatem :* id est, inevi-
tabiliter cogebatur manere in loco illo,
evadere nequiens, nec cernere valens quo
iret. *Una enim catena,* id est conclusione 17
et detentione, *tenebrarum* illarum, *omnes*
Ægyptii *erant colligati,* non valentes lo-
cum mutare : et ita erant attoniti ac for-
midolosi, quod quidquid audierunt, intulit
eis timorem : quemadmodum homo vehe-
menter formidans, terretur ex sonitu folii,
aut strepitu muris. Hinc subditur :
Sive spiritus, id est ventus, *sibilans,
aut inter spissos arborum ramos avium
sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis
nimium,* id est sonus causatus ex cursu
aquarum, *aut sonus validus præcipitata-* 18
rum petrarum, id est lapidum a sursum
projectorum deorsum, *aut ludentium ani-
malium cursus invisus,* id est factus extra
intuitum Ægyptiorum illorum, *aut mu-
gientium valida bestiarum vox, aut reso-
nans de altissimis montibus echo,* utpote
ex repercussione reflexus; *deficientes fa-
ciebant illos præ timore,* id est, debilita-
bant Ægyptios, qui ex prædominante ti-
more jugiter suspicabantur sibi grandia
imminere pericula.
Omnis enim orbis terrarum, id est totus 19
mundus, *limpido illuminabatur lumine,*
id est claro lumine solis, *et non impeditis
operibus continebatur :* id est, proprios ac-
tus expedite naturaliterque exercuit, dem-
pto territorio Ægyptiorum. Unde subjun-
gitur : *Solis autem illis superposita erat* 20
gravis nox, durans per triduum. Alibi ve- *Exod.* x, 22.
ro dies et nox consueto cursu fiebant. *Ima-
go tenebrarum, quæ superventura illis
erat :* id est, nox illa fuit figura, imago
et signum infernalium tenebrarum : in
quas erant descensuri post vitam hanc,
quia non fuerunt conversi, saltem pro par-
te majori. *Ipsi ergo sibi erant graviores
tenebræ :* id est, propria incredulitate ac
obstinatione plus obtenebraverunt se in-
tus, quam forinsecus obscurabantur; suis-
que sceleribus fuerunt sibi causa quod
corruerunt in tenebras infernales, tempo-
ralibus illis tenebris graviores.

Digitized by Google

ARTICULUS XVIII

DECLARATIO CAPITULI OCTAVIDECIMI : SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX.

RECITANTUR adhuc in isto capitulo A
effectus divinæ justitiæ circa Ægy-
ptios, effectus quoque pietatis divinæ cir-
1 ca Hebræos. *Sanctis autem tuis,* scilicet
filiis Israel, inter quos erant aliqui sancti
et justi, aliorum comparatione perpauci,
maxima erat lux : quia non solum illumi-
nabantur forinsecus sole isto materiali, vi-
sibili, sed multo salubrius intus, Sole sapi-
Sap. v, 6. entiæ : de quo supra dixerunt iniqui, Sol
intelligentiæ non est ortus nobis. Quamvis
autem sol materialis non luxit eis splen-
didius quam aliis gentibus, tamen dicitur B
eis maxima lux fuisse, juxta consuetudi-
Ezech. xxxii, 7, 8. nem Scripturarum, in quibus luminaria
cœli dicuntur obscurari, dum homines qui-
bus lucent incidunt in magna adversa, et
Is. xxx, 26. clarius relucere, dum homines prosperan-
tur. *Et horum quidem,* scilicet Hebræorum,
vocem audiebant Ægyptii eis viciniores,
quia Hebræi alta voce Deum laudabant ;
sed figuram, id est personas et præsentia-
lem lineamentorum corporum eorumdem
imaginem, *non videbant* Ægyptii in præ-
fatis tenebris triduo constituti. *Et quia* C
non et ipsi eadem passi sunt, id est, ex
quo Hebræi non sunt puniti per easdem
plagas, per quas Ægyptii puniebantur, *ma-
gnificabant,* id est, magnifice laudabant,
2 *te,* Domine ; *et qui ante læsi erant,* id est
Hebræi ab Ægyptiis multipliciter injuriati
atque afflicti in rebus, personis, atque in-
fantulis suis, *quia non lædebantur* plagis
Ægyptiorum, *gratias tibi agebant ; et ut
esset differentia* inter eos et Ægyptios, *te
Deum petebant,* id est, te verum Deum in-
vocabant, Ægyptii vero deos suos. D
3 *Propter quod ignis ardentem columnam
ducem habuerunt ignotæ viæ :* id est, de-
Exod. xiii, 21. disti eis columnam ignis, quæ eos præces-
sit in aere, mota ab angelo, et viam quam Exod. xiv, 19.
ante non ambulaverant, ipsis monstravit ;
*et solem sine læsura boni hospitii præsti-
tisti,* id est, contulisti eis in die ducatum
solis sine læsura, per columnam nubis, Ibid. xiii, 21.
quæ in die viam monstravit, et contra so-
lis ardorem ac læsionem super Hebræos
obumbravit, refrigerium eis præstans : so-
lem, inquam, boni hospitii, quia duxit ad
bonum hospitium aerem illustrando. Non
quod filii Israel hospitabantur in via illa
in domibus aliorum ; sed in propriis ten-
toriis papilionibusque manserunt, ubi nu-
bes quievit : quoniam juxta motum et qui- Ibid. xi, 34, 35 ; Num. ix, 17-23.
etem nubis, procedebant et quiescebant,
prout omnia ista in Exodo per diversa
narrantur capitula.
Digni quidem illi, puta Ægyptii, *carere* 4
luce solis, qua caruerunt in triduo illo ;
interiori quoque illuminatione Solis justi-
tiæ. Imo iniqui omnibus Dei beneficiis
sunt indigni, et pane quo vescuntur, et
aere quem respirant, et terra quam cal-
cant. *Et pati carcerem tenebrarum,* id est
aerem illum tenebrosissimum, quo tan-
quam in carcere tenebantur, non valentes
se movere de loco ; *qui inclusos custodie-
bant filios tuos,* id est, filios Israel diu te-
nuerunt in terra sua sic coarctatos, quod
eam egredi non valebant, *per quos inci-
piebat incorruptum legis lumen sæculis
dari,* id est splendor et veritas legis Mo-
saicæ, quæ data est a Deo in monte Sinai, Exod. xxxi, 18 ; xix, 1.
et quinquagesimo die post exitum de Ægy-
pto cœpta est dari ; imo in Ægypto, quan-
do Deus præcepit Moysi qualiter doceret Ibid. xii, 1-20, 43-49.
filios Israel ritum celebrandi manducandi-
que pascha, et qualiter sanctificaret Deo Ibid. xiii, 2.
omne primogenitum filiorum Israel, peco-
rumque eorum, prout in Exodo legitur.

Digitized by Google

Quamvis autem lex Moysis primo data sit A filiis Israel, consequenter tamen hoc factum est ad aliarum gentium illuminationem : quia et multi gentilium ante adventum Christi fuerunt ad eam conversi; vel saltem unum verum Deum ex ea colere didicerunt : sicut et Ptolemæus rex, ad cujus instantiam translati sunt libri veteris Testamenti. Deinde per Christum et ejus Apostolos, libri legis ac Prophetarum ad totius mundi profectum deducti sunt.

5 *Quum cogitarent* Ægyptii, *justorum,* id est Hebræorum, *occidere infantes,* id est B masculos infantulos submergere : quod non solum cogitaverunt ac decreverunt,
Exod. I, 22. sed et opere compleverunt ad tempus, ut legitur in Exodo; *et uno exposito filio,* scilicet
Ibid. II, 2, 3. Moyse, qui fuit in fiscella positus in
Ibid. 5-10. flumine, *et liberato,* id est sublato de aqua ad imperium filiæ Pharaonis, ut in Exodo describitur : quod factum est *in traductionem illorum,* id est ad exstirpationem et mortem Ægyptiorum, qui per Moysen sunt vastati; vel, In traductionem, id est eductionem Hebræorum per Moysen ex C Ægypto. *Multitudinem filiorum abstulisti,*
Ibid. XII, 29. id est, primogenitos Ægyptiorum occidisti, in pœnam crudelitatis eorum commissæ in Hebræorum infantulos, prout in Exodo recitatur; *et pariter illos perdidisti in aqua valida,* id est, in mari Rubro
Ibid. XIV, 27, 28. submersisti Ægyptios.

6 *Illa enim nox,* in qua omne primogenitum Ægypti percussum est, *ante est cogni-*
Ibid. XI, 1-8; XII, 1-27. *ta a patribus nostris.* Deus enim prædixit eam Moysi, et per Moysen prænuntiata est universo populo suo, ut in Exodo legitur. D *Ut vere scientes* patres nostri *quibus juramentis,* id est promissionibus Dei juramento firmatis, *crediderunt :* nam, ut
Gen. XII, 7; XVII, 8; XXVI, 3, 4; XXVIII, 13. patet in Genesi, Deus frequenter promisit atque juravit sanctis patriarchis, Abrahæ, Isaac, Jacob, dare eorum posteritati terram promissionis; *animæquiores essent,* id est, longanimius sustinerent dilationem impletionis promissionum illarum, placatioresque essent interim in adversis.

7 *Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum,* id est, a populo Israel gratanter acceptata est liberatio sui ipsorum, qua a plagis Ægyptiorum erepti sunt; *injustorum autem exterminatio,* id est, etiam devastationem Ægyptiorum populus tuus gratanter accepit, gaudens zelo justitiæ de adversariorum suorum punitione : juxta quod scriptum est, Lætabitur justus *Ps.* LVII, 11.
quum viderit vindictam. *Sicut enim læsisti adversarios nostros* Ægyptios, *sic et* 8
nos provocans ad amorem tuum, et ad gratiarum actionem, *magnificasti* per multa et magna beneficia atque miracula.

Absconse enim sacrificabant justi pueri 9
bonorum : id est, filii Israel posteri sanctorum Patriarcharum, occulte in Ægypto *Exod.* XII, 6.
immolabant agnum paschalem, metu Ægyptiorum, ut Exodus refert; *et justitiæ legem,* id est præceptum illud justum de agno paschali, *unanimiter impleverunt.* Postea quoque legem Moysis concorditer acceperunt, atque implere proposuerunt, dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et au- *Ibid.* XX, 19.
diemus; et postea, Omnia quæ locutus est *Ibid.* XXIV, 3, 7.
Dominus, faciemus, et erimus obedientes. *Similiter bona et mala recepturos justos :* id est, audientes quod justi interdum paterentur non solum prospera, sed item adversa, concorditer disposuerunt hoc acceptare; *Patri jam decantantes laudes,* id est, Deo omnium creatori super hoc laudes et gratiarum actiones canentes : juxta illud Judith : Non ulciscamur nos pro his *Judith* VIII, 26, 27.
quæ patimur; sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse, flagella Domini, quasi servi qui corripimur, ad emendationem, et non ad perditionem nostram evenisse credamus.

Resonabat autem inconveniens inimi- 10
corum vox, id est confusa et deordinata vociferatio Ægyptiorum, in suis plagis ululantium et insanientium; *et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium,* id est Ægyptiorum, qui deplorabant primo- *Exod.* XII, 30.
genitos suos occisos. Verumtamen primogeniti sic occisi, non fuerunt omnes infantes, imo multi eorum fuerunt virilis ætatis. Vel sensus est, quod audiebatur fle-

Digitized by Google

bilis seu miserabilis vox infantium plorato- A
rum, id est frequenter plorantium : quia in
plagis illis infantes et pueri Ægyptiorum
11 assidue flebant. *Simili autem pœna servus*
Ægyptius *cum domino suo* Ægyptio *affli-*
ctus est : quoniam servi communicabant
dominis suis in vitiis contra filios Israel;
et popularis, id est vulgaris, *homo cum*
12 *rege* Pharaone *similia passus* est. *Simili-*
ter ergo omnes Ægyptii, nobiles et ignobi-
les, *uno nomine mortis,* id est violenta
morte occisos, *mortuos habebant innume-*
rabiles : et sumitur hic, Omnes, collective, B
non distributive. Hinc legitur in Exodo :
Exod. xii, 29. Factum est in noctis medio, percussit Do-
minus omne primogenitum in terra Ægy-
pti, a primogenito Pharaonis, qui sedebat
in solio ejus, usque ad primogenitum ca-
ptivæ, quæ erat in carcere, et omne pri-
mogenitum jumentorum. *Nec enim ad*
sepeliendum mortuos *vivi sufficiebant :* si-
Ibid. 30. quidem in tota Ægypto non erat domus in
qua non erat mortuus; *quoniam uno mo-*
mento, id est improvise ac subito, *quæ*
erat præclarior natio eorum, exterminata C
Ibid. xv, 4. *est,* id est, nobiliores Ægyptiorum simul
cum rege suo in mari Rubro submersi
sunt.
13 *De omnibus enim* Ægyptiis *non credentes*
Deo vero ac Moysi, *propter beneficia,* quæ
Ibid. viii, 13, 31; ix, 33; x, 19. Deus impendit Ægyptiis, liberando eos
frequenter a plagis inflictis : post quarum
Ibid. viii, 15, 32; ix, 35; x, 20. cessationem manserunt in suis duritiis;
tunc quum primum fuit exterminium,
id est interfectio, *primogenitorum, spo-*
ponderunt populum Dei se esse, id est, ex
magna formidine cœperunt se Deo subji- D
cere, et ejus omnipotentiam confiteri, ejus-
que gratiam implorare. Tunc enim Pharao
Ibid. xii, 32. dixit ad Moysen et Aaron : Abeuntes bene-
Ibid. 33. dicite mihi. Urgebantque Ægyptii egredi
populum Dei, dicentes : Omnes moriemur.
Unde legitur Dominus prædixisse ad Moy-
Ibid. xi, 8. sen de Pharaone : Descendent omnes servi
tui isti ad me, et adorabunt me, dicentes :
Egredere tu, et omnis populus qui subje-
ctus est tibi.
14 *Dum enim medium silentium contineret*
omnia, id est, cuncta ista inferiora in no-
cturno essent silentio : quod medium fuit
inter exordium et terminum noctis; *et*
nox in suo cursu medium iter haberet, id
est, in medio esset suæ durationis, consi-
stentis in continuo fluxu, quum sit de nu-
mero successivorum. Unde jam allegatum
est : Factum est autem in noctis medio, Exod. xii, 29.
percussit Dominus omne primogenitum.
Omnipotens sermo tuus, id est unigenitus 15
Filius tuus, Verbum æternum, cujus oculis Hebr. iv, 13.
omnia nuda sunt et aperta : de quo ait
Propheta, Verbo Domini cœli firmati sunt; Ps. xxxii, 6.
et Deus Pater, Eructavit cor meum verbum Ps. xliv, 2.
bonum; *Domine, exsiliens de cœlo, a re-*
galibus sedibus, id est cœlestibus thronis,
venit; durus, id est rigorosus et justus,
debellator Ægyptiorum, *in mediam exter-*
minii terram prosilivit, id est, a summo
cœlo in omnem terram Ægypti descendit,
et quasi saliens celerrime venit, non locum
mutando, sed per angelum suæ justitiæ
rigorem in Ægyptios exercendo. Aliqui ve-
ro per omnipotentem Dei sermonem, intel-
ligunt jussionem Dei de occisione Ægy-
ptiorum.
Gladius acutus, id est similis ensi omnia 16
incidenti : quia cuncta quæ tetigit, inter-
fecit. Nam et de increato Dei Patris ser-
mone ait Apostolus, quod penetrabilior sit Hebr. iv, 12.
omni gladio ancipiti. *Insimulatum,* id est
verum, non fictum, *imperium tuum* de
Ægyptiorum interitu *portans,* id est, se-
cum ferens et exsequens; *et stans* per
effectum suæ justitiæ, *replevit omnia,* id
est quædam de omnibus, *morte :* quia in
qualibet domo Ægyptiorum occidit primo- Exod. xii, 30.
genitum unum, Deo sic providente quod
in qualibet domo fuit primogenitus ali-
quis; *et usque ad cœlum attingebat stans*
in terra. Constat quod increatus sermo
Dei sit incircumscriptus, sicut et Pater, et
omnia impleat. Angelus vero exsecutor
attingebat usque ad cœlum aerium, et
quousque se sua actio extendebat. Angeli
enim dicuntur esse in loco definitive; et
sic in uno, quod non in alio, quoniam ubi
operantur, ibi sunt.

Digitized by Google

17 *Tunc continuo visus somniorum malo-
rum turbaverunt illos, scilicet Ægyptios,
tam in occisione primogenitorum, quam
paulo ante : quæ visiones imaginariæ et
horrendæ, erant præsagia occisionum mox
futurarum, aut signa præsentium, et ex-
citationes dormientium ad percipiendum
mortem primogenitorum; *et timores su-*
18 *pervenerunt insperati. Et alius alibi pro-
jectus semivivus, id est medius mortuus :
id est, alius hic, alius ibi impellebatur a
plaga sibi inflicta, sive ab angelo percu-
tiente; *propter quam moriebatur, causam*
demonstrabat mortis : id est, tam violenta,
improvisa, atque horribili morte ostende-
bat, quod ob impietatem in infantes He-
bræorum commissam (qui infantuli erant
hinc inde in flumen projecti), taliter mo-
19 riebatur. *Visiones enim, quæ illos turba-
verunt in somno, et immittebantur, ut
creditur, ab angelis tenebrarum, juxta il-
Ps. LXXVII, 49. lud in Psalmo, Immissiones per angelos
malos; *hæc præmonebant,* id est, plagam
hanc designabant, ut tactum est, *ne Ægy-*
ptii nescii quare mala patiebantur, peri-
rent, id est, æternaliter damnarentur, ne-
scientes ob quam culpam suam, mala illa
pœnalia sustinebant : per quæ Deus, quan-
tum in se fuit, ex sua pietate immensa
admonuit ipsos, ut per tormenta illa suas
adverterent culpas, et pœniterent, ac cre-
derent, sicque per temporalia illa suppli-
cia, evaderent sempiterna.

20 *Tetigit autem tunc :* non quando filii
Israel erant adhuc in Ægypto, sed diu
post, quando fuerunt in deserto : quod
totum tempus, fuit tempus perrectionis ad
terram promissionis. Ideo sic exponendum
est : Tunc, quando erant in via ad obti-
nendam terram eis promissam, tetigit *et*
justos, scilicet filios Israel, inter quos fu-
erunt aliqui justi, *tentatio mortis,* id est
Num. XVI, 1-3, 12-14, 41, 42. murmuratio contra Moysen et Aaron, mor-
te digna, ac morte punita. Quæ tentatio
Ibid. 31-33, 35, 46, 47. fuit ambitionis atque invidiæ : quoniam
Core cum suis, Dathan quoque et Abiron
et Hon invidebant principatui Moysis et
Ibid. 3. pontificio Aaron, dicentes : Sufficiat vobis

A quod omnis multitudo sanctorum est, et
in ipsis est Dominus : cur elevamini super
populum Domini? prout Numerorum sex-
todecimo scriptum est. *Et commotio in*
eremo facta est multitudinis, id est sedi-
tio multorum contra Moysen et Aaron : non
solum ducentorum quinquaginta virorum, Num. XVI, 2, 35.
qui cum Core fuerunt, et thurificando
combusti fuerunt; sed et multorum mil-
lium, qui absorptis Dathan, Abiron et Core
a terra, commoti sunt valde. Unde in Nu-
meris legitur : Murmuravit autem omnis Ibid. 41.
B multitudo filiorum Israel sequenti die con-
tra Moysen et Aaron, dicens : Vos inter-
fecistis populum Domini. *Sed non diu*
permansit ira tua, id est, pœna propter
hoc scelus a Deo illis inflicta, cito sortita
est finem.

Properans enim homo sine querela, id 21
est Aaron, pontifex justus, *deprecari pro*
populis, qui murmuraverunt, atque incen-
dio puniebantur, *proferens servitutis suæ*
scutum, id est spiritualem armaturam sui
pontificalis officii, utpote *orationem :* ar-
C ma etenim sacerdotis, sunt orationes et
lacrimæ, ut sanctus ait Ambrosius; *et per*
incensum deprecationem allegans, id est,
thurificando exorans cum allegatione me-
ritorum sanctorum Patriarcharum : quo-
rum merita allegavit, ut oratio sua illorum
meritis exaudibilior fieret. Allegans quo-
que (ut probabile est) promissiones divi-
nitus factas Abrahæ, Isaac, et Jacob, pro
posteris eorum, de introductione ipsorum
in terram promissionis. Sic namque et
Moyses allegans oravit, quando filii Israel Exod. XXXII, 13.
D aureum vitulum adoraverunt. *Restitit iræ,*
id est punitioni murmuratorum, *et finem*
imposuit necessitati, id est angustiæ mor-
tis, quam multi tunc sustinuerunt; *osten-*
dens quoniam tuus est famulus : per hoc
namque quod tam ferventer oravit pro
murmurantibus contra ipsum adversariis
suis, et quod tam cito ac mirabiliter exau-
diebatur a Domino, patuit quod vere esset
minister placitus Deo, et pontifex dignus.

Denique ad intelligendum hæc, recur-
rendum esset ad historiam libri Numero-

Digitized by Google

rum : in qua inter cetera legitur, quod A
Num. xvi, 43-49. quum Moyses et Aaron ad tabernaculum
confugissent, et Dominus vellet universam
illam murmuratorum multitudinem repen-
te occidere, Moyses dixit ad Aaron : Tolle
thuribulum, et hausto igne de altari, mitte
incensum desuper, pergens cito ad popu-
lum, ut ores pro eis : jam enim egressa est
ira a Domino, et plaga desævit. Quod quum
fecisset Aaron, et cucurrisset ad mediam
multitudinem, quam jam vastabat incen-
dium, obtulit thymiama ; et stans inter
mortuos ac viventes, pro populo depreca- B
tus est, et plaga cessavit. Et percussa sunt
quatuordecim millia hominum.
22 *Vicit autem turbas*, id est improbitatem
tribuum Israel, et prætactam eorum pla-
gam exstinxit, *non virtute corporis, nec
armatura potentiæ,* id est non corporali
fortitudine, nec armorum potentia ; *sed
verbo illum, qui se vexabat, subjecit,* id
est, oratione sua exstinxit ignem, qui ple-
bem illam incenderat, et ex consequenti
vexavit et ipsum Aaron illis compatien-
tem. Vel per vexatorem illum, intelligitur C
spiritus, cujus ministerio incendium infli-
gebatur. *Juramenta patrum et testamen-
tum confirmans,* id est, in sua oratione
recolens et allegans, qualiter Deus cum
jurejurando sanctis promiserat Patriarchis
semini eorum dare terram promissionis, et
qualiter testamentum iniit cum eisdem, et
cum filiis Israel, in monte Sinai, quando
Exod. xxiv, 8. et Moyses dixit : Hic est sanguis testamen-
ti quod mandavit ad vos Deus. Vel sensus
est, quod ipse Aaron Deum placando, im-
petravit firmam impletionem promissio- D
23 num Dei factarum plebi præfatæ. *Quum
enim jam acervatim cecidissent super al-
terutrum mortui,* id est, quum in præfato
incendio, in quo tot millia sunt combusta,
unus super alterum, et hi super illos, cum
cumulis corruissent : quia ex vehementia
pœnæ agitabantur hinc inde, et unus ali-
um impulit ac prostravit ; *interstitit,* id
est, Aaron in medio stetit inter adhuc vi-
ventes, ac mortuos, *et amputavit,* id est,
cessare fecit, *impetum* incendii, quod mo-
vebatur ad residuos. Unde subjungitur, *et
divisit illam quæ ad vivos ducebat viam,*
id est, transitum ignis properantis ad vi-
ventes, impedivit ac repulit.

Denique ad tantam efficaciam orationis
Aaron contulit et dignitas sui officii, qua
erat vicarius Dei et repræsentativus ip-
sius : ad cujus officii commendationem
Deus multa fecit per Aaron. Ideo subditur :
In veste enim poderis quam habebat, to- 24
tus erat orbis terrarum. Poderis dicitur
vestis hyacinthina, seu linea, corpori sa-
cerdotis adstricta, usque ad pedes ejus
descendens. Porro, per orbem terrarum,
intelligitur hic non solum terræ elemen-
tum, sed et sphæra aliorum elementorum ;
et per vestem poderis, accipitur conge-
ries quædam sacerdotalium seu pontifica-
lium vestimentorum. Itaque in ornamentis
seu vestibus pontificis repræsentative fuit
mundus iste sensibilis : ad designandum
quod pontifex fuit minister atque vicarius
Creatoris ac Domini universorum. Femina-
lia etenim linea et tunica stricta, repræ-
sentabant terram, quia ex terra nascitur
linum ; circumvolutio baltei, Oceanum, qui
ambit et cingit terram. Tunica hyacinthi-
na per suum colorem significavit aerem :
per cujus tintinnabula figurabantur toni-
trua ; et per mala granata, quæ ignei sunt
coloris, coruscationes. Per superhumerale
multiplici varietate ornatum, cœlum side-
reum : et per duos illius onychinos, duo
hemisphæria, seu sol et luna. Per duode-
cim gemmas, duodecim signa zodiaci : quæ
gemmæ positæ erant in rationali, ad in-
nuendum quod in cœlestibus continentur
rationes omnium terrenorum. Hinc medi-
um ornamentum recte vocatum est ratio-
nale, quia rationibus cuncta sunt plena.
Per cidarim significatum est cœlum em-
pyreum ; per laminam auream nomine Dei
inscriptam, ipse Deus gloriosus et adoran-
dus, præsidens universis. — His concordat
Hieronymus, dicens : Hebræi per byssum
intelligunt terram ; per purpuram, mare,
quia cochleis maris intingitur ; per hya-
cinthum, aerem, atque per coccum, ignem.

Digitized by Google

Et parentum magnalia, id est duodecim A Patriarcharum nomina, *in quatuor ordinibus lapidum sculpta erant.* In rationali enim erant quatuor ordines gemmarum, distincti per ternarium, et in duodecim illis gemmis sculpta erant nomina duodecim Patriarcharum seu tribuum, in memoriam earum coram Deo. Hinc Dominus jussit (*Exod.* XXVIII, 17-21.) : Pones in rationali quatuor ordines lapidum : in primo versu, id est ordine, erit sardius, topazius, et smaragdus; in secundo, carbunculus, sapphirus, et jaspis; in tertio, ligurius, achates, et amethy- B stus; in quarto, chrysolithus, onychinus, et beryllus. Inclusi auro erunt; duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus. *Et magnificentia tua in diademate capitis illius scripta erat :* (*Ibid.* 36-38.) id est, sanctum, ineffabile, et proprium nomen tuum tetragrammaton, scriptum fuit in aurea lamina, diademati seu mitræ pontificali adjuncta.

25 *His autem* ornamentis pontificalibus, ratione mysterii, *cessit qui exterminabat,* id est ignis qui filios Israel præfatos in- C cendit, *et hæc extimuit,* id est, per modum timentis se habuit ignis ille, non procedendo contra hæc ad residuos vivos. Magis autem cessit, et timuit Deum in istis, juxta tropum quo inanimata et irrationalia dicuntur Deum timere, juxta illud in Psalmo (*Ps.* CXIII, 3.) : Mare vidit, et fugit. Vel per illum qui exterminavit, intelligitur spiritus cujus ministerio fiebat illa punitio. *Erat enim sola tentatio iræ,* id est, sola illa punitio seu vindicta divinæ justitiæ erat *sufficiens* ad exterminandum totaliter D filios Israel, nisi sic ipse Aaron subvenisset. Vel : Sola tentatio, id est murmuratio filiorum Israel contra Moysen et Aaron, fuit sufficiens iræ, id est causa sufficiens, provocans iram seu ultionem Dei adversus illos iniquos ad delendum eos, nisi pontifex Deum placasset.

Denique de significatione et mysticis rationibus sacerdotalium vestium et pontificalium ornamentorum, atque gemmarum et sculpturæ earum, super Exodum dictum est plenius, secundum Josephum, Hieronymum, Bedam, aliosque doctores. (*Exod.* art. LV, LVI.)

Insuper, quæ in isto capitulo dicta sunt de Hebræis atque Ægyptiis, facile esset applicare Christianis, et eorum persecutoribus perfidis ac injustis : quibus sævientibus contra Christifideles, ipsis veraciter Christianis maxima lux est, impiis densissime excæcatis, eo quod populum Christi coarctent et vexent. Quod vero dictum est, Dum medium silentium teneret omnia, exponi potest (vers. 14.) de primo Christi adventu : qui a summo cœlo de sinu Patris venit per Incarnationis mysterium in uterum Virginis, dum medium silentium teneret omnia, id est, nullus præsumere posset de meritis suis, et vix aliquis diabolo resisteret, et nox, id est umbra legis, statusque veteris Testamenti obscurus ac typicus, in suo cursu medium iter haberet, id est, adhuc duraret. Unde postea dixit Apostolus : Nox (*Rom.* XIII, 12.) præcessit. Qui sermo increatus, fuit durus debellator invisibilium hostium; venit in mediam exterminii terram, id est in Judæam, cujus habitatores fuerunt ab aeriis potestatibus spiritualiter victi, et exterminati pro maxima parte; portans Patris imperium, tanquam magni consilii Angelus, dicens : Sicut mandatum dedit mihi Pater, (*Joann.* XIV, 31.) sic facio. Replevitque omnia morte, invisibiles adversarios deprimendo, et suos salubriter mortificando, vitia occidendo, reprobos quoque Judæos derelinquendo. Propter quod dixit : In judicium ego veni (*Ibid.* IX, 39.) in hunc mundum : ut qui non vident, videant; et qui vident, cæci fiant. Positus (*Luc.* II, 34.) enim fuit in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradiceretur. Et ipsemet dixit : Non veni (*Matth.* X, 34.) pacem mittere in terram, sed gladium. Atque, ut in prima S. Joannis habetur Canonica, In hoc apparuit Filius Dei, ut dissol- (*I Joann.* III, 8.) vat opera diaboli.

Postremo quæritur circa præhabita, utrum interfectio primogenitorum Ægypti facta sit ministerio angeli boni, aut potius angeli mali. Et videtur quod ministerio angeli sancti : quia manifeste hic dicitur,

Digitized by Google

quod omnipotens sermo Dei, exsiliens et stans in terra, replevit omnia morte. Glossa quoque circa hoc ait, quod ministerio angeli fecit judicia in primogenitis Ægyptiorum : et hoc multi doctores tanquam probabilius tenent. Augustinus vero in expositione psalmi septuagesimi septimi, super illud, Misit Dominus in eos iram indignationis suæ, manifeste testatur quod per angelum malum facta sit percussio primogenitorum illorum. De hac quæstione super Exodum in expositione duodecimi capituli diffusius scripsi : et propter diversa motiva ibidem inducta, tanquam probabilius tenui quod sicut sub Ezechia rege percussi sunt Assyrii ab angelo sancto, similiter Sodomitæ per sanctos angelos subversi sunt ; ita et primogenita Ægypti. Nec videtur ratio cur plaga illa potius per angelum tenebrarum inflicta sit, quam aliæ plagæ Ægyptiis tunc illatæ : de quibus Augustinus non audet dicere quod per angelos malos illatæ sint. Hæc pro

(Ps. LXXVII, 49. — In Exod., art. XXI. — IV Reg. XIX, 35. — Gen. XIX, 1, 13.)

A nunc sufficiat tetigisse, quæ prætacto loco exquisitius sunt inducta. Quod vero allegatur ex Psalmo, Immissiones per angelos malos, super Exodum est solutum, intelligendo per immissiones, inspirationes pravissimas, quas immittentibus angelis malis, conceperunt Ægyptii contra Hebræos. Et sicut ex dictis in isto capitulo constat, possunt per illas immissiones intelligi visiones illæ horrendæ ac turbativæ turbulentorum phantasmatum, quas in somno sustinuerunt Ægyptii.

(Ps. LXXVII, 49.)

B Amplius, quamvis hic liber non sit in canone, tamen argumentum ex eo sumptum hoc loco, videtur sufficere apud Catholicos : quia de veritate libri hujus non dubitat mater Ecclesia, præsertim quantum ad verba nunc allegata, videlicet, Dum medium silentium teneret omnia : quæ in officio Missæ pro introitu sunt assumpta, quamvis quoad mysticum sensum præcipue, quem tamen in litteræ veritate fundari oportet.

ARTICULUS XIX

EXPOSITIO CAPITULI NONIDECIMI ET ULTIMI : IMPIIS AUTEM USQUE IN NOVISSIMUM, ETC.

De obstinatione et subversione Ægyptiorum in mari Rubro, salvationeque
1 Hebræorum, hic agitur. *Impiis autem* Ægyptiis *usque in novissimum sine misericordia ira supervenit :* quia justo judicio permisit eos Omnipotens indurari. Et quamvis ad tempus timore compulsi, aliqualiter pœnituerunt, cito tamen ad pristinam redierunt crudelitatem : sicque ira, id est divina ultio, eis advenit sine misericordia, quia de pœna temporali, ad æternam prolapsi sunt. Quamvis autem in omni opere atque judicio Dei misericordia sit admixta, in aliquibus tamen dicitur non admixta, quia in eis evidenter ac specialiter prædominatur rigor justitiæ, præsertim

C in vindictis crudelitatum, quæ directe contrariantur misericordiæ. Unde et Jacobus ait apostolus : Judicium sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam. Hinc in parabola evangelica, de servo nequam qui conservo suo noluit misereri, asseritur, quod dominus debita ei dimissa ab eo repetiit, atque in carcerem misit eum quousque debitum solveret universum. *Præsciebat enim et futura illorum,* id est, Deus præcognovit futuram Ægyptiorum vitiositatem : ideo juste deseruit

(Jacob. II, 13. — Matth. XVIII, 34.)

D eos, quia jam ante similia egerant mala.

Quoniam quum ipsi reversi essent, id 2
est, quum Ægyptii a sua ferocitate in Hebræos cessassent ad modicum tempus, *et*

Digitized by Google

permisissent ut se educerent, id est, ut filii A
Israel se ipsos de terra Ægypti educerent,
et cum magna sollicitudine præmisissent
illos, id est, filios Israel sollicite minas-
Exod. XII, 33. sent ante se ad exeundum : nam cogebant
eos exire velociter; *consequebatur illos,*
puta Ægyptios, *pœnitentiæ actus,* id est
actualis mœror seu pœnitudo de hoc, quod
permiserant filios Israel egredi, dicentes :
Ibid. XIV, 5. Quid voluimus facere, ut dimitteremus Is-
3 rael, ne serviret nobis? *Adhuc enim inter*
manus habentes luctum de morte primo-
genitorum suorum, *et deplorantes* eos *ad* B
monumenta mortuorum, aliam sibi assum-
pserunt cogitationem inscientiæ, id est co-
gitationem stultam et fatuam, ut scilicet
filios Israel violenter reducerent. Unde
Ibid. 5, 8. legitur : Immutatum est cor Pharaonis et
servorum ejus super populo, et persecuti
sunt filios Israel. *Et quos rogantes proje-*
Ibid. XII, 32. *cerant :* nam Pharao dixit, Abeuntes be-
nedicite mihi; *hos tanquam fugitivos per-*
sequebantur.

4 *Ducebat enim illos,* puta Ægyptios, *ad*
hunc finem, id est ad finalem Hebræorum C
persecutionem, et ad tam consummatam
impietatem ac obstinationem, *digna neces-*
sitas, id est justum judicium Dei, hoc est
derelictio qua eos sic excæcari permisit,
et quia volebat eos digne punire maris
Rubri submersione. Juxta quem sensum
II *Par.* XXV, 16. Propheta dixit ad regem Israel : Scio quia
cogitavit Dominus interficere te, quia non
acquievisti consilio meo. *Et horum quæ ac-*
ciderant, commemorationem amittebant :
id est, non attendebant, nec recolebant
quoties et quam dire fuerunt plagati a D
Deo, eo quod nollent Hebræos dimittere,
quatenus ex hac consideratione metuerent
rursus plagari, si illos persequerentur : et
hæc fuit mira excæcatio. *Ut quæ deerant*
tormentis eis jam ante inflictis, *repleret*
punitio, id est, demersio eorum in mari
Rubro suppleret. Et quod ait, Ut, tenetur
hic concomitanter, non causaliter, quan-
tum ad Ægyptiorum intentionem. Sed quo-
ad divinæ providentiæ dispositionem, te-
netur causaliter : quia ob hoc Deus per-
misit eos tam mirabiliter et quasi tam
incredibiliter obtenebrari, nec tot et tan-
tis vexationibus erudiri, ut plenam acci-
perent punitionem per submersionem. *Et* 5
populus quidem tuus mirabiliter transiret
per fundum maris Rubri divisi; *illi autem*
novam mortem invenirent in sua submer-
sione : quod genus mortis ante non fuit, ut
scilicet aliquis exercitus ita tentaret trans-
ire per fundum aquæ, hinc inde instar *Exod.* XIV, 22.
muri stantis in sua divisione, et relabenti- *Ibid.* 27.
bus aquis ad locum priorem, ipsis flucti-
bus involveretur. Vel dicitur, nova mors,
respectu occisionis primogenitorum, quæ
paulo ante præcessit.

Omnis enim creatura ad suum genus, id 6
est ad generationis suæ originem, seu ad
suum generatorem, *ab initio refiguraba-*
tur, id est, transmutabatur, obediendo
Creatoris imperio, per obedientialem po-
tentiam. Ideo sequitur, *deserviens tuis præ-*
ceptis, ut pueri tui, scilicet filii Israel,
custodirentur illæsi. Nam nubes eorum 7
castra, id est tentoria et phalangas, *obum-*
brabat contra solis ardorem; vel, Obum-
brabat, id est protegebat, ita quod Ægyptii
insequentes non valebant tota nocte He-
bræos accedere, juxta illud : Tollens se *Ibid.* 19, 20.
angelus Dei, qui præcedebat castra Israel,
abiit post eos, et cum eo pariter columna
nubis, inter castra Ægyptiorum et castra
Israel : ita ut ad se invicem toto noctis
tempore accedere non valerent. *Et ex aqua*
quæ ante erat, id est, paulo ante operuit
fundum maris Rubri, *terra arida appa-*
ruit, id est, fundus ille fuit miraculose
siccatus, facta aquæ divisione; *et in mari*
Rubro via sine impedimento, id est, via
expedita parata est eis in fundo maris il-
lius, ipso mari diviso, et in sua soliditate
stante ex parte utraque; *et campus germi-*
nans de profundo nimio, id est, ipse fun-
dus præfatus tanquam germinans campus,
stetit discoopertus et pulcher; *per quem* 8
omnis natio transivit, quæ tegebatur tua
manu, id est totus populus Israel tua po-
testate protectus, quæ non permisit aquas
divisas cadere super eos, *videntes* ipsi filii

Digitized by Google

Israel *tua mirabilia et monstra,* id est si- A
gna et miracula tua, monstratione dignis-
sima, videlicet maris Rubri divisionem, et
aquarum ejus consolidationem, et quali-
ter angelus posuit nubem inter eos atque
Ægyptios.
9 *Tanquam equi enim depaverunt escam,*
id est, pastum receperunt de spoliis Ægy-
ptiorum : quos e mari projectos super
littus, nudaverunt armis et rebus aliis pre-
Sap. x, 19. tiosis, secundum Hebræos, ut tactum est
supra. *Et tanquam agni exsultaverunt* de
sua liberatione : juxta illud in Psalmo, B
Ps. cxiii, 4. Montes exsultaverunt ut arietes, et colles
sicut agni ovium; *magnificantes,* id est,
magnum, pium, justum, omnipotentem
confitentes, *te, Domine, qui liberasti il-*
Is. lxiii, 12-14. *los.* Unde legitur in Propheta : Qui scidit
aquas ante eos; qui duxit eos per abyssos,
quasi equum in deserto non impingentem,
quasi animal in campo descendens, ut fa-
10 ceret sibi nomen sempiternum. *Memores*
enim adhuc erant, post egressum de mari
Rubro, *eorum quæ in incolatu illorum*
facta fuerant mirabilium, quæ Deus fecit C
pro eis contra Ægyptios, quando ipsi ad-
huc in Ægypto manebant; *quemadmodum*
pro natione animalium produxit terra
muscas, id est, pro generatione utilium
bestiarum eruperunt de terra Ægypti in-
numerabiles muscæ, quæ pungebant Ægy-
Exod. viii, 21. ptios. Unde Dominus ait : Ecce ego mittam
in te, et in populum tuum, omne genus
muscarum. *Et pro piscibus eructavit,* id
Ibid. 5, 6, 3. est emisit, *fluvius* Nili, imo diversi fluvii
in Ægypto, *multitudinem ranarum,* quæ
operuerunt et impleverunt terram, domos, D
cubilia, lectos, et cibos Ægyptiorum, ut
Exodus narrat.
11 *Novissime autem,* id est post prædicta,
scilicet in deserto, *viderunt novam cre-*
aturam avium, id est, filii Israel conspe-
xerunt copiosissimam coturnicum multi-
Sap. xvi, 2. tudinem sibi advenientem, ut dictum est
supra. Eadem autem sententia in isto libro
frequenter sub aliis verbis repetitur : qui-
bus non congruit immorari. *Quum abducti*
concupiscentia, id est, per concupiscentiam

a recta ratione abstracti ac devii, *postula-*
verunt escas epulationis, dicentes : Quis Num. xi, 4
dabit nobis ad vescendum carnes? ut legi-
tur in Numeris. *In allocutione enim desi-* 12
derii, id est ad petitionem qua appetitum
suum de esu carnium petierunt impleri,
ascendit illis de mari ortygometra, id est
coturnix, juxta illud in Psalmo : Petierunt, Ps. civ, 40.
et venit coturnix. Quæ venit eis ab insula
nomine Ortygia, et volavit per mare usque Num. xi, 31.
ad eos. *Et vexationes peccatoribus super-*
venerunt. Posset hoc exponi de prætactis
filiis Israel, qui una cum vulgo promi- Exod. xii, 38.
scuo, quod cum eis venerat ex Ægypto,
propter inordinatam suam concupiscen-
tiam sunt percussi. Sed verba sequentia Num. xi, 33.
pandunt hæc de Ægyptiis dici : quibus in
Ægypto ante egressum filiorum Israel su-
pervenerunt multarum atque magnarum
vexationes plagarum. *Non sine illis,* id
est simul cum illis, *quæ ante facta erant*
argumentis per vim fluminum, id est cum
punitionibus et correptionibus, quas sus-
tinuerunt ex hoc, quod flumina erant in Exod. vii, 20, 21, 24.
sanguinem versa, piscesque mortui, et
computruit fluvius, ita quod defuit aqua
Ægyptiis ad potandum. Postea quoque flu-
vii ranas eructaverunt. Ibid. viii, 6.
Juste enim patiebantur secundum suas
nequitias. Etenim detestabiliorem, id est 13
valde detestabilem, seu aliis vitiis gravi-
orem, *inhospitalitatem instituerunt* Ægy-
ptii, quum tamen hospitalitas virtus sit ad
misericordiam pertinens : et ita fuerunt
inhumani atque crudeles. *Alii quidem,* id
est quidam Ægyptiorum, *ignotos non re-*
cipiebant advenas ad hospitandum vel
commanendum; *alii autem bonos hospites,*
scilicet filios Israel inter se commorantes,
in servitutem redigebant, post mortem Jo- Ibid. i, 6-14.
seph, quum multiplicati fuissent ibidem,
ut in Exodo dicitur. *Et non solum hoc* 14
malum fecerunt Ægyptii, *sed et alius qui-*
dem respectus erat illorum, id est alia
vitiosa intentio seu consideratio: *quoniam*
inviti, id est cum duritia et abominatione,
recipiebant extraneos. Qui autem cum læ- 15
titia receperunt hos, qui eisdem usi erant

Digitized by Google

institutis, id est, Ægyptii usi prætactis A
crudelibus institutis, hos qui cum lætitia
receperunt, id est filios Israel, qui benigne
et jucunde receperunt extraneos ad hospitium aut cohabitationem, *sævissimis afflixerunt doloribus,* perducentes vitam Hebræorum ad amaritudinem magnam. Sicque Ægyptii prohibuerunt filios Israel a pia extraneorum susceptione.

16 *Percussi sunt autem* Ægyptii *cæcitate* interiori incorrigibilis incredulitatis ac vitiorum, cæcitate quoque exteriori, id est,
Exod. x, 21, 22. luminis intuitione [caruerunt] in triduo B
palpabilium tenebrarum : et hoc, propter prætacta eorum facinora. Quemadmodum
Matth. v, 7. enim beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; sic infelices sunt immisericordes, quoniam donis gratiæ et gloriæ privabuntur. *Sicut illi in foribus justi* Lot, id est, sicut Sodomitæ fuerunt percussi quadam specie cæcitatis: quæ species acrisia nuncupatur, qua aliquid confuse conspicitur, non tamen discernere potest adspiciens, quis aut quid
Gen. xix, 11. sit illud. De qua re in Genesi scriptum C
est. Denique justitiæ Lot attestatur princeps Apostolorum in secunda sua Canoni-
II *Petr.* II, 8. ca : Adspectu, inquiens, et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant. *Quum subitaneis cooperti essent tenebris* Ægyptii in triduo memorato, *unusquisque transitum ostii sui quærebat,* id est, invenire optabat, vel ad intrandum, si forte extra fuit, vel ad egrediendum, si
Exod. x, 23. fuerat intus, quum tamen se non possent de locis suis movere. Vel intelligitur de D
Sodomitis, qui præfatæ cæcitatis caligine cæsi, januam quam quærebant, invenire nequibant.

17 *In se enim elementa dum convertuntur,* id est, dum mutuo contemperantur et alterantur, mutando naturalem modum agendi, *sicut in organo,* id est musico instrumento, *qualitatis sonus immutatur :* quoniam sonus ille nunc intentior, nunc remissior est, secundum quod ludens in hujusmodi instrumento, diversimode tangit chordas : quarum tamen soni diversi in unam consonantiam rediguntur; *et omnia suum sonum custodiunt,* id est, proprium sonitum habent ac reddunt, juxta voluntatem modulantis in organo : ita, supple, elementa, diversimode alterantur et contemperantur, ac diversimode agunt, secundum Creatoris imperium, qui cuncta instituit ut suæ obediant jussioni. *Unde æstimari ex ipso visu certo potest :* id est, per experientiam et visus evidentiam patet hoc verum esse.

Agrestia enim in aquatica convertebantur : id est, animalia quorum natura est 18
super terram deambulare, modum et proprietatem piscium assumpserunt, eundo per fundum Rubri maris, in quo pisces solent natare; *et quæcumque erant natantia,* sicut ranæ, quæ morantur et natant in aquis, *in terra transibant :* quia exeun- *Exod.* VIII, 3, 6.
tes de fluviis, venerunt per siccam terram ad domos Ægyptiorum. Hebræi autem greges pecorum suorum secum duxerunt per maris Rubri profundum, juxta illud : Cun- *Ibid.* x, 26.
cti greges pergent nobiscum.

Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, id est, ultra solitum intentioris fuit 19
caloris : quando videlicet, ut in Exodo narratur, ignis et grando, nix et aqua pa- *Ibid.* IX, 24.
riter descenderunt super Ægyptios, ut su- *Sap.* XVI, 17.
pra expositum est; *et aqua exstinguentis naturæ obliviscebatur,* id est, per modum obliviscentis se habuit, non exstinguendo ignem, secum tunc descendentem. *Flammæ econtrario corruptibilium animalium,* 20
utpote serpentium diversi generis, et draconum, igneas flammas spirantium, *non vexaverunt carnes coambulantium,* id est, non læserunt corpora Hebræorum, nec jumenta ipsorum ambulantium per desertum, in quo erant hujusmodi animalia venenosa ignita. Hinc habetur in Deuteronomio : Dominus ductor tuus fuit in *Deut.* VIII, 15.
solitudine magna atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, et scorpio, ac dipsas. Et constat quod venenosa illa, nec filiis Israel, nec eorum pecoribus nocuerunt, nisi quod interdum propter peccata sua puniebantur. *Nec dissolvebant illam*

Digitized by Google

quæ facile dissolvebatur, sicut glacies, bonam escam, id est, non liquefaciebant ipsum manna, *Exod.* XVI, 21. quod faciliter liquefiebat radio solis, sicut glacies calore ignis ac solis cito dissolvitur.

In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine : id est, populum Israel in multis et magnis beneficiis spiritualibus et corporalibus eminentem fecisti præ ceteris gentibus; *et honorasti,* id est, honorabilem constituisti, *et non despexisti* preces eorum, *in omni tempore, et in omni loco,* scilicet in Ægypto, in mari Rubro, in deserto, in Jordane, in terra promissionis, *adsistens eis* per gratiam specialem, præsertim electis ex eis; reprobos autem et ingratos damnasti. Hinc in Deuteronomio *Deut.* IV, 8. Moyses huic populo ait : Quæ est alia gens sic inclyta, ut habeat cærimonias, justaque judicia, et universam legem quam ego proponam hodie ante oculos vestros? *Ibid.* 32-35. Et rursus : Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te, ex die qua creavit Deus hominem super terram, a summo cœli usque ad summum ejus : si facta est aliquando hujusmodi res, aut unquam cognitum est, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti, et vidisti*; si fecit Deus ut ingrederetur, et tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atque portenta, per pugnam et robustam manum, extentumque brachium, et horribiles visiones, juxta omnia quæ fecit pro vobis in Ægypto Dominus Deus vester, videntibus oculis tuis : ut scires quoniam Dominus ipse est Deus, et non est alius præter unum.

* vixisti

Verum hæc omnia de populo christiano multo sublimius verificantur : spiritualiter tamen, imo et litteraliter pro maxima parte. Cui collata est tanta divinorum plenitudo charismatum, tanta abundantia signorum, virtutum et prodigiorum, tam perfectissima lex, et tanta spiritualium ac corporalium exuberantia beneficiorum, ut quantum veritas præcedit figuram, et umbram lux, tantum populus christianus in omnibus istis populum illum, cui omnia in figura contingebant, excedat. *I Cor.* X, 11. Insuper, quod populus ille olim præ ceteris tam electus, a tempore evangelicæ legis tam extreme relictus est, et cunctis excellentiis suis privatus, dispersus, captivus; atque divina charismata illi olim concessa, ad plebem christianam tam copiosissime et excellentissime sunt translata : certissimum signum est veritatis catholicæ fidei et evangelicæ legis. Ad laudem et gloriam Omnipotentis, qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen.

FINIS COMMENTARIORUM IN LIBRUM SAPIENTIÆ

Digitized by Google

INDICES

Digitized by Google

Digitized by Google

LOCA S. SCRIPTURÆ PRÆCIPUA

QUÆ AD ILLUSTRANDUM COMMENTARIUM

AB AUCTORE PASSIM ALLEGANTUR

GENESIS.

II, 7. Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, 136D.
— 21. Immisit... Dominus... soporem in Adam, 45A'.
XXVII, 27. Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, 309C.
XXXVII, 35. (Jacob ait:) Descendam ad filium meum lugens in infernum, 102D.
XLVII, 9. (Dixit Jacob:) Dies peregrinationis meæ (super terram), centum triginta annorum sunt, parvi et mali, 100C.
XLIX, 11. Ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem, o fili mi, asinam suam; lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum, 310A'.

EXODI.

III, 14. Ego sum qui sum, 530A.
VII, 1. Constitui te (Moysen) deum Pharaonis, 536A'.
XXII, 28. Diis non detrahes, 119D'.
XXXIII, 17. Dixit... Dominus ad Moysen :... Te ipsum novi ex nomine, 38D'.

LEVITICI.

III, 9. Offerent (filii Aaron)... sacrificium Domino... caudam totam, 249C'.
XIX, 18. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum, 135D'.

DEUTERONOMII.

VI, 6-8. Erunt... verba hæc, quæ ego (Dominus) præcipio tibi hodie, in corde tuo; et narrabis ea filiis tuis et meditaberis in eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens atque consurgens; et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos, 37C, 48A.
XV, 4. Omnino indigens et mendicus non erit inter vos, 66B.

JOB.

I, 1. Erat vir ille (Job) simplex et rectus, 72C.
V, 2. Vere stultum interficit iracundia, et parvulum occidit invidia, 123B', 349B'.
IX, 11. Si venerit ad me, non videbo eum; si abierit, non intelligam, 396C.
X, 8, 9. Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu;... memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, 540D.
XII, 24. Qui (Deus) immutat cor principum populi terræ, 138B.
XIII, 15, 16. Vias meas in conspectu ejus (Dei) arguam, et ipse erit salvator meus, 174B'.
XIV, 4. Nonne tu qui solus es? 213C'.
— 6. Recede paululum ab eo (homine), ut quiescat, 443D'.
XV, 12. Quid te elevat cor tuum, et quasi magna cogitans, attonitos habes oculos? 187D.
XVII, 3. (Domine)... pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me, 339D'.
XVIII, 5, 6. Nonne lux impii exstinguetur,... et lucerna quæ super eum est, exstinguetur? 86B', 198C.
— 15. Habitent in tabernaculo illius socii ejus, qui non est, 69D.
XXI, 20, 30. De furore Omnipotentis bibet,... in diem perditionis servatur malus, et ad diem furoris ducetur, 107C'.
XXII, 21. Acquiesce... ei (Deo), et habeto pacem; et per hæc habebis fructus optimos, 39B.
XXIII, 10. Probavit me (Dominus) quasi aurum quod per ignem transit, 230D'.
XXVII, 6. Neque... reprehendit me cor meum in omni vita mea, 317A.

Digitized by Google

XXVIII, 13. Nec invenitur (sapientia) in terra suaviter viventium, 131 C', 221 C'.
XXIX, 16. Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam, 157 D'.
XXX, 31. Versa est in luctum cithara mea, et organum meum in vocem flentium, 92 B'.
XXXI, 21. Si levavi super pupillum manum meam, etiam quum viderem me in porta superiorem, 146 A'.
— 29. Si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, et exsultavi quod invenisset eum malum, 114 A'.
XXXII, 8. Ut video, spiritus est in hominibus, et inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam, 136 C'.
XXXIII, 15, 16. Per somnium in visione nocturna,... aperit (Deus) aures virorum, 240 B'.
XXXIV, 14. Si direxerit (homo) ad eum (Deum) cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet, 106 C.
— 36, 37. Pater mi,... ne desinas ab homine iniquitatis, quia addit super peccata sua blasphemiam, 163 B.
XLI, 24. Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret, 273 A, 411 A.

PSALMORUM.

I, 5. Non resurgent impii in judicio, 139 C.
IV, 3. Filii hominum, usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium? 214 B'.
— 5. Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini, 352 A.
— 7. Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine, 136 D.
VII, 9. Judica me, Domine, secundum justitiam meam, et secundum innocentiam meam super me, 488 B.
IX, 2. Narrabo omnia mirabilia tua, 219 C.
XI, 7. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum, 159 B, 184 D'.
XIV, 4. Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, 69 D.
XV, 10. Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, 230 A.
— 11. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, 104 C.
XVII, 30. In Deo meo transgrediar murum, 137 A.
XVIII, 6. Exsultavit ut gigas ad currendam viam, 140 C'.
XVIII, 12. In custodiendis illis (Dei mandatis) retributio multa, 271 D'.
— 15. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, 78 C'.
XX, 4. Posuisti in capite ejus (justi) coronam de lapide pretioso, 35 C'.
— 12. Quoniam declinaverunt in te mala, 239 C', 526 A.
XXXI, 1. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, 68 C.
— 5. Dixi : Confitebor adversum me injustitiam meam Domino; et tu remisisti impietatem peccati mei, 174 B'.
— 9. In camo et freno maxillas eorum (impiorum) constringe, qui non approximant ad te, 163 A.
XXXII, 7. Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, 58 A'.
— 11. Consilium... Domini in æternum manet, 55 B'.
— 17. Fallax equus ad salutem, 142 D'.
XXXIII, 10. Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum, 95 C.
— 16, 17. Oculi Domini super justos, et aures ejus in preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala, 97 B'.
XXXIV, 8. Veniat illi (iniquo) laqueus quem ignorat; et captio quam abscondit, apprehendat eum, et in laqueum cadat in ipsum, 177 A'.
— 19. Qui oderunt me gratis, et annuunt oculis, 67 C'.
XXXV, 9. Torrente voluptatis tuæ potabis eos, 340 A'.
XLIV, 4. Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, 353 D.
— 8. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis, 266 B', 299 A.
— 10. Adstitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate, 198 D', 370 C'.
XLV, 5. Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, 121 B', 284 A'.
LIV, 24. Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, 254 C'.
LVII, 11. Lætabitur justus quum viderit vindictam, 73 B', 553 A'.
LXII, 6. Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea, 75 C'.
LXVII, 18. Currus Dei decem millibus multiplex, 306 D'.
LXVIII, 16. Neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum, 121 C.

Digitized by Google

LXX, 3. Esto mihi in Deum protectorem et in locum munitum, ut salvum me facias, **122 B'**.
LXXI, 16. Erit firmamentum in terra in summis montium, 310 B'.
LXXII, 23. Ut jumentum factus sum apud te, 79 B'.
LXXIII, 19. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, 368 D'.
LXXIV, 3. Quum accepero tempus, ego justitias judicabo, **241 D**.
LXXVII, 49. Misit in eos (Ægyptios) iram indignationis suæ,... immissiones per angelos malos, 116 A, 549 B.
LXXVIII, 12. Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, 49 B'.
LXXXI, 1. Deus stetit in synagoga deorum, 536 A'.
LXXXII, 14. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti, 38 C.
LXXXIV, 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, 297 A'.
XC, 5. Scuto circumdabit te veritas ejus; non timebis a timore nocturno, 353 A'.
XCI, 13. Justus ut palma florebit, 419 C'.
XCII, 3. Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flumina vocem suam, **284 A'**.
XCVII, 1. Salvavit sibi dextera ejus (Christi), et brachium sanctum ejus, **522 A**.
CIII, 18. Petra refugium herinaciis, 190 D.
— 24. Impleta est terra possessione tua, 457 A'.
— 31. Lætabitur Dominus in operibus suis, 59 A.
CXVIII, 32. Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilatasti cor meum, 36 A.
— 37. Averte oculos meos, ne videant vanitatem; in via tua vivifica me, **48 B'**.
— 63. Particeps ego sum omnium timentium te, 355 A.
— 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, (Domine) et lumen semitis meis, 48 D.
— 129. Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea, 161 D'.
— 130. Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis, 61 B'.
CXXXII, 1. Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum! 124 C'.
CXLIII, 1. Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, et digitos meos ad bellum, 51 D.
CXLIV, 7. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, 386 B'.
CXLVII, 14. Qui posuit fines tuos pacem, 102 A'.

PROVERBIORUM.

X, 19. In multiloquio non deerit peccatum, 238 A'.
XIX, 29. Mallei percutientes (parati sunt) stultorum corporibus, **274 D**.
XX, 20. Exstinguetur lucerna ejus (impii) in mediis tenebris, 86 B'.

ECCLESIASTÆ.

I, 8. Cunctæ res difficiles; non potest eas homo explicare sermone, **229 C'**.
VII, 4. Per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis, 155 C.
— 17. Noli esse justus multum, neque plus sapias quam necesse est, ne obstupescas, **148 B'**.
VIII, 12. Peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus, 77 D'.

CANTICI CANTICORUM.

I, 2. Oleum effusum nomen tuum, 266 B'.
II, 14. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, 190 C'.
— 16. Dilectus meus mihi, et ego illi, 403 A'.

SAPIENTIÆ.

I, 11. Os... quod mentitur, occidit animam, **122 B**.
— 16. Impii... manibus et verbis accersierunt illam (mortem), 60 A'.
V, 17. Accipient (justi) regnum decoris et diadema speciei de manu Domini, 35 C'.
VI, 1. Melior est sapientia quam vires; et vir prudens, quam fortis, **152 C'**.
— 6, 7. Judicium durissimum his qui præsunt, fiet; exiguo... conceditur misericordia, 386 C.
X, 12. Omnium potentior est sapientia, 152 D.
XI, 24. Dissimulas (Domine) peccata hominum propter pœnitentiam, 261 C'.
XVII, 10. Semper... præsumit sæva, perturbata conscientia, 140 B'.
XVIII, 15. Omnipotens sermo tuus (Domine) ... a regalibus sedibus... prosilivit, 259 D.

ECCLESIASTICI.

III, 22. Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, 161 D', **246 B**.

Digitized by Google

IX, 5. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius, 48 B'.
X, 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam, 241 A'.
XVII, 14. In unamquamque gentem præposuit rectorem, 305 B'.
XIX, 26. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus, 119 D.
XXIV, 14. Ab initio et ante sæcula creata sum, 57 B'.
XXIX, 15. Conclude eleemosynam in corde pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo, 140 C.
— 20. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, 44 C.
XXX, 23. Jucunditas cordis, hæc est vita hominis, 119 A.
— 24, 25. Miserere animæ tuæ placens Deo;... tristitiam longe repelle a te, multos enim occidit tristitia, 74 D', 82 B'.
XXXI, 23. Vigilia, cholera et tortura viro infrunito, 150 C'.
XXXII, 6. Ubi auditus non est, non effundas sermonem, 305 D.
— 24. Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis, 197 B.
XLIV, 20. Non est inventus similis illi, 412 A.

ISAIÆ.

II, 10. Ingredere in petram,... abscondere in fossa humo, 190 C'.
— 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, 47 A.
III, 11. Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei, 165 D'.
V, 13. Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, 63 B.
— 20. Væ qui dicitis malum, bonum; et bonum, malum, 237 B.
VIII, 7. Dominus adducet super eos (Judæos) aquas... fortes et multas, regem Assyriorum, 284 B'.
XI, 1. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, 328 D'.
XII, 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, 41 B', 121 C'.
XXI, 3, 4. Corrui, quum audirem; conturbatus sum, quum viderem; emarcuit cor meum, 332 A.
— 8. Super custodiam meam ego sum stans totis noctibus, 37 C'.
XXVI, 1. Urbs fortitudinis nostræ Sion; Salvator ponetur in ea murus et antemurale, 61 A'.
XXVI, 5. Civitatem sublimem humiliabit; humiliabit eam usque ad terram, 141 A'.
— 12. Domine,... omnia... opera nostra operatus es nobis, 136 A, 500 D.
XXVIII, 9. Quem docebit (Dominus) scientiam? et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus, 221 C'.
— 22. Nolite illudere, ne forte constringantur vincula vestra, 33 C'.
XXX, 15. In silentio et... spe erit fortitudo vestra, 125 D.
— 21. Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram, 38 B'.
XXXII, 20. Beati, qui seminatis super omnes aquas, 278 B.
XXXVIII, 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, 389 C.
XLI, 23. Annuntiate quæ ventura sunt... et sciemus quia dii estis, 246 A'.
XLIII, 7. Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, 107 C.
XLV, 6, 7. Ego Dominus... faciens pacem, et creans malum, 460 B.
— 21. Deus justus et salvans non est præter me, 543 D.
XLVII, 10. Sapientia tua et scientia tua... decepit te, 152 B'.
XLVIII, 16. Et nunc Dominus Deus misit me, et Spiritus ejus, 456 A.
L, 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est, verbo, 268 A.
LI, 12. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? 51 A.
LIII, 2. Ascendet (Christus) sicut virgultum,... et sicut radix de terra sitienti, 328 C'.
— 10. Si posuerit (Christus) pro peccato animam suam, videbit semen longævum, 89 C.
— 12. Dispertiam ei (Christo) plurimos, et fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, 89 C.
LIV, 11. Fundabo te (Ecclesiam) in sapphiris, 274 C.
LV, 1. Emite absque argento, et absque ulla commutatione, 150 A.
LVIII, 7. Quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris, 94 A.
— 9. Si... desieris extendere digitum, et loqui quod non prodest, 46 A'.
LIX, 2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, 489 B'.

Digitized by Google

LX, 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant? 279 C.
— 15. Ponam te (Ecclesiam) in superbiam sæculorum, 56 B'.
LXI, 1. Spiritus Domini super me, eo quod unxerit... me, 299 A.
— 10. Induit me (Dominus) vestimentis salutis, et indumento justitiæ circumdedit me, 171 B', 198 C', 370 C'.
LXII, 6. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, 436 C'.
LXIII, 2. Quare... rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? 310 A'.
— 16. Tu, Domine, Pater noster, Redemptor noster, 47 C'.
LXVI, 1. Cœlum sedes mea (est), 506 B'.
— 2. Ad quem... respiciam, nisi ad pauperculum et contritum spiritu? 72 B.

JEREMIÆ.

IV, 2. Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, et... judicio, et... justitia, 82 A.
X, 14. Stultus factus est omnis homo a scientia, 181 B'.
— 23. Scio, Domine, quia non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet et dirigat gressus suos, 108 B', 268 D.
XII, 8. Facta est mihi hereditas mea quasi leo in silva; dedit contra me vocem, ideo odivi eam, 432 B'.
XIII, 23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, et vos poteritis benefacere, quum didiceritis malum, 36 A', 455 B'.
XVII, 5. Maledictus... qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus, 340 A.
XX, 9. Factus est (sermo Domini) in corde meo quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; et defeci, ferre non sustinens, 314 C.
XXIII, 9. Factus sum quasi vir ebrius, et quasi homo madidus a vino, a facie Domini et a facie verborum sanctorum ejus, 314 D, 420 A'.
— 24. Si occultabitur vir in absconditis, et ego non videbo eum? 42 A'.
XXXI, 12, 14. Erit... anima eorum quasi hortus irriguus;... et inebriabo animam sacerdotum pinguedine, 75 C'.
— 18. Castigasti me (Domine), et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus, 178 D'.
XXXI, 22. Usquequo deliciis dissolveris, filia vaga? 129 A.
— 22. Creavit Dominus novum super terram: Femina circumdabit virum, 189 A.

THRENORUM.

IV, 20. Spiritus oris nostri, Christus Dominus,... cui diximus: In umbra tua vivemus in gentibus, 330 A.

BARUCH.

II, 18. Anima quæ tristis est super magnitudine mali, et incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino, 83 B'.

EZECHIELIS.

XIII, 18, 20. Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas... volantes, 66 B'.
XXVIII, 13. Foramina tua, in die qua conditus es, præparata sunt, 348 B'.
XXXII, 24, 27. Omnes hi... descenderunt... ad terram ultimam;... portaverunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum;... descenderunt ad infernum, 265 B.
XXXIV, 4. Cum austeritate imperabatis eis et cum potentia, 175 B.
XXXVI, 22. Non propter vos ego faciam (ait Dominus), sed propter nomen sanctum meum, 107 C.
XLIV, 4. Vidi;... et cecidi in faciem meam, 332 A.
XLV, 10. Statera justa, et ephi justum, et batus justus erit vobis, 71 B'.

DANIELIS.

IV, 14. In sententia vigilum decretum est, 351 B.
— 24. Consilium meum placeat tibi (Nabuchodonosor), et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum, 86 C.
VII, 9. Adspiciebam donec... antiquus dierum sedit, 57 D'.
VIII, 27. Langui... per dies, 332 A, 396 A'.
XII, 3. Qui... docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam

Digitized by Google

erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates, 437 B'.
XII, 9. Clausi sunt signatique sermones, 157 B'.

OSEE

II, 14. Ducam eam (sponsam) in solitudinem, et loquar ad cor ejus, 318 B'.
IV, 11. Fornicatio et vinum et ebrietas auferunt cor, 131 A'.
VII, 15, 16. Ego erudivi eos (rebelles),... et in me cogitaverunt malitiam; reversi sunt ut essent absque jugo, 98 B.
VIII, 4. Ipsi (impii) regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et non cognovi, 273 C'.
XI, 4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis, 301 B.
XIII, 11. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea, 273 B'.

AMOS.

II, 8. Super vestimentis pignoratis accubuerunt, 134 C'.
III, 6. Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit? 460 B.
VI, 13, 14. Convertistis in amaritudinem judicium, et fructum justitiæ in absinthium, qui lætamini in nihilo, 130 B'.

JONÆ.

II, 9. Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt, 265 D'.

MICHÆÆ.

VI, 8. Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum... : utique facere judicium,... et sollicitum ambulare cum Deo tuo, 72 C'.

MALACHIÆ.

I, 2, 3. Dilexi Jacob, Esau autem odio habui, 522 B'.

I MACHABÆORUM.

IX, 27. Facta est tribulatio magna in Israel, qualis non fuit ex die qua non est visus Propheta in Israel, 179 C.

MATTHÆI.

IV, 1. Jesus ductus est in desertum a Spiritu, 494 A'.
V, 3. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, 86 D.
— 17. Legem... non veni solvere, sed adimplere, 430 B.
VI, 34. Nolite... solliciti esse in crastinum, 73 A.
VII, 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, 337 D.
— 27. Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam; et cecidit, et fuit ruina illius magna, 335 B'.
IX, 15. Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? 291.
XI, 28. Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos, 330 C.
XII, 34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, quum sitis mali? 36 A'.
XIII, 47. Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti, 302 B'.
— 52. Omnis scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera, 421 D'.
XV, 3. Quare... vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? 465 A.
XVI, 19. Tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, 435 C'.
XVIII, 20. Ubi... sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum, 54 C'.
XX, 16. Multi... sunt vocati, pauci vero electi, 194 B', 219 C'.
XXIV, 42. Vigilate..., quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, 45 D'.
XXVI, 24. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille (proditor), 233 A'.
— 29. Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum quum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei, 385 C'.
XXVIII, 20. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, 329 D', 437 C.

Digitized by Google

MARCI.

XVI, 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ, 457 D'.

LUCÆ.

I, 34. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 321 C'.
— 35. Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi, 321 C'.
— 79. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, 135 D.
II, 19. Maria... conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo, 348 C'.
VI, 25. Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis, 221 B'.
— 30. Omni petenti te tribue, 142 A.
VIII, 10. Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut... audientes non intelligant, 157 B'.
— 17. Non est... occultum, quod non manifestetur, 67 B'.
X, 20. Gaudete... quod nomina vestra scripta sunt in cœlis, 538 C'.
XII, 35. Sint lumbi vestri præcincti, 197 D'.
XV, 10. Gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, 406 A'.
XVI, 9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, 65 C'.
— 25. Recepisti bona in vita tua, 265 C'.
XVIII, 1. Oportet semper orare, et non deficere, 350 B'.
XIX, 4. Præcurrens (Zachæus) ascendit in arborem sycomorum, 152 D'.
XXI, 15. Ego... dabo vobis os et sapientiam cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri, 354 B.

JOANNIS.

I, 3, 4. Quod factum est, in ipso vita erat, 496 A.
— 5. Tenebræ eam non comprehenderunt, 37 A.
— 18. Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, 57 C.
II, 19. Solvite templum hoc, 60 B.
III, 29. Qui habet sponsam, sponsus est, 291.
IV, 13, 14. Qui... biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed... fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, 330 C.
IV, 34. Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus qui misit me, 77 B.
VI, 64. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt, 37 C.
VII, 38. Qui credit in me,... flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, 284 D, 381 C, 388 C'.
IX, 31. Scimus... quia peccatores Deus non audit; sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit, 371 C.
X, 35. Illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, 536 A'.
XIII, 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem, 358 B'.
XIV, 21. Qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me, 316 A'.
XVI, 7. Si... non abiero, Paracletus non veniet ad vos, 346 A.
XVII, 3. Hæc est... vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, 423 C', 451, 488 D'.
— 11. Ut sint unum sicut et nos, 271 A'.
XIX, 11. Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper, 486 C.
— 34. Unus militum lancea latus ejus aperuit, 385 D.

ACTUUM.

II, 13. Musto pleni sunt isti (Apostoli), 330 A'.
X, 38. Unxit eum (Jesum) Deus Spiritu Sancto et virtute, 299 B.
XIII, 36. David... appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem, 230 B.
XV, 9. Fide purificans (Deus) corda eorum, 103 C.
— 10. Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? 347 D'.
XVII, 11. Nobiliores eorum... susceperunt verbum (Dei) cum omni aviditate, quotidie scrutantes Scripturas, 276 D.
— 30. Tempora... hujus (prioris) ignorantiæ despiciens Deus, nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant, 336 B.

AD ROMANOS.

I, 9. Testis... mihi est Deus, 537 B'.
II, 1. Inexcusabilis es, o homo omnis qui judicas (alium inordinate); in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas, 453 C.

Digitized by Google

II, 24. Nomen... Dei per vos blasphematur inter gentes, 95B'.
III, 4. Est... Deus verax, omnis... homo mendax, 138A'.
V, 2. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei, 431D'.
VI, 22. Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam, 364A.
VIII, 6. Prudentia carnis mors est, 139A.
— 20. Vanitati... creatura subjecta est, 214B.
— 26. Quid oremus sicut oportet, nescimus, 508B'.
IX, 20. O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? 525B'.
X, 2. Testimonium... perhibeo illis (Judæis), quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam, 340C'.
XI, 33. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus! 548A.
XII, 8. Qui præest, in sollicitudine (præsit), 351A.
XIII, 1. Quæ... sunt a Deo, ordinatæ sunt, 364A'.
— 12. Nox præcessit, 347D'.

I AD CORINTHIOS.

I, 5. In omnibus divites facti estis in illo (Christo), in omni verbo et in omni scientia, 152C.
— 20. Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? 378D'.
II, 11. Quis... hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? 136A'.
— 12. Nos... non spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis, 326B, 505B'.
— 15. Spiritualis... (homo) judicat omnia, 69D'.
IV, 5. Dominus... illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, 67B'.
— 15. In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui, 353D.
IX, 9. Non alligabis os bovi trituranti; numquid de bobus cura est Deo? 91A, 526A.
— 11. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si... carnalia vestra metamus? 125B.
X, 33. Ego per omnia omnibus placeo, 222D.
XI, 16. Si quis... videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei, 132B.
— 31. Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur, 139D, 376B.
XIV, 18. Gratias ago Deo..., quod omnium vestrum lingua loquor, 458A.
— 40. Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant, 38C.
XV, 51. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur, 258C.

II AD CORINTHIOS.

I, 23. Ego... testem Deum invoco in animam meam, 537B'.
III, 18. Nos... revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu, 387A.
V, 6. Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino, 335A.
VII, 10. Sæculi... tristitia mortem operatur, 82B', 248A'.
X, 17. Qui... gloriatur, in Domino glorietur, 424C'.
XI, 2. Despondi... vos uni viro virginem castam exhibere Christo, 196B.
XII, 2. Scio hominem... raptum... usque ad tertium cœlum, 507C'.

AD GALATAS.

II, 9. Jacobus et Cephas et Joannes... videbantur columnæ esse, 60C'.
— 20. In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me et tradidit semetipsum pro me, 383A.
IV, 26. Illa... quæ sursum est Jerusalem... est mater nostra, 351B'.
VI, 1. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris, 80D.
— 10. Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, 45D.
— 14. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, 310A.

AD EPHESIOS.

I, 11. Qui (Deus) operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, 55B'.

Digitized by Google

II, 14. Ipse... est pax nostra, qui fecit utraque unum, 418 A.
III, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris, 362 B.
V, 8. Eratis... aliquando tenebræ, 37 A.
— 11. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite, 36 C.
— 14. Surge, qui dormis, et exsurge a mortuis, 45 A'.
— 16. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, 250 A'.
VI, 10. Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus, 198 A.
— 18, 19. Per omnem orationem... orantes... ut detur mihi sermo in apertione oris mei, 106 B'.

AD PHILIPPENSES.

I, 24. Permanere... in carne, necessarium propter vos, 332 C.
II, 15, 16. Sitis sine querela,... simplices filii Dei, sine reprehensione, in medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, 329 D.

AD COLOSSENSES.

I, 24. Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus quod est Ecclesia, 325 B.
III, 1, 2. Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram, 300 C'.

I AD THESSALONICENSES.

V, 13. Habeatis illos abundantius in caritate propter opus illorum, 331 C.
— 23. Integer spiritus vester et anima... servetur, 489 A'.

I AD TIMOTHEUM.

II, 4. Qui omnes homines vult salvos fieri, 460 C.
III, 15. Scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, 60 C.
IV, 4. Omnis creatura Dei bona est, 229 B'.
VI, 9. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, 175 C'.

II AD TIMOTHEUM.

II, 14. Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium, 33 C.
— 26. Resipiscant (impii) a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, 42 C'.
III, 7. Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes, 245 C.

AD HEBRÆOS.

I, 3. Portans... omnia verbo virtutis suæ, 544 A'.
II, 9. Videmus Jesum propter passionem mortis gloria et honore coronatum, 355 B'.
— 16. Nusquam... angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit, 297 D'.
IV, 12. Vivus est... sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, 158 A, 353 B.
X, 1. Umbram... habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, 403 D'.
— 25. Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, 168 B.
XII, 13. Gressus rectos facite pedibus vestris, 39 B.
XIII, 4. Honorabile connubium... et torus immaculatus, 472 C.

JACOBI.

I, 8. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis, 85 A'.
II, 10. Quicumque... totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, 269 D'.
III, 2. In multis... offendimus omnes, 133 A'.
— 17. Quæ... desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, 493 D'.
IV, 11. Nolite detrahere alterutrum, fratres; qui detrahit fratri,... detrahit legi, 38 A.
V, 1. Agite nunc, divites, plorate ululantes in miseriis... quæ advenient vobis, 221 B'.
— 20. Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ,... operiet multitudinem peccatorum, 68 C.

I PETRI.

I, 12. In quem (Deum) desiderant angeli prospicere, 389 C'.

Digitized by Google

II, 12. Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum, 95 B'.
— 18. Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis, 162 C.
IV, 10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, 41 C'.

II PETRI.

I, 19. Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti, 393 B'.
II, 19. A quo... quis superatus est, hujus et servus est, 42 C'.

I JOANNIS.

III, 15. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, 40 A.
IV, 10. In hoc est caritas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, 56 C.
— 16. Qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo, 362 B'.
V, 20. Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, 451.

APOCALYPSIS.

I, 8. Ego sum... principium et finis, 107 D.
— 16. De ore ejus (Christi) gladius utraque parte acutus exibat, 352 D'.
III, 5. Qui vicerit,... vestietur vestimentis albis, 198 C', 266 D.
VIII, 3. Data sunt illi (angelo) incensa multa... de orationibus Sanctorum, 352 A'.
XV, 3. Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens; justæ et veræ sunt viæ tuæ, 548 B.
XIX, 7. Quia venerunt nuptiæ Agni, et uxor ejus præparavit se, 195 B.

Digitized by Google

INDEX ANALYTICUS

A

AARON, quam efficaciter oraverit, 556B, propter sui officii dignitatem, 556A'.

ABIMELECH, filius Gedeonis, fratres suos occidit, 243D.

ABRAHAM. Quanta fuerit ejus sapientia, 3. — Deo alacriter serviebat, 147C'.

ABRAHAM (S.) anachoreta, quomodo prostitutam neptem converterit, 323C. (Acta SS. die XVI[a] Martii.)

ABSALON callide occidit Amnon, 81A'.

ABYSSUS, quid, 58A. — Quomodo sapientia Dei eruperint abyssi, 30C, et ab eo sint vallatæ, 58D. — *Cf.* Mare.

ACEDIA in Dei servitio periculosissima est, 46B. — Virtutum ædificium subruit, 276C'.

ACHAB, VII[us] rex Israel, septuaginta filios habuit, 243B'.

ACRISIA, species cæcitatis, 561B, ut pœna Sodomitis et Ægyptiis inflicta est, 561B.

ACTUS humanus deliberatus non datur indifferens, 174D'. Cur humanus dicatur, 232A'. — Actus humani discutiendi et dijudicandi sunt ad purgandam animam, 376A. — Omnis actus virtutis loco et tempore opportuno est faciendus, 260A. — Actus meritorius et virtuosus Deo est principaliter adscribendus, 267C', qui per suam gratiam adest, 489B; unus ad alium disponit, 396D'; tria requirit : scientiam, electionem propter debitum finem, et firmum rectumque propositum, 461B. — Circumstantiæ actus pensandæ, 102B.

ADAM a Deo conditus fuit in justitia, scientiis virtutibusque perfectus, 257A', impassibilis et immortalis, 467A. — Ob transgressionem, his donis privatus est, 467B.

ADOLESCENTULA. Per adolescentulas significantur animæ proficientes, 315A, vel animæ innocentes et simplices, aut recenter conversæ et adhuc pusillæ, 323B'.

ADULATIO valde est nociva, 11C', 12A, nam impedit profectum in virtutibus, 177D, et fovet peccatum, 156D.

ADULTERIUM, in V. L. morte puniebatur, 49C'.

ADVERSITAS, ad docendum nos a Deo mittitur, 15D, et est valde utilis, 137A'; animæ virtutem proximis ostendit, 377A. — Misericorditer infligitur impiis, ut a peccatis eruantur, 163A. — Non valet caritati perfectæ prævalere, 434C. — Hujus vitæ afflictiones quo pacto condignæ sint ad futuram gloriam, 469D'. — *Cf.* Pœnæ.

ÆGIDIUS (Romanus), Ord. S. Augustini theologus. Liber ejus de Regimine principis allegatur, 135B, et tractatus contra errores philosophorum, 476D'.

ÆGYPTUS. Liberatio ex Ægypto figura fuit redemptionis, 301B'.

Ægyptii induratissimi erant et inexcusabiles, 542C', permittente Deo, quare, 559A'. — Aliqui eorum cum Israelitis de Ægypto egressi sunt, 543C'. — Per ranas, muscas et scinifes valde afflicti, occisi tamen non leguntur, 542B, 543C'. — Tenebræ divinitus eis inflictæ, quomodo factæ fuerint, 549C, 550D'. Videntur improvise supervenisse, 551C. Erant figura tenebrarum infernalium, 551D'. Ægyptii, intra illud triduum, hallucinationes patiebantur, 549A, D, et multi præ timore obierunt, 551A. — Eorum primogeniti occisi, num fuerint omnes infantes, 553D'. Ministerio angeli boni probabilius interfecti sunt, 557D'. Quid Augustinus de hoc senserit, 558A. — Ægyptii non conversi fuerunt ad Deum, saltem pro majori parte, 551D'.

ÆMULATIO pluribus sensibus accipitur, 433D.

ÆQUITAS. Proximum cum æquitate judicare oportet, 133C'.

AER, non nisi mediante luce, visibilis est, 550A.

ÆTHER, quid sit, 58A'.

AFFECTIO. Per adhæsionem affectionis, unum

Digitized by Google

alteri assimilatur, 540 C. — Qui rem vilem amat, se facit ea viliorem, quare, 540 D.

AFFLICTIO. *Vide* Adversitas.

AGATHON (S.) abbas, quomodo didicerit suam linguam custodire, 141 C'. (Acta SS. die XXI^a Octobris.)

AGNES (S^a). Ejus verba citantur, 316 A. (Acta SS. die XXI^a Januarii.)

ALBERTUS Magnus (B.) O. P. theologus celeberrimus, episc. Ratisbonensis. Allegantur ejus liber de Mirabili scientia Dei, 19 C', liber de IV Coæquævis, 216 A, 462 A', et alia opera passim.

ALBINUS (alias Alcuinus, præceptor Caroli Magni). Glossa ejus allegatur, 212 A, 216 D. (Migne *Patrol. lat.* tom. 100, 101). — *Adde* 280 C.

ALEXANDER de Hales, Ord. Min. Ejus Summa citatur, 213 D'.

ALOE duplicis est generis, 52 A. — Præservat a putrefactione, et figura est contemplativorum, 373 A'. — Lignum ejus antiqui circa altaria adolebant, 373 D.

AMANA mons, quid significet, 368 B'. — Quomodo de capite Amana coronetur Ecclesia, 369 A, anima, 378 A, et B. V. Maria, 384 B'.

AMBROSIUS (S.). Ejus liber de Officiis citatur, 156 B, necnon enarratio in Psalmos, 57 B'. *Adde* 22 C', 140 C'.

AMELIUS. *Vide* Amicus.

AMICITIA vera, quæ sit, 120 D; quomodo crescat, 125 D'. Nihil turpe admittit, 126 A.

AMICUS (S.). Celebris est ejus amicitia pro Amelio, 125 D'. (Acta SS. die XII^a Octobris.)

AMICUS fidelis, valde utilis est, 235 B'. — Apud eum sapienti licet consolationem quærere, 168 D'. — Decipiendus non est, 33 A.

AMINADAB, dux tribus Juda, quomodo regium sceptrum meruerit, 407 C'. — Quadrigæ Aminadab, quid ad litteram, 407 C', et mystice, 407 D', 413 C, 416 A'.

AMOR, fundatur in similitudine, 83 A; dirigit judicium, 81 A; nihil asperum reputat, 441 C'. — In dilecto lætatur et ob ejus absentiam tristatur, 331 C'. — Verior est in corripiente quam in blandiente, 167 A'. — Amantem quasi præcipitem facit, 398 C, modum nescit sermonis, 298 B', non attendit quo ordine verba proferat, 343 C', et sæpe truncatas locutiones emittit, 337 B'. — Tribus modis dicitur aliquid plus amari, 331 A'.

Amor Dei inebriat et accendit, 314 D. Quæ censeantur certa ejus indicia, 402 B'. Nemo discernere certo valet an caritate infusa aut amore solum naturali Deum diligat, 264 B. — Amor spiritualis fortior est omni amore sensuali et naturali, 441 A'; perfectus et ecstaticus, in corpus redundat, 331 D'.

Amor carnalis prædominans, seu eros, quomodo corpus infirmet, 331 D', et languidum faciat, 433 A'. — Affectio terrena, quare fugienda, 441 C'. — *Adde* Caritas.

ANACHORETÆ, eminenter contemplativi, per aureum reclinatorium significantur, 354 D.

ANDREAS (S.) apostolus. Ejus legenda allegatur, 509 A.

ANGELI in Scripturis vocantur vigiles, 351 B, Dei exercitus, castra, militia, equitatus, 306 D'. — In principio, quomodo spiritibus malignis restiterint, 307 A; quo sensu dicantur purgati, 401 C. — Qualiter sint in loco, 554 D'. — Cherubim ac Seraphim cum metu Deo adsistunt, 396 B'. Per Thronos Deus sua judicia decernit, 506 B'. Principatus gentibus præsunt, 305 C', et præcipue dicuntur sodales Christi, 305 B'.

Angeli sunt mœnia Ecclesiæ, 61 D, et amici nostri, 124 A'; mittuntur ad homines custodiendos, 240 A, et dirigendos prælatos, 56 A. — Aliqui sunt præpositi singulis communitatibus, 305 B'. — Angeli custodes coercent dæmones, et mentes nostras illuminant, 353 C'. Non solum unus unicuique deputatur, sed etiam in tempore opportuno permulti, 358 A'. — Pie creduntur animas in purgatorio detentas consolari, 476 C. — B. V. Mariam in utero matris conceptam custodierunt et frequenter vallaverunt, 361 D'. *Adde* Dæmones.

« Angelus » interdum designat sacerdotem, 240 B.

ANIMA, est pars hominis nobilior, ad Dei imaginem facta, 223 D, corpore præstantior, 50 D. In ordine intellectualium substantiarum, quid sit, 313 A'. — Non cum corpore per semen propagatur, 286 B'; sed a Deo per creationem infunditur, 540 D, modo nobis ignoto, 280 C'. Quare dicatur spiraculum vitæ, 136 D. — Nostra est quadamtenus, et Dei, 342 C. Est imago SS. Trinitatis, 375 A, 394 D. Pulchritudo ejus unde sit, 375 A, 394 D. — Subjectum est et origo omnium potentiarum, 317 C. Per intellectum potest se ipsam considerare et dijudicare, 375 D'. — Femora ejus sunt potentiæ, præsertim intellectus et voluntas, 422 C'. — Ejus actus

Digitized by Google

quotupliciter considerari queat, 270D'. — Animæ dispositio in corpus rĕdundat, 111 A', 118D'. Mentem perturbare non debet quod fit in parte sensitiva, 436D. — Animæ immortalitas, etiam philosophis innotuit, 231 C'. — Per aversionem a Deo, anima mortem incurrit, 16 A'. Qualis fuerit in morte, sic in æternum remanebit, 279A'. Animarum receptacula quæ et qualia sint, 545B. — Animas spiritualiter diligere, quid sit, 77C. Animarum curam gerentes summo Judici rationem reddent, 118D. — An Deus habeat animam, 46D'.

Anima fidelis, quomodo debeat in Deo quiescere, 17D', in illo suum finem constituere, 21B, esse semper parata pati quidquid Deus voluerit aut permiserit, 32B. — In cunctis sensibilibus creaturis contemplatur Creatorem, 439C. Studeat eum cognoscere per abstractionem ab omni loco, tempore, imaginatione et materialibus proprietatibus, 454B. — Se ipsam ad gratiam disponat, 105D, ad infusionem et profectum prudentiæ, 35D. — Anima fidelis non quærit divitias ultra suum statum, 148D ; non præsumit Deitatis secreta scrutari, 148B' ; gloriatur in testimoñio bonæ conscientiæ, 177A', sed in hac vita nunquam certo scit an caritate formata Deum amet, aut etiam an sit in statu gratiæ, 264B, 270A'. — Quomodo memor Dei esse debeat, 283B. — Anima in mortali culpa, est adultera diaboli, 313A. — Ejus arma et vestimenta, sunt virtutes et dona Spiritus Sancti, 370C' ; ejus ubera, misericordia et pietas, vel intellectus et voluntas, 377C. — Triplex est status animarum fidelium, 145D'. — Quomodo quisque suam animam excolere debeat, 342D'.

Anima proficiens vocatur adolescentula, 315A.—Correptionem accipit jucunde, 104B'; se ipsam parvi pendit, 104C'. — Sua vitia, non aliorum investigat, 200A', et illuminatione Dei cognoscit, 136B'. Proximum et se ipsam cum æquitate judicat, 133C'. Quomodo ad contemptum carnalium voluptatum perveniat, 314C', et peccatis venialibus purgetur, 377C'.— Tot præmia consequetur quot vitiorum genera et dæmonia superaverit, 378D. —Non semper Sponsum quærat per imaginarias considerationes et sensibilium inspectionem, 398A.

Anima fervens orat pro salute proximi, 439B', et sic quodammodo Deum reficit, 440A ; zelatur pro proximo, 442C'. — Accenditur caritas ejus ex conversatione communi, 235B. — In quibusnam securitatem inveniat, 343B. — Secreta sua superioribus ostendit, 343C ; ædificationem sumit a quibuscumque bonis, eosque imitatur, 357B ; oculos suos custodit, et eos a Sponso non avertit, 411A'.— In congregationibus anima perfectior ceteras illuminat, 412D'. Quomodo virtutum ac renovationis fructus pariat, 412B, et universalis Ecclesiæ profectui et gloriæ inserviat, 412C. — Anima fervens, in Dei servitio gaudium invenit, 46B ; omnia agit ex desiderio Deo complacendi, 38C; reficitur operatione virtutum, et ducitur ad visionem beatificam, 77B. — Etiam in somno, ex consuetudine, orat et psallit, 395B'. — Indifferens est bonæ vel malæ famæ, 82C', nec contristatur quando ab imprudentibus et carnalibus contemnitur et deridetur, 272B'. — Ejus dilectio erga Deum adversitate ostenditur, 118B. — Vivit quasi quocumque die moritura, 166D. Debet parata esse mori pro fide et justitia, propter amorem Christi, 433C. — In hac vita culpas quotidianas non valet omnino vitare, 412C'. — Per gratiæ dona, maxima dignitas accedit animæ : quænam officia ex hac dignitate fluant, 422B.

Anima virtuosa quæcumque, est Christi sponsa, ager, domus, thronus et vinea, 442C', 338D. In ea cubat Christus sponsus, 305C'. Per fidem et caritatem est Christo desponsata, 312D. — Cupit non impediri per occupationes externas ab oratione et mentis recollectione, 439B. Quadruplici custodia munitur, 442D'. — In ea qualiter Christus invisibiliter operetur, 437B. Caritate dilatatur et delectatur, 35D'. — Quam pulchra sit, 375B. — Ardenti desiderio præsentiæ cœlestis Sponsi, mox aliqualem ejus præsentiam meretur, 298A'. — An sit præsumptuosum vel indiscretum Christi sponsi osculum petere, 313A', 314C. In quo hoc osculum consistat, 313C ; rationes illud petendi, quæ, 313C'. — Sponso, non uniformiter, sed ut suavi, ut judici, etc... unitur, 319C'.— Sponsus Christus, quosnam effectus in anima operetur, 342D. Per inhabitantem divinum Sponsum, anima tranquilla efficitur et aliis benigna, 339C. Injurias et adversa æquanimiter ferens, meretur Christi esse sponsa, et vocari lilium inter spinas,

Digitized by Google

339 D. Visitationis hora non est negligenda, 342 A', licet ad pœnitentem benigne revertatur Sponsus, 342 B'. — Quotuplici modo anima a Sponso visitetur, 394 C, qui intellectum illustrat, voluntatem accendit, et memoriam recolligit in se, 394 D. — Sponsi cœlestis plurimæ sunt sponsæ, quæ non sibi invicem invident, sed mutuo se adjuvant et inflammant, 409 B.

Animæ sanctitas, in multis Sanctis, foris refulgebat, 119 A'. — Anima, quanto apertius Dei contemplatur sanctitatem, tanto clarius suam imperfectionem intuetur, 316 B', et se ipsam contemnit, 386 D'. — Animæ pulchritudo naturalis et supernaturalis, unde sit et quanta, 320 C, 379 C', 470 A'. — Anima a Spiritu Sancto fecundatur, dummodo sit humillima, 339 A. — Animæ sanctæ proprium est non se ipsam sed consocias mirari et extollere, 412 D. Recte auroræ comparatur, quare, 412 A'. — Virtutes solidiores sunt in parte animæ intellectiva seu superiori, 413 A. — Qualiter Deus sit animæ quasi proprius, 410 B. Quibus modis ei loquatur, 342 B.

Anima contemplativa. *Vide* Contemplatio.

ANIMAL non ruminans, cur immundum sit, 85 D.

ANSELMUS (S.) Cantuariensis archiepiscopus, passim allegatur, 200 A', 294 B, etc.

ANTIGONUS, socius Alexandri, ipsi incontinentiam improperat, 276 B'.

ANTIPARASTASIS. Per antiparastasim qualitates elementares ex contrariis fiunt fortiores, 434 D.

ANTISIODORENSIS. *Vide* Guillelmus.

ANTONIUS (S.) anachoreta, quare a dæmone flagellatus, 32 C. — Ejus verba citantur, 315 C, 376 D. (Acta SS. die XVIIª Januarii.)

APOLLINARIS hæresiarcha docebat animam cum corpore per semen propagari, 286 B'.

APOSTATA raro pœnitentiam agit, 46 C'.

APOSTOLI, cur vocentur ancillæ, 61 C, et crura Christi, 393 A'. — Per aureum reclinatorium significantur, 354 D. — Eorum sapientia quanta fuerit, a nobis comprehendi nequit, 158 B. An certo noverint se habere sapientiam caritati annexam, 164 D. Eis fuit infusa scientia non solum Scripturarum, sed etiam politica seu regendi populos, 183 A'. — Nemo eis contemplatione et fervore antecellit, 354 D. Interdum in solitudinem secedentes orationi vacabant, 334 B. — Per Spiritum Sanctum insuperabiles facti sunt, super charismatum dona et doctrinam Christi fundati, 393 B'. — Multoties, cum ingenti reverentia, ad B. Virginem confluxerunt, 362 A.

AQUÆ, quomodo de mari ascendant, 216 D. Cur non operiant terram, 58 D, B'. — Igni mirabiliter sociata est aqua ad cruciandos Ægyptios, 545 A', 546 D, 561 C'. — « Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum », 116 B'. — Mystice, varia significant : doctrinam, 41 A', charismata, 41 D', tribulationes, 434 C. Quid aqua profunda, 121 D, 132 D', aquæ transeuntes, 278 B, aquarum rivi, 392 A, vel puteus, 373 C'. Aquæ furtivæ, cur dulciores, 63 D'. — *Cf.* Fontes, Mare.

AQUILA et filii aquilæ, quid, 188 C. — Via aquilæ investigabilis, 188 A'.

AQUILO pluvias dissipat, quare, 160 C'. — Communiter, in Scriptura, sumitur in malam partem, 280 C, et designat diabolum, 374 B, peccatum, 279 D, tribulationem, etc., 374 B, 384 C. *Cf.* Auster. — Quomodo sol ad aquilonem vertatur, 215 A, C.

ARABES auctores : Albategni (El-Battani), 215 A'; Albumasar (Abu-Ma'schar) astrologus, 215 A' : ejus liber Introductorium majus citatur, 245 B'; Alkindi (El-Kindi), 476 D' : erravit in sua Theorica et in libro de Radiis stellicis, 245 B'; Averroes (Ibn-Roschd) dictus Commentator, peripateticus, 97 A', 276 A, negavit Dei providentiam et animæ immortalitatem, 245 B'; Avicenna (Ibn-Sina) citatur, 476 D'.

ARBOR. Vetita arbor in paradiso terrestri creditur fuisse malus seu malogranatum, 433 C'. *Cf.* Ficus, Lignum, Malus. — Homo arbori comparatur, 279 D, et vocatur arbor eversa, quare, 280 A. — Christus arbor dicitur figuraliter, 340 C.

ARCA Noe, typus Ecclesiæ, 534 A. — In ea octo animæ tantum salvæ factæ sunt, 534 A.

ARGENTUM, appetitum non satiat sed irritat, 234 B'; a veris Christianis ut lutum æstimatur, 277 B'. — Spiritualiter designat philosophiam naturalem, 158 C, nitorem eloquentiæ, vel scientiam de rebus creatis, 309 A. — Per pecuniam omnia hujus mundi delectabilia procurantur, 277 A'.

ARIES, animal forte, 191 B, mystice designat spiritualem prælatum, 191 C.

ARISTOTELES, dictus « Philosophus ». Sæpissime allegantur ejus opera : libri Ethico-

Digitized by Google

rum, Politicorum, Meteororum, de Problematibus, de Anima, de Animalibus, etc., 18 B', 19 D', 77 A, 131 C', 161 A, 172 A', 232 A, etc. — Ei videtur fuisse infusum omne naturaliter scibile, 4. — Docuit exercitium virtutum viam esse ad beatitudinem, 541 A. — In judicio, sua argumenta ei non proderunt, 50 A', 480 A.

ARIUS hæresiarcha, multipliciter erravit, 57 C', 64 A.

ARMA. Ecclesiæ et animæ fidelis arma sunt virtutes et dona Spiritus Sancti, 370 C'. — Arma sacerdotis sunt orationes et lacrimæ, 555 C'.

ASTRA. *Vide* Sidera.

ASTRONOMI contra fidem multa conscripserunt, quæ frivolis argumentis innituntur, 245 A'.

ASTUTIA sancta, quid sit, 8 B ; necessaria est, 8 D. — Aliquando astutia sumitur pro prudentia, 53 C'.

AUDITUS, quatenus ad scientiam conferat, 8 B'.

AUGUSTINUS (S.), episc. Hipponensis, quantum detractionem oderit, 155 B'. — Citantur ejus libri de Civitate Dei, 56 B', de Trinitate, 134 A', Confessionum, 36 A' ; etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 32-46.)

AUREOLA, doctoribus et prædicatoribus dabitur, 80 C', 110 D'.

AURUM, in Scriptura, significat sapientiam, id est notitiam Dei, 309 B.

AUSTER, ventus dulcis, communiter in bonam partem accipitur, 280 C, et significat Spiritum Sanctum, 374 C, regnum electorum, 279 D, caritatem, 280 B, consolationem, etc., 374 C, 384 A'. *Cf.* Aquilo. — Quomodo sol per meridiem gyret, 215 A, C.

AVARI sunt quasi pauperes, 86 A, molesti sibi et aliis, 102 D', 225 C, Evangelii subsannatores, 102 D', insatiabiles, 187 C'. — Aliorum hominum provocant indignationem, 176 C. — Avari divites, quanta mala incurrant, 13 A'. — Judæi semper avari fuerunt, 49 A'.

AVERROES. *Vide* Arabes auctores.

AVERSIO a Deo est mors animæ, 16 A'. — Aversio ex dissimilitudine oritur, 90 D. — Aliorum aversio, caritate et mansuetudine est vincenda, 339 B'.

AVICENNA. *Vide* Arabes auctores.

B

BABEL. Turrim Babel qua mente ædificare voluerint homines, 511 C.

BALAAM, asina sua loquente, cur non fuerit turbatus, 549 C'.

BAPTISMUS omnia peccata quantum ad culpam et pœnam remittit, 354 B'. — In eo gratia et virtutes infunduntur, 373 D'.

BASILIUS (S.), Cæsariensis episc., 76 B. Ejus Regula citatur, 116 B. (Migne *Patrol. gr.* tom. 29-32.)

BEATI. Eorum præmium essentiale consistit in Dei immediata, clara, faciali et fruitiva visione, 297 B', 483 B, 351 C' ; et præmium accidentale, in rebus creatis ad Deum relatis, 483 B. Hæc præmia diversos habent gradus juxta diversitatem meritorum, 351 C'. — Beatifica visione Dei quomodo sint digni, 469 C'. Beatorum proprietates, felicitas et gloria describuntur, 483 A. In anima et corpore glorificantur, 469 A', quæ non possunt deficere, 469 C. Corpora glorificata splendebunt, 470 A', et per dotem agilitatis erunt celerrime mobilia, 470 B'. — Quo pacto dicantur in patria desiderare Deum intueri, 389 C'. Per lumen gloriæ et visionem beatificam corda eorum maxime fulgebunt, 470 A'. Eorum cogitatio immobilitata est in Deo, quidquid cogitant in Deum referendo, 483 D. In bono confirmati, securissimi sunt, 351 C'. — Quoddam dominium habent super exsistentes in hoc sæculo, 470 D'. Cum Domino Salvatore, omnes reprobos judicabunt, 470 C'.

BEATITUDO, naturaliter appetitur ab omni creatura rationali, 378 A'. — In actu intellectus consistit, 423 C'. Est actus sapientiæ, 423 C', seu contemplatio altissimæ veritatis, 423 D', ut insinuatur a Christo, 451. — Beatitudo supernaturalis felicitate naturali incomparabiliter præstantior est, 499 C. — Quibusnam danda sit, 66 D'. — Quomodo in hac vita prælibetur, 20 B.

BEDA (Ven.), Ord. S. Benedicti, allegatur, 194 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 90-95.)

BENEDICTIO Dei, in quo consistat, 69 A'.

BENEDICTUS (S.). Ejus Regula citatur, 235 D. — Omni voluptati extraneus fuit, 476 D.

BERNARDUS (S.). Ejus liber de Consideratione, 38 B ; Sermo in Cantica, 294 A' ; etc., citantur. (Migne *Patrol. lat.* tom. 182-185.)

BETHSABEE, mater Salomonis, an unicum habuerit filium, 34 C'. — De suo excessu pœnitens, deinceps fuit devota, 506 C'.

BLÆSILLA (Sª.), discipula S. Hieronymi, qui ei librum Ecclesiastæ legebat, 212 A. (Acta SS. die XXIIª Januarii.)

Digitized by Google

BOETIUS (B.), philosophus, passim allegatur, 519 A', 521 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 63, 64).
BONAVENTURA (S.). Ord. Min., citatur, 233 C'.
BONUM omne a Deo est, 20 C, 55 C', 106 D', 302 A'. — Bonum summum et incommutabile quærendum est, 79 D, in virtute, 117 A'. — Nihil agitur vel desideratur nisi sub apparentia boni, 92 A'. — Bona transitoria, propter instabilitatem eorum, aspernanda sunt, 482 C. — Nullum bonum manet irremuneratum, 173 D'. — Bona tempore opportuno sunt agenda, 497 A. — Bonum commune sæpe rigorosam justitiam requirit, 75 B.
BOVES. Bobus olim communiter arabant, 90 D'. — Boves, mystice quid, 91 A.
BRIGITTA (S^a). Allegatur ejus liber Revelationum, 349 D.
BRUCHUS, proles locustæ, 285 B'.
BRUTA, a prima causa aguntur in operationibus instinctus, 45 B.
BYSSUS, mystice candorem virginitatis et castimoniæ significat, 198 D'.

C

CAIUS imperator (Caligula), statuam suam Judæis adorandam misit, 539 C.
CALCULUS, quid sit, 135 A. — Quomodo calculo impleatur os mendacis, 134 D'.
CALLIDUS, quotupliciter intelligatur, 81 D. — Illius est propriam viam considerare, 91 A', et periculum fugere, 143 B'.
CANCELLARIUS Parisiensis, 296 A. *Vide* Gerson.
CANCELLI. Quomodo dilectus prospiciat per cancellos, 335 C, 342 A, 347 C.
CANIS ad vomitum revertens, quid, 164 B. — Melior est canis vivus leone mortuo, quo sensu, 265 D, 266 B.
CANTICUM canticorum. In eo de amore divino tractatur, 5 A', 313 A, sub similitudine carnalis conjugii, 350 B. — Perfectis convenit, 6 A, 211 B', 292. Lectoribus adhuc carnalibus periculosum esse posset, 295 B. Apud Judæos non legebatur ante trigesimum ætatis annum, 295 B'. — Quare sic vocatum, 291. — Non est accipiendum ad litteram de Salomone et sponsa ipsius, filia Pharaonis, 292, 350 C, quam duxit uxorem diu antequam hunc librum componeret, 292. Canticum illud in juventute sua Salomon scripsit, 405 D.
Quid intenderit Dionysius noster in hujus libri explanatione, 292. — Variæ expositiones Dionysio videntur in aliquo deficere, 293 B. — Illum exponit tripliciter, scilicet de Ecclesia, (id est de Ecclesia universali, prout includit Synagogam et omnes Sanctos etiam ante legem scriptam, sub lege naturæ, 294 D'), de anima fideli, et de B. V. Maria, 312 D, 313 A, 380 B. In hoc libro, per membra corporalia, per animalia, ac per inanimata, significantur rerum spiritualium proprietates et officia, 307 D'. — Quænam dispositiones ad hunc legendum requirantur, 295 B. — Consilia Dionysii religiosis nondum emendatis qui hunc librum ex officio legere vel audire habent, 296 A'. — Cur istud Canticum in Officio solennitatum B. V. Mariæ legatur, 321 B.
CAPILLUS. Nigredo capillorum signum est fortitudinis et juventutis, 391 A'. — Quid capilli Ecclesiæ, 364 C, animæ, 375 A', B. Virginis, 380 D'; et cur gregibus caprarum comparentur, 364 D, 375 B', 381 A'. — *Cf.* Comæ.
CAPPARIS, herba luxum excitans, 285 C'; multiplices virtutes medicinales habet, 285 D'.
CAPREA, acumine oculorum præstans est, 333 A'; velociter currit, 334 D'. Quomodo, sauciata, herba dictamno sanetur, 333 A'. — Mystice, quid capreæ camporum, 332 C', 334 A, et cur capreæ Christus comparetur, 334 B', 341 D'.
CAPUT sæpe pro mente accipitur, 11 D, 35 B', 266 A'. Cur in capite oculos habere dicatur sapiens, 223 C'. — Quid caput Christi, 388 A. Quomodo rore plenum dicatur, 388 A, 395 D'. 400 D', vel auro optimo comparetur, 391 D. — Quid caput Ecclesiæ, 419 A, animæ, 424 C', B. Virginis, 427 C'. Cur assimiletur Carmelo, 419 A, 424 D', 427 D'. Quomodo sub eo sit læva Sponsi, 332 D, 341 C, 346 D.
CARDINES terræ, quid, 58 C.
CARITAS est virtus summa, 330 B', 434 D; fortissima præ omni alia, 434 C; forma et motrix omnium virtutum, 269 C'. Est virtus communicativa, 386 B', avida unionis, 298 C; in se ardens et alios incendens, 434 B; rationem sæpe transcendens, 298 C; omni substantia terrena pretiosior, 441 C'. — Caritas in Deum, firmum facit hominem, 38 C; dilatat animam fervidam, 35 D'; operit delicta, 68 B; vires dat, 123 C; est summa totius religionis christianæ, 198 A', 200 A, et vinculum cordium, 47 C', 235 D'. — Caritas perficitur exstirpatione cupiditatis, 80 B'; persecutionibus et adversis non dejicitur, 434 C.

Digitized by Google

Ejus profectui jugiter est studendum, 441 D'. — Semper annexam habet sapientiam infusam, 489 D'. — Nemo certo scit se esse in caritate, nisi ex revelatione, 270 A' : quare hoc Deus voluerit, 270 C'. — Sine ea nihil prosunt sacramenta, 354 C'. — Caritas debet esse ordinata, 340 C'. Quisnam sit ordo caritatis sub præcepto cadens, 330 D', 331 D. Deum super omnia amare facit, 434 C', et post eum suum proprium subjectum, 453 C. — Caritatis actus, quotuplici respectu considerandus sit, et quomodo a nobis cognoscatur, 270 D'. — Ejus proprius effectus, quem supra dilectionem naturalem addit, est quædam ineffabilis unio ad Deum, 271 A'. — Caritas requirit ut proximo succurratur, etiam cum damno rei temporalis propriæ, 83 C'. — *Cf.* Amor.

CARO pro homine carnali sumitur, 455 D. — *Cf.* Corpus.

CASSIANUS (S.) citatur, 124 D, 241 A, 272 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 49.)

CASSIODORUS (Aurelius) Vivariensis abbas, allegatur, 118 B, 299 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 69, 70.)

CASTIGATIO Dei est valde utilis, 27 C', et pignus paternæ dilectionis, 28 A.

CASTITAS, pulchre laudatur a Cypriano, 474 C. Quam præclaram honestatem et ingentem decorem præ se ferat, 474 C. Castitati virginali, viduali, conjugali, fructus varios promittit Evangelium, 472 D. — Casti frequenter ab ipsis incontinentibus commendantur, 474 D. Omnia ad Dei gloriam referre et suis viribus non inniti debent, 474 B

CATO (Dionysius), poeta, citatur, 45 B'.

CAUSA prima cum summo decore omnia regit, 499 C'. Est omni narratione superior, quare, 184 C'. — Liber de Causis (David Judæi) allegatur, 184 C', 499 C'.

CEDAR, filius Ismaelis. Cur tabernaculis ejus comparetur Ecclesia, 302 D', et B. Virgo, 325 C.

CEDRUS, arbor imputribilis, boni odoris, 354 A, Christum significat, 393 D'.

CERVIX. Cur inobedientes, duræ cervicis esse dicantur, 308 B'.

CERVUS, in senectute, manducatione serpentis reviviscit, 333 D'. — Quomodo cervi se invicem adjuvent ad flumina transnatanda, 333 B'. — Mystice, quid cervi camporum, 332 C', 334 A. — Uxor bona cervæ comparatur, 42 B. — *Cf.* Hinnulus.

CHANANÆI, posteri Chanaan a Noe maledicti, 525 C, Terram sanctam occupabant, 524 A. — Cur non omnes simul exterminati sint, 525 A. — Natura, consuetudine et complexione ad vitia proni erant, 525 B, non tamen simpliciter inconvertibiles, 525 C. Deus fecit quod in se erat pro eorum conversione, 525 A'; et quidam eorum sunt conversi, 524 B'.

CHOEROGRYLLUS, animal, describitur, 190 D.

CHOLERICI, proni sunt ad jurgia, 115 D'.

CHORI castrorum, quomodo videantur in Ecclesia, 408 B', in anima, 413 B', in B. Virgine, 416 D'. — Chorizatio, *vide* Saltatio.

CHRISTIANUS. Quanta sit ejus dignitas, 41 A. — Cognoscitur ex sua doctrina, 79 D. — Lætificat Deum et prælatum suum, 65 D. — Christianæ religionis summa consistit in actibus caritatis, 198 A'. — Christiani, propter sua peccata, fuerunt a Turcis, a Sarracenis et a Tartaris afflicti, 96 B'.

CHRISTUS quo pacto dicatur lignum vitæ, 29 B', Sol justitiæ, 216 A, flos, 328 B', lilium, 329 B. — Os Christi quotuplex sit; quidnam ejus os increatum, 297 A'.

De Christi divinitate. Christi deitatem negantes, cæci sunt, 57 C. — Qualis sit Christus, 391 A. — Cur ei approprietur pulchritudo, 311 D', 500 A'. — Æterna Verbi generatio describitur, 58 B, 497 B'. — Verbum est imago Patris, 58 B, 498 A, sapientia æterna, 499 B, et sanctitas infinita, 419 B. Quo pacto sit doctrina Patris, 84 C, et fons sapientiæ universæ, 121 A'. *Cf.* Sapientia. — Æqualis est et consubstantialis Patri, 184 A', sermo Dei loquentis, omnipotens sicut Pater, 259 C, 498 B. — Quidquid Patris est, repræsentatur naturaliter in Verbo, 497 B'; et clarissime in eo relucent cuncta creata, 497 D'. — Secundum suam divinitatem, est infinite amabilis, bonitas et beatitudo substantialis, 394 A. — Christus ut Deus, corpus et animam Matris suæ qualiter fecerit et ornaverit, 362 B. Quomodo ad humanitatem descenderit, 414 A.

De Christi humanitate. In Christi incarnatione declaratur ejus infinita pietas ad genus humanum, 355 C. — Quam speciosus et gloriosus sit Christus secundum naturam assumptam, 391 B, et quare, 394 B. — Ejus humanitas fuit velut instrumentum Verbi, 300 B. — In utero Virginis, non menstruali sed puro sanguine nutriebatur, 399 A'. —

Digitized by Google

Creditur infantulum Jesum in eodem lectulo sæpe quievisse cum B. V. Matre, 327 C'. — Asper erat exterior Christi vestitus, 365 B', honestissimus vultus, incessus et sermo, 365 C'. — Quid caput ejus, et quomodo plenum sit rore, 388 A. Quam pulchri et puri corporales oculi, 391 D'. Interdum voluntarie dormivit, sed non impediebatur ab usu rationis et intellectus, 387 C. Quid interiores ejus oculi, 391 D'. — Quid intelligatur per Christi genas, 392 B'; per guttur, 393 D'; per manus, 393 A; per ventrem, 393 C; per crura, 393 D. — Quo sensu ubera Synagogæ suxerit, 430 B. — Actiones ejus theandricæ appellantur, quare, 365 D'; omnes ad Dei honorem et mundi salutem ordinabantur, 393 B. — Christus præeminet omnibus hominibus pulchritudine et odore virtutum, 329 B'. — Ab omni prorsus peccato fuit immunis, 312 A; omnes virtutes creatas habuit in gradu excellentissimo, et pretiosissimis gratiæ charismatibus ac sacro septenario fuit inunctus, 299 A, 315 B, 419 B. — In superiore parte animæ Christi erat dulcor beatificæ fruitionis, 365 C', 385 C'. — Quomodo Christus osculatus sit naturam humanam, 297 D'. Discipulos suos recipere consuevit in osculo sancto, 298 A. — Passione meruit humanitatis suæ glorificationem, 355 A', 400 B, D. — In forma humana judicabit, 50 A.

De Christi adventu. An Christus fuerit creatus, 57 A'. — Ejus adventus et mysteria prædicta et figurata sunt ante legem et sub lege, 296 C. Quam ardenter desideratus sit a Sanctis antiquis, 297 B. Quare incarnatus, 451. — Nullam minorationem incurrit per incarnationem, 327 A'. — Qualiter Christus salierit in montibus et transilierit colles, 334 C. Prius venit in mentem quam in ventrem Virginis, 399 A', 414 B. Sine virili semine conceptus est, 328 C', 491 C'. Quanto tempore manserit in utero, 491 C'. — In primo momento incarnationis instructus fuit a Patre, 35 C. — Caput Christi Deus Pater est, 391 D, et ipse seu Trinitas ductor ejus fuit in omnibus, 494 A'. Spiritus Sanctus in eo est duplici modo, 496 C. — In Christo, per idiomatum communicationem, divina homini et humana Deo adscribuntur, 365 D'. In eo non fuit spes, sed fiducia quædam, 196 A. — Asseruit Christus se Deo Patri æqualem, unigenitum, consubstantialem, 465 B. Acutissimo vigens intellectu, justos ab iniquis discernit, 334 C'. Mirabilia operatus est, 334 D. Judæorum secretas cogitationes propalavit, 465 D. Multi gentilium ad eum confluxerunt, 335 D'. — Verbum æternum, per suam incarnationem, multum honoravit nostram naturam, 355 D; ideo pensandum est istud mysterium, 355 A. — In sacra communione vere accipitur Christus, 330 D.

De Christo redemptore. Quid fecerit pro Judæis, 17 A'. — Per serpentem significatus est, 188 D', et passio ejus a Prophetis apertissime prænuntiata, 466 B'. — Qualiter Christo ut Deo, et ut homini, salvare conveniat, 300 A. — Ejus passio et virtutes in memoria omnium servandæ sunt, 309 C'. — Est botrus de quo in cruce expressum est vinum optimum, 310 B'. — Suam ipsius Matrem per passionem salvavit, 445 B'. Omnibus in ipso sperantibus est spes gloriæ, 329 A, et dictamnum quod sanat vulneratos sagitta diaboli, 333 B'. — Post passionem, Christus Matri suæ mox apparuit, 349 D'. Quid tunc illa eum rogaverit, 350 A. — Dolor compassionis animæ Christi, intensior fuit quam passionis corporeæ cruciatus, 378 D. — Cur permiserit lancea aperiri cor suum, 385 D. — Tota ejus vita fuit nobis meritoria, 385 B', et per passionis meritum Ecclesiam vocavit ad salutem, 432 B, 433 B. — Quam lætatus sit quum persecutores Ecclesiæ jam conversi, inceperunt Evangelium prædicare, 431 C. — Fuit, quantum in se erat, suis persecutoribus utilissimus, qualiter, 464 C'.

De Christo sanctificatore. Est Ecclesiæ vir, 199 A, seu sponsus, 291; eam frequenter reformavit, 251 D; cum ea manet, invisibiliter in animabus operando, 437 B. — Omni animæ bene dispositæ, et Beatis in patria, quomodo loquatur, 297 A'. — Christi sponsi ubera quid sint, 298 C', 302 D. — Christi nomen, quam suave ac salutiferum, 299 C', 300 C. — Ex omni bono Ecclesiæ præmium accidentale obtinet, 437 D'. — Cur paupertatem et mendicitatem elegerit et consueverit, 186 B', 251 B'. Nobis multum commendavit sapientiam, 451, in cujus actu nostram beatitudinem constituit, 451. — Est stabilimentum suorum fidelium sibi obedientium, 491 A. — Hortabatur primitivam Ecclesiam ad convertendum gentilitatem, 336 C.

Digitized by Google

— Se ipsum ligno comparat; quinam ejus sint fructus, 339C', 340A, C. — Quo pacto suam Ecclesiam derelinquat, 350D, et quare, 350B'. — In die ascensionis Christus sibi Ecclesiam desponsavit excellentiori modo, 355C', præsertim Ecclesiam triumphantem, 355D', et animas e limbo eductas secum tulit, 355D'. — Christi perfectionem nemo valet plene imitari, 365B'. — In Christo est gratia capitis, per sacramenta diffluens in membra, 374B. Electos sibi incorporat in via per gratiam, in patria vero per gloriam, 394A. — A singulis gradibus et statibus Ecclesiæ fructus diversos requirit, 407A'. — Est animarum sanctarum verus dies, 416A. — Ejus vestigia sectari valde laboriosum est his qui caritatem non habent, 433D.

Triplicem habet sponsam, Ecclesiam, animam fidelem, et B. V. Mariam. 291. — Christi honor in suam Matrem redundat, 444B'. — Cur vocetur a Sponsa Cantici fasciculus myrrhæ, 309D. — Sponsi oculi quid designent, 392D. — Ejus comæ significant Apostolos, 419D, et cardinales : quare hi vestibus rubeis utantur, 419C. — Quomodo suam dilectionem ad Sponsam ostenderit, 432B. — Est Ecclesiæ caput, sponsus, salvator, judex, legifer, rex, pastor, doctor, monarcha, protector, dominus, 436A'.

CHRYSOSTOMUS (S.), allegatur, 168A'.

CIBUS, antequam substantiæ incorporetur, quatuor digestionibus percoquitur, 286D. — Ex cibo quomodo sanguis, urina, sudor, sputum, sperma, et substantia carnis successive efformentur, 286D.

CINNAMOMUM, aromatica arbor, describitur, 52B, 373B. — Significat prompte obedientes, 373B.

CIRCUITUS. Bonus circuitus a Deo incipit et ad ipsum terminatur, 505B. — Malus circuitus est evagatio inordinata per creata, 505C.

CIRCUMCISIO. In ea puero nomen imponebatur; peccatum originale tollebat, 34D'.

CLEMENS (S.), 39D'. Ejus Itinerarium citatur, 537D'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 1, col. 1157.)

CLEMENTIA commendatur, 75A. In quo consistat, 136D'. Ornat reges, 136D'.

CLIMACUS (S.) citatur, 37B', 235D, 272C'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 88, col. 631.)

COÆQUÆVA quatuor sunt, tempus, cœlum, angelus, materia, 462A'. — Alberti Magni liber de IV Coæquævis citatur, 462A'.

COELUM. Deus in cœlo specialiter est, 237D', quia in eo eminentius operatur et clarius videtur, 238A. — In cœlo non potest esse cordis evagatio, quare, 483D. Cœli luminaria dicuntur clarius lucere dum homines prosperantur, 552B.

COGITATIO meritoria quid requirat, 55A. — Quomodo sint ordinandæ cogitationes, 425A ; quænam excludendæ, 55B, 425B.

COGITATIVA. Vis cogitativa, seu intellectus passivus, est media inter potentias sensitivas et intellectivas, 423C.

COGNITIO nostra intellectiva exordium sumit a sensitiva, 317C. — Qua via cognoscatur Deus, 454B. Perfectissima cognitio Dei in hac vita, est « per omnium ablationem », 256B. — Cognitio cogitationum secretarum hominis soli Deo competit, 495D'. — Difficilis et incerta est nostra cognitio de rebus inferioribus, 509D, multo magis de cœlestibus, 509B'.

COHELETH, nomen Salomonis, interpretatur Concionator, 5A, 6D'. *Cf.* hoc verbum.

COLLIS. Quo sensu Christus colles transilisse dicatur, 334C, 341D', 347B. — *Cf.* Thus.

COLLUM, mystice varia signat, 307D', 308B'. — Quid sit collum Ecclesiæ, 307D', animæ, 318D', B. Virginis, 326B'; cur monilibus comparetur, 308A, 319A, 326B', turri David, 366A, 377B, 381B', vel turri eburneæ, 418D, 427C. — Quo sensu in uno crine colli Sponsæ vulneratus sit Christus, 369C, 378A', 383A.

COLUBER. Via colubri investigabilis, 188A', B'. — *Adde* Sepes.

COLUMBA frequenter in eodem anno prolificat, et felle caret, 412B. — Cur Sponsa assimiletur columbæ, 335D, 347A', in foraminibus petræ, 336A', 343B, 348B'; oculi ejus quare dicantur columbarum, 311D, 327A', 363C', 380D, etc. — « Una columba » Christi, quid, 405D', 411D', 415D. — *Cf.* Turtur.

COLUMNÆ argenteæ lectuli Salomonis, quid, 354B, 358D', 362C. — Crura Sponsi, cur columnis marmoreis assimilentur, 393D. — Septem columnæ Sapientiæ, quid, 60D.

COMÆ. Cur elatis palmarum comparetur coma Sponsi, 391A', et purpuræ regiæ coma Sponsæ, 419C, 424D', 427D'. — *Cf.* Capillus.

COMMENTATOR. Sic antonomastice vocatur Averroes, commentator Aristotelis. *Vide* Arabes auctores.

COMMUNIO Sanctorum, quid sit, 443C.

Digitized by Google

COMPUNCTIO. Quæ sint ejus rationes, consolationes et beatitudo, 91 D', 92 A. — In conviviis amittitur, 247 D.

CONCILIUM generale a Spiritu Sancto dirigitur, 54 B'.

CONCIONATOR, cognomen Salomonis, 5 B, 211 A.

CONCORDIA servanda est cum aliis, 229 D. — Concordia prava, quid sit, 47 A'.

CONCUBINA, in Scriptura frequenter designat uxorem secundariam, 411 C'. — Quid significet mystice, 405 B', 411 C'.

CONFESSIO culpæ est initium justitiæ, 108 A. — Placat indignationem offensi, 159 A'. — Confessio sacramentalis gaudium parit, 83 B'. — Delet ad minus culpam, 354 B'.

CONGREGATIO. Congregationes arduam vitam ducentium, a Christo diliguntur et visitantur, 407 A. — De profectu animæ virtuosæ in congregatione, 412 D'.

CONJUGATI vocantur pedes corporis mystici Ecclesiæ, quare, 417 D. Qualiter juxta suum statum pulchri esse debeant, 417 A'. — Conjugali castitati Christus promittit fructum tricesimum, 472 D.

CONSCIENTIA ut judex verenda est, 255 D'. — Testimonium conscientiæ gloria est animæ fidelis, 177 A'. — Ejus discussio salubris est et Deo valde placens, 376 A, meritoria in se, 376 C, et breviter ad perfectionem ducens, 376 D. Quomodo facienda sit, 413 A. — Conscientia impii facit eum timidum, 550 D.

CONSILIUM proprie sumptum, sive inquisitio de agendis, qualiter Deo adscribatur, 508 C. — Est actus prudentiæ, 101 C'. Necessarium est, 197 A. A quo sit petendum, 168 C'. — Dono consilii Spiritus Sanctus nos dirigit, 508 C'. — Christi consilia sunt media ad expeditius tendendum ad cœlum, 354 C'; eorum impletione fit abundantior justitia, 98 D.

CONSOLATIO interna datur homini virtuoso, 226 A. — Consolatio carnalis despicienda est ab eo qui appetit amplexum Sponsi, 440 D.

CONTEMPLATIO divinorum in hac vita est transitoria, quare, 28 B'. — Est sapientiæ actus, 472 D', et fructus, 56 C'. — Gignit prudentiam in humanis negotiis, 69 D'. — Contemplatio providentiæ et omnipotentiæ Dei ex creaturis commendatur, 30 B'. — Quot sint impedimenta contemplationi, 301 A. — Requirit auxilium divinæ gratiæ, 301 B. — Ejus mystici effectus describuntur, 301 C'. — Suavitas ejus etiam in corpus redundat 302 B. — Duplex illuminatio valde necessaria est in contemplatione, 319 B. Tunc anima proprias defectuositates clarius deprehendit, 319 A'. — Contemplatio seu occupatio mentis in Deo, an habeat amaritudinem sibi annexam, 504 A, D. — Contemplatio sapientiæ promeretur immortalitatem gloriæ, 504 B'. Quanto in hac vita Deum sublimius contemplamur, tanto perspicacius cæcitatem nostram intuemur, 256 B. Omnis contemplatio hujus vitæ, respectu beatificæ visionis, umbra est et caligo, 338 A, 367 A'.

Anima contemplativa inflammatur per allocutionem Dei sensibilem, aut per illuminationem intellectualem seu anagogicam, 396 D. Visione theoriæ mysticæ rapitur in increatum objectum, 340 D. — Motus anagogicos concomitatur corporis alteratio, 396 D, A'. — Aromatum areola est mens in qua fiunt contemplativi actus, 409 B'. — Interdum animæ subtrahuntur consolationes præsentiæ Sponsi, quare, 344 A, 357 C, 394 C. Quomodo tunc eum precari debeat, 394 D. — Dulcedinis divinæ gustus facit eam ferventius ad beatificam fruitionem anhelare, 396 C'. — Anima per contemplationem Christo conjuncta caveat exterioribus importune occupari, 341 D, vel contemplationis exercitium obedientiæ et necessitati proximi anteferre, 341 C'. — Anima contemplativa et sancta, immundis spiritibus sua humilitate et caritate terribilis est, 411 A. — Contemplativi, mysticæ theologiæ unionem experientes, medium tenent inter comprehensores et communes viatores, 386 D'. — Debent dominicam passionem jugiter in corde ferre, 407 D. — Alios attrahunt virtutum bono odore, 407 A', 403 C, 373 B'. — Eis valde necessarium est labia et cogitationes refrenare, 376 D, B'. — Quo pacto filii aquilæ vocentur, 188 D. Eorum actio in Ecclesia militanti, per viam aquilæ designatur, quare, 188 B'. — In eis cubat et quiescit Sponsus, dum in activis hominibus pascit, 305 D'. Quam Deo sint amabiles, 342 B. Significantur per reclinatorium aureum, 354 D, per thuris collem, 367 A'. Sunt pauciores quam activi, 367 A'. — Cur eis tempus breve videatur, 243 A. Contemplationem relinquere ad exercitia vitæ activæ subeunda grave est animæ amorosæ, 388 A'. Contemplationi intentos inquietare periculosum est, 341 B'.

Digitized by Google

CONTENTIO, quid sit, et quale peccatum, 33B, 132C. — Vitanda est, maxime cum familiaribus, et inter religiosos, quare, 132C.
CONTRITIO est suiipsius interior punitio 522D. — Includere debet sui dejectionem, quare, 83B'. — Tollit saltem in parte pœnam peccati, 137B', imo totam delere posset, 522D.
CONTUMELIA originem ducit ab ira, 72A. — Quid sit proprie, 132A'. — Profertur in eos qui non timentur, 72A. — Est grave peccatum, 71D', nec minus quam rapina, 132B'.
CONVERSIO differenda non est, quare, 166B.
COR corporale, quid sit, et quæ sint ejus officia, 95D'. — Fons est caloris, et origo spirituum vitalium, 286B'. — Se movet virtute caloris naturalis, et membris motum influit, 462B'. — Est in animali primum vivens, et ultimum moriens, 462B'. — Spiritualiter cor sumitur pro intellectu vel voluntate, 95D'. — Cor est in objecto amato, 37C'. — Ejus dispositio in oculis apparet, 100A; a prudente faciliter dignoscitur, 170B. — Cor hominis instabile est, 188C'. Quomodo custodiendum sit, 37C', 39D. — Ex cordis seu intentionis puritate dependet vita gratiæ, 37D.
CORPUS. Duo corpora non possunt naturaliter esse in uno loco, 481D'. — In elementis corporis humani prædominatur terra, 539C'. — Ex semine in matrice formatur et aptatur ad animæ susceptionem, 491C. — Duobus elementis contrariis constat, scilicet humido et calido, 482A: propter quod corruptioni subjicitur, 482A, et ex principio intrinseco tendit ad mortem, 539C'. — Labore indiget, 111D'. — Influentiis corporum cœlestium subjicitur, 138A. — Animæ naturaliter conjungitur, et est ei utile et necessarium in multis, 509B, tanquam instrumentum proprium, 300B. Ideo ejus dispositio in animam redundat, 111B'. — Sæpe animam a spiritualibus exercitiis impedit, 508D', præsertim ex peccato originali, 509A. Post resurrectionem, illam ornabit et lætificabit, 509B. — Corporum monstruositas non explicatur nisi per providentiam Dei, 263A'. — Corpus interdum accipitur pro homine carnali, 455D. — *Cf.* Caro.
Corpora cœlestia. *Vide* Sidera.
CORRECTIO est opus misericordiæ spiritualis, 105A. Ejus utilitas, 98C. — Eam recusans peccat graviter, 177A. Quas pœnas incurrat, 99C'. Quando possit vel debeat quis se excusare, 104C'. — Præceptum correctionis fraternæ a paucis impletur, 105B. Hujus præcepti transgressione perit mundus, 105B. — Subditorum correctio est dilectionis pignus ex parte prælatorum vel parentum, 89B'. — Correctio fraterna, quo ordine facienda sit, 158C'. Quando differri debeat, 62D. Non est in publico, sed primo in secreto, facienda, 68C, cum mansuetudine et humilitate, 80D, raro cum objurgatione, 80A', præsertim quoad peccantes ex infirmitate, 249A. — Non prodest sine Dei gratia, 170C'. — Virtus quanto perfectior tanto plus inclinat ad caritativam correptionem, 455A.
CORRUPTIO est effectus compositionis ex contrariis, 482A.
COSTÆ. Quod sit earum officium, 284C'.
COTURNIX, Hebræis in deserto venit ab insula nomine Ortygia, 560A'.
CRAS, pro futuro accipitur in Scripturis, 166B.
CREATIO a nobis comprehendi nequit, 280C'. — Deus fecit quædam incorruptibilia et immortalia, quædam vero corruptibilia, 460A'. — Creare frequenter accipitur pro facere vel formare, 473B', 520A'. — Deus omnia etiam vilia, cum suarum partium convenientia constituit, 499C'. — An terram fecerit ex materia præjacenti, 520A'.
CREATURA omnis est quædam similitudo Creatoris, 530D'. Intellectualis creatura imago ejus est, 498A. — In omnibus creaturis sensibilibus contemplare, amare et laudare debemus Dei perfectionem, 439D. Creaturæ sunt viæ ad Dei notitiam, 57D, et amorem, 375B'. Earum finis est Dei gloria, 51C, 107B, 546C', beatitudo creaturarum intellectualium, et manifestatio divinæ misericordiæ aut justitiæ, 107A'. — Quælibet creatura habet suam mensuram essendi, numerum principiorum essentialium, et pondus inclinationum ad finem, 521D. A Deo ut causa efficienti, esse, ut causa exemplari, speciem, ut causa finali, pondus ad proprium finem accipit, 521B'. Naturaliter appetit beatitudinem, 378A'. — Quomodo omnes sint vanæ, 213A'; quomodo bonæ 214A, 229B', 522D, B'. — Creaturæ præteritæ qualiter redeant, 217A'. — Instabiles sunt, 217D; quomodo in æternum permaneant, 230B. — Creatori subditur omnis creatura per potentiam obedientialem, 559B'. — Nulla ab homine plene cognoscitur, 229C'. — Appe-

Digitized by Google

titum humanum triplici bono, delectabili, utili, et honesto allicit creatura, 534 D'. — Non nisi in Deo et secundum Dei voluntatem est amanda, 375 D'. Omnis cogitatio et affectio de creaturis ordinanda est ad Creatoris amorem, 425 A. Impii creaturas non considerant nisi quoad propriam voluptatem, 535 A. — Creaturæ intellectualis perfectio est suo Creatori assimilari, 527 C'. Per virtutes ei fit maxime amabilis, 342 B.

CREDULITAS, quam periculosa sit, præsertim in prælatis, 92 D'. — Non facile credendum verbis detractoriis, 255 A', præcipue his quæ contra nos dicta esse narrantur, 255 D'.

CRINIS. In uno crine colli quomodo Christum vulneraverint, Ecclesia, 369 C, anima, 378 A', et B. Virgo, 383 A.

CROCUS, herba habens folia aurei coloris, refrigerium præstans febricitantibus, quid significet, 372 D'.

CRURA Christi, quid, et cur columnis marmoreis comparata, 393 D. *Cf.* Femur.

CRUX facta est fertilissima meritis dominicæ passionis, 420 A. — In cruce Christi quomodo gloriandum, 310 B. — Designatur per arborem malum, 432 D. — Hymnus « Crux fidelis » citatur, 420 B, 432 D.

CURATI mediatores sunt inter Christum et populum, quem Deo reconciliant, 366 B.

CURIOSITAS grave est vitium, 76 D. Non curiose quærendi sunt proximorum defectus, quod tamen prælatis incumbit, 76 D, A'. — Curiosa cognoscere non expedit, 244 D', 245 A, C, nec altiora et difficiliora, 245 D, 263 D'. Curiosa investigatio impedit a cognitione necessariorum ad salutem, 246 B, et ab oratione ac devotione, 219 C. — Non convenit immoderate discutere aut velle cognoscere qui sint electi vel in gratia, 306 D.

CURRUS Pharaonis. Cur ipsis comparetur Sponsa, 306 A', 307 A, 318 D, 326 D. *Cf.* Equitatus.

CUSTODIA hominis quadruplex est, scilicet, a Deo, ab angelis, a prælatis, et per rationem ac gratiam, 442 D'.

CYPRESSUS, arbor imputribilis, 312 B', 354 A. — Ex foliis ejus fit nobile unguentum, quid mystice significet, 312 C'.

CYPRIANUS (S.) allegatur, 474 C.

CYPRUS, insula in mari Mediterraneo sita, vinum optimum generat, 310 C. — Cur botro Cypri assimiletur Sponsus, 310 A', 320 B, 327 C.

Cyprus, arbuscula aromatica, 372 A', per modum vitis colitur, 310 C'. Quid mystice designet, 372 A'.

CYRILLUS (de Guidone), Italus, XIII sæc. Ejus Proverbiorum liber sæpe allegatur, 8 D', 13 D, 21 B, 33 B, etc.

CYRUS, rex Persarum, bonæ fuit indolis, et Deum magnificavit, 108 D.

D

DÆMONES et diabolus. Dæmones sunt boni secundum suam naturam, 534 A'. — Indurantur, et eorum peccata sunt irremissibilia, 534 A'. — Ex invidia tentant animas, 534 B', 467 B, ad fallendum et nocendum, 469 B', præsertim tempore mortis, 261 B. Designantur per leones et pardos, 368 D'. — Non possunt hominibus in hoc mundo ad libitum suum nocere, 460 C'. — Invisibiliter circumquaque discurrunt, et sæpe in forma parvulorum Æthiopum ostensi sunt Sanctis, 349 A'. — Facti sunt in exercitium et coronam justis tentamenta vincentibus, 534 C'. — Hominibus multipliciter illudebant, per idola dantes responsa, 532 D', et infirmorum curationem simulantes, 532 D'. Gravissime peccabant usurpando divinos honores, 534 A'.

Diabolus crudelis est, 41 B, 116 A, valde potens, 273 A, et fortis ad decipiendum, 433 D'. — Auctor fuit mortis, 433 D', 467 C. — Vocatur serpens et coluber, 274 A, 275 B. — Per angelos suos, et per tyrannos, hæresiarchas et philosophos, Ecclesiam multipliciter oppugnavit, 269 C. — Diabolus S. Antonium flagellat, 32 C; S. Macarium terrere nititur, 32 A'.

DAMASCENUS (S.), allegatur, 45 B, 213 B', 508 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 94-96.)

DAMNATIO est mors secunda, 468 B'. *Cf.* Reprobatio.

DAMULA, animal imbecille et timidum, 44 A, velox cursu, acerrimum visu, 44 C'.

DARIUS I, rex Persarum, erat bonæ indolis, et ad bonum cito inclinabatur, 108 D.

DAVID. Ejus sapientia, quanta, 3. — Quomodo Salomonem edocuerit, 35 B.

DECIMÆ ecclesiasticæ persolvendæ sunt, 26 B'. — Quomodo Deus hanc persolutionem remuneret, 27 C.

DECRETUM (Gratiani) allegatur, 23 D.

DEITAS vera, seu ejus appellatio, non potest convenire pluribus substantialiter diversis,

Digitized by Google

536D, B'. — Quo pacto in lege Moysis judices et præsidentes appellentur dii, 536A'.

DELECTATIO oritur ex unione potentiæ cum convenienti objecto, 504B, 281D'. — Delectatio interna relucet in facie, 100A. — In quo consistat delectatio virtuosa, 504C'. — Delectatio spiritualis quanta sit, 395D. Facit terrena oblectamenta oblivisci, 167D'. — Deliciæ spirituales quo amplius degustantur, eo avidius cupiuntur, 389C'. — Quanta delectatio inveniatur in luce, 104A; in philosophiæ considerationibus, 504C. — In prælatione delectari, vana est gloria, 486A. — Delectatio carnis illicita, fallax est et mœrorem inducit, 221A, C; impedit animam a sapientia, 221C'; divinas consolationes expellit, 424A'. Multa mala ex ea fluunt, 222D'. — Regula circa delectabilia quæ occurrunt, 424B'.

DENTES. Quid dentes Sponsi, 420C', et Sponsæ, 364B', 375D', 381B, et cur gregibus tonsarum conferantur, 364C', 376A, 381B.

DEOSCULATIO labiorum, est signum caritatis et pacis, 156B.

DESERTUM de quo ascendit Sponsa, est vel mundus, 352C, 431B', vel caro, 358C, 440A', vel terra hujus peregrinationis, 361D, 445D. *Cf.* Eremus.

DESPECTIO proximi, quantum sit peccatum, 94A.

DESPERATIO peccatum est contra Spiritum Sanctum, 153A'.

DETRACTIO, quid sit, 39C'. — Maxime gravis est, 37D', 39D', 155D, quare, 153C, et gravius peccatum quam furtum, 459B. — Quomodo pariat excæcationem cordis, 102A. — Est velut homicidium duplex, quare, 40A, 155D, 275A, 459B. — Quotuplici modo noceat famæ alterius, 39D'. — Obligat ad restitutionem famæ læsæ, 47C, 87C'. — Qualiter sit repellenda et impedienda, 160D'. — A Salomone frequenter reprobatur, 155A'. — Quantum S. Pachomius eam oderit, 40A. — Detractor dæmoni assimilatur, 275B.

DEUS. — *De essentia et attributis Dei.* Esse divinum quantæ sit excellentiæ, 530A. Dei primum nomen est Esse vel Qui est, 530A. — Quatenus Deus sit cognoscibilis, 531B'. Est inscrutabilis, incomprehensibilis et ineffabilis, quare, 161D, 184A', 268B'. Unde sit difficultas eum intelligendi, 161B', 256D. Quæ scrutatio Dei sit licita, 161D'. Quomodo visus sit a B. V. Maria, a Moyse et a B. Paulo, 324C. — Dei attributa contemplanda sunt in creaturis, 30B'. Ea cognoscere an sit difficile, 531B'. — In Deo sapientia et prudentia idem sunt, 30B; similiter, concipere et gignere, 58A. — Deus est fons omnis perfectionis, 55C', 56B, A', bonitas et pulchritudo per essentiam, 302D, causa efficiens omnis pulchri creati, 382D, et omnium attractivus, quomodo, 315D'. Ab eo est omne bonum totaliter, 20C. — Deus est ipsa veritas, 47B, finis, causa et mensura omnis veritatis, 55C', 82D'. Dei verbum seu sermo, quid, 544D. In Deo dixisse est fecisse, 544A'. *Vide* Christus. — Deus est essentialiter justus, 56C', 99D, in omnibus justus et misericors, 526D, 538C: an misericordia divina semper præfulgeat, 558D. Omnis sapientia Deo est adscribenda, 25C', qui eam infundit et in usu ejus hominem dirigit, 494D. Deus mala non permitteret nisi posset et vellet ex eis elicere bona, 474D'. *Vide* Sapientia.

Deus adest omnibus et ubique, 103C', in cœlo tamen est specialiter, 238A, 443D'. — Deus unico actu se ipsum et universa creata comprehendit, 497D'. Qualiter sciat virtuosa et vitiosa, 38D'. Omnia discernit, 106B', impium prævidet, 107C', solus certo præscit futura, 246A'. Ejus æterna prævisio non necessitatem imponit actibus humanis, 154C'. Infallibiliter cognoscit cogitationes hominum, 457B. *Adde* Scientia. — In Deo non est formaliter consilium, 55A'. — Certum est Deum velle quidquid præcepit et consuluit, 508D. Nescimus quid velit Deus quoad indifferentia, 508A'. — An omnia creata diligat, 56C, naturali amore, 522B'. Quosnam diligat, 56B. Diligit eos qui per caritatem Sapientiæ increatæ uniuntur, 498A'. Amat Christum secundum humanitatem plus quam totum universum, quare, 501A. Amore prædestinationis Deus solos electos amat, 522B'. Qualiter diligat in caritate exsistentes, 522B'. Simplices valde diligit, 20D. — Superbum specialiter odit, quare, 107D'. Quomodo peccatorem despiciat, 252B'. — Vult omnes salvos fieri, 107C', 460C, 487C'. Animarum salutem zelatur, 458A'. Qualiter de morte et damnatione hominum lætetur, 460C. Non deducit ad portas spiritualis mortis nisi permissive, 544C'. — Dei decreta circa electos et reprobos occulta sunt, sed non injusta, 548A. *Cf.*

Digitized by Google

Prædestinatio, Reprobatio. — Deus est magister cordium, 137 D, omnipotens, 259 B; ei nemo potest resistere, 142 A', 259 D. Non omnia agit secundum potentiam suam, 477 C. — Vita Dei est suæ æternæ veritatis infinitæque bonitatis contemplatio et dilectio, 494 B. *Vide* Trinitas.

De Deo creante et conservante. Deus propter se nos creavit, 357 A'. Bonos ad suæ misericordiæ et reprobos ad suæ justitiæ manifestationem fecit, 107 A'. In omnibus etiam minimis est admirabilis, 499 C'. — Dei gloria est finis omnium creaturarum, 107 B. — Deus omnia conservat in esse, 183 D'. Per se universa disponit, sed per causas secundas in multis exsequitur providentiam, 499 D'. *Vide* Providentia.

De Deo sanctificante. Quomodo Deus nos edoceat, 15 D, et animæ loquatur, 342 B, multiplici allocutione, 396 D. — Deus quærendus est per observationem legis, 17 D'. Ab eo postulanda est sapientia, 20 B. — Cogitatio præsentiæ Dei utilissima est in solitudine, 39 A'. Quomodo in præsentia Dei sit ambulandum, 25 C, 283 B, B'. Mens humana non valet diu perseverare in Dei contemplatione, 28 B'. *Cf.* Præsentia. — Deo debetur gratitudo, 26 B'. Castigationes ejus pignus sunt dilectionis, 28 A. — Directio Dei, in quo consistat, 25 A'. Quomodo dirigat prælatos, 56 A. — Quare differat preces exaudire, 103 D'. — Dei secreta non sunt curiose scrutanda, 148 B', 237 C'. — De Deo nihil dicendum est præter ea quæ in S. Scriptura tradita sunt, 161 C', 237 C'. — In eo solo sperandum est, 185 B. — Qualiter Deus tentet electos, 469 B'. Eis illuminationem præbet per se vel per suos ministros, 471 A. Omnes non ponentes obicem illuminantur ab eo, 481 B. — Quantum in se est, Deus nullum perire permittit, 525 D'. — Deus est finis noster seu objectum beatitudinis nostræ, 268 B'. Aversio a Deo mors est animæ, 16 A'. Ab eo nihil separat nisi peccatum, 489 B'. — Deus cultu latriæ honorandus est, 50 D. Solus tremendus est, 50 D'. — Amor et sermo Dei inebriant et accendunt animam, 314 D.

De Deo remunerante. Deus multiplicem mercedem tribuit constructoribus ecclesiarum et fundatoribus monasteriorum, 27 B. — Deo servire valde jucundum est, 35 D', et prælibatio beatitudinis cœlestis, 198 B. — Deus est summum bonum animæ fidelis, 410 C. — Pronior est ad pietatem quam ad ultionem, 410 A. — Examinator est infallibilis et vindex etiam cogitationum hominis vitiosi, 457 B, 458 C. — Iniquorum vitia puniet per creaturas, 484 B. — De potentia absoluta, Deus posset vitam gloriæ a Beatis auferre, 544 B'.

De aliquibus locutionibus circa Deum. Quo jure Deus dicatur pater noster, 47 C', omnium Dominus, 526 D', et quorumdam Deus, 505 D. — Quid sit os Dei, 19 D', anima Dei, 46 D'. — Arma Dei, quid sint et qualiter ea accipiat, 484 A. — Disciplina Dei, quid, et quomodo ferenda, 27 B'. — Exercitus Dei, sunt fideles, 47 B'. — Dei benedictio in quo consistat, 69 B'. — Quo pacto Deus vir appelletur, 50 A. — Qualiter sit dives, 56 B'. — Quomodo dicatur ludere, 59 B, delectari, 59 D, ambulare in viis justitiæ, 56 D', esse longe ab impiis, 103 C', descendere vel ascendere, 183 C', 414 A, oblivisci, 265 D'. — Cur vocetur antiquus dierum, 57 D'. — Qualiter displicentiam habeat de peccatis, 154 D'. — Deo non competit nisi per semetipsum jurare, 332 D'. — Quomodo dormire vel vigilare dicatur, 387 B. — Qualiter vocetur zelotes, amor et zelus, 458 A'. — Manus Dei quotupliciter accipiantur in Scripturis, 468 B. — Dei sedes et thronus, quid sit, 506 B'. — Quo sensu in Scripturis Deo adscribantur hominum passiones, 527 D. Qualiter ei competat patientia, 538 C.

DEXTERA, in Scripturis, bona et prospera significat, 272 C. Quo sensu in dextera sapiens cor habere dicatur, 272 B; sapientia, longitudinem dierum, 28 D'. Quid sit ad dexteram declinare, 38 B'. — Quid sit dextera Dei, 483 B'; dextera Christi, et quomodo amplectatur Ecclesiam, 332 B', 431 D, animam, 341 C, 440 C, et B. Virginem, 346 A', 445 D. — *Cf.* Læva, Sinistra.

DIABOLUS. *Vide* Dæmones.

DIES. Longitudo dierum justis olim repromissa, 23 B', et odientibus avaritiam, 175 D, quo sensu in dextera Sapientiæ esse dicatur, 28 D', 63 B, et quomodo timore Domini apponatur, 70 D. — Dies hominis, quam mali, 100 B, 225 C, 242 D. Die nativitatis melior est dies mortis, 246 D'. — Dies vindictæ vel ultionis, vel dies malus : sic dicitur dies judicii, 50 A, 72 D, 107 A'; dies peregrinationis vel vanitatis, vita præsens, 246 D, 253 D.

Digitized by Google

— Dies, mystice quid, 36 C', 63 C, 149 A', 367 B. — *Cf.* Nox, Umbra.

DIGITUS. Loqui digitis, quid sit et quatenus liceat, 46 A'. — Quomodo digitis alliganda sit lex, 51 C. — Digiti Sponsæ, quid et cur myrrha referti, 389 A, 397 A, 401 D'.

DILATIO in dandis, liberalitati et caritati contraria est, 32 C'.

DILECTIO est quasi duorum ligatio, 471 C. Dilectio perfecta nulla adversitate dejicitur, 433 B. — Major esse debet erga justos, et eos qui nos instruunt in via salutis, 331 C; erga Deum, sine mensura, 331 A. — Signum ejus verum est operis exhibitio, 471 C. — In quo consistat dilectio spiritualis animarum proximorum, 77 C. Nemo diligendus est nisi quia bonus aut ut sit bonus, 331 A'. — Dilectio spiritualis, quantumvis parva, major et fortior est omni carnali amore, 441 A'. Causa est observationis præceptorum sapientiæ, 489 D. Dilectio Dei duplex est, naturalis vel gratuita, 270 B'. — Deus prior nos dilexit, 56 C. — *Cf.* Amor, Caritas.

DILUCULUM est hora apta ad orandum, 56 D.

DIONYSIUS (S.) Areopagita, « divinus et magnus », 92 A', 147 C, 256 B, quid sentiat de pulchro, 382 C. — Ejus epistola ad Demophilum, 33 D', libri de Angel. hierarch. 147 C, 311 C, de Divin. nomin. 11 B', 215 B', et de Theologia mystica, 256 B, allegantur.

DIONYSIUS Cartusianus, notat deformationem et scandala religiosorum et sæcularium sui temporis, 351 A. — Queritur quod multi, etiam religiosi, vanis quæstionibus sint intenti, 219 A.

DISCIPLINA proprie est moralium scientia, 7 B', 24 A', 471 A', vel salutaris correptio, 16 C. Multipliciter prodest homini, cujus mores corrigit, 88 D, 98 B, concupiscentias refrenat, 41 D; cui præstat scientiam, 78 A, sapientiam, 98 B, 129 B', 145 C, 489 C, et pacem, 104 D'; quem ab inferno liberat, 149 C, ad vitam ducit, 36 B, 42 D', 48 D, 68 D', ad amicitiam Dei, 494 B, C, ad salutem, 491 A. — Disciplina Dei, quid, 27 B'. Fontem et auctorem habet Spiritum Sanctum, 455 D'. Quanta animæ conferat, 27 C'. — *Cf.* Correctio.

DISCORDIA, peccatum est gravissimum, 46 C'. Quomodo gravius sit homicidio, 47 D.

DISCRETIO, virtus valde præclara, 424 D, necessaria est in petitione et in correptione, 191 D', in judiciis, 253 D', in exercitiis et actibus devotionis et virtutis, 92 D, 253 D', præsertim his qui caritatis ardore flagrant, 340 B'. — Fons omnis discretionis est Spiritus Sanctus, 314 A'.

DISPUTATIO. In disceptatione verborum sacræ Scripturæ, est instructio doctrinalis, 504 D'.

DISTRACTIONES omnem suavitatem exercitiorum spiritualium tollunt, 271 C'.

DIVINATIO quotupliciter intelligatur, 108 C'. Divini, apud paganos, interdum fuerunt illuminati a Deo, 109 A.

DIVITES. Dives est qui superfluum non quærit, 85 D'. — Divites se existimant sapientes, 173 D'. — Qualiter sint diligendi, 127 A'. — Antiquitus divites lectis aureis aut argenteis utebantur, 159 A. — Omni tempore fuerunt quidam divites sancti, 186 D'.

DIVITIÆ omnes a Deo sunt, 56 A'. — Quænam sint maximæ, 86 A. — Divitiæ temporales non nimis appetendæ, 175 C', utpote periculosæ, 186 B, 251 B'. Male adeptæ, saluti obsunt, 65 B'; bene adeptæ, possunt vitiis favere aut saluti prodesse, qualiter, 65 C', 86 C. — Non amandæ tanquam finis, 241 D, quomodo possint amari, 241 B'. — Anima fidelis eas non quærit ultra suum statum, 148 D. — Regibus et constitutis in magnis officiis, divitiæ necessariæ sunt, 251 D'. — Dabantur communiter justis veteris Testamenti, 66 B, non tamen tanquam principale præmium, 57 B. — Faciliter acquisitæ, minus æstimantur, 87 A. — Earum jactura quomodo ferenda sit, 83 C'. — Divitiæ materiales, spirituales vel intellectuales, sine virtute valde nocent, 117 D. — In divitiis sive temporalibus, sive spiritualibus, confidendum non est, 76 B'. — Divitiæ justi spirituales, quænam sint, 66 B. — Valent ad animæ redemptionem, 86 B. — In tempore opportuno sunt congregandæ, 66 C'.

DOCILITAS, est pars prima prudentiæ, 88 D, et sapientiæ infusæ seu acquisitæ, 489 D.

DOCTOR. Quo pacto doctor seu magister possit temporalia accipere pro discipulorum informatione, 149 D'. — Sapientiam docens, quam pretiosus, 134 B'. — Doctores virtuosi esse debent, 128 B. Ab eis requirenda est sapientia, 20 B, quam hauriunt ex Scripturis, 392 A'. — Dicuntur oculi Christi, 392 D. Fideles custodiunt ab infernalibus lupis ac vitiis, 351 A, 392 A'. Habebunt aureolam ut præmium accidentale, 110 D'. — Doctores hæretici vitandi sunt, 148 C'.

Digitized by Google

DOCTRINA, quid sit, 7 C', 10 B', 220 C, et quanti æstimanda, 54 D, 150 A. — Dulcissima refectio est animæ, 153 D', quam sapientes potissimum appetunt, 100 B, 123 D'; virum commendat, 79 C, gratum facit, 88 A, et in bono firmat, 146 B; opera bona parit, refrenat passiones, 495 A, replet cellaria, 152 B. — Non sine labore acquiritur, 220 D, nec sine periculo, 220 B'. — Per patientiam probatur, 128 B. — Filius sapiens, quomodo doctrina patris vocetur, 84 C. — Vir vere doctus vitat omnem culpam dono sapientiæ repugnantem, 102 C. — *Cf.* Scientia.

DOMUS sapientia ædificatur, quomodo, 151 D'. — Quid sit domus Sapientiæ, 60 B, et septem ejus columnæ, 60 D; quid domus Sponsi ubi cum Sponsa demoratur, 312 A', 320 C', 327 D'.

DONUM omnes portas patefacit, 124 A. — Donatio prompta dupliciter valet, 32 D'. — Dona Spiritus Sancti sunt habitus supernaturaliter infusi, 413 B; faciunt virtutes promptas ad agendum, 362 D, et hominem faciliter dirigibilem a Spiritu Sancto, 492 C'; dicuntur vestimenta, ornamenta, arma Ecclesiæ vel animæ, 370 C'. — Ex donis et virtutibus non nisi actus boni elicitive procedunt, ipsis tamen multa vitia se admiscere possunt, 494 A'. — Quænam dona sint præferenda, 265 A.

DRACO, quid sit, 544 A.

E

EBRIETAS est vitium in se, 131 B, sacerdotibus V. L. severe prohibitum, 193 B'. De ejus effectibus, 193 A', 150 A': lites movet, 189 B', secreta pandit, 193 D; vituperatur, 151 A'. — Ebriositas difficile vincitur, 151 A'. — Alios inebriare peccatum est, 75 D'.

EBUR, quid sit, 418 D. Super eo accendi nequit ignis, 393 B. — Cur ebori compararetur venter Christi, 393 C, collum Ecclesiæ, 418 D, ac B. Virginis, 427 C.

ECCLESIA. Ecclesia militans duplici sensu accipi potest, 194 C'. — A protoplasti transgressione præcognovit incarnationem Christi, 296 C: quare eam tam æstuanter desideraverit, 297 B. Quas ob causas ausa sit tanti sponsi osculum seu adventum flagitare, 298 B. — Ecclesia primitiva ex Judæis et gentilibus fuit collecta, 303 D, et acerrime impugnata ab obstinatis Judæis et incredulis gentilibus, 303 D. A Christo potestatem ligandi et solvendi accepit, et innumerabiles convertit, 435 C'. — Quomodo gentilitatem converterit, 197 B', et Ecclesias particulares fundaverit, 197 C'. Juxta Christi præceptum, primo solis Judæis prædicavit, 304 B. Quasi invita Synagogam relinquere videbatur, 336 D. — Qualiter parvula seu ædificium imperfectum fuerit ante Spiritus Sancti missionem, 435 C, 435 B', et qualiter immutata in die Pentecostes, 435 A'.

Ecclesiæ dignitas ex quo perpendi possit, 195 D. Ejus pulchritudo multipliciter extollitur, 311 B, 363 C, 367 C', 403 C'. Sub specie mulieris fortis celebrantur ejus merita, 194 A' et seq. Quo sensu se nominet nigram sed formosam, 302 B'. — Ecclesia vocatur hortus, 403 B, et hortus conclusus, quare, 371 D. — Est Christi thesaurus, 417 A, filia, 417 B, sponsa, 199 A, 291, et mater fidelium, 195 C. Cur dicatur mulier, 195 B. — Est domus et civitas Dei, 14 C, 60 C. Quomodo ædificetur a Deo, 109 B. Quid designent ejus lapides, 109 B, 274 B, columnæ, 60 D, portæ, 14 C, mœnia, 61 D, armatura et clypei, 366 D. — Virtutes et septem dona sunt Ecclesiæ vestimenta, ornamenta et arma, quare, 370 C'. Quid sit ejus lucerna, 198 B, et quomodo consideret semitas domus suæ, 200 B. — Summus Pontifex est vicariale caput Ecclesiæ, 419 A. Quid sint ejus oculi, 418 A', nasus, 418 D', umbilicus et venter, 418 B, C, femina, 417 C', et pedes, 417 D. — Ecclesia est unum corpus mysticum, 417 C, unum ovile, una plebs in Deo, 418 A. Qualiter sit corpus et membra Christi, 307 D. Quam gloriosum sit esse membrum ejus, 194 B'. Est sancta, et semper in ea sunt aliqui Sancti, 198 C', 363 D, 367 C', sed pauci, 269 D. Confirmata est in gratia, et ideo intrepida, 198 B', quia accepit a Christo potestatem prævalendi dæmonibus, 307 A. — Quare vocetur fons, 371 C', et fons signatus, 371 D'; quæ sint ejus emissiones, 372 B et seq.

Ecclesia universalis non potest errare nec tota deficere, 405 D'; conversatur juxta institutionem primitivæ Ecclesiæ, 406 D, et jugiter ad perfectiora ascendit, 406 C'. — Exempla patrum imitatur, 417 C, et de peccatorum conversione et filiorum suorum profectu consolatur, 431 D. — Non est otiosa, 200 C, sed ut pia mater vigilat super filios suos, 350 D'. — Quibusnam spoliis abundet, 196 C,

Digitized by Google

et deliciis affluat, 431 C'. — Non propriis viribus, sed super sponsum suum innititur, 431 D'; quomodo quærat eum, 350 C'. — Qualiter Christus eam hortetur ut sibi sit grata, 432 D', cum ea invisibiliter maneat, 437 C, et eam ad cœlum dirigat, 306 C'. Omne bonum Ecclesiæ in Christum redundat, 437 D'. — Ecclesia est in hoc mundo quasi vidua, 102 A', et sicut navis in medio mari, 188 C'. Impiorum persecutionibus obnoxia, 329 C, vivit et quiescit sub protectione sui sponsi, 329 C', qui est dominus ejus principalis et summus pastor, 337 A'. Qualiter multiplici munimine circumvalletur, 371 A', et quid possint in eam inimici, 371 B'. — Filios suos abundanti cibo reficit, 197 C, 366 C', ac potu, 371 C', et docet quid de necessitate salutis credendum sit, 406 D'. — Castitatem et virginitatem diffundit, 307 A', et refrenat concupiscentias carnis, 197 D'. Non solum contemplationi, sed etiam actioni vacare debet, 328 B, tempore tamen opportuno, 333 C; et omnibus prædicare, 305 A', 306 C. — Universalis Ecclesia vult filios suos pro se orare, 390 C'; instruit et fecundat particulares Ecclesias, 373 D'; et synodaliter congregata, eas reformat, 407 B'. — Qualiter Christo pro maxima parte ingrata, 441 A, reformata fuerit, 351 D. Quo pacto dici potuerit deformata et meretrix facta, 368 A, 406 B, et a Christo relicta, 350 D, B', 351 D, 374 A' — Ecclesia mystice figuratur per uxorem prudentem, 128 D', per mulierem bonam, 125 A', et sapientem, 90 C.

Ecclesiastica hierarchia disposita est ad instar angelicæ, 311 C. — Ecclesia militans medium tenet inter Synagogam et Ecclesiam triumphantem, 403 D', cujus precibus adjuvatur, 406 A'. — Christus in sua ascensione desponsavit sibi Ecclesiam triumphantem, 355 D', quæ mater est ac domina militantis, 351 B', 406 D. — Ecclesiasticam disciplinam transgredientes a dæmone lædentur, 274 A. — Ecclesiasticæ dignitates non sunt præmature quærendæ, 135 B'. — Ecclesiæ decimæ fideliter persolvendæ sunt, 26 B'. Qualem mercedem sortiantur persolutores decimarum et constructores ecclesiarum, 27 C. — Cum humilitate et reverentia introeundum est in ecclesiam, 236 D'. Nomen Ecclesiæ non competit congregationibus hæreticorum, 329 A'.

ECCLESIASTES, nomen est Salomonis, et ejus libri, 5 A. — Hic liber factus est a Salomone pœnitente, 213 B. Quare hunc titulum sortitus fuerit, 211 A, 212 C; quid contineat, 5 C', 213 A. Proficientibus potissimum convenit, 5 C', 211 B'. — In isto libro Salomon quasi ex persona impiorum sæpe loquitur, 237 C. — Quare fuerit in canone S. Scripturarum receptus, 288 A'.

ECLIPSIS facta est tempore mortis Christi, 206 D.

EDUCATIO. De ratione educandi pueros, 129 C. Mollem educationem quot damna sequantur, 179 C'.

ELECTI pauci sunt, 269 D, 257 C, comparative quidem, 319 C'. Eorum numerus est certus, 538 C'. Quidam sunt magis aut minus electi vel justi, 487 D'. — In hac vita exercentur et purgantur per injustos et reprobos, 467 C'. Gloriam tanto majorem accipient, quanto hic amplius affliguntur, 512 B'. Deus illis largitur omnia necessaria pro beatitudine obtinenda, 471 D. Si forte tentatione diaboli peccent, quomodo reviviscant, 334 A. — Habent in præsenti gratiam et pacem cordis; in futuro, gloriam et pacem æternitatis, 471 D. — Mutuo in hac vita se confortant, 358 B', et sunt quasi unus Dei exercitus, 358 C'.— Eorum gloria in cœlo augetur ex punitione malorum, 475 A.

ELEEMOSYNA corporalis et spiritualis commendatur, 75 B', 278 B. — Si secreto detur, intuitu solius Dei, Judicem placat, 140 B, et ab omni peccato liberat, 278 C. — Non est deneganda ex timore caristiæ, nec prætextu indignitatis pauperis, 280 D.

ELEMENTA. Eorum qualitates quando fortius operentur, 434 D. — Qualiter elementa, in judicio generali, Creatorem ultura sint, 484 B.

ELEPHAS, castissimum animal, frigidi sanguinis, 418 D, 393 B. — Potatio sanguinis ejus ardorem libidinis temperat, 393 B.

ELOQUENTIA laudatur, 111 D. — Donum est non nimis optandum, propter ejus pericula, 111 D. — Sæpius datur reprobis, 111 A'.

ELOQUIUM dulce, quid sit, 111 A, et quid operetur, 110 D'. — Quidnam eloquium Sponsæ, 365 D, 376 C'.

EMISSIONES Ecclesiæ paradiso comparantur, 372 B, cypro, 372 A', nardo et croco, 372 C', fistulæ ac cinnamomo, 373 A, myrrhæ atque aloe, 373 C. — Quid emissiones B. Virginis, 384 B.

Digitized by Google

ENGADDI, Judææ locus optimis vineis ferax, 310C, et balsamo, 310D'. — Interpretatur fons hœdi, 310D; quid significet, 310D.

ENOCH translatus est in paradisum, 477D.

EPICURUS summum bonum hominis in carnis delectationibus ponebat, 212D'.

EPISCOPUS. Quibusnam dotibus seu virtutibus fulgere debeat, 418C'. Ad quid se obliget in consecratione, 44D. — Sponsus est Ecclesiæ suæ, 291. — Tenetur fidem adversus impios defendere, 169B; et subditorum, ex caritate et zelo, mala inquirere, 76A'. — Episcopi vocantur oculi Ecclesiæ, 418A'.

EQUITATUS Dei, quid, 306D'. — Cur ipsi conferatur Ecclesia, 306A', 307A, anima, 318D, B. Virgo, 326D.

EREMUS. Sic vocatur infernus, 484C'. — Eremita non curat civilia sive politiam, 183D. — *Cf.* Desertum.

ERUDITIO est actus sapientiæ, 252B. Ad vitam ducit, 102B, et gloriam, 110C'. Non omnibus impertienda est, 62B. — Quantum et quomodo erudiendi filii, 89B', 129C, et servi, 179D. — Eruditæ cogitationes, quid, 55A, et quo sensu his intersit sapientia, 54D'. — *Cf.* Doctrina, Scientia.

ESCA angelorum, vel bona esca : sic vocatur manna, 545D', 562A.

ETHICA scientia parit passionum reformationem ac bona opera, 495A.

EUCHARISTIA, cur viaticum nominetur, 354B'.

EUNUCHI non excluduntur, sicut in lege, ab ingressu in ecclesiam, 472C'. — Ad contemplationem sunt apti, quum carnis vitiis careant, 472D'. — Quandoque sunt mente libidinosi, 472B'. — Hoc nomine significari potest ordo virginum, 473C'.

EUSEBIUS, Emisenus episc. Ejus homiliæ citantur, 22D', 89A. (Migne *Patrol. gr.* tom. 86.)

EVA, per inobedientiam fuit mente corrupta, et corpore violata, quomodo, 433D'. — Corruptam prolem peperit, 433D'.

EXALTATIO mentis causa est ruinæ, 110D, 118A', 122C'. *Cf.* Superbia. — Benedictione justorum exaltatur civitas, 73B'.

EXSULTATIO, quid sit, 302B. — Justi, cur et quomodo exsultent in Domino, 302B, 316C, et in Maria, 324B'.

F

FABRICA. Deus fabricator omnium vocatur, quo sensu, 280D'. — *Cf.* Creatio.

FACIES. In facie relucet cordis affectio, 100A, et mentis sapientia, 119D. Quomodo exacuatur, 169C', vel a Deo commutetur, 258A'. — Facies tristis dissipat linguam detrahentem, 160D'. — Quid sit alicujus faciem requirere, 180B', vereri, 262B, in judicio cognoscere, 175C'. — Quæ facies Ecclesiæ, 336D', 337B, animæ, 343C, et B. Virginis, 349A, B. — *Cf.* Vultus.

FAMA proximi servanda est, salvis tamen justitia et caritatis ordine, 115D. — Bona fama curanda, 104A', 143B, 246B'; præferenda divitiis, quare, 143A. — Quatenus liceat ea delectari, 104D. — Quomodo impinguet ossa, 104C.

FAMES. An justus quandoque fame affligatur, 66B.

FASCINATIO proprie est incantatio aut sensuum illusio, 476C'.

FATUUS non celat iram, 81C, passiones sequitur, 88C, « ebullit stultitiam », 97A'. — Quam pertimescendus, 116C. — *Cf.* Stultitia.

FAVUS, figura eloquentiæ, 111D. — Cur favo distillanti conferantur labia Sponsæ, 370B, 379A, 383B'. — Quo sensu dicatur Sponsus favum cum melle suo comedisse, 385B', 386A, 400B. — *Cf.* Mel.

FEMUR, quid significet, 353C. — Quæ sint femora Ecclesiæ, 417B', animæ, 422C', B. Virginis, 426D. — *Cf.* Crura.

FENESTRA. Quomodo per fenestras respiciat Sponsus, 335B, 342A. — *Cf.* Cancelli.

FERCULUM Salomonis, figura Ecclesiæ, 353C', animæ, 358D', B. Virginis, 362A. — Quid ejus columnæ, 354B, 358D', 362C, ascensus, 354D, 359A', 362B', reclinatorium, 354C, 359B, 362D, medium, 354A', 359A', 363A.

FERVOR in Dei servitio, parit gaudium, 46B. — Bonum cum ordinato fervore faciendum est, 126D, C'.

FESTINATIO in agendo, alia cavenda, 126D, alia sectanda, 126C'. — Festinatio in acquirendis hereditatibus vel divitiis, culpa non caret, 135A', 175C', D', et parum proficit, 87A.

FESTIVITAS. Dies festos decent convivia, 253A.

FICUS proferens grossos, figurat Synagogam, 335D', 348C, et animam, 342B'.

FIDEJUSSIO, quid sit; non est leviter spondenda, nec violanda, 147A, 44B, 74A'. — De fidejussoris veste, 134B'.

FIDELES vocantur lapides Ecclesiæ, 274B. — Per ligna et arbores designantur, 274C.

Digitized by Google

FIDES per caritatem formata requiritur, ut petitiones exaudiantur a Deo, 454 A'. — An certitudo fidei sit major certitudine scientiæ, 260 C. — Fides ab episcopis defendenda est contra impios, 169 B. — Quomodo tyrannis pro fide respondendum sit, 106 D.

FIDUCIA in Deum commendatur, 122 A', 499 A'; debet esse cum timore, 24 C', et non impedire quin moderate faciamus quod possumus, 73 A. — Non fidendum est in propria industria, 78 C. — Amici fiduciam decipere, quam nefandum, 33 A.

FILIÆ, in Scripturis significare litteraliter solent populos, 329 D. — *Cf.* Jerusalem, Sion.

FILIUS. De ratione filii est quod genitori sit similis, 498 A. — Obedire debet parentibus, 11 B, et eos honorare ac juvare, 176 C. Ejus sapientia quomodo patrem lætificet, 65 B. — Filiorum abundantia justis, in V. L., promittebatur ut merces, 89 B, 473 B. — Nemo legitur in Scriptura habuisse plusquam septuaginta duos filios, 243 D. — Filii quomodo educandi a parentibus, 89 C'. Non scandalizandi sunt, non exasperandi, nec occidendi, 129 C, sed corrigendi, 89 B', 149 C. — Filiorum malitia augebit damnationem parentibus negligentibus, 472 B. — De filiorum futuro conjectari potest ex eorum studiis, 133 D'. Quomodo interpretetur filius timoris, filius sapientiæ, filius virtutum, 95 B.

FINIS est dignior his quæ ad ipsum ordinantur, 540 D. — Res a fine denominationem ac virtutem præcipue sumit, 249 C'.

FISTULA seu casia, planta curans afflictionem viscerum, significat pœnitentes, 373 A.

FLOS campi recte dicitur Christus, 328 B, B', 338 D, et B. Virgo, 344 B. — Cur Sponsa floribus fulciri cupiat, 331 B', 340 D', 346 C. — Flores, mystice quid, 340 D', 421 C; quomodo apparuerint in terra, 335 B', 342 C, 347 D'. — *Cf.* Lilium, Malus, Vinea.

FLUMINA e mari exeunt, 30 C, et ad mare redeunt, 216 B, quomodo, 216 D. Caritatem exstinguere non valent, 434 C, 441 C'. — Quare juxta fluenta resideant columbæ, 392 C, et residere debeant prælati, 392 D.

FOENUS liberale, quid sit, 173 B, et quatenus liceat, 173 C. — Quid, fœnerari Domino, 129 B. — *Cf.* Usura.

FONTES, etiam fons paradisi, e mari emanant, 30 D, 58 B, 216 C. — Fons, in Scriptura, vocatur stomachus, 286 C; fons vitæ, lex Dei, 88 A, timor Domini, 95 C, doctrina salutaris, 111 B; fons sapientiæ, Christus, 121 A'; fons signatus, Ecclesia, 371 C', et B. Virgo, 383 D'; fons hortorum, Christus vel Ecclesia, 373 B'. — Fontes, quid mystice, 41 C'.

FORAMINA petræ, mansio columbæ, quid, 336 A', 343 B, 348 B'. — Quomodo per foramen manum mittat Sponsus, 388 C', 396 B, 401 B'.

FORMICA exemplo pigrum instruit, 44 D'. — Ejus providentia et instinctus, 45 A. — Mystice, humiles designat, 190 B'.

FORNICATIO fugienda est, 48 B'; aufert cor, 51 B'; servos et membra diaboli efficit, 282 D'. — Fornicatio spiritualis est omne peccatum, 535 C, superstitio idololatrica, vel hæretica corruptio, 535 B, D.

FORTITUDO, quid et quotuplex sit, 199 B'. — Passionem timoris refrenat, 501 D'. Virtus est inclyta, faciens ardua viriliter aggredi, 359 A, 501 D'. Dicitur etiam magnanimitas, 502 C. Quid si modum excedat, 502 C. — De qua fortitudine gloriandum sit, 136 D', 137 A. — Sexaginta fortes ambientes lectulum Salomonis, quid, 352 B', 358 A', 361 C'. Quomodo unusquisque gladium habere dicatur, 352 D', et ensem super femur, 353 C; quid eorum clypei, 366 D.

FOVEA profunda, sic vocatur meretrix, 145 B, 150 C. — Qui fodit foveam, incidet in eam, quomodo, 165 A', 273 C'.

FRANCISCUS (S.), adhuc in sæculo, contentiones vitabat, 132 D. — In contemplatione altissima raptus, duplicem illuminationem accepit, 319 C.

FRATER. Sic in Scriptura vocatur propinquus, 47 C. In angustiis comprobatur, 118 A. — Quomodo Christus sit frater Ecclesiæ, 430 A, animæ, 438 D, et B. Virginis, 444 B. — Fraterna caritas, quantum valeat, 124 B'.

FRAUS semper auctori nocet, 84 A. — Fraudulenta mensuratio furtum est, 71 D.

FRUCTUS. De fructu oris sui replebitur vir, 80 C', 124 D'. — Quid sit fructus manuum Ecclesiæ, 197 C', 200 D', animæ, 201 B', Scripturæ, 202 D', 204 A, B. Virginis, 205 D', 207 B'; quid fructus Sponsi, 330 B, 340 A, 345 B'. Quomodo apprehenderit Christus fructus Ecclesiæ, 419 D', et B. Virginis, 428 A'. — *Cf.* Pomum.

FRUMENTUM abscondere, quid sit litteraliter, et quale peccatum, 75 D', 76 A. — Quid mystice, 76 B.

FUGA periculi, quando sit licita, 143 B'.

Digitized by Google

FULGENTIUS (S.), Ruspensis episcopus, citatur, 370 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. LXV, col. 103.)

FUMUS. Sic vocatur vita hominis, 462 B', et impiorum prosperitas, 482 D'. — Quomodo virgulæ fumi comparetur Sponsa, 352 C, 358 B, 361 C.

FURES et latrones, cur semper pavidi sint, 550 B.

FUROR. Præstolatio impiorum, furor, 75 A'. — Sermo durus suscitat furorem, 97 B. — *Cf.* Ira.

FURTUM est peccatum mortale, 49 C', minus quam adulterium, 49 B. — In jure civili, suspendio punitur, 49 B. — Apud Judæos omni tempore frequens fuit, 49 A'. — Necessitate excusatur, 49 B. — Qui furtum non denuntiat, fit reus illius, 180 C. — Furtivus cibus vel potus dulcius sapit, quare, 64 B. — Furtivæ aquæ hæresim significant, 63 D'. — Furtum erga parentes non excusatur, 176 B.

FUSCUS. Quomodo et quare Sponsa dicatur fusca, 303 B, 325 D. — *Cf.* Niger.

FUTURA contingentia homo per suam investigationem certo scire nequit, 260 B'.

G

GALAAD, quomodo interpretetur, 364 A'. Ibi erant pascua copiosa, 364 A'. — Quid figuretur per montem Galaad, 364 A', 381 A.

GALLUS ob fortitudinem laudatur, 191 B. Quid significet, 191 C.

GAUDIUM honestum comes est virtutis, 140 C, 177 A', pacis, 82 D, sobrietatis, 113 B, et compunctionis, 91 D'. Faciem exhilarat, 100 A, et sanitati favet, 118 D'. — Non est in hoc sæculo gaudendi locus, 221 C. — Gaudium impiorum perversum, 101 A', et breve, 92 B'. De malis inimici gaudere non licet, 154 A'. — *Cf.* Lætitia.

GEMELLI. Cur gemellis ovium assimilentur Sponsæ dentes, 364 D', 376 C, et ubera gemellis capreæ, 366 B', 377 C, 381 D', 423 B'.

GENÆ, quid ad litteram et metaphorice, 376 D'. — In eis cognoscuntur honestas et verecundia animæ, 307 D. — Sponsæ genæ, cur assimilentur turturi, 307 C, 318 D, 326 A', fragmini vel cortici mali punici, 365 A', 376 D', 381 D, 405 B, areolæ aromatum, 392 B', absque eo quod intrinsecus latet, 365 D'.

GENERATIO, quid et quotuplex sit, 226 C. Sic quoque dicitur quædam hominum collectio, 187 B et seq., 474 B.

GENTILES credebant omnes eventus dirigi per corpora cœlestia, 52 C. — Fere omnes orabant versus orientem, ad honorem solis et planetarum, 547 A'. — Christus exhortatus est primitivam Ecclesiam ad eos convertendos, 336 C. Multi eorum ad Christum confluxerunt, 335 D'. — Gentiles arbitrabantur virtutes naturales sufficere ad salutem, 379 A. — Eorum cogitationes a Prophetis sæpe reprehenduntur, 467 B'.

GERSON (Joannes de), Cancellarius Parisiensis, « doctissimus vir ». Citatur ejus liber in Canticum, 296 A.

GESSEN terra. In ea non conversæ sunt aquæ in sanguinem, 518 B', D'.

GIGANTES causa fuerunt diluvii, 533 D'. — In Scripturis modo significant dæmones, 64 A', vel superbos, 140 B'; modo justos designant, 140 C'.

GLADIUS. Dei gladius, quid sit, 352 D'. — Gladio feriens qualiter sit periturus, 12 C'. — Quinam pro dentibus gladios habeant, 187 D.

GLORIA a Deo manat, 56 A'; sapientiam sequitur, 34 A, 35 A', humilitatem, 88 D, 105 C, 122 D', 180 B, misericordiam, 141 D, timorem Domini, 144 A. Quomodo in sinistra sapientiæ residere dicatur, 28 D'. Quatenus stulto deferenda, 162 B. — Gloria Dei non nisi reverenter scrutetur, 161 D. Gloria Dei est celare verbum, 157 D, gloria hominis investigare sermonem, 157 C', et injuriam pati, 128 D. — In Deo gloriari oportet, 302 C, quomodo, 316 C; et in patribus, 114 C'.

GLOSSA. Per glossarum introductionem in textum, interpolationes interdum factæ sunt, 167 C'. — Glossa ordinaria (Walafridi Strabi) passim allegatur, 8 C', 33 C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 113, 114.) — Glossa Albini. *Vide* Albinus.

GRATIA. Omnes gratiæ a Deo oriuntur et ad ejus gloriam referendæ sunt, 216 B'. — Vita gratiæ ex puritate cordis procedit, 37 D. — Datur gratia tanto plenius quanto perfectius se homo disponit ad eam, 397 A', per humilitatem, 339 B, mansuetudinem, 33 D', et simplicitatem, 33 A'. — Gratia facit hominem bene uti temporalibus, 242 C', confortat naturæ infirmitatem, 123 C, 198 A; necessaria est ne multa vitia actibus virtutum se admisceant, 494 A'. Homo illa destitutus, in profunda criminum labitur, 145 B. Auxilio gratiæ, bonæ nostræ actiones, victoriæ, prædicationum effectus etc., adscri-

Digitized by Google

benda sunt, 267 C', 268 A. — Gratiæ latibula quid, 343 B. — Gratia in Christo quanta fuerit, 299 A.

Gratia habitualis sanctificans, essentiam creaturæ intellectualis perficit, 374 A. Per eam fit homo filius Dei, 422 B. — Gratiæ gratis datæ maxime reputantur a plebe communi; a sapientibus autem, gratia gratum faciens, 265 A. — Gratia actualis ad merendum requiritur, 25 B, 39 A, 106 D; necessaria est ad operandum bonum intentum, 108 B'; imo, ad salubriter et meritorie cogitandum, 55 A. Gratiæ muneribus facilia fiunt præcepta, 123 D'. — Gratia, quomodo homines præveniat, 105 D. Per gratiam prævenientem impii quandoque sermone convertuntur, 121 B. — Gratiæ cooperandum est, 39 B. — Quomodo homo se ad ipsam aptare debeat, 105 D', 106 B. Eam dat Deus quum homo fecerit quod in se est, 105 D, 488 C'.

GRATITUDO Deo debetur, 26 B'. — Abundantiores gratias meretur, 216 D'.

GREGORIUS (S.) Papa. Ejus Moralia in Job et Dialogi allegantur, 28 B', 212 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 75-79.)

GREGORIUS (S.) Nazianzenus citatur, 171 C. (Migne *Patrol. gr.* tom. 35-38.)

GRESSUS, in Scripturis, pro conversatione sumuntur, 21 B', vel actibus, 35 D', etc. — Sapientis est gressus considerare, 38 A, 93 A, 101 B'; sed Dei est illos dirigere, 25 D, 108 B', 136 A. — Gressus meretricis investigabiles, 40 B'. — Quam pulchri gressus Ecclesiæ, 417 B, animæ virtuosæ, 422 A, B. Virginis, 426 B.

GREX, in Scripturis, congregationes hominum significat, 306 D, 318 B, 326 C. Prælati est gregem considerare, 170 D'. — Quid greges sodalium Sponsi, 303 D, 317 D', 326 A. — Cur gregibus caprarum assimilentur Sponsæ capilli, 364 B, 375 A', 380 D'; gregibus tonsarum, ejusdem dentes, 364 B', 375 D', 381 B.

GROSSI fici, quid sint ad litteram, 336 A, et mystice, 335 D', 342 B', 348 C.

GUBERNATIO. Quis sit aptus ad alios gubernandos, 9 A.

GUILLELMUS, Antisiodorensis episcopus. Ejus Summa citatur passim, 10 B, 24 D', 89 A, etc.

GUILLELMUS, Parisiensis episcopus, 10 B', 49 B'. Ejus liber de Fide et legibus citatur, 535 A'.

GULA restringenda, quippe quæ virtutes obruat, 90 A. — Comessationes corpus animamque destruunt, et vitam abbreviant, 149 B'.

GUTTUR, quo sensu circumdandum misericordia et veritate, 24 C, et lege Ecclesiæ, 47 D'. — Quid sit statuere sibi cultrum in gutture, 147 D. — Quid, guttur Sponsi, 393 D', et Sponsæ, 420 A', 425 C', 429 A. — Figurate, per guttur intelligi potest cor, 54 A.

H

HABITUS, est altera natura, 36 D, 198 A; confortat potentias naturales, 198 A; facit cum delectatione operari, 21 D, 101 B'. — Paulatim crescit, et difficile eradicatur, 36 B'. — Quomodo cognosci possint habitus, 270 D', 271 A. — Ex habitu, peccata gravissima pro nihilo reputantur, 121 C.

HÆRESIS, figuratur per mulierem meretricem, 43 C, clamosam, 63 B', pulchram et fatuam, 75 D, insipientem, 90 C, odiosam, 189 D'; per aquas furtivas, 63 D'.

Hæretici Deo sunt odibiles, 73 D; latronibus comparantur, 12 C. — Sicut a Catholicis sic a se ipsis discrepant, 475 D'. Doctrinæ eorum fugiendæ sunt, 42 A : rationi delectabiles apparent, 64 A, per eloquentiam et illecebras seducunt, 22 C. — Plurimi hæretici, volentes Patrem honorare, Filium eo minorem esse asseruerunt, 444 B'. — Post unam et alteram correptionem vitentur, 305 D, et ab Ecclesia ejiciantur, 144 C'. — Eorum congregationes nomen ecclesiæ non merentur, 329 A'. — Hæresiarchæ sunt nuntii diaboli, 88 C.

HALES (Alexander de), Ord. Min. theologus, allegatur, 49 B', 213 D', 271 A'.

HEBRÆI adorabant versus occidentem, quare, 547 A'. — Eorum devotio laudatur, 538 B. — Explicite credebant Salvatorem humani generis venturum esse in mundum, 296 D'. — Semper proni fuerunt ad furtum, fraudulentiam et avaritiam, 49 A', ad adulterium, 51 A'; et ad idololatriam, quodam tempore, 539 B. — A tempore Machabæorum, non videntur in idololatriam lapsi, 539 C. Caii imperatoris statuam adorare non acquieverunt, 539 C.

HERMON mons, quomodo interpretetur, 368 B', et quid significet, 368 C'. — Quo sensu de vertice Hermon coronetur Ecclesia, 369 A, anima, 378 C, B. Virgo, 384 B'. — *Cf.* Amana, Sanir.

HESEBON, civitas Sehon Amorrhæi, 418 B', quomodo interpretetur, 424 C. — Piscinæ

Digitized by Google

Hesebon, quid, 418 B'. Illimes erant, 427 A', et piscosæ, 424 B. Cur eis assimilentur oculi Ecclesiæ, 418 A', animæ, 423 C', et B. Virginis, 427 D.

HIEMS mystice varia significat, 45 C, 335 A', 342 C, 347 C'.

HIERONYMUS (S.) Judicii cogitationem cum formidine jugiter servabat, 485 B. — A Spiritu Sancto directus fuit in translatione S. Scripturæ, 52 A'. — Librum Ecclesiastæ exposuit pro sanctis quibusdam mulieribus, 212 A. — De Philone multa in libro de Viris illustribus scripsit, 452. — Passim allegatur, 4, 6 D', 7 D, 34 D', 37 C', etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 22-30.)

HILARIUS (S.), Pictaviensis episcopus, 500 B'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 9, 10.)

HINNULUS capreæ vel cervæ, animal velocissimum, 338 A', 438 B'. — Cur hinnulo assimiletur Sponsus, 334 C', 338 A', 341 D', 347 B, 349 D', et gemellis hinnulis ubera Sponsæ comparentur, 366 B', 377 C, 381 D', 423 B'. — *Cf.* Caprea, Cervus, Gemelli.

HŒDUS mystice varia significat, 306 C, 318 C, 326 C.

HOLOCAUSTUM, quid sit, 470 B. Deo erat acceptum ex devotione offerentium, 470 C.

HOMICIDIUM. Quot sint homicidii genera, 40 A.

HOMO. Ejus generatio describitur, 491 C. — Quanto tempore in utero maneat, 491 B'. Quoad corpus, a Deo ut prima et principali causa formatur, 540 D. Anima ejus a Deo per creationem infunditur, 540 D. — Qualiter omnia contineat, 510 C', et habeat aliquid commune cum omni creatura, 457 D'. — Est ad imaginem Dei factus, 467 A. — In Scripturis vocatur arbor seu lignum, 280 A, a philosophis dicitur arbor eversa, 280 A. — Ad ejus pulchritudinem, tam spiritualem quam corporalem, quid requiratur, 382 B'. — Naturaliter homo est animal sociale, 234 D'. Quanta bona ex vita sociali obtineat, 235 A. Homo solitarius bestia est aut deus, 235 D.

Finis hominis est Dei cognitio, 529 C. — Ad beatitudinem supernaturalem conditus fuit, 499 C, Dei voluntate saltem antecedente, 522 D'. Habet impressam naturalem inclinationem ad felicitatem, 499 C. — Indesinenter indiget a Deo conservari in suo esse naturæ et gratiæ, 494 C'. — Per sapientiam ordinatus et constans efficitur, 493 A'; per inordinationem, sibi gravis ac pœnalis, 493 C'. — Quomodo tentet, 469 B'. — Natura humana, quam ineffabiliter fuerit per Incarnationem dignificata, 438 D.

Homo debet se totum ad Dei cultum et amorem ordinare, 283 D, B'; sua bona et se ipsum abnegare, 434 D'. — An prospera et adversa ei indifferenter accidant, 264 D. — Adhuc habet, post peccatum, dominium super creaturas inferiores, 506 D. — Homo judicat alios secundum quod ipse est, 272 D, C'. — Nullus scit an Deum diligat amore infuso aut naturali, 264 B. Multi tamen certo sciunt se esse in peccato mortali, 264 C. — Homo acuti ingenii et in Scripturis instructus, si peccet, non levi labore recuperabitur, 274 A'. Qui pœnitentiam usque ad mortem differt, vix veraciter pœnitet, 274 C'.

HONOR, quid sit, 473 C. — Per contentionum fugam acquiritur, 132 B, per liberalitatem, 144 B', et sapientiæ cultum, 503 B. Impiis non competit, 473 C, 478 C; insipienti denegandus est, 163 D'. — Deus quomodo honorandus, 26 D, 96 C. — Quid sit alienis honorem dare, 40 D'. — Honor regibus exhibitus, 536 A, origo fuit idololatriæ, 536 C. — *Cf.* Gloria.

HORTUS. Quid sint hortus Sponsi, 384 D, 394 D', 399 C', et aromata ejus, 374 B'. Quomodo Sponsus in ipsum descenderit, 403 B, 409 A', 413 D, et ibi pascatur, 403 C, 409 B'. — Quo sensu Sponsa in hortis habitare dicatur, 438 A, 443 D, 446 D'. — Quid hortus nucum, 407 A, 413 A, 416 D, fons hortorum, 373 B'. — Hortus conclusus, sic vocatur Ecclesia, 371 C, anima, 379 D, B. Virgo, 383 D'. — *Cf.* Fontes.

HOSTIÆ legales, quomodo Deo acceptæ, 142 A. — *Cf.* Sacrificia.

HUGO (a S. Victore), canonicus regularis, citatur, 98 A, 202 C', 299 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 175-177.)

HUMILITAS commendatur, 105 C, 180 B. — Requiritur ad obtinendam sapientiam, 18 D', 19 C, 152 D', gratiarum infusionem, 61 B', 124 A', illuminationem divinam, 72 B. Meretur amicitiam Christi, 124 A', et gloriæ præmium, 105 C, 180 B. — Nostra vanitas causa humilitatis est, 214 D. — Humilitas nutritur luce contemplationis, 319 A'. — Non impedit quin nostram excellentiam attendamus ac fateamur, 220 A.

Humiles, parvuli dicuntur, 14 A'. Se ipsos accusant et accusari permittunt, 124 D. Quo

Digitized by Google

pacto bonam famam desiderare debeant, 246 C'. — Obtinent multiplicia gratiarum charismata, 339 B. — Utile est se ipsum respectu sanctiorum attendere, quare, 320 A'.

HYDRIA super fontem contrita, quid significet, 286 C.

HYPOCRITA pejor est impatiente, 93 A'. — Reprobari debet a prælatis Ecclesiæ, 337 C. — In eo S. Spiritus non habitat, 456 A. — — Quam Deo sit odiosus, 375 C, 456 C. — A Christo sæpissime ac acerrime hypocritæ reprehenduntur, 456 B.

I

IDIDIA, nomen est Salomonis, 5 A.

IDOLOLATRIA, unde exordium sumpserit, 535 C', 537 D'. — Imaginum pulchritudine aucta est, 536 B, et avaritia, 533 C. — Ejus facinora, quæ, 536 C', 537 A. Per idola dæmones responsa dabant, 532 D'. — Omnium vitiorum est causa et finis, 537 D, et quodammodo primum vitium, 537 C. — Per Apostolos discipulosque eorum, idololatria pro maxima parte fuit exstincta, 535 D, adhuc viget in quibusdam regionibus, 535 A'. Destruetur ante finem mundi, 535 A'. Ab Antichristo reprobabitur, 535 B'. — Vocatur fornicatio, quare, 535 B. Designatur per meretricem, 43 B. — Facete deridetur a Sapiente, 531 C', 532 A, 541 D et seq.

IGNIS ad suam formam alia convertit, 434 C; nunquam dicit, Sufficit, 188 B. — Quam mirabiliter cruciaverit Ægyptios, aquæ contra naturam sociatus, 545 A', C', 546 D, 561 C', omni luce destitutus, 549 B, nocivis parcens animalibus, 545 B', et Hebræorum possessionibus, 546 A'. — Nihil in manna valebat, 547 B. — A paganis colebatur, 530 B. — Mystice, iram signat, 112 B, invidiam, 434 A, tribulationem, 113 C', sed præcipue caritatem, 434 B, 441 B'. — Sermo Dei, quomodo dicatur ignitus, 184 C'. — *Cf.* Lampades.

IGNORANTIA est periculosissimum vitium, 491 A'; præsertim ignorantia necessariorum ad salutem, 117 C'. — Ignorare Deum miserum est, 39 D. — De ignorantia crassa seu affectata, 14 D', 173 B', 481 B'. — *Cf.* Cognitio.

ILLUMINATIO de veritatibus ad salutem necessariis, a Deo semper datur invocantibus, quomodo, 471 A. — Illuminatio supernaturalis et gratiosa, quam necessaria hominibus, 510 A. — Fit per missionem Spiritus Sancti, 510 B.

ILLUSOR, quid sit proprie, 33 C'. — Sic dici potest injustus quilibet, 33 D, et indocilis, 84 C. — Abominatio est apud Deum, 33 D, qui eum deludet, 33 C'.

IMAGO. Quomodo Sapientia imago sit bonitatis Dei, 497 D'. Cur homo ad imaginem Dei creatus, 467 A. — Ex imaginibus mortuorum vel regum idololatria sumpsit exordium, 535 C', et incrementum, 536 B.

IMBER serotinus proficuus, 110 A. Ipsi comparatur clementia regis, 109 D', et Christi, 110 B. — Imber vehemens, pauper calumnians pauperem, 172 B'. — *Cf.* Pluvia.

IMMACULATA. Quo sensu sic nuncupetur Ecclesia, 387 D', anima virtuosa, 395 D', B. Virgo, 400 D'.

IMPATIENS stulte et inhoneste se habet, 93 D, 95 C'. — Magister impatiens lædit subditos, 129 D. — *Cf.* Patientia.

IMPERFECTI parvuli dicuntur, 14 A'.

IMPIETAS est spiritualis ruina, 72 D. — Impii delectantur sine remorsu in malis, 21 D, 261 C'. — Sunt ipso facto illusores, 33 D, inopes spiritualiter, 33 B', inconstantes, 74 D'. Sua propria commoda quærunt, 78 C'; falsam sententiam proferunt, et ad homicidia provocant, 79 A. Sunt gulosi, atque terrenorum insatiabiles, 89 D'. — Deformant in se imaginem Creatoris, 98 D'. Viliores sunt quam brutum et stercus, 180 D', 233 A', 540 C, moribus quidem, non autem natura, 541 C'. — Indigni sunt pane quo vescuntur, aere quem respirant, terra quam calcant, 552 B'. Quomodo sint indirecte utiles, 474 D'. — Vere non amant se nec alterum, 118 C'. Molesti sunt suis subditis, 79 C'. — De eorum subsidio non confidendum est, 160 A. — Alios docere indigni sunt, 163 C'. — Ab illis vituperari gloriosum est, 132 C'. — Quo pacto sint amandi, non imitandi, 33 D. — Qualiter a Deo recedant, 471 A', et Deus sit longe ab eis, 103 C'. Sibi facile persuadent nihil certum sciri de altera vita, 462 C. Sua vitia palliant, 67 D', et in Deum referunt, 126 D'. — Impius idem sonat ac iniquus, 141 A. Qui sint fructus ejus, 98 B'.

Impiorum malignitas a Deo sæpe compescitur, 66 C, 73 C, et punitur in hac vita, in ipsos redundando, 165 B', 130 D'. Plurimas incidunt in angustias, 481 C. Sunt semper inquieti et pavidi, 13 C, 70 C', 550 C.

Digitized by Google

Habent molesta phantasmata in somno, 31 A'. — Non sunt viva membra Ecclesiæ, 471 C'. Eorum conversionem omnis justus curat, præsertim prælatus, 139 D'. Perpauci in fine veraciter pœnitent, 262 A. — Eorum memoria cito peribit, 79 B. In futura vita punitionem accipient, 77 A', 130 D', ex qua augebitur gloria electorum, 475 A. Eorum punitio describitur, 479-482, 483 D'. In ipsorum condemnatione relucet divina justitia, 475 A. — Præsentabuntur in judicio finali cum ingenti timore, 478 D', 479 B'. Seorsum a societate Sanctorum abducentur, ad sinistram Judicis, 478 D'. Eorum corpora deformia erunt, 479 D'. In ignem æternum projicientur, 479 A.

IMPRUDENTIA inimica est sapientiæ, 14 D', 94 B'. — Imprudentes manent flagella, 163 A.

INCORRUPTIO facit esse proximum Deo, 489 B'. — Quid sit incorruptionis consummatio, 489 A'.

INCREPATIO, quam utilis animæ, 48 D, 98 C, 104 A', D'. — Eam fugere, stultum, 68 D', 78 B, 86 C, et periculosum, 99 C'. — *Cf.* Correctio.

INDIGNATIO propria est superbis, multaque peccata parit, 180 A. Quomodo sit reprimenda, 180 A.

INDOCTUS. Sic vocari potest superbus, 141 C', et impatiens, 128 C. — Indocti a salute elongantur, 69 D. — *Cf.* Doctrina.

INFANTIA, quotupliciter accipiatur, 14 B'. — Infantuli nascentes erumpunt in vocem lamentationis, 492 A; aliter fertur de Moyse et Zoroastre, 492 B. — Multi infantes, in lege evangelica, supernaturaliter locuti sunt, 517 B'.

INFERNUS, quotuplici modo sumatur, 102 C. — Sunt quatuor loca inferni, 514 C'. — Infernus damnatorum est æternus, 72 C', 83 A', et insatiabilis, 170 C, 188 A. — An aliqui sint ex eo reducti ad pœnitentiam agendam, 72 C'. — Inferni pœnæ sunt amarissimæ, 84 B', sed citra condignum, 266 A. — In inferno non est opus, nec sapientia, nec scientia, 265 B', 267 A, nec status merendi aut demerendi, 265 C'. — *Vide* Limbus.

INFIDELES. Quomodo ad gratiam se aptare possint, 106 A.

INFINITUM. Sic vocatur interdum aliquid insolito modo magnum, 494 A.

INGRATITUDO, peccatum enorme; quotuplex ejus gradus, 116 A'. — Præcipua pars hujus vitii est beneficiorum oblivio, 441 B.

INIMICUS taciturnus pejor est quam loquax, 69 A. — Inimico dejecto, non licet gaudere, 154 A'; sed potius ei subveniendum est, 160 A'.

INJURIA, caritate, humilitate ac mansuetudine vincenda est, 339 A', et nunquam vitiose repellenda, 163 B. — Injuriam dissimulare, sapientis est, 81 B'; aliquando tamen clavum clavo retundere licet, 163 D, A'.

INJUSTITIA, ex suo genere mortale peccatum est, 461 C. — Quandoque omne peccatum grave designat, qualiter, 461 C.

INNOCENTIUS III, Papa. Liber ejus de Contemptu mundi citatur, 53 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 217, col. 702.)

INSTITOR. Navi institoris cur comparetur Ecclesia, 197 C, anima, 201 A', Scriptura, 202 B', B. Virgo, 205 D.

INTEGRITAS. *Vide* Incorruptio.

INTELLECTUS, nobilissima inter animæ vires internas, 423 C', potest in se ipsum reflecti, 136 A'; voluntatem illuminat, et ab ea rursus imperatur et informatur ad agendum, 422 D', 423 A. — Nullam rem perfecte cognoscere valet, 217 A. Quomodo se habeat ad cognitionem substantiarum intellectualium, 509 C'. Quatenus possit substantiarum materialium quidditatem cognoscere, 217 A. — Quiescere nequit nisi in notitia Creatoris, 217 C. — Perficitur actibus sapientiæ, consilii, scientiæ, et prudentiæ, 409 B'. — Lumen ejus signaculum est lucis increatæ, 136 D; acuitur per studium et exercitium, 423 D'; præcipue per actus vitæ contemplativæ decoratur et augetur, 424 A; perfectionem summam invenit in contemplatione sapientiæ Dei, 488 D', in qua felicitas ejus consistit, 423 C'.

Intellectus est primum tanquam tabula rasa, 24 D. Molæ assimilatur, quare, 101 C'. — Qualiter sit interior visus, auditus, gustus, olfactus, tactus, 318 D', femur spirituale, 353 C. — Cognitio intellectiva incipit a sensitiva, 284 D, 423 C. — Quid sit intellectus passivus, 423 C. — Faciliter intelligere, felicitatis est, 505 C. — Qui omnia scrutari intendit, ab oratione impeditur, 219 C.

INTENTIO speciem dat operibus, 151 D', 272 C. — Intentio recta quærit Deum, omnia ordinando ad ejus gloriam, 454 A; a Christo frequentissime commendatur, 456 B.

INTERPOLATIO. *Vide* Glossa.

INVIDIA, quid sit, 234 A. — Secum fert suam

Digitized by Google

pœnam, 96 A, pariter corpori nocens, quod deprimit, 96 A, et animæ, quam omni virtute et merito destituit, 96 B, 434 A, miseris sollicitudinibus implet, 234 B, et a sapientia avertit, 490 C'. — Aliis occulte insidiatur, 148 B', C', 234 B. — Invidia diaboli mors in orbem intravit, 467 B.

IRA ægritudo est animæ, in temeritatem prona, 167 B, valde nociva, 81 D, et vitanda, 339 A', præsertim in communitatibus, 167 C, 123 A'. — Peccatum est ex suo genere mortale, 250 A, gravissimum et periculosissimum, 123 A', 167 A, 250 A, janua omnium vitiorum, 81 D, 179 D'. — Aperte nocere quærit, 69 A, 234 B. — Prolata fervet amplius, occultata conquiescit, 81 C'. — Mansuetudine vincitur, 97 A, muneribus, 140 B, patientia, 101 A. — Mentem a gratia impedit, 33 D'; imo a ratione, 250 B; et signum est stultitiæ, 81 C, 249 D'. Non concitari ad iram per aliorum improbitatem, magna est perfectio, 97 B. — Ad iram proni sunt, qui mollem et blandam educationem susceperunt, 179 C'. — Ira per zelum est laudabilis, parsque justitiæ, 247 D', quandoque necessaria, cum moderamine caritatis, 248 A. — Imperfectis vitanda est societas iracundorum, 146 B', D'.

ISIDORUS (S.), Hispalensis episcopus, allegatur, 23 D, 308 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 81-84.)

ISIS, Ægyptiaca dea, cujus sacra nocte fiebant, 536 D'.

ISMAEL fertur fecisse idola ex luto, 537 C'.

ISRAELITÆ per Prophetas dirigebantur, 179 C. — Pro magna parte fuerunt valde imperfecti et duræ cervicis, 514 A. — An juste Ægyptios spoliaverint, 514 C. — An spoliaverint armis et vestibus cadavera Ægyptiorum post submersionem in littore ejecta, 514 D'. — Extrema derelictio populi Israelitici est signum veritatis catholicæ fidei, 562 C'. — *Cf.* Judæi *et* Hebræi.

ITER, quandoque sumitur pro verbis et operibus, 39 B, 83 D', 88 B, 101 B. — Quid sit iter rectum, 21 C, 90 C, et iter devium, 84 B'. — *Cf.* Semita, Via.

J

JEJUNIUM ultra vires, non est laudabile, 38 B'. — Quando sit virtus et quando vitium, 38 B'.

JERUSALEM. Quomodo ipsi comparetur Ecclesia, 403 C', anima, 410 D', B. Virgo, 414 A'. — Quid sint filiæ Jerusalem, 302 C', 332 C', 341 A', 346 D', etc. Cur propter ipsas caritate constratum sit ferculum Salomonis, 354 D'.

JOAB Amasam occidit proditorie, 81 A'.

JOANNES (S.) apostolus, qualiter eunuchus vocari possit, 473 C'. — Ex visione imaginaria Judicis, velut mortuus cecidit, 479 C'.

JOANNES (S.) Eleemosynarius, patriarcha Alexandrinus, pauperes vocabat suos dominos, 143 A'. (Acta SS. die XXIII[a] Januarii.)

JOSEPH (S.), sponsus B. V. M., quamvis eam prægnantem conspiceret, adulterium non suspicatus est, 204 D. — Cum Maria cooperabatur ad vitæ Filii Dei sustentationem, 205 B.

JOSEPHUS historicus vidit statuam salis uxoris Lot, 512 A. — Erravit de peccato cogitationis, 102 B'. — Passim allegatur, 102 B', 182 D', 292.

JUDÆI, quanta bona a Christo et ab Apostolis receperint, 17 A'. Quomodo indurati sint ac pœnis afflicti, 17 B'. — Dolebant quod ad Jesum populus curreret, 465 D'; odio eum et invidia persecuti sunt, 433 D; exploraverunt an verus Filius Dei esset, 466 B; volebant immunes ab ejus morte videri, 466 C. — Spem formatam non habuerunt, 466 D'. — Ecclesiam primitivam persequendo, fuerunt occasio ejus dispersionis inter gentiles, 303 D, D'.

Judæi Auctores. *Vide* Josephus, Moyses M., Philo.

JUDICES olim in portis urbium sedebant, 14 D, 146 D. — Quosnam arguere debeant, 33 B. — Quare munera accipere nequeant, 103 A. Quo pacto liceat eis complacere, 180 C'. — Aptiores sunt ante comestionem ad judicia expedienda, 276 C. — Nimium rigorem vitent, 254 B. Clementiam et discretionem sectentur, 453 B'. — Tria sibi proponant in vindicando, 254 B. Sint quasi viva lex et animata justitia, 453 B'. *Cf.* Prælati.

JUDICIUM discretionis, quid, 20 D'; vitiis pervertitur, 81 A. Quid sit facere judicium, 139 C, 140 C. — Sic vocatur cogitatio justi, quare, 78 B'. — In judiciis severitas nimia vitanda est, 253 D', et præcipue personarum acceptio, 121 C', 155 C'. — Judicia Dei, quid, 548 A. Divinum judicium infallibiliter verax, 138 B', et justum, 484 C, timendum est, 180 C'. — Judicium particulare fit statim post mortem, 282 C, 487 A. Judicium generale descri-

Digitized by Google

bitur, 479 B et seq. A Christo in forma viri fiet, 50 A, et cuncta discutientur, 287 D', 458 B. Impii terrore pavidi, 478 D', 479 B', prosternentur, 93 C', ad sinistram Judicis, 478 D', cum corporibus horribilibus, 479 D'; gemitibus extremæ desolationis ululabunt, 480 B; præ timore pœnarum, ex amore privato de peccatis suis dolebunt, 480 C. Justi ad dexteram Judicis, securi, 479 B, assessorie et approbative gentes judicabunt, 470 C'; zelo justitiæ contra persecutores movebuntur, 479 C. — Durissime judicabuntur prælati, 487 B.

JULIANUS (Apostata) increpatur, 97 A'.

JULIUS (Cæsar), viso capite Pompeii adversarii sui, flevit, 154 B'.

JURAMENTUM debet comites habere discretionem, justitiam et veritatem, 82 A. — Jurare non est semper illicitum, 537 B'.

JUSTIFICATIO. Qualiter possit peccator se ad eam aptare, 105 A'. — Justificare impium non est leve peccatum, 117 B.

JUSTITIA ab Ambrosio definitur, 453 B'; commendatur, 71 B, præsertim prælatis, 453 A. — Est quasi omnis virtus, 84 A', 501 C', omnia ordinans ad gloriam Dei, 454 B, aut virtus specialis præclarissima, 358 D'. — Omnibus vult prodesse, nulli nocere, 502 D. Deo justos conformat, 96 B', et confortat, 98 D. — Quomodo definiatur, 117 D', 461 A. Ex sua natura potest perpetua permanere, quomodo, 460 D'. — Justitiæ multiplices gradus, 133 B'. — Sine illa non habetur vera et salutaris sapientia, 453 A. — Secundum ordinem, homo se ipsum in primis judicare debet, 453 C. — Justitia non ab homine instituta, sed lex divina est, 502 D. — Quidquid justitiæ repugnat, est ex suo genere mortale peccatum, 461 C. — Justitia rigorosa clementiæ sæpe præponenda est propter bonum commune, 75 B, misericordia tamen temperanda, 453 B'. — Contra justitiam commutativam est, pro re venali minus dare quam valet, etiamsi hoc jure civili toleretur, 134 D.

JUSTUS est qui Dei præcepta servat, 316 A', 141 A. — Justorum et electorum numerus minor est quam impiorum ac reproborum, 219 C'. — Nemo justus est sine proposito jugiter permanendi in justitia, 461 A. — Servans mandata, pace fruitur, 17 B. Deum solum timet, 172 C, ad ejus gloriam se suaque omnia ordinando, 483 D. — Semper spiritualiter dives, 66 C, est rex sui ipsius, 138 A. Cogitationes suas discutit ac refrenat, et ad justitiam conservandam dirigit, 78 C'. Nihil loquitur aut scrutatur præsumptuose de Deo et de Scriptura, 237 D, parum et non incaute disserit de judiciis Dei, 238 B.

Nullus est qui non peccet, saltem venialiter, 302 B', 255 D, quotidie, 494 B'. — Propter peccata venialia justus non est inquietandus, quare, 154 B. Potest amittere caritatem et eam recuperare, 117 D', 70 D'. Quam fragilis et instabilis in virtute, sine Dei auxilio, 268 C. — Ejus culpæ ab impiis exaggerantur, 161 D.

Justi sunt Dei filii per adoptionem, 467 A'. — Qualiter ab impiis avertantur, 127 C, et per eorum manus exerceantur et purgentur, 241 A, 494 B'. — Deus justos per adversa probat, quare, 113 C'. — Peccata sua confitentur humiliter, 67 D', 83 A', et pro eis in hac vita tribulantur, 77 A'. — Quamnam retributionem accipiant in præsenti, 89 A, pro zelo, 67 A. In V. L. divitiæ commune præmium justorum erant, 66 B. — Quam beati sint, 22 D, 33 B', et utiles reipublicæ, 73 A'. — Simplicitas eis necessaria est, 20 A'. — Justorum semitæ, quid, 36 C', et quomodo crescant, 36 C'. — Verba justorum, qualia, 67 D'. — Deus eos sæpe morte præmatura rapit, ne ab impiis pervertantur, 477 B. In purgatorio qualis sit eorum status, 483 A.

JUVENTUS, quomodo ab adolescentia distinguatur, 283 A, D. Melior ac morata melius est quam adolescentia et senectus, 282 A'. — Juvenes debent virtuti assuefieri, 144 C. Solent de sua corporali fortitudine gloriari, 136 D'.

L

LABIA. Quid sit labia comprimere, 120 A', torquere, 126 B, dilatare, 135 C, deosculari, 156 A; quid aliquem labiis lactare, 156 D. — Quo sensu in labiis regis sit divinatio, 108 C', in labiis justi, custodia, 90 B'. — Labia Sponsi, cur myrrhæ primæ assimilentur, 392 D'; labia Sponsæ, vittæ coccineæ, 365 B, 376 D, et favo distillanti, 370 B, 379 A, 383 B'. — *Cf.* Lingua, Os.

LABOR interdum significat temporalem possessionem, quæ laboribus congregatur, 479 D.

LAC, cibus puerorum, varia signat, innocentiam, 370 D, consolationem, 379 B, etc. —

Digitized by Google

Quomodo sub lingua Sponsæ inveniatur, 370 C, 379 B, 383 C'. — Quo sensu Sponsus lac cum vino bibat, 385 C', 386 B, 400 C.

LÆTITIA bona consistit in Dei contemplatione et dilectione, 248 C'; insana, in jocis, lusibus et choreis, 248 B'. — Lux oculorum, quomodo lætificet animam, 104 A, et filius sapiens, patrem, 65 A. — Quo sensu Deus in perditione impiorum lætetur, 460 C, vel de inimicorum ruina gaudere liceat, 114 C. — *Cf.* Gaudium.

LÆVA Christi, quid, 332 D. — Quomodo eam ponat sub capite Ecclesiæ, 332 A', 431 D, animæ, 341 C, 440 B, et B. Virginis, 346 D, 445 D. — *Cf.* Dextera, Sinistra.

LAMPADES dilectionis, quid, 434 A, 441 B'.

LAMUEL, nomen Salomonis, quid significet, 192 B.

LAPIS. Quid sit lapidem volvere, 165 B', vel transferre, 274 B.

LAQUEARIA domus Sponsæ, quid et cur cypressina dicantur, 312 B', 320 C', 327 D'.

LATRO. Hæretici latronibus comparantur, quare, 12 C.

LAUDES appetere vanitas est, 185 D', fugere et contemnere, signum virtutis, 170 D. — Quare non appetendæ, 166 B'. — Quo pacto Sancti interdum seipsos laudent, 166 C'.

LECTUS. Aureis et argenteis lectis olim utebantur magnates, 159 A. — Quid lectulus floridus Sponsi et Sponsæ, 312 B, 320 B', 327 B'; quomodo Sponsa ibi Sponsum quærat, 350 C, 356 B, 359 C. — In lectulo commendatur oratio, quum obdormimus vel evigilamus, 360 A.

LEGENDÆ. In legendis Sanctorum multi feruntur resuscitati, qui narraverunt ea quæ viderunt, 462 C.

LEO (S.) Papa, allegatur, 88 D', 550 C.

LEO, an sit fortissima bestiarum, 191 A. Ejus rugitus bestias sistit, 128 A'. Quid mystice designet, 191 C, 368 C', 378 C. — Quomodo melior sit canis vivus leone mortuo, 265 D.

LEPUSCULUS, quid sit ad litteram, 190 C, et mystice, 190 B'.

LEX via est ad Deum, 57 D. — Lex Dei quotuplex sit, 23 C. Meditanda est, 47 D', et defendenda contra impios, 169 B. Quot modis illam obliviscatur homo, 23 C. — Cur lex lux dicatur, 48 C. — Lex sapientis est fons vitæ, 88 A. — Lex æterna est exemplar omnis legis creatæ, 23 D. — Legis naturalis renovatio ac suppletio fuit lex scripta, 486 D'. — Lex Moysis data est quinquagesimo die post exitum de Ægypto, 552 C'. An præceperit inimicos absolute odisse, 160 C'. Quare vocetur lex justitiæ, 486 D', lex timoris, 298 D'. Ejus transgressoribus timores et angustiæ prædicebantur, 172 B. Multi gentilium, ante Christi adventum, ad eam conversi sunt, 553 A. — Naturalem legem et Mosaicam perfecit lex evangelica, 486 D', quæ est lex caritatis, 298 D', multiplici modo melior lege veteri, 298 D'.

LIBANUS mons, ubi crescunt cypressus, cedrus, arbores imputribiles, 354 A, sublimes et odoriferæ, 393 C', interpretatur candidatio, 368 D. — Mystice, quid significent Libanus, 368 A', 374 A, 377 D', 384 B', ligna Libani, 354 A, 358 D', 362 C, 373 C, aquæ Libani, 374 A. Cur Libano comparetur species Sponsi, 393 C', et turri Libani, nasus Sponsæ, 418 D', 424 D, 427 B'.

LIBRI. In libris patrum invenitur alimonia spiritualis, 89 A'. — Quam laboriosum sit libros componere, 287 B'. — Unum librum componendo, incitatur auctor ad alios exarandos, 287 A'.

LIGNUM. Per lignum in Scripturis sæpe intelligitur homo, 279 D, vel fidelis, 274 C; per ligna silvarum, animæ steriles, 329 C'; per lignum vitæ, Christus, 29 B', qui se ipsum ligno comparat, 339 C'; vel quidquid animam reficit, 29 B', 77 B, 87 A', 97 C'. — *Cf.* Arbor, Malus.

LILIUM adustum medicinale est, 339 B. Quid significet, 367 A. — Sponsus, quomodo lilium convallium vocetur, 328 C, 339 B, vel pascatur inter lilia, 337 D', 343 D', 349 C', vel lilia colligat, 403 D, 409 D', 414 C. Sponsa, cur lilium inter spinas dicta, 329 C, 339 C, 344 C, C'.

LIMBUS. In limbo est pœna damni, 243 D'. — Quandoque limbus puerorum et limbus patrum inferni vocantur, 267 C. Creduntur esse in superiori parte inferni damnatorum, 267 C. — In limbo patrum seu sinu Abrahæ non erant opus, ratio, scientia ad promerendum, 267 B.

LINGUA. Egregie ab Hugone describitur, 98 A. — Eam moderari difficillimum est, 69 C. Recta ejus gubernatio multa commoda affert, 85 A; a multis peccatis et angustiis præservat, 141 B'; donum est speciale gratiæ Dei, 106 A', martyribus et prædicatoribus concessum, 106 A'. — In quo consistat

Digitized by Google

bonus usus linguæ, 125 C. — Linguæ peccata, quot et qualia sint, 80 B'. — Quantum noceat lingua incustodita, 85 C. Fons est litium, 116 C'. — Non respondendum antequam sciatur mens alloquentis, 122 D'. — Verbositas, grave vitium, 179 B', increpatur, 100 B; vix corrigi potest, 179 A', nisi ex consideratione præsentiæ divinæ, 237 D. — Loquax, quantum sibi noceat, 162 A, 275 C. Linguam refrenare stultus nescit, 178 C. — Contemplativæ animæ valde necessaria est linguæ custodia, 376 A'. — Linguæ novæ fuerunt a Spiritu Sancto institutæ post confusionem Babel, 457 D'.

LOCUS. Duo corpora naturaliter nequeunt esse in eodem loco, 481 D'.

LOCUSTA, animal cruribus debile, 285 B', a Sapiente laudatur, 190 D. — Ejus proles dicitur bruchus, 285 B'. — Metaphorice crura significat, 285 C'; allegorice, anachoretas, 190 C'.

LOCUTIO. Quæ sint regulæ locutionis rectæ, 237 D, 275 B'. — In quo consistat locutio Verbi æterni, 297 B'. Communis est Trinitati, 297 C'. Qualiter angelis et hominibus Verbum loquatur, 297 C'.

LUCERNA, in Scripturis, temporalem prosperitatem signat, 86 B', 155 B, famam, 198 B, 206 C, doctrinam, 203 A, vel fidem, 206 D. — Cur lucernæ comparetur mandatum Domini, 48 C, et anima hominis, 136 D, B'. — *Cf.* Lumen, Lux.

LUDUS. Opera Dei in ordine naturæ sunt quasi ludus respectu supernaturalium, 59 B. — Quomodo Sapientia ludat coram Deo, 59 A.

LUMEN sapientiæ, an sit ex natura sua corruptibile, 493 D. — Lumen naturale intellectus, quomodo augeatur, 423 D', 424 A. Est quoddam signaculum lucis increatæ, 136 D. Lumen increatum est infinitæ amœnitatis intuenti, 281 C'. In Scriptura quid significet, luminaria cœli obscurari, 552 B. — *Cf.* Lux.

LUNA, quomodo eclipsetur, 412 B', vel tenebrescere dicatur, 284 A. — A paganis colebatur, 530 C. Superstitio quorumdam lunam observantium carpitur, 52 C. — Metaphorice, sol et luna oculos corporales signant, 284 C. Cur lunæ assimiletur Ecclesia, 406 C', anima, 412 B', B. Virgo, 416 A. — *Cf.* Sol.

LUX, quam sit delectabilis oculis corporis et animæ, 104 A, præcipue lux increata et lumen gloriæ, 104 C. — Lux intelligibilis, quid sit, 104 B. — Quomodo Sapientia sit candor lucis æternæ, 497 C'. — Ad ortum lucis Deum oportet adorare, 547 D. — *Cf.* Lucerna, Lumen.

LUXURIA vitium est probrosum et diffamans, 49 D'. Reprehenditur, 193 A. — Insatiabilis est, 187 C', mentes ferreas domat, 256 D', rationem maxime obscurat, 276 A', 463 D', judicium corrumpit, 477 A, hominem crudelem reddit, 463 D'. — Impedimentum maximum est sapientiæ, 40 B. Plurimas pœnas animæ et corpori infert, 40 C, 41 C. Sæpe contingit ex fragilitate humana, 477 A. Prudentia vitatur, 21 C'. Ejus occasiones fugiendæ, 40 C'.

Luxuriosi raro ad pœnitentiam redeunt, 22 A. — Inconstantes sunt, quare, 476 D'.

LYRA (Nicolaus de) Ord. Minor., notissimus postillator, passim allegatur, 182 C', 293 A, etc. — Quandoque, tacito nomine, verbo « quidam » designatur, scilicet, quum improbanda videtur ejus sententia, 299 C, 301 B'.

M

MACARIUS (S.) abbas, impavidus clamores diaboli sustinet, 32 A'. — Sua mansuetudine sacerdotem idolorum convertit, 97 C. (Acta SS. die XVª Januarii.)

MACERIA, quid sit ad litteram et mystice, 156 C'. — Cur Sponsa in caverna maceriæ habitare perhibeatur, 336 B', 343 B, 348 C'. — *Cf.* Foramina, Petra.

MAGIA valde periculosa est, 76 A'. — Eam ignorare magis expedit, 244 D', 245 C.

MAGISTER in Historiis. Sic vocitatur Petrus Comestor, auctor Historiæ scholasticæ. Allegatur, 512 A, 537 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 198.)

MAGISTER Sententiarum, alias Petrus Lombardus, auctor libri Sententiarum, citatur, 107 A', 42 D, etc. (Migne *Patrol. lat.* tom. 191, 192.)

MAGNANIMITAS. *Vide* Fortitudo.

MAHOMETUS. Ejus lex suggillatur, 535 A'.

MALEDICTIO, quid sit proprie, et quando licita, 162 C'. — De ejus effectibus quoad posteros, 525 D. — Patri vel matri maledicens, quomodo puniatur, 135 D. — Maledictiones Scripturæ, quomodo intelligendæ, 262 D, A'.

MALUM culpæ, non pœnæ, enixe vitandum est, 82 A', 233 D. — An malum appeti et agi possit prout malum est, 138 C. — Quo pacto

Digitized by Google

de malo pœnæ liceat gaudere, 114D, 154B'; quid de malo culpæ, 154A'. — Malum inferre justo pejus est quam injusto, 119C'. — Quæ non sunt bona nec mala moraliter, vocantur indifferentia, 264D'.

MALUS, quam nonnulli arborem vetitam fuisse putant, 433C', describitur, 345C. Recte crucem significat, 432C. Cur malo comparetur Sponsus, 329A', 339B', 345B. Quo sensu sub arbore malo suscitata sit Sponsa, 432B, 433C', 440C', 445B', et corrupta mater Sponsæ, 432A', 433C', 441A. — Malum, fructus optimi odoris, 420D, 425B', 428D'. Quare malis stipari cupiat Sponsa, 331B', 340D', 346C. — Malum punicum, fructus duro cortice, 405B, varia figurat, 372C, 384B, 421C. Ipsi assimilantur genæ Sponsæ, 365A', 376D', 381D. — Malum granatum, mystice quid, 431B, 440B.

MAMMA. Laudantur mammæ Ecclesiæ, 369C', animæ, 378C', et B. Virginis, 383B. — *Cf.* Ubera.

MANDATUM, quare lucerna vocetur, 48C. — Mandata viæ sunt ad Deum, 57D. — *Cf.* Lex.

MANDRAGORÆ, quid ad litteram, 421A', et mystice, 421A', 429C'.

MANE in Scripturis varia designat, 16B, 56D, 281C.

MANICHÆI Deum Israel malum dicebant, 187B.

MANNA, angelorum esca, quomodo Hebræis præstita, 545D'. — Præter naturalem saporem, 546A, supernaturales varios habebat, 546B. — Cur ad solis radios computruerit, 547B.

MANSUETUDO præparat animam ad gratias suscipiendas, 33D'. — Vincit iram, 97A.

MANUS. Quid significet manus in manu, vel ad manum, 75C, 108A. — Manus, in Scripturis, signant potentias operativas, 389A, 459D'. — Manus Dei multipliciter accipitur, 468A. — Quid manus Sponsi, 388C', 396B, 401B', et cur tornatiles vocentur, 392D'. — Manus Sponsæ, quomodo myrrham distillaverint, 389A, 396D', 401D'. — *Cf.* Dextera, Læva, Sinistra.

MARCIONITÆ, hæretici, pessime de Deo sentiebant, 187B.

MARE, origo est omnium fontium, 216B, quomodo, 216D. Cur terras non invadat, 58C': in hoc apparet omnipotentia Dei, 58B'. — In judicio contra impios exardescet, 484B'. — An mare Rubrum aquas rubeas habeat, 514A'. — Describitur mare Mortuum et regio Pentapolis, 512A.

MARIA Virgo (SS.) fuit præclarissime sanctificata in utero, 321C, 445D', et angelis commissa, 361D'. — Ante solitum tempus cœpit uti ratione, 445D', et exinde in omni virtute proficere, 321B', singulis horis, 361B. — Fomes peccati prorsus in ea fuit exstinctus, 345A, 361B. Confirmata in gratia, 204B', 323C', 446A', sua libertate nunquam abusa est, 326B'. — Studiosa et erudita erat in lege, 321C'; divina jugiter meditabatur, 348C'; in lectulo suo orabat et contemplabatur, 359D'. — Perfectissime vitam contemplativam, 400B', et activam univit, 205C. — Custos interiorum suorum diligentissima, 416D, post Christi conceptionem fuit adhuc spiritualior, 401D'. — Quid significetur per umbilicum ejus, 426C', per collum, 427C. Oculi ejus, ex assiduo intuitu Dei incarnati, pudicissimi facti sunt, 427D. — Angelis, et Joanni sub cruce, Virgo Mater a Christo tradita est custodienda, 446A'. Quare Christus voluerit eam post suam ascensionem in terra manere, 326B. Centum viginti virgines leguntur cum ea cohabitasse, 205C', 346D'. Humillime subdita fuit Principi apostolorum, totius Ecclesiæ prælato, 446B'. — Desiderabat, præsertim post Ascensionem, dissolvi et esse cum Christo, 323D', 346D. — De ejus corporali assumptione post mortem non ambigitur, 327D', 328A.

Pie creditur ejus corpus purissimum odore suavissimo fragrasse, 323D; et ex contactu Christi, genas, 381A', et ubera, 382A, 383C, pulchritudinem induisse. — Formosa erat, 327D, præ omni alia, 382C. A', C'. — In vultu ipsius resplendebat interior sinceritas, tranquillitas et sapientia, 380D'. — Ejus venter, ex incarnatione Verbi dignificatus, 399A, quid mystice designet, 427B.

Ejus intentio fuit inviolabiliter recta, 380D; cogitatio et affectio ordinatissima, 380D'; voluntas perfecte Deo subjecta, 381B', et unita, 381C'. — Se totam in holocaustum obtulit, 382B. — Peccare non poterat, 416D, ne venialiter quidem, 204C', 446A'. Quo sensu dicatur suos affectus purgavisse, 401C. — Discretionem maximam habens, nunquam erravit, 427B'. Nunquam ei negligentia vel distractio subrepsit, 206B, 361C. —

Digitized by Google

Noverat trinitatem personarum in Deo esse, 321 C', et Dei Unigenitum incarnandum ac passurum, 322 A. Sanctorum patrum vestigia eminenter secuta est, 426 C. Omnibus virtutibus ac donis ornata fuit, 205 D, 206 C, 207 B, in anima et in corpore, 362 B.

Quanta humilitas et simplicitas B.V., 205 C. Omne bonum Deo adscribebat, 323 D'. Per spem et caritatem suæ voluntatis, per fidem et sapientiam sui intellectus Sponso cœlesti placuit, 348 C'. — Animum habebat maxime diligentem et caritate æstuantissimum, 361 B. — Ejus castitas, adhuc aucta per conceptionem Christi, 205 D', eam intuentes reddebat puros, 206 A, 345 A. Fuit ab omni inordinata affectione et sensuali delectatione immunis, 323 A', 426 B'; pudore verecunda, timorata et taciturna, non procax nec garrula, 326 A'. Oculos jugiter custoditos et pudicissimos tenebat, 380 D. — Corpus habuit purissimum, animæ omnino subditum, 361 B. Modicissimo somno contenta, vigiliis vacabat, 205 A'. Post Christi conceptum, magis adhuc fuit mortificata, 401 D'. — Ex parentibus satis divitibus orta, paupertatem et laborem elegit, 205 A.

Contemplatio ejus erat valde sublimis, 361 A'. Filii sui mysteria, gratias receptas, et beneficia humano generi concessa subtilissime meditabatur, 381 B. — Præ omnibus Sanctis in ea fuit prælibatio futuræ beatitudinis, 380 C'. An in hac vita Deum per speciem viderit, 380 C'. — Deus Trinitas B. Virginem semper accendit ad profectum in caritate, 361 C, B'. — Per Verbum Dei, utpote sponsa singularis, 204 B', 321 B, incomprehensibiliter ornata, illuminata ac visitata fuit, 380 D. — Christus specialissime pro ejus amore et salute crucifixus est, 382 D'. Cruce et passione Christi salvata est sicut et nos, 445 B'.

Ferventissimis desideriis, 399 B', et humilitate, attraxit Verbum ad assumendam ex se naturam humanam, 326 D', 362 A'; beatior concipiendo fide quam carne, 322 A', 399 B'. — Christum concepit ex spirituali causalique contactu omnipotentiæ Dei, 401 B'. — Mater est Christi, propagatione carnis, 426 B; filia vero, creatione et prædestinatione, 426 B. — Ostium fuit per quod Christus in mundum venit et nos ad eum accessum habemus, 446 A. — Diligentissime omnia officia Unigenito suo præstitit, 204 B'; felix quæ Christum deosculari poterat, 322 C'. Creditur frequenter in eodem lecto cum infantulo Jesu quievisse, 327 C', 346 B'. — Christus ei fuit materia copiosa lætitiæ et tristitiæ, 327 A. — Multum dolebat Maria manus et pedes infantuli perforandos inspiciendo, 327 B. — Quomodo in hac vita cum Christo conversando, ab eo refectionibus spiritualibus cumulata fuerit, 345 A'. Quare puerum Jesum tam dolorose quæsierit, 360 D. Omnis amor naturalis in ea informatus et ordinatus fuit caritate, 345 D'. Nunquam ad Filium carissimum sensualiter affecta est, 346 A. — In quantum Mater Dei, dignitate quodammodo infinita, bonitate et felicitate pollet, 346 B'. Humanitatem Christi valde dilexit, 346 B. Christi amica antonomastice appellatur, 382 C. — Quantus fuerit ejus compassionis dolor in passione Christi, 325 A, 428 B, et quanta inde merita reportaverit, 428 B'. — Nulla indignatione vel aversione mota est adversus crucifixores, 325 C. An B. Mater pro Christi humanitate passionem abhorruerit, 346 C. — Cur voluerit Christus suam Matrem in omnibus sibi condolere, 327 D. — In die Parasceves, per compassionis dolorem, plus quam martyr exstitit, 362 C'. Talis dolor consolationibus ejus frequenter admixtus est, 362 C'. — Compassa est et afflicta de hominum excessibus, de Filii passione, et de Sanctorum tormentis ac martyriis, 384 C, et per hoc innumeris peccatoribus salutem promeruit, 384 C', quorum conversio fuit Christo materia multiplicis jucunditatis, 445 C.

Maria est Ecclesiæ protectrix, 206 B', mater, 430 D, regina, advocata, 344 B, 415 B'. Dæmones impedit ne Ecclesias demoliantur, 349 B'. — Synagogam deseruit et facta est mater Ecclesiarum ex gentilibus congregatarum, 325 C'. — Etiam in somno, cor ejus pro Ecclesia vigilabat, 400 C'. — Virtutum ejus suavitas Ecclesiam triumphantem delectat, 383 D, et Ecclesiam militantem recreat, 383 A'. — Preces assidue fudit pro Judæorum conversione, 416 B', 360 C', et omnium peccatorum, 360 C', et multos convertit, 205 B'. Quare non pro omnibus exaudita sit, 360 C'. Per merita sanctorum Patriarcharum orabat, 360 D', sed suis meritis potius exaudiebatur, 360 D'. — Peccata mundi, præsertim Judæorum, deflevit, 382 A. — Plurimos a vitiis præservavit, 382 A. —

Digitized by Google

Opera misericordiæ spiritualia et corporalia implevit, et adhuc adimplet, 206A'. Cunctos ad se confugientes refovit et lætificavit sicut affectuosissima mater, 428D. — Meruit misericordiæ regnum super genus humanum, 206D, 323C'. — Largitrix est, post Deum, omnium quæ nobis conferuntur charismatum, 384A.

Ad dexteram Christi in cœlo collocatur, 346A'; a Deo laudatur, 349B. Ejus allocutiones Filio acceptissimæ sunt, 349D. — Sola dicitur cunctas hæreses interemisse, 349A'. — Pulchrior est ceteris Sanctis in cœlo, 414A', 416A; illos sua speciositate delectat, 414A'. — Comparatione B. Virginis nulla virtuosa anima perfecta est, 415A'. Post Christum perfectissima est in Ecclesia, 416A. — Dæmonibus metuenda, 414C', ad manum habet cœlestium spirituum militiam, 416D', quorum universi ordines ab ea illuminantur et perficiuntur, 445B. — B. V. Maria ab omnibus fidelibus, tanquam Sancta Sanctorum, Mater et Domina, amatur, 323C'. — Post Christi ascensionem in admiratione ac reverentia maxima apud fideles habebatur, 346C'. — Ab Apostolis et Sanctis primitivæ Ecclesiæ multoties visitata est, 361D'. — Magnum præmium a Deo conferetur his qui Virginem Matrem colunt et honorificant, 446B'. Qui illam non honorat, Filium non honorat, 444B'. — Dei amatores eloquia, miracula gestaque Mariæ cupide audiunt, 446D'.

MARIA (S.) Ægyptiaca « contemplativissima atque sanctissima » aquas pedestris perambulavit, 533B'. (Acta SS. die IIª Aprilis.)

MARIA (S.) Magdalene scivit se caritatem habere, 270D. In ea fuit fomes fere exstinctus, 270D. — Per crinem Sponsæ significari potest, 369B'.

MARTYRES hilari animo gravissimas pœnas pertulerunt, 434A'. — Deo valde accepti sunt, propter fidem et caritatem, 470C. Statim ad gloriam evolant, 354A', 468D. Ante Christi passionem, in limbo recipiebantur, 468A'. — Multos a morte gehennali liberant, 94C', exemplis suis proximos accendunt, 372C.

MATER, quam sollicita circa prolem, 65C. — Despicere matrem, impietas est, 101A'. — Mater Dei esse, per se non sufficit ad salutem, 322A'.

MATERIA prima, quidnam, 520D.

MATHUSALEM quanto tempore vixerit, 244D.

MATRIMONIUM. Actus matrimonii quandonam sit licitus, 42C, 227B, 266D', 472C. — Usum rationis absorbet, 491B'.

MEL, si immoderate sumatur, nocet, 153D'. — Quomodo sub lingua Sponsæ inveniatur, 370C, 379B, 383C'. — Mystice, quid sit mel, 370A', mel invenire, 159B', favum cum melle comedere, 385B', 386A, 400B. — *Cf.* Favus.

MELANCHOLIA. Melancholici ad jurgia proni sunt, 115D'.

MEMORIA est receptaculum locusque specierum, 348C'. Memoria intellectiva, est omnium capax et tenax, 423D. — In quo consistere debeat nostra memoria de Deo, 283B.

MENDACIUM directe Deo adversatur, 47A, 82D'. Si perniciosum sit, occidit animam, 459D, maxime in foro judicii, 459A'; imo et reus mortaliter peccat veritatem negando judici, 459A'; jocosum autem et officiosum ex genere suo non sunt nisi venialia, 459B'. Principem maxime dedecet, 115A, 178D. — Vir mendax « pascit ventos », 66A', et « impletur os ejus calculo », 134D'. Cito ad falsum testimonium inducitur, 81D'. — *Cf.* Testimonium.

MENDICITAS non est in se malum, sed communiter vitiorum occasio, 186A, D, saltem imperfectis, 186A'. — Christus illam consuluit et elegit, 186B'.

MENS. Possidere mentem multum prodest homini, 127D'. — Mens dura sibi causa est damnationis, 175A. — *Cf.* Cor, Intellectus.

MENSA Sapientiæ, quid, 61B.

MENSURA. Deus in mensura omnia constituit, 521C, D, et peccata vindicat, 521A, C. — Iniqua mensura, mystice quid, 133C'. — *Cf.* Pondera.

MERCATORES fraudulenti infernum merentur, 84A. — Solebant olim per lapillos computare, 163D'. Mercurium specialiter venerabantur, 163D'.

MERETRIX, quam nociva, 256B', et fugienda, 40C', 52D'. — Mores ejus describuntur, 51C'. — Comparatur foveæ, 145B, 150C. — Spiritualiter, idololatriam figurat, 43B, vel hæresim, 43C, 257A. — *Cf.* Mulier.

MERIDIES. Quomodo et quando sol ad meridiem declinet, 215A, C. — In Scripturis, per meridiem intelligitur lux contemplationis, 305A, 317C', vel beatitudinis, 325D'.

Digitized by Google

MERITUM, quid requirat, 25 B. — Per unum peccatum mortale totaliter amittitur, 271 C. — Nostra merita sunt Dei dona, 136 B, 267 C', 340 A. Nullum actum meritorium facere, nec cogitare possumus absque actuali motione gratiæ, 340 A, 494 D'. — Merita ac demerita singulos in altera vita sequuntur, 242 B. — De animarum meritis non est curiose disputandum, 106 C'. Nemo, absque revelatione, certo scit an sua conversatio sit meritoria, 136 B.

MESSIS. Tempus messis, quo nobis laborandum est, vita est præsens, 45 C, vel juventus, 66 C'.

METHODIUS (S.) martyr, episcopus Tyrius, citatur, 408 D'. (Migne *Patrol. gr.* tom. 18, col. 9.)

MISERICORDIA lege naturæ imperatur, 74 D', et in Scripturis multipliciter commendatur, 74 C', 94 C, etc. — Deum præcipue honorat, 96 C, 129 B, qui Deus misericordiæ vocatur, 506 A, et in misericordia disposuit omnia, 538 C. An in cunctis operibus Dei inveniatur, 558 C. — Regem maxime decet, 136 C'; senibus et feminis naturaliter insita est, 129 D'. — Veritate seu justitia est temperanda, 94 D. — Opera misericordiæ, quot sint in genere, 278 B'. Sacrificiis præstant, 138 B'; ad remissionem peccatorum conferunt, 74 C', 103 B, D; viæ sunt ad octo beatitudines, 278 B'; quadruplici mercede donantur, 27 C. Opera misericordiæ spiritualia corporalibus præminent, 133 B. — *Cf.* Eleemosyna.

MISSIO divinarum Personarum, qualiter fiat, 507 B'.

MIXTA Deus fecit ut essent, sed corruptio conditionem illorum concomitatur, 460 A'.

MODESTIA quid sit ut virtus generalis, et ut virtus specialis, 143 D'. — Modeste se habendum coram prælatis, 158 D.

MONACHI qualiter ora sancta habeant, 67 B.

MONARCHIÆ quatuor magnæ, quænam sint et quomodo figurentur, 191 B'.

MONASTERIA. Quotupliciter a Deo remunerentur qui monasteria fundant, 27 C.

MONILIA, quid sint et cur sic nuncupentur, 308 A. Mystice, bonos prælatos signant, 308 B. — Cur ipsis comparentur Sponsæ collum, 307 D', 318 D', 326 B', et femora, 417 B', 422 C', 426 D.

MONS. Quo sensu saliens in montibus venerit Sponsus, 334 C, 341 D', 347 B. — Quid sint montes Bethel, 338 B', Galaad, 364 A', 381 A, pardorum, 368 D', 378 D, aromatum, 438 B', 443 D', 447 A'. — *Cf.* Collis, Myrrha.

MORES hominis meliores sunt in juventute quam in adolescentia et in senectute, 282 A'.

MORS corporalis, an sit quid positivum, 460 A. — An a Deo directe facta sit, 460 A. Quænam ejus causæ, 265 C, 467 C. Omnes homines attingit, 265 C. — Ejus consideratio efficacissima est ad vitandum peccatum, 247 B', 282 B. — Nisi revelentur, dies et hora mortis nos latent, 268 A'. De morte justorum improvisa aut celeri non debemus scandalizari, 476 C, nam sæpe est signum prædilectionis Dei erga illos, 476 B', 477 B. Cur impiorum mors non raro anticipetur, 254 B'. — Post mortem cessat tempus merendi et demerendi, 279 D; nec amplius revertuntur mortui in hunc mundum, 463 C, miraculose tamen id contingit frequenter, 463 D. — Mors culpæ a Deo non facta est, 459 D'; sed per diaboli suggestionem in hunc mundum intravit, 467 C. Mors damnationis æternæ quatenus a Deo sit facta, 460 B.

MORTIFICATIO carnis, in principio amara, spe fructus æterni dulcescit, 373 D.

MOYSES. Judæi nonnulla Proverbia de Moyse exponentes refelluntur, 182 D, 183 A, 184 A'.

MOYSES Ægyptius (Maimonides) « magnus philosophus atque theologus », 284 A.

MULIER, cur ad compassionem prona, 129 D'. — Naturaliter fragilis et infirma est, 201 A, 257 D, etiam in virtute, 257 D. — Mulier adolescentiæ spiritualiter Ecclesiam designat, 43 A'. — Potest multum sua pietate, exemplis, oratione, 201 B'. — Vitiis sui mariti frequenter se conformat, 471 D'; diligens, trahit illum ad salutem, 78 A'; sapiens, domum scit regere, 90 B, quid mystice, 90 C. Mulier bona quid significet, 125 A'. Mulier fortis S. Scripturam designat, 201 C'. — Mulier incontinens, porcæ assimilatur, 75 D; quomodo in V. L. fuerit punita, 78 B'. Fornicariæ mulieris verba et oscula periculosa, 145 B. Adultera occidit animas, difficile curatur, 150 C; designat Synagogam, 189 B. Insipiens, 90 C, litigiosa, 128 C', 169 C', stulta et clamosa, 63 B', odiosa, 189 D', quid mystice?

MULTILOQUIUM, quid sit, 69 B.

MUNDITIA cordis Deo summopere placet, 144 C'. Multos gradus habet, 133 A'. Quam pauci ea decorentur, 133 D. — Sapientiæ æternæ munditia, quanta, 497 A', B'.

Digitized by Google

MUNERA a judicibus potissimum respuenda sunt, 103 A, 119 C, quia accipientium cor auferunt, 144 B'. — Munus absconditum, quantum valeat, 140 B.

MURÆNA, piscis, describitur, 308 C'.

MURÆNULÆ, quid sint ad litteram, 308 D', et mystice, 308 D', 319 B, 326 C'.

MURMURATIO contra Deum, quam grave peccatum, 458 B'. — Contra vicarios Dei murmurare, iram divinam provocat, 458 C'. — Quomodo propter murmurationem plurimi Judæorum puniti fuerint, 459 A.

MURUS. Quomodo muro assimiletur Ecclesia, 435 A', 436 A, anima, 442 B, D, et B. Virgo, 445 D', 446 C. — *Cf.* Propugnacula.

MUSCÆ morientes significant distractiones in divino Officio, 271 D.

MYRRHA, arbor Arabiæ, 373 C, cujus succus corpora incorrupta servat, 309 D, allegorice passionem Christi significat, 385 A', 395 C, 400 B, tropologice, mortificationem et pœnitentiam, 352 D, 358 D, 367 C. — Cur Christus myrrhæ assimiletur, 309 D, 319 C', 327 A; quomodo myrrham distillare perhibeantur labia Sponsi, 392 D', vel manus Sponsæ, 389 A, 396 D', 401 D'. — Mons myrrhæ, quid sit, 367 C, 377 A', 382 A. — *Cf.* Aloe, Thus.

MYSTERIA Dei, præsertim SS. Trinitas, prædestinatio, præscientia, non præsumptuose sed reverenter scrutanda sunt, 161 D.

N

NABUCHODONOSOR, vir bonæ indolis, cito ad bonum inclinabatur, 108 D.

NARDUS, herba spicosa, odorifera, 326 C', et declivis, 372 B', spiritualiter varia figurat : humilitatem, 309 C, 319 A', caritate formatam, 372 B', seu caritatem humillimam, 326 D', aut dominicæ passionis memoriam, 372 D'.

NASUS, quomodo significet virtutem discretionis, 427 B', 418 D', etc. — Cur Sponsæ nasus turri Libani assimiletur, 418 D', 424 D, 427 B'. — « Qui vehementer emungit, elicit sanguinem », 191 C'.

NATIONES sanari possunt, non autem mortem effugere, 460 B'. Cuinam imputandus illarum interitus, 525 D'. — A justis judicabuntur, 470 C'. — Nationum dii deridentur, 530 B, 531 C', 541 D, C'. — *Cf.* Gentiles.

NATURA secundum se semper pura et amabilis est, 522 D, et ideo frequenter in Prophetis filiæ et virgini comparatur, 522 A'. — Propter diuturnum laborem natura recreatione indiget, 241 C'. — Solæ vires naturæ tentationes vincere non valent, 24 D'. — Naturales defectuositates dissimulandæ et non improperandæ sunt, 96 B.

NEGLIGENTIA fugienda est ab anima quæ Sponsi amplexus appetit, 440 D.

NEGOTIATIO optima, terrena pro cœlestibus commutare, 198 B, 203 A, 206 C.

NEMROD perhibetur homines ad ignem adorandum compulisse, 537 C'.

NICOLAUS (S.), episcopus Myræ, tres juvenes et tres principes a morte liberavit, 94 B'.

NIGER. Quo sensu nigra dicatur Ecclesia, 302 B', anima, 316 B', et B. Virgo, 324 D'. — Cur nigræ Christi comæ, 391 A'. — *Cf.* Fuscus.

NILUS, unus e quatuor fluviis paradisi, 518 B', in Genesi Gehon, in Ægypto Nilus appellatur, 518 C'.

NINUS, rex Assyriorum, fertur idololatriam introduxisse, quomodo, 537 C'.

NITRUM. Quid sit, quomodo et ubi formetur, 160 C. — Sub aceti infusione fumat et crepitat, 160 B. — Ad lavandum deservit, 160 D.

NOBILITAS carnis non est nisi antiquata opulentia, 276 D. Virtutum nobilitati si adjungatur, ambæ se invicem ornant, 276 A'.

NOMEN Dei investigabile est, 184 D, B', et incommunicabile, 536 D. — Nomen, in Scripturis, sæpe pro fama sumitur, 67 B, 143 A, 246 B'. Omnibus præstat divitiis, 143 A, et sollicite custodiendum est, 246 B'. — *Cf.* Fama, Oleum.

NOVALIA, quid ad litteram et mystice, 89 D.

NOVATIANI dicebant se peccare non posse, 187 C.

NOX contemplationi specialiter apta est, 360 A. Mystice, varia significat : vitam præsentem, 353 A', 388 B, adversitates, 198 B, 203 A, 350 C, ariditates, 356 C, 516 C, mortem, 516 A', dominicam passionem, 206 D. — Quid sit de nocte surgere, 169 D, 197 D, 202 B', 205 A'. — Nocturni timores, quomodo depellendi, 32 B'. — *Cf.* Dies.

NUBES, quomodo formentur, 30 A'. — Mystice quid significent, 279 B, 284 D, A'. Qui considerat nubes, nunquam metet, quomodo, 280 D.

NUMERUS, quid sit, 219 A'. Quomodo in numero omnia sint constituta, 521 B, D, A', C'. — Sæpe in Scripturis numerus determinatus pro indeterminato sumitur, 262 B, 352 C'.

Digitized by Google

— Quum omnis numerus sit finitus, 219 A', cur stultorum numerus dicatur infinitus, 219 A'. Electorum reproborumque numerus, quantus, 219 C', 257 C, 319 C'. — Numerus senarius primus perfectus dicitur, 405 A'; septenarius varia significat, 49 B', 165 C, 278 C'; octonarius imperfectus est, 405 B', et N. T. signat, 278 C'; quid denarius, 405 A', sexagenarius, 405 A', octogenarius, 405 B', centenarius et millenarius, 437 A, B'.

NUX perfectum optime figurat, 407 A. — Quid sit in hortum nucum descendere, 413 A, 416 D.

O

OBEDIENTIA debetur parentibus, 11 B, superioribus, 67 D, et Deo, 67 D : cui obedire summa est sapientia, 173 B ; cui sine obedientia nihil placet, 103 B'. — In licitis et honestis tantum exhibenda est, 114 B. Non transgredi licet ejus terminos, 147 C. — Religiosi obedientes, quasi torques aureos portant, 308 C'. — Vir obediens quomodo loquatur victorias, 142 B.

OBLIVIO Dei misericordiam ejus aufert, 265 D'. — Oblivio beneficiorum est præcipua pars ingratitudinis, 441 B.

OCCAM Guillelmus (Ord. Min. theologus), citatur, 299 A'.

OCCASIO peccandi vitanda est, 36 D, 74 B'.

OCEANUS origo est omnium fontium ac fluminum, 30 C, 216 B. — A paganis colebatur, 530 C. — *Cf.* Mare.

OCULI aqueo humore abundant, 418 C'. In his relucent intima cordis, 138 D', 187 C, 424 A. Nunquam saturantur, 170 C, 217 C. Sapientis est illos reprimere, 411 A', maxime in divino Officio, 119 B'; incustoditæ mentis, illos non custodire, 119 B', 411 B'. — Quid sit annuere oculis, 46 A', 67 C'. — Cur sapientis oculi in capite ejus, 223 C'; stultorum, in finibus terræ, 119 B'. — Figuraliter, oculus animæ est intellectus, 423 C', vel intentio, 369 C, vel contemplatio, 383 A. — Oculi Dei, quid, 144 D', 391 C'. Illos nullus valet effugere, 97 B', 106 B'. — Oculi Christi, qui et quotuplices, 391 C'. — Oculus Sponsæ, quo vulneratur Sponsus, quid, 369 C, 378 A', 383 A. Cur hujus oculi comparentur columbis, 311 D, 327 A', 363 C', 375 C, 380 D, et piscinis in Hesebon, 418 A', 423 D', 427 D ; quare illos avertere jubeatur, 404 B', 411 D, 414 D'.

ODIUM ex dissimilitudine morum venit, 178 B, 465 A'. Occulte nocere quærit, 68 D'. — Num Deus aliquid oderit, 522 A', et quæ, 46 D'. — Deum odisse, non nisi impiissimorum est, 60 A. — Quæ sint animæ maxime odienda, ut vivat, 103 A, 175 D. — Odium aliorum mereri non debemus, 229 C. — Quid sit animam suam odisse, 229 B.

ODOR mirabilis in corporibus Sanctorum fuit, 323 C. — Quid sit odor unguentorum Sponsæ, 370 A, 378 D', 383 D, vel vestimentorum, 370 C', 379 C, aut oris ejusdem, 420 D, 425 B', 428 D' ; quomodo currat in odorem unguentorum Christi, 301 D, 315 A', 324 B. — *Cf.* Nardus.

OLEUM, in Scripturis, pietatem significat, 141 C, 169 B', seu bonam famam, 266 A'. — Cur oleo effuso assimiletur nomen Christi, 299 B', 314 D', 323 D.

OPUS. Quo sensu omnia propter semetipsum operatus sit Dominus, 107 B. — Opera Dei investigabilia, 229 C', ideoque sobrie scrutanda, 252 C, D. Quomodo perseverent in æternum, 230 B. — Qualiter anima opera sua Deo revelare debeat, 106 D'.

ORATIO. Tempus ad orationem aptissimum est hora diluculi, 56 D, et noctis, 360 A. — Oratio sine actibus inefficax est et Deo non accepta, 371 C. — In perfecta oratione, Deus ita intenditur, ut omnium reliquorum anima fiat immemor, 315 C. — Cur effectu interdum careat, 173 B', vel tarde potiatur, 87 C, 103 D'. — Melior est finis orationis quam principium, quomodo, 249 B'.

ORBIS terræ, unde factus sit, 520 D. Quid ejus cardines, 58 C. — Quomodo in ipso ludat Sapientia, 59 B, vel illum repleverit Spiritus Domini, 457 D, vel contra impios pugnaturus sit, 484 D. — *Cf.* Terra.

Orbes cœlestes. *Vide* Sidera.

ORDO. Ordinate procedens in omnibus, pacem habet et delectabiliter operatur, 493 B',

ORGANUM, instrumentum musicum, chordas habens, 561 D.

ORIGENES eleganter scripsit super Canticum canticorum, 294 A. — In magnos errores incidit propter nimiam et præsumptuosam curiositatem, 263 C'. — Citatur passim, 62 A'. 236 A'. — (Migne *Patrol. gr.* tom. 11-18.)

ORTYGIA insula. Inde ad Israelitas venerunt ortygometræ, 560 A'.

OS custodire non parum expedit, 85 A, quia de fructu oris sui unusquisque pascetur,

Digitized by Google

80 C', 124 D'. An de facundia oris gloriari liceat, 101 D'. Quid sit os bilingue, 55 D. — Quid os Dei, 19 D'; os Christi, 297 A', et quomodo osculetur Sponsam, 297 A, 313 C, 322 C; quid odor oris Sponsæ, 420 D, 425 B', 428 D'. — Ora monachorum, quomodo sanctificentur, 67 B. — *Cf.* Labia, Lingua.

OSCULUM Sponsi, quid sit, 297 A, 313 C, 322 C, D, A', et quo pacto illud postulare præsumat Sponsa, 298 B, 313 A'. — Osculatus est Christus discipulos, 298 A. Quomodo nos omnes osculatum sit Verbum æternum, 297 D', 298 A.

OSSA, in Scripturis, virtutes designant, 26 B, 111 B'. — *Adde* 96 A, 104 C, 119 B.

OSTIUM. Hominis ostia, quot sint, et quomodo morte instante claudantur, 285 B. — Cur ostio assimiletur Sponsa, 435 C', 442 C, 446 A, tabulis cedrinis compingendo, 435 D', 442 C, 446 B. — *Cf.* Pessulum.

OTIUM est stultissimum, 80 B, et fons malorum, 80 C. — Non ducit ad alimenta refectionum spiritualium, 200 C.

OVES. Quænam duplicem ferant fetum, 364 D'. — Quare gregibus ovium conferantur dentes Ecclesiæ, 364 B', animæ, 375 D', et B. Virginis, 381 B.

P

PACHOMIUS (S.), abbas in Thebaide, quum audiret detrahentem, fugiebat, 40 A. (Acta SS. die XIV^a Maii.)

PALLIUM Ecclesiæ et animæ, quid, 390 B, 398 A.

PALMA, arbor suavis et fructuosa, 420 A, inferius stricta, superius dilatata, 419 C', dicitur arbor victoriæ, quare, 419 B'. — Spiritualiter, figura est crucis, 420 A, 425 A', 428 B', Ecclesiæ, 419 D', animæ, 425 D, et B. Virginis, 428 D. — Cur ipsi compararetur statura Sponsæ, 419 B', 425 D, 428 C. — Palmarum elatæ, quid, 391 A'.

PAMBO (S.) abbas, monachorum ora sancta esse dicebat, 67 B. (Acta SS. die I^a Julii.)

PANIS animæ quotuplex sit, 61 D'. — Quid sit panis absconditus, 63 D', panis mendacii, 134 D', 135 A, 148 D; quid panem suum super transeuntes aquas mittere, 278 B.

PAPA. Auctoritati ejus resistere non licet, 191 C. — B. Petrus et ejus successores, totius Ecclesiæ custodes et pontifices constituti sunt, 436 C'. — Summus Pontifex vocatur Ecclesiæ universalis sponsus, 291, 419 A, caput, prælatus, pastor, monarcha, doctor et ductor, 419 A. — Est Christi primus ac generalis vicarius, habens plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, 419 A.

PARABOLA, quid sit, 7 A, 65 A. — Cur sapientibus usitata, 9 D, A'. Salomonis parabolæ, quot, 287 A, et quatenus a viris Ezechiæ translatæ, 6 D, 157 B. — Liber Parabolarum Salomonis, cur sic dictus, 7 B, D.

PARDUS, animal maculis respersum, 368 C', figura simulatorum, 368 C', et dæmonum, 368 D'. — Quo sensu de montibus pardorum coronetur anima, 378 C, et B. Virgo, 384 B'. — *Cf.* Mons.

PARENTES filios carnaliter diligentes, de eorum ingressu in religionem contristantur, 65 A'. Invitis parentibus, quando laudabile sit religionem intrare, 130 A'. — Quid parentes filiis suis debeant, 89 C', 149 C. A filiis honorandi ac sublevandi sunt, 176 C. — *Cf.* Mater, Pater.

PARIES. Quomodo post parietem Sponsæ stet Christus, 334 D', 342 A, 347 B.

PARVULI. Sic appellantur humiles et imperfecti, 8 B, 14 A'. — Ad suscipiendam sapientiam specialiter apti sunt, 61 B', 63 C'.

PASSIO Domini in Prophetis apertissime prænuntiata est, 466 B'. — Quanta commoda referantur ex meditatione Passionis, 310 A, 373 A, 441 D.

PASSIONES fiunt cum corporali transmutatione, 520 B'. Mortem possunt inducere, 520 C'. — Quo pacto animi passiones Deo adscribantur, 527 D. — Passiones vitiosæ hominem agitant, 38 C, et judicium ejus corrumpunt, 63 A. — Earum primi motus in nostra potestate non sunt, 31 D'.

PATER. Quodnam sit peccatum patri maledicere, 135 D, illum subsannare, 188 B, ab eo aliquid furari, 176 B. — Quatenus de patre sit gloriandum, 114 C'. — Patrum regulæ et constitutiones servandæ sunt, 147 B; earum transgressores a dæmone punientur, 274 A. — *Cf.* Deus, Mater, Parentes.

PATIENTIA, præclarissima virtus, quæ passionem tristitiæ moderatur, 112 A', omnium virtutum probatrix, 128 B. Commendatur, 112 D', 355 D', 356 A. — Deum placat, 159 D. — Animam justam secernit ab injusta, 113 A; signum est magnæ virtutis, 95 C', 114 A. In quo consistat præclarum ejus meritum, 128 D. — Quo pacto Deo competat, 538 C.

Digitized by Google

PAULUS (Rabbi), Judæus conversus, episcopus Burgensis, 52 D.

PAUPER. Cur pauperes et divites fecerit Deus, 143 A'. — Quis merito dicatur pauper, 86 A, 100 C'. — Pauperes paucos habent amicos, 127 C, C', et vitam ærumnosam ducunt, 100 B; ideo excusandi, si increpationes non patienter ferant, 86 A'. Deum habent protectorem, 146 A', qui eos elegit, 143 D, et mitius judicabit, 487 D. — Ad misericordiam naturaliter proni sunt, 129 D', et facilius quam divites bene vivere possunt, 100 B'. Divites tamen judicare non debent, 143 D. — In pauperes misericordia est Deo acceptissima, 129 B, 178 B', 194 C; immisericordia, dire vindicanda, 140 A, 176 B'; injustitia, ceteris gravior, 146 D, 193 A'. — Pauper in Scripturis aqua nominatur, 278 B; sæpe rudem aut mediocriter doctum significat, 79 A', 126 B. — Pauperes spiritu non carent afflictionibus, 100 B; sed in judicio non redarguentur, 86 D, et beatitudinem sortientur, 244 B'. — Christus propter nos pauper, quam paucos habeat amicos, 268 D', 269 D. — *Cf.* Divites, Eleemosyna.

Pauperes de Lugduno dicebant se non posse peccare, 187 C.

PAX datur justo, 39 B, qui in omnibus ordinate procedit, 493 B'. — Oritur ex contemplatione Omnipotentis ubique præsentis, 489 A. — In vita præsenti multis exterioribus perturbationibus admiscetur, 436 C, quæ tamen quietem non auferunt a mente perfectorum, 436 D. — Pax cum omnibus servanda est, 229 D. — Pacificus : sic in Cantico vocatur Christus, 436 A', 442 C', 446 D. Pacifici Sponsæ, quid, 437 C', 443 B, 446 C'.

PECCATORES non sunt fugiendi a perfectis, 318 B. Per pœnitentiam reparati, sæpe cautiores, humiliores ac ferventiores fiunt, 443 C'. — Qui peccant ex ignorantia aut infirmitate, facilius ad pœnitentiam inducuntur, 454 D', consuetudinarii autem vix aut difficillime corriguntur, 455 A. — Quanta peccatoris insania, 269 D'. Vocatur leo mortuus, et canis vivus, 265 D. In hac vita quamdam mercedem habet, 265 C'.

PECCATUM est nihil, 69 D, et contra naturam, 525 B. — Non solum opere, sed etiam cogitatione peccamus, 102 B'. — Omne peccatum quamdam superbiam includit, 83 A', et ignorantiam, 138 A'. Culpa est miseria major quam pœna, 96 B'. Peccati occasiones vitandæ sunt, 36 D. — Actus peccati delectat, 91 B', et consuetudo prava creat quasi necessitatem peccandi, 36 D. Quæ mala ex peccato sequantur, 42 B'. — Peccata infirmitatis et ignorantiæ pœnitentiam facilius admittunt, 259 B. In peccatis manere quam periculosum sit, 274 C'. — De peccatis aliorum nunquam lætari licet, 114 C, sed pro illis orandum est, 114 A'. — Quot modis timor a peccato retrahat, 103 A'. Omne peccatum per mortis considerationem vitatur, 247 B'.

Ceteris paribus, prælatorum peccata graviora sunt, 487 B. — Qua ratione quædam peccata irremissibilia dicantur, 456 D'. — Quo pacto purgentur per fidem et opera misericordiæ, 103 B, et caritatem, 68 B. Peccati confessio est initium justitiæ, 108 A. — Peccatum mortale raro per totam vitam vitatur, 133 D. Mors est animæ, 60 A. Aufert sapientiam, 493 D, caritatem ceterasque virtutes infusas, 269 C', et omnia merita una cum dignitate membri Christi, 269 C', et ipsum Deum cum bonis æternæ gloriæ, 269 C'. Venialia non omnia omnino vitare possumus, 254 A', 255 D. Ab omnibus quotidie committuntur, 133 D, 302 B'. — Non proprie maculam ponunt in anima, 377 C', sed sunt dispositio ad mortalia, 60 A, 397 D. — Per quotidiana opera misericordiæ delentur, 103 D. Justus propter ea non est inquietandus, 154 B. Qui de suis venialibus peccatis dolet et assidue purgatur, amplius proficit quam decrescit, 317 A. — Peccata quotidie sunt confitenda Deo, 124 B

Est aliquod peccatorum pondus, ultra quod Deus non jam tolerat hominem vel populum peccare, 254 C'. Quare Deus peccatorum vindictam differat, 261 C'. Peccati immediata punitio maximum est beneficium, 48 A'. — Peccatum in suum redundat auctorem, 273 D'. Homines facit miseros, 96 B'. Conscientiæ remorsus pœna prima est peccati, 88 D'. Peccatum pœna est præcedentis peccati, 456 D, 537 C'. Instrumentum peccati erit etiam pœnæ instrumentum, 134 D'. — Peccata subditorum in prælatos negligentes redundant, 96 D'. — Cum solo originali peccato morientes qualiter puniantur, 233 B'.

PECUNIA. *Vide* Argentum.

PENTAPOLIS, qualis post eversionem facta sit, 511 B' et seq. — *Cf.* Mare Mortuum.

Digitized by Google

PERFECTIO, in quo consistat, 287 D'. — Perfecti timorem carnalem et mundanum non habent, 32 C. Perfectissimi non sentiunt primos motus timoris, 32 D, nec iræ, 97 B. Suam perfectionem ex impletione consiliorum præcipue hauriunt, 98 D. — Christus minus perfectos per perfectiores dirigit, 407 D.

PERSONA. Accipere personam, 122 A, crimen est maximum, justitiæ oppositum, 121 D', 155 C', 486 D'. — Deus personas non accipit, 440 C.

PES pro affectu vel operatione sæpe sumitur, 31 C, 38 B, C, 40 D, etc. — Quid sit lavare pedes, 388 B', 396 A, 401 C.

PESSULUM ostii, quid sit, et quid mystice significet, 389 D, 397 B, 402 A.

PESTILENTES, id est scandalose viventes, 99 D', 130 C, arguuntur, 177 C'. — *Cf.* Scandalum.

PETRA. Foramina petræ quomodo interpretentur, 336 A', 343 B, 348 B'.

PETRUS de Alliaco, archiepisc. Cameracensis. Citatur ejus liber contra superstitiones astronomorum, 49 A'.

PETRUS Chrysologus (S.), Ravennensis episc., 62 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 52.)

PETRUS Comestor. *Vide* Magister in Historiis.

PETRUS Lombardus. *Vide* Magister Sententiarum.

PETRUS (B.) de Tarentasia (Innocentius V), Ord. Prædic., 271 A.

PHANTASMATA in somno, qualia sint bonis et malis, 31 A'.

PHARAO et currus Pharaonis, quid, 306 A', 307 A, 318 D, 326 D.

PHARISÆI et Scribæ, erant summe avari, carnales et obtenebrati, 464 D.

PHILO, doctissimus et disertissimus Judæorum, multa scripsit opuscula, 452. — Romæ amicitiam S. Petri obtinuit, 452. Alexandriæ habitabat tempore S. Marci evangelistæ, 535 C'. — Ei adscribitur liber Sapientiæ, 451, 535 B'.

PHILOSOPHIA vitam ordinat, 11 A. — Habet, juxta Aristotelem, mirabiles delectationes sibi annexas, 504 C.

Philosophi mortem cogitare debent, 247 C'. — Philosophi quidam pagani vino abstinebant, quare, 131 B'. — Meliores eorum Providentiam, ex consideratione ordinis rerum, agnoverunt, 499 B', et primum motorem, 531 A. Nonnulli dixerunt planetas et stellas animatas esse ac deos, 530 A'. — In multos errores corruerunt, 245 A'. An excusabiles sint, 531 D.

Philosophus. Sic antonomastice vocatur Aristoteles.

PHOTINUS hæresiarcha, Christum merum hominem asserebat, 64 A.

PIGRITIA. Unde procedat, 46 C. — Somnolentiam ingerit in divinis, 129 A. — Qualiter puniatur, 46 B, 66 D.

Piger, voluntatem habet optativam, non imperativam, 85 D. Pronus est ad somnum, 45 D. — Quia virtutum viam aggredi noluit, 101 B, 145 A, in hac vita angustiis premetur, 141 D', et in judicio vacuus apparebit, 132 C'. — Suam ignaviam excusat, 234 A', quam vocat prudentiam et discretionem, 164 B'. Formicæ exemplo arguitur, 44 D'. — Ager pigri, quid mystice designet, 156 C'.

PILA, lignum concavum ad terenda frumenta, 170 C'.

PISCINÆ Hesebon, ubi sitæ, 418 B'. — Cur ipsis assimilentur oculi Ecclesiæ, 418 A', animæ, 423 D', et B. Virginis, 427 D. — *Cf.* Hesebon.

PLATO. Quid senserit de fine creaturarum, 107 C. — Perhibuit primum motorem mobilem esse, 496 B'. Docuit exercitio virtutum hominem duci ad beatitudinem, 541 A.

PLATONICI auctores : Plotinus, 499 B'. — Porphyrius, qui approbavit idololatriam, 245 B', increpatur ab auctore, 97 A', 276 A. — Proclus, auctor Elementationis theologicæ, 136 B', 184 C', 232 A. — Platonici multa falsa de fascinatione scripserunt, 476 D'.

PLUVIA, quibusnam temporibus raro cadat, 463 A. — Quid mystice pluvia, 284 B', matutina et serotina, 110 A. — *Cf.* Imber.

PODERIS, vestis sacerdotalis, describitur, 556 A'.

PŒNÆ hujus vitæ medicinales sunt, 24 B, 528 A'. Quare justis infligantur, 262 C'. Pœnas irrogare, ad solum judicem pertinet, 135 C'. Deus illas imponit pro culparum mensura, 521 A. Pœnæ inferni finem non habent, 72 C', 521 C. — De pœna talionis, 135 C'.

PŒNITENTIA usque ad mortem dilata, difficillime contingit, 274 C'. — Pœnitentiæ sacramentum peccata delet ad minus quoad culpam, 354 B', et gratias virtutesque infundit, 373 D'.

POETÆ innominati allegantur (Sedulius, 495 C'; Terentius, 131 A ; Virgilius, 260 C').

POMUM pro quolibet fructu sumitur, 407 C. — Quid poma Sponsi, 385 A, 394 C', 399 A', et

Digitized by Google

Sponsæ, 421 C', 429 C', poma convallium, 407 C, 413 A, 416 D. — Justi sunt quasi poma arboris quæ est Christus, 372 D.

PONDERA antiquitus erant lapides in sacculo, 109 C. — Quomodo in pondere omnia sint constituta, 521 B, D, A', B'. — Spiritualiter, quid sit pondus æquum, 71 B', et iniquum, 133 C'. — *Cf.* Mensura, Numerus, Statera.

POPULUS pro quacumque congregatione accipitur, 190 B. — Populis opus est sapiente rectore, 490 D', et idoneis pastoribus, 179 B, quia justitia roborantur, 96 A', peccatis corruunt, 96 B'. — Populus Israeliticus quo sensu dicatur semen sine querela, 514 A. Populus christianus est quasi unus Dei exercitus, 358 C'. — *Cf.* Nationes.

PORPHYRIUS. *Vide* Platonici auctores.

PORTÆ. In portis urbium olim sedebant judices, 14 D, 146 D, seu senatores terræ, 199 D, 203 D. — Quid portæ Ecclesiæ, 14 C, 429 C', portæ mortis, 544 C'. — *Cf.* Ostium.

POTENTIÆ animæ, quomodo a nobis cognoscantur, 270 C'. — Anima subjectum est earum et origo, 317 C. — An a dæmonibus et angelis immutari possint, 138 B.

POTESTAS omnis a Deo est, 55 D', 486 C. — Potestas spiritualis, valde præstantior sæculari, 486 B, hanc docere et dirigere debet, 486 C.

PRÆCEPTA Dei memoria retinenda sunt, 18 C, 48 B; discenda, 246 A; palam implenda, 18 A', propter pœnam et præmium, 48 B. — In præceptorum adimpletione dulcedo gustatur, 271 D', et perfectio invenitur, 287 C'. Via sunt ad patriam, 354 A'. — An Deus aliquid impossibile præceperit, 239 C'. — Præcepta quæ obligant semper non obligant ad semper, 238 D'. — Præcepta cærimonialia ac judicialia V. L. cessaverunt, 258 C'.

PRÆDESTINATIO occulta est hominibus usque ad judicium generale, 264 D. — Cur Deus istum magis quam illum prædestinaverit, 252 A'. — Prædestinatis largitur Deus quidquid pro beatitudine obtinenda requiritur, 471 D. — Non omnes homines sunt prædestinati, 523 A. Certus est numerus prædestinatorum, 538 C'.

PRÆDICATORES. Munus prædicationis non omni justo competit, 69 D. Peccator mortaliter peccat evangelizando, et ea quæ prædicat non implendo, 99 B'. — Quæ sint obligationes prædicatorum, 44 D, A', C', 353 B. Cum humilitate et omni virtute evangelizent, 53 A', juxta audientium capacitatem, 91 D; terrena et carnalia contemnant, 364 C'. Spiritualibus refectionibus inebrientur ut aliis eructent, 386 A'; Christi passionem assidue prædicent, 365 C; proprium sensum non sequantur, 392 A'; non taceant veritatem propter acceptionem personarum, 117 B; majori zelo succurrant his qui sunt magis corrupti, 306 D. Dei auxilio adscribant suæ prædicationis effectus, 268 A. — Figurantur per boves, 91 A. Qua ratione mammis, oculis et dentibus assimilentur, 369 C'. Qualiter gladios teneant, 353 A. Fideles debent necessaria eis abundanter largiri, 125 B. — Quid mereantur prædicatores in hac vita, 26 D', 75 C', et in altera, 110 D', 80 C'. — Strictius a Judice cœlesti discutientur et punientur, 386 C.

PRÆLATI debent se exemplares exhibere, 44 D; carnis vitia præcipue vitare, 364 C', 192 D', 276 A'; avaritiam fugere, 277 A'; se ipsos in primis perficere, 156 C; esse quasi viva lex et animata justitia, 115 A; in prælio spirituali exercitati, 353 B, prudentia et peritia fulgere, 276 B; simplicitate columbina lucere, 311 B'; carnalia terrenaque despicere, 364 C'; abundare sapientia, caritate, intelligentia, compunctione et vitæ sanctitate, 77 A, 308 C, 418 C'. — Exemplo et sermone prædicent, 365 A. Negligentia prælatorum deformatur Ecclesia, 276 D'. — Quales prælati tales sunt subditi, 91 B, 98 B', 174 D. Subditorum virtute honorantur, 95 A'; peccata eorum negligentes portabunt, 96 D', 261 D.

Subditos corrigant, 124 B, 170 D', sine personarum acceptione, 117 B, et eorum defectus inquirant, 76 A', 304 B', non tamen cum inquietudine aut moleste, 76 D'; non omni verbo credant, 92 D'; derisores reprimant, 62 C. — Studeant de cordibus subditorum vulpes parvulas, id est inchoationes malorum, tollere, 343 B'; fideles contra infernales lupos custodire, 351 A; hæreticos et deceptores auferre, 337 C; spiritualia ac temporalia beneficia suis impendere, 437 A'. — Qualiter gladios tenere dicantur, 353 A. Sint parati suum sanguinem pro fide et justitia fundere, 407 A'. — Prælati sunt vicarii Dei, 277 D', et ab eo per angelos diriguntur, 56 A. Sæcularibus rectoribus dignitate præstant, 486 B. — Prælatus necessarius est in omni domo vel congregatione, 74 D. — Boni, ra-

Digitized by Google

rissimi et pretiosissimi sunt, 174 B. Mali præsunt, ex permissione Dei, ad subditorum flagitia vindicanda, 273 B'. — Vocantur Ecclesiæ mœnia, 61 D, oculi, 311 B', labia, 370 C; comparantur mammis, 369 C', monilibus, gemmis, auro, 308 B; dicuntur capilli, dentes, etc., 364 C, 370 A. — An possint licite suo officio delectari, 486 A. — Eorum peccata sunt, ceteris paribus, graviora, 487 B, et strictius a cœlesti Judice punientur, 386 C, quare, 487 B. Duplici præmio coronabuntur sancti prælati, 437 B'.

Prælato a subditis honor tribuendus est, 162 C. — Contra prælatos, etiam iniquos, non murmurandum, ne in corde quidem, 277 C'; sed accusandi sunt coram superioribus illorum, 277 C'. Prælatum rebellione vel negligentia affligere, pessimum est, 130 D. — Possunt prælati a subditis accipere necessaria ad victum, 171 B'.

PRÆSENTIA Dei, quomodo custodienda, 25 C, 238 A', solitario valde utilis est, 39 A', et frenum peccatori, 42 A', 237 D, 238 B'. — Qualiter Deus in rebus et in homine sit præsens, 59 A', 238 A. In cœlo præsens est speciali modo, 237 D', 238 A.

PRÆSUMPTIO, qua ratione vitanda sit, 264 A. — De nostris viribus non præsumendum, 357 D'.

PRIMITIÆ. Optima Deo offerre oportebat, 26 D. — *Cf.* Decimæ.

PRIMOGENITUS. Cædes primogenitorum Ægyptiorum describitur, 554 D. — A quo facta sit, 557 D'. — Quantum terrorem Ægyptiis incusserit, 554 C.

PRINCEPS. Pluralitas principum mala, 172 D. — Principem, ut legem vivam, 115 A, et vicarium Dei, 486 D, dedecet crudelitas, 175 B, gula, 276 C, A', mendacium, 115 A, 178 D. — Principes mali ob peccata populorum suscitantur, 273 B'; eos non licet occidere, 119 D'. — Quomodo sedendum in mensa principis, 147 D. — Filia principis, id est Dei, recte vocatur Ecclesia, 417 B, anima, 422 A, et B. Virgo, 426 B. — *Cf.* Rex.

PROCLUS. *Vide* Platonici auctores.

PROMISSIO. Qui sint justæ promissionis comites, 82 A. — Promissionem injustam non licet adimplere, 239 C. — *Cf.* Votum.

PROPHETÆ populum Israel dirigebant et docebant, 179 C. — Frequenter, Deo revelante, cogitationes gentilium noverunt, 467 B'. — Quare præteritum pro præsenti ponant, 183 C.

PROPUGNACULA, quid ad litteram, 366 C, et mystice, 435 B', 442 B, 446 A.

PROSPER (S.) Aquitanus, citatur, 129 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 51.)

PROSPERITAS. Per eam nos Deus aliquando attrahit, 15 D. — Prosperitas temporalis commune sed non principale præmium erat justorum V. L., 23 B'. — Occasio peccandi est, 137 A', saltem stultis, 16 C', et impiis, 16 D'. — Prosperitas peccatoris, periculosissima, 17 A.

PROVERBIUM idem est ac parabola, 7 D. — Liber Proverbiorum, quid contineat, 5 A, A', 7 A'; quibusnam conveniat, 5 B', 145 D'; a quo conscriptus sit et editus, 6 D, C'; quomodo translatus dicatur, 6 D, C'. Cur liber Parabolarum vocetur, 7 B, D. — Proverbia Senecæ (opus e Senecæ et Publilii Syri excerptis compactum) sæpissime allegantur, 19 C, 21 B, 24 A', etc. — Item Proverbia Cyrilli. *Vide* Cyrillus.

PROVIDENTIA Creatoris, in suis effectibus mirabilis, 30 B', per alteram vitam justificatur, 77 C'. In ea confidendum est, 73 A. — Sortes disponit, 112 B'; pertingit usque ad terrena determinate cognoscenda, etiam vitia et privativa, 97 B', 443 B. — Magis aut minus specialis est circa aliquos, 487 D'. Curat de inanimatis ac irrationalibus, 499 A', specialiter tamen de rationalibus creaturis, 526 A, præsertim de electis, 487 D', 526 A, de miseris, 102 D, de regibus, 137 D'. — Providentia in Deo nullam sollicitudinem inquietam parit, 487 C'. — An illi derogetur per prosperitatem impiorum et adversitates justorum, 253 A', 263 A, 264 C'. Quomodo occasio fiat vitiorum, 264 C'. — Exercetur a Deo per præsidentes etiam vitiosos vel infideles, 486 C'. — Quomodo Deus inferiora et homines regat, 499 C'. An aliqua per se ipsum agat in rebus, 499 C'. In multis Deus per causas secundas exsequitur suam providentiam, 499 D'. — In ordine ad Dei providentiam cuncta congruentissime disponuntur, 500 A. Meliores ex philosophis Providentiam ex ordine mundi agnoverunt, 499 A'. Plotinus Platonicus de ejus universalitate bene disseruit, 499 B'. — Providentia humana valde incerta est, 508 C'.

PROXIMUS non nimis frequenter visitandus est, quare, 159 C'. — Pro ejus salute orandum, 439 B; sic enim Deus quasi reficitur, 440 A. — Proximum despicere, peccatum

Digitized by Google

est, 94 A. — Quomodo proximi Deo efficiamur, 489 B'.

PRUDENTIA, quid sit, 18 B', 220 C, et quam necessaria, 18 C', maxime judici, 175 C. — In Deo, idem est ac sapientia, 30 B; in homine, connexa est sapientiæ, 69 C', 110 D', a qua non separatur, 96 A'. — A Deo manat, 55 B', et non nisi virtuosis veraciter inest, 63 A, 453 B. — Virtutum auriga, 28 D, et moderatrix, 359 A, eas in vitia degenerare non sinit, 35 A'. Per hanc homo iniquas vitat actiones, 21 C, et vitia carnis, 21 C'; discit labia moderari, 69 B, 73 D', adversa et correptionem suscipere, 95 C', 115 C'; in bono stabilitur, 38 C, D, 502 B; corda proximorum introspicit, 170 B, et dignus fit qui aliis præponatur, 28 D. — Apte disponit media ad finem, 94 B', quia circa media proprie versatur, 101 B'; regna roborat, 151 D'; in bello, præstat corporali fortitudini, 135 B. — Simplicitate decoranda est, 93 B'. — Anima ad eam se disponit, 34 C, per humilitatem, 18 C', orationem, 19 A, docilitatem, 88 D, et per studium et experientiam in ea proficit, 34 D. — Prudentia carnis, quid, 181 C'. Fallax est, 24 D', et infirma, 142 A'. — *Cf.* Sapientia.

PRUNA. Congerere prunas super caput inimici, quid, 160 A'.

PTOLEMÆUS (Philadelphus), rex Ægypti, e Scriptura unum Deum colere didicerat, 553 A.

PUER. Ex pueri studiis conjici potest de ejus futura vita, 133 D'. — Quomodo educandi sint pueri, 129 C. — Inexperti sunt et imprudentes, 276 C. Vitia eorum in multis senibus reperiuntur, 244 C'. — Pueri in solo peccato originali decedentes, qualem pœnam sustineant, 233 A'. — Fideles et servi Dei pueri nominantur in Scripturis, 134 A.

PULCHRITUDO omnis a Deo defluit, 311 C', cujus substantialem pulchritudinem participant creaturæ, 382 D. — Toti Trinitati convenit pulchritudo substantialis, 500 A', sed Verbo appropriatur, quare, 311 D', 500 A'. — Quænam ad hominis pulchritudinem requirantur, 382 B'. — Suavitas et refectio est oculis, 414 A'. Frequentius reprobis datur quam electis, 111 A'. — Quanta pulchritudo Christi, 311 C', B. Virginis, 327 D, 380 B, 382 C, 414 D, Ecclesiæ, 311 B, 363 D, 367 B', 403 C', et animæ virtuosæ, 320 B, 374 D, 410 A'.

PUPILLA oculi, quid sit, 51 C. — Sedes est luminis visualis et vis visivæ, 284 C.

PURGATORIUM quandoque infernus appellatur, 267 C. In parte superiori inferni esse creditur, 267 C. — Quales sint pœnæ purgatorii, 247 B. — Animæ in eo exsistentes, in caritate sunt, 483 A, et certæ de adeptione salutis, 468 A', 476 B; refrigerium ex suffragiis vivorum accipiunt, 476 C; vehementer ad gloriam adspirant, 483 A. Pie creditur eas ab angelis consolari, 476 C.

PURITAS, seu pudicitia, est in voluntate animi, 473 C'. — Decorem addit etiam corpori, 474 C. — Ab incontinentibus ipsis frequenter laudatur, 474 D. — Eleganter a S. Cypriano commendatur, 474 C.

PURPURA quid mystice designet, 198 D', 427 D'. — Cur purpuræ conferantur comæ Sponsæ, 419 C, 424 D', 427 D'.

PUTATIO. Tempus putationis, quid sit, 335 B', 342 D, 348 A.

Q

QUADRIGÆ Aminadab, quid ad litteram, 407 C', et mystice, 407 D'. — Quomodo conturbaverint animam Sponsæ, 408 B, 413 C, 416 A'. — *Cf.* Aminadab.

R

RABANUS (Maurus), episc. Moguntinus, citatur, 452, 455 D, 491 C'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 107-112.)

RADIX justorum est fides vel caritas, 78 D, 80 B'; radix contemplationis, donum sapientiæ, 472 D'; radix immortalitatis, omne opus bonum, 538 D'.

RAPINA gravior est furto, 139 C.

RAPTUS animam elevat in objectum increatum, totamque in abyssum lucis absorbet, 340 A'. — In raptu, amoris ecstatici vehementia, fit gravis afflictio corporis, 332 A.

RATIO vitiis obscurata perverse judicat, 81 A, 94 C. — *Cf.* Intellectus, Mens.

RATIONALE, ornamentum summi sacerdotis, pretiosis lapidibus distinctum, 557 A, cur sic nominetur, 556 D'.

RAYMUNDUS (Martinus) frater, Ord. Præd., auctor Pugionis fidei, allegatur, 52 D.

RECLINATORIUM throni Salomonis, quid, 354 C, 359 B, 362 D.

RECTITUDO in verbis Deo placet, 109 A', et hominibus, 156 A. — Quomodo Deus creaverit hominem rectum, 257 A', et gressus

Digitized by Google

ejus rectos faciat, 39 A. Quid sit via recta, 21 C, 181 A. — Recti, id est justi, 302 A', 141 A, soli vere Deum diligunt, 316 A'. Quo sensu habitent in terra, 22 D. — *Cf.* Justus.

REGIMEN monarchicum optimum videtur, 172 A'.

REGINA. Sexaginta Salomonis reginæ, quid significent, 405 A', 406 B', 411 C', 415 D. — *Cf.* Rex.

REGNA stabiliuntur justitia, 96 A', 109 D, 158 B, 177 B, 178 B', prudentia, 151 D', clementia, 136 D', virtute, 276 D, et sobrietate, 276 A'; corruunt peccato, 96 B', rectorum imperitia, 276 B, ingluvie, 276 C, tyrannide, 175 B, impietate, 177 B, et negligentia, 179 B. — Regna sine justitia magna latrocinia sunt, 109 A'.

RELIGIO catholica sæpe ab impiis venerationem obtinet, 108 D, illosque ad se convertit, 108 A'. — Fervida desideria delineantur horum qui religionem intrare, aut perfectioni studere cupiunt, 442 B'.

Religiosi præcipuam firmitatem consequuntur ex congregatione, 124 C'. — Eorum instabilitas acriter reprehenditur, 168 D. — Per caritatem ædificationemque mutuam se adjuvent, 235 C'. Qualiter pro sæcularibus orare debeant, 439 B'. Veri religiosi, virtutum suarum odore, animabus aliorum medentur, 403 C. — Visi sunt a quodam Sancto aureos torques portare, 308 C'. Per vicos figurantur, 350 D'. — Religiosi, tempore auctoris, valde erant deformati, 351 A.

REMEDIUM nullum est contra mortem corporalem, 460 B'. — Multa remedia contra morbos a Deo concessa sunt, 460 B'.

REPROBATIO. Ejus probabile signum est obduratio hominis in peccato, 252 C'. — Quidnam pro tali agendum, 252 C'.

Reprobi, quantum ad animas, in infernum dejiciuntur, 265 B. — Cur Deus illos creaverit, 247 C. — In inferno non est sapientia, 267 C. An nihil omnino reprobi sciant, 265 B', 267 C; quid considerent, 482 B'; an rationis usus eis auferatur suppliciorum vehementia, 267 D. Deum oderunt, ejus gloriæ invident, rebus caducis frui cupiunt, 279 C'. — A corpore Ecclesiæ abscisi sunt, 266 A. Per suffragia non juvantur, 266 B. Non merentur, 267 C. Non valent pœnitere, 279 C', 460 D', nisi serviliter, 480 C; nec unquam dæmonum manus evadent, 460 D'. — Participes fiunt pœnarum eorum quos per sua exempla ad peccatum incitaverunt, 512 D. Citra condignum puniuntur, 522 C, 527 A. Sunt magis vel minus reprobi, 487 D'. — Reprobi, in hac vita, instinctu divino et per angelorum custodiam, a multis vitiis retrahuntur, 527 A.

REUS mortis, an peccet, suum crimen judici negando, 459 A'.

REVELATIO. Quid sit revelare Deo opera, 106 D'. — Secreta propria non nisi fidelissimo amico revelare expedit, 158 D'; aliena, nemini, 74 A.

REX paternam auctoritatem in subditos habet, 34 C; qui suam voluntatem sequitur et non rationem, tyrannus est, 109 D. Tyrannis describitur et reprobatur, 175 B. Rex etiam injustus percutiendus non est a subditis, 119 D'. — Rex honoratur per virtutem ac multitudinem subditorum, 95 D, A'. Debet justitiam clementia temperare, 175 C, pro futuris ex præterito et præsenti providere, 236 B. — Rex illitteratus est quasi asinus coronatus, 490 D. — De regibus specialem curam habet providentia Dei, 137 D'. — Quare Deus sinat populos per malos reges opprimi, 273 B'. — Rex Israel Deuteronomii librum sibi describere tenebatur, 108 D'. — Quilibet homo recte dicitur rex, 191 B. — *Cf.* Regna.

RICHARDUS de Mediavilla (de Middletown), Ordin. Min. theologus, 252 A'.

RISUS, qualis esse debeat, 249 B. — Risus impiorum in dolorem desinit, 92 A', quare, 221 C. — Quo sensu rideat Deus in interitu malorum, 15 B'.

ROBOAM, 1[us] rex Juda, filius Salomonis, quot liberos genuerit, 243 B'.

ROMANI semper ambitiosi fuerunt, 86 C'.

ROS, quid sit ad litteram, 30 A', et mystice, 30 D'. — Caput Christi, cur rore plenum dicatur, 388 A, 395 D', 400 D'.

ROTA. Sic vocatur caput hominis, 286 B'.

RUBOR. Cur Sponsus dicatur candidus et rubicundus, 391 B, 398 C'.

S

SACERDOS. Quænam sint ejus arma, 555 C'. — Vestes sacerdotum V. L. quid significarent, 556 C', 557 D.

SACRAMENTA ecclesiastica sunt gratiarum contentiva, quæ ex Christi latere emanasse dicuntur, 299 B. — Per ea, quotidie renovatur et ornatur Ecclesia, 302 C'; valde cooperan-

Digitized by Google

tur ad expeditius iter ad patriam agendum, 354 B'. — An suam virtutem indeficienter conservent, 373 D'.

SACRIFICIA novæ legis, quomodo Deo accepta sint, 99 B. — Sacrificia veteris legis non ex opere operato accepta erant, 99 A, 108 B, 138 B'.

SADDUCÆI, animæ immortalitatem et futurum judicium negabant, 464 D.

SÆCULUM, id est mundus, Creatorem esse probat, 531 A'. — Sæcularis potestas spirituali inferior est, 486 B, et ab ea dirigi debet, 486 C. — Principes sæculares Dei sunt ministri et vicarii, 486 D.

SALOMON. Quæ sint varia ejus nomina, 5 A, 6 D'. — « Salomon », quomodo interpretetur, 5 A. — Vocatur etiam Congregans, Filius vomens, 181 B, Lamuel, 192 B. An unicus filius fuerit Bethsabee, 34 C'. — Adhuc puer electus, 34 C', quomodo a David instructus fuerit, 35 B, sapientiam ac scientiam acquisierit, 3, 4, 492 B', et quantam, 219 D'. An eam post peccatum suum retinuerit, 222 A'. Quantam de naturalibus scientiam habuerit, 219 D', 189 B, 495 A. Qualiter hominum cogitationes cognoverit, 495 D'. — Prævidit in spiritu Incarnationem, 204 B, et omnia mysteria Christi, 291 in fine. — Operum ejus argumentum generale, 5 A, A', et partitio philosophica datur, 5 C, A'. Non videtur libri Sapientiæ auctor fuisse, 451. Canticum in sua juventute scripsit, 405 D. Quotupliciter de Sapientia tractet in libris Proverbiorum, Sapientiæ et Ecclesiastæ, 145 D', 211 A. Parabolas suas ore protulit, quas servi collegerunt, 157 C. — Quot uxores et concubinas habuerit, 405 C. An vere pœnituerit, 182 A, C'. — Tripliciter fuit figura Christi, 6 B. Quid ejus pelles, 302 D', lectulum, 352 B', 358 A', 361 C', ferculum, 353 C', 358 D', 362 A, diadema, 355 B, 363 A', desponsatio, 355 D. — *Cf.* Canticum, Ecclesiastes, Proverbia.

SALTATIO moderata in nuptiis admitti solet, 227 A. — Non est sine periculis, 227 A.

SALUS a Deo solo est, 543 D, et præsentem vitam degentibus in inchoatione adest, 20 B. — Non potest sine caritate et dono sapientiæ obtineri, 59 C'. — Semel adepta, in Beatis deficere nequit, 469 C.

SANCTI multi, sicut B. Paulus, dissolvi et esse cum Christo desideraverunt, 323 D'. — Contra dæmones fide et caritate se muniunt, 333 D'. — Qualiter quidam Sancti de suis persecutoribus ultionem expetant, 477 C'. Sancti omnes mutuo sibi merita sua communicant, 443 C, et se invicem juvant, 333 C'. Per eos Ecclesia plurimos homines convertit, 372 B. — Acumine sui ingenii, ope Spiritus Sancti, verum a falso discernunt, 333 A'. Quidam Sancti, in hac vita, Deum per speciem vidisse creduntur, 380 C'. — Quo pacto de unoquoque Sancto cantetur : Non est inventus similis illi, 412 A.

SANGUIS, quomodo producatur, 428 B'. — Qui effuderit sanguinem, sanguis ejus effundetur, quomodo, 12 C'. — Quid sit animæ sanguinem calumniari, 175 D.

SANGUISUGA et filiæ sanguisugæ, quid, 187 B'.

SANIR, quomodo interpretetur, 368 B'; quid mystice, 368 C', 378 B. — Quo sensu de vertice Sanir coronetur Sponsa, 369 A, 378 A, 384 B'. — *Cf.* Hermon.

SANITAS, quid sit, 82 B.

SAPIENTES, parabolis utuntur, 9 D; avibus comparantur, 12 D'. — In verbis moderati et parci, 94 D, diligenter audiendi sunt, 8 A', 9 C. — Consilia ipsi audiunt, 81 B; informationem quærunt, 100 A; Deo et superioribus obediunt, 67 D. — Non spernunt modica, 88 B. — Suam sapientiam non jactant, 68 A', eam tamen in tempore opportuno ex caritate ostendunt, 68 A'. — Non alios, etiam peccatores, superbe despiciunt, 73 D'. — Temporis opportunitatem observant, 260 A, et tempus judicii pensant, 259 D'. — Bonam famam et honorem habent, 34 B, 67 B. Eos præesse decet, 77 A. Qualiter lingua eorum sanitas sit, 82 B.

SAPIENTIA est divinorum sapida notitia, 471 A', 256 B; quotuplex sit, 3, 4, 252 C, 451. Sapientia naturalis, quid et quotuplex, 4. Justis et impiis communis, 490 C', 455 A', in Salomone maxima fuit, 4; in Adamo et Aristotele, quanta, 4. — Sapientia quædam scholastica potest naturaliter acquiri, 455 A', 4. — Sapientia ut gratia gratis data, quid sit, 3. Cum peccato mortali esse potest, 490 C'. Quibusnam insit, 3; quomodo comparetur, 3, 19 B'. — Sapientia ut donum, quid, 3. Caritati inseparabiliter est annexa, 3, 489 D', item prudentiæ, 96 A', 110 D', et justitiæ, 453 A, aliisque donis ac virtutibus infusis, 493 A'. — Quanta fuerit in Salomone, in Moyse, etc., 3. — A Deo immediate datur, 19 B', et ab eo petenda est, sed ex libris

Digitized by Google

et a doctoribus exquirenda, 20B. — Præstantior est omni naturali eruditione, 378D'. Quantum sit bonum, 489C'. Manet in patria, 489D'. — Sapientia diligenti studio est quærenda, 8D', 9C. Desiderare eam jam ejus initium est, 489D, itemque timere Dominum, 9B', C', et exhortationes libenter audire, 35D. Ad eam acquirendam requiritur humilitas, 18D', 19C, et oratio assidua, 19A. — Laudatur sapientia, 110B: quanta bona afferat, 18C; parit scientiam Dei, 19A', et timorem filialem, 19D; hominem ad intuitum Dei elevat, 490A. Præclarissima est inter dona, 498B', 490A, et super omni bono pretiosissima, 54D. — Deo tota est adscribenda, 25C', 56A. Ejus fontes sunt Christus et Apostoli, 121A'; fructus et actus ejus, contemplatio, 56C', 472D'. In actu sapientiæ beatitudo nostra constituitur, 451. — Quænam sint ejus signa, 119D. An possit homo certo scire se eam possidere, 164D, aut saltem probabiliter, 489D'. — Lumen ejus incorruptibile et inexstinguibile est, 493D.

Observantia sapientiæ, quanta conferat, 512A'. Vitam gratiæ reficit et conservat, 29B'; dat temperantiam, 31B, humilitatem, 181B', docilitatem, 21A; hominem facit ordinatum, constantem, 493A', discretum, 494D. Intellectum et voluntatem roborat, 152D. In vultu et gestu apparet, 258B. — Sapientiæ viæ, quid, 29B, D. Quanto plus profecimus in ea, tanto limpidius cognoscimus eminentiam ejus, 256B. Medium est pertingendi ad felicitatem, 490C. — Donum sapientiæ hominem facit consiliarium Dei, 35B', qui in hac vita eum honorat, 35B', et in patria coronat, 35C'. In quibus hominibus adsit, 54C'; an cum peccato mortali permaneat, 493D. — Summa sapientia est Deo obedire, 173B; quænam consummata, 182C. Cum religiosa paupertate optima est, 251C'.— Sapientia salutaris extra Ecclesiam non invenitur, 91C. Qualiter aliis communicanda sit, 41C'. Sapientia, seu sacra doctrina, quomodo tripliciter describatur, 145C'. — Sapientia Ecclesiam ædificat, 151D', et omnem politiam, 152A. Prudentiam parit, etiam in humanis rebus, 69D'. — Præcipue valet in bello, 152C', 503B'. Fortitudine præstantior est, 269A. — Quicumque sapientiæ donum non habet, vitium habet contrarium, 498A'. Sapientia carnis, quid sit, 181C'. Sapientia informis et acquisita, cum vitiis esse potest, 236B.

Sapientia increata, absolute accepta, divina essentia est, 29D', tribus Personis communis, 451. — Relative dicitur de Filio Dei, 29D'. Genita, non creata, a Patre procedit, 451. — Sapientia Dei idem est ac ejus prudentia, 30B. — Ejus dextera et sinistra, quid, 28D'. Æterna est, 499B, vapor Dei dicitur, 497A', actus purus, lumen incircumscriptibile, 497A'. — Est ars omnium productiva, 496A, creatrix, 501A', exemplaribus idealibusque rerum rationibus plena, 496A; omnium causa exemplaris et effectiva, 501B', omnium perfectiones continens, 501A'. Qualiter in rebus creatis reluceat, 505B, et luce sit prior, 498C'. — Ubique præsens, omnia penetrat, 499A; in cœlo tamen est speciali modo, 507B'. Omnia gubernat sapienter, 499B, secundum uniuscujusque naturam, 499C. Conciliis generalibus adest, 54B'. — Sponsa vel Sponsus appellatur, 500C. Pulchritudo ei appropriatur, 500A'. — Quomodo invisibiliter mittatur, 507B'. Quærenda est, 22C'; tanquam principale caritatis objectum diligenda est, 490B. Facit hominem securum, 490A. — Ab illa primi parentes posterique eorum electi illuminati sunt, 510A'. *Cf.* Christus.

Liber Sapientiæ quare sic vocetur, 451. — Non est in canone, 558B'. An argumentum ex illo sumptum, apud Catholicos valeat, 558B'. — Judæi illum Philoni adscribunt, 451 in fine. Ex verbis sententiisque Salomonis compilatus esse creditur, 452.

SAPPHIRUS, lapis pretiosus ætherei seu cœlestis coloris, 393C.

SARRACENI. Ab eis Christiani propter peccata sua afflicti sunt, 96B'.

SCANDALUM prælatorum quot damnationibus dignum sit, 261D, 274D. — Impii ex prosperitate stultorum scandalum accipiunt, 16D'. — Imperfecti facile scandalizantur, 146D'.

SCIENTIA est cognitio rei per causas, 256D. An majorem certitudinem habeat quam fides, 260C. — Quotuplex sit, 270A'. — Scientia infusa non habet falsitatem admixtam, 495B. — Parva est hominis scientia de præteritis, 275B', de futuris nulla, 275C'. — Scientia frequenter inflat, 220B', quosnam, 152A'. Scientia parva, cum humilitate, melior est quam grandis cum vanitate, 79B'. — Scientia pretiosa est, 54D, licet multimo-

Digitized by Google

dis afflictiva, qualiter, 220 B'. Quænam scientia necessaria sit, 69 A', 246 A, 485 D. Plurima expedit ignorare magis quam scire, 244 D', 245 D'. — Per informationem magistrorum acquiritur, 78 A ; aliis communicanda est, 41 C'. An scientiam suam celare liceat, 83 A.

Donum scientiæ, necessarium est, 69 A', et omni eruditione naturali præstantius, 378 D'. Quibusnam a Spiritu Sancto infundatur, 78 A. — Scientia spiritualis, quid sit, 126 D. — Scientia Sanctorum, quæ, 182 C. — Scientia Dei, fructus est sapientiæ, 19 A'. Quomodo ad illam perveniatur, 19 B'.

Divina scientia, quomodo circa virtuosa et vitiosa se habeat, 38 D'. — Deus nomina omnium hominum nasciturorum præcognoscit, 245 A. Deo propria est futurorum præscientia, 246 A'. — *Cf.* Deus.

SCINTILLA. Beatorum agilitas scintillæ comparatur, 470 B'.

SCOTUS (Duns), Doctor subtilis, Ord. Min. theologus, 217 B.

SCRIPTURA sacra est tanquam radius increatæ veritatis, 185 B', divina est, 204 A', cunctis aliis scientiis præstantior, 203 C'; nil falsitatis admixtum habet, 54 B, 203 C', et omnia bona includit, 202 D. — Cibus est omni professioni et ætati congruus, 370 C'; mentem sobrie inebriat, 330 D. Animas infirmas reficit, 202 C', et consolatur, 169 D'. Est quasi speculum pro facie nostra interna, 185 C. Quare gladius vocetur, 352 D'. — Nos instruit de Creatore, 309 B, cujus notitiam ad omnia regna defert, 202 B', et etiam de creaturis, 309 B. — Docet qualiter sit vivendum, 38 B, 202 A ; excitat ad bene operandum, 202 A', et ad omnem virtutem, 152 C ; gratiis ditat, 202 C, 203 C, castitatem fovet, 203 A, 203 A', et fideles ad lumen gloriæ perducit, 203 A.

Quomodo ad intelligentiam Scripturæ perveniatur, 185 D. Cur obscure loquatur, 8 C, 157 D. Modeste scrutanda est, 192 A, 237 D. — Quotuplex sit ejus sensus, 145 C'. Qualiter exponenda, 185 A'. Illam docere valde meritorium est, 202 D'. — Sensus mysticus in litteræ veritate fundari debet, 558 B'. — De Deo frequenter more humano loquitur Scriptura, quare, 483 D'. — Moris est auctoribus Scripturæ de se quasi de alio loqui, 286 D'. — Apud Judæos, omnes libri Scripturæ omnibus tradebantur, paucis exceptis partibus, 295 C. — Sub nomine mulieris fortis laudatur sacra Scriptura, 201 C' et seq.

SCRUTATIO judiciorum Dei quænam sit licita, 161 D'.

SECRETUM alienum revelare, quale peccatum, 74 A. — Nonnisi amico fidelissimo proprium revelandum est, 74 B, 158 D'. — Secreta ventris, quid, 136 A', 137 B'.

SEDES judicialem potestatem significat, 490 B, 493 A, vel regalem, 508 A. — Quid sedes Dei, 506 B'; cur harum adsistrix dicatur sapientia, 506 A'. — Quomodo sub umbra Sponsi sedeat Ecclesia, 329 C', anima, 339 D', vel B. Virgo, 345 A'.

SEMEN. Qualiter se habeat in formatione fetus, 491 C, D. — Mystice, semen est opus bonum, 75 C, 281 C.

SEMITA pro operatione vulgo sumitur, 13 A', 38 C. Quid semitæ justitiæ, 20 B', 84 A', judicii, 56 D', 119 C, vitæ, 22 A, 40 B'; quid semitæ Ecclesiæ, 200 A, justorum, 36 C', 110 D, impiorum, 36 B. — *Cf.* Via.

SENECA, « moralis philosophus, vir præclarus », 193 A. — Allegantur ejus Proverbia, 19 C, 21 B, 24 A', 27 A', etc., libri de Copia verborum seu de Quatuor virtutibus, 38 D, 192 D', 502 B, de Beneficiis, 116 A', et Epistolæ, 39 B', 93 A, 100 B'.

SENECTUS ex se venerabilis est, 473 C, vitio autem fit aspernabilis, 473 D. — Non ætas corporis, sed mentis maturitas, morumque probitas, honorem merentur, 476 D, 137 A.

Senex manet qualis erat in juventute, 129 C', 144 B. — Quomodo sensus paulatim decidant, 284 C' et seq. — Cur senes sint misericordes et ad compassionem proni, 129 D'. — Parentibus, maxime ætate provectis, subveniendum est, 149 C'.

SENSUS, in Scriptura, sæpe intellectum designat, 501 A', 509 B, vel rationis judicium, 477 A, 509 C'. Quatenus Salomoni datus sit, 492 B'. — Sensus interni, an possint a dæmonibus immutari, 138 B. Sensus externi mentem non parum impugnant, 317 C. — Sensitiva pars quasi mater est intellectivæ, 317 C. — Quid sit de Deo in bonitate sentire, 453 C'. — *Cf.* Intellectus, Mens.

SENTENTIA. Quando de propria sententia lætari liceat, 101 D'. — Liber Sententiarum. *Vide* Petrus Lombardus.

SEPES. Dissipare sepem, quantum noceat, 274 A.

SERAPION abbas, in juventute sua gulosus fuit, 64 C. (Cassiani *Collat.* II, x-xi.)

Digitized by Google

SERMO opportune depromendus est, 102B, 119D', caritative, 97C', non immoderate, 238C, D, non præcipitanter, 237D. — Omni sermoni non expedit credere, 255D. — Sermo Dei, scilicet Christus, 102C', 554A', vel Scriptura, 157C', fidelium est clypeus, 185B, et speculum, 185C. Quomodo dicatur ignitus, 184C', et potestate plenus, 259C. — *Cf.* Lingua, Scriptura, Verbum.

SERPENS æneus, curationis Hebræorum signum, non causa fuit, 543C. — Mortem Christi crucifixi præfiguravit, 543A'. — Mystice, serpens figura est detractoris, 274D'.

SERVI, ad dominationem elevati, sæpe superbi ac sævi evadunt, 128B, 189A'. — Servi sobrie nutriendi sunt, 179C', et quandoque verberibus erudiendi, 179A'; attamen, illis compatiendum est, 187A. — Spiritualiter, servus peccatorem signat, 189D'.

SICERA remedium est contra animæ corporisque dolores, 193D'.

SIDERA, seu luminaria cœli et orbes cœlestes, propter homines condita, 284A, ex nihilo facta, 281A, incorruptibilia sunt, 30B, 223B. — Utrum sint animata, 215B'. — Qualiter in elementorum et mixtorum generationem et gubernationem influant, 281A, 530D. In superiorem partem animæ directe non agunt, 530D.

SIGNACULUM. Quomodo Christus sit signaculum super cor Ecclesiæ, 432C', 433D', animæ, 441B, et B. Virginis, 445B'.

SILENTIUM inter religiosas observantias præcipuum locum tenet, 125C. — Nunquam nocet, 229A, et stultis ipsis sapientia reputatur, 120B.

SIMILITUDO concordiam et amorem parit, 375C. — Ratio est unionis et complacentiæ, 425A'.

SIMONIDES poeta, non nisi mortalia bona quærenda docebat, 223D, 541B. Ab Aristotele reprobatur, ibid.

SIMPLICITAS, justo necessaria est, 20A'. — Habet connexam veram justitiam, 72C.

Simplices a Deo diliguntur, 20D, illuminantur, 33A', diriguntur, 72C; legis ejus observantia confortantur, 70C'; ambulant confidenter, 67D.

SIMULATIO, quantum peccatum, 73D. — Simulator impatiente deterior est, 93A'.

SINDON, quid mystice, 199D.

SINGULARITAS vitanda est, 67A', 92D.

SINISTRA, in Scripturis, adversa et noxia designat, 272C. — Sinistra sapientiæ Dei, quid sit, 28D'. — Sinistra seu læva Sponsi, quid, 332D. — Cur in sinistra Dei esse dicatur gloria, 29A, et in sinistra stulti, cor ejus, 272B. — Quid sit ad sinistram declinare, 38B'. — *Cf.* Dextera, Læva.

SINUS. Quid sit munus de sinu, 119C, vel in sinu, 140B.

SION filiæ, quid, 355B, 363B'. — *Cf.* Jerusalem.

SOBRIETAS in victu, mentem corpusque et virtutes ornat, 171D'. — Commendatur, 140D', 241D', præsertim prælatis, 193D, 276A'. — *Cf.* Gula.

SOCRATES philosophus citatur, 541A.

SODALES Sponsi, quid, 305D, B', 317D', 326A.

SODOMA. Terra ejus describitur, 511B', et fructus, 511B', 512A.

SOL qualiter calidus dicatur, 131A. — Describuntur motus illius, 215A. Secundum Ptolemæum, in medio planetarum est, 223A. — An sit animatus, 215B'. — Causa est generationis et corruptionis in elementis et mixtis, 215C, 530D, animationis et vitæ in animalibus, 215B', 530D. Qualiter generationi hominis concurrat, 215B'. — Allegorice, sol Christum significat, 216A, 281C', 481B; quid metaphorice, 284C. Quum ipsi non immerito assimiletur Sponsa, 406D', 412C', 416B, quare ab eo decolorata perhibeatur, 303B, 317A, 325D. — *Cf.* Luna, Sidera.

SOLITUDO ad devotionem et spiritualem profectum necessaria est, 139C'. — De modo in ea virtuose se habendi, 39A'.

SOLLICITUDO, quid et quotuplex, 72C'.

SOMNIA multos errare faciunt, 240D. — Non sunt semper deceptiva et spernenda, 240B'.

SOMNUS, quotuplex sit, 45A'. — Juxta naturæ necessitatem sumendus est, 45B'. — Quandoque a diabolo perturbatur, 31B'. Per saturitatem impeditur, 241D'. — Quidam in somno orant, psallunt, meditantur, 31C'.

SORS, quid et quotuplex, 112D'. Remedium discordiæ esse potest, 124B'.

SPECTACULA. In eis oblectari non decet, 88D'.

SPES, quid sit, et unde procedat, 68B', 466D'. — In Deo solo tanquam in principali et finali objecto sperandum est, 185B, cum timore tamen, 24C'.

SPINA, in Scripturis, varia signat, 329C, 339C, 344C'. — *Cf.* Lilium.

Digitized by Google

SPIRACULUM. Sic dici potest anima hominis, 136D, vel illuminatio divinæ inspirationis, 136B'.

SPIRITUS, sæpe pro vento, 492C', aut pro ira 15B, sumitur. — Non valet homo in spiritum suum vel alienum omnino dominari, 260D', perversis tamen affectibus resistere potest, 261A. — Cibus spiritus, est contemplatio veritatis, sacra communio, gratiarum virtutumque infusio, 395C.

Spiritus Sanctus est simplicissimus, essentialiter sanctus, 456B, 497B, unus et multiplex, 496D. — Ejus perfectiones describuntur, 496D et seq. — Omnia penetrat et implet, 457D; omnes creaturas intellectuales in se comprehendit, 497B. In Christo dupliciter est, 496C. Cuncta bona, 457C', et dona gratiæ, 457B', procedunt ex eo causaliter et exemplariter, 457C'. — Qualiter in animas veniat, 492D'. Per sua dona hominem prompte dirigibilem facit, 492C'. — Hypocritam inhabitare despicit, 456A. Quo pacto scrutator sit cordium, 457C, et verborum auditor, 457D. — Quot munera in die Pentecostes primitivæ Ecclesiæ attulerit, 435C'. — *Cf.* Trinitas.

SPONSUS et Sponsa. Deus Trinitas sponsus est Beatorum et fidelium animarum, 368C. Synagogæ sponsus erat Deus, 49D'. — Ratio sponsi Verbo divino proprie convenit, 368C. — Quo pacto Sponso ubera attribuantur, 299A'. Quotuplici modo animas visitet, 443B'. Quosnam effectus in eis producat, 342D. — In animabus puris, claustrisque devotis, delectatur, 403B'. Ad animam pœnitentem benigne revertitur, 342B'. *Cf.* Christus *in fine.*

Sponsa Christi quotuplex, 291, 313A. Omnis anima est Dei sponsa aut diaboli adultera, 189D, 312D'. — Inter sponsas Sponsi cœlestis non est invidia, 409A. — *Cf.* Anima virtuosa.

STATERA dolosa, quantum Deo displiceat, 71B. — Quid mystice, 71C.

STATURA. Quid statura Sponsæ et cur palmæ conferatur, 419B', 425D, 428C.

STELLÆ metaphorice sensus exprimunt, 284C. — *Vide* Sidera.

STELLIO, reptile lucentibus maculis in cute pictum, 190B', quid significet, 190D'.

STERILITAS in V. L. maledictio reputabatur, 444D. — Quandoque fecunditati præstat, 472A.

STUDIA a gravioribus vitiis carnis et otii periculis retrahunt, 229A'. — Studiosi bona phantasmata in somno habent, 31A'.

STULTITIA maxima est profectum negligere, 80B, pœnitentiam procrastinare, 93C, de dignitatibus gaudere, 118D, in seipso confidere, 176A'. — Homini innata est, 93B', 145C.

Stulti. Sic nominantur in Scripturis omnes vitiosi, 10B'; vel in mortali jacentes, 219B'; vel præceptorum Dei transgressores, 153A, B. Quam multi reperiantur, 219A'. — Oculis vagi, 119B', loquendo præcipites, 122D', lingua incustoditi, 68B', 122B, discretionis expertes, 178C, Creatoris in se deturpant imaginem, 98D', et frustra ei sacrificant, 237A. — Ad iracundiam et contumelias proni, 90B', 249D', sapientiam non curant, 10B', doctrinam et correptionem non sustinent, 67D, 98B, 120D', de bonis perverse judicant, 81A, 272D, et inaniter lætantur, 34A', 101A', 248B'; ideoque cor in sinistra dicuntur habere, 272B, incorrigibiles sunt, 170C', et plerumque mala incurrunt, 130D', 272C. — Eorum est vitanda societas, 88C', metuenda prosperitas, 16C', 117C. Quid eis respondendum, 163B, C. — Stultus tacens sapienti similis est, 120B.

SUBDITI. *Vide* Prælati *in fine.*

SUNAMITIS, quomodo interpretetur, 408A', et quid significet, 408C, B', 413A', B', 416C', D'.

SUPERBIA generat lites, 86C', alios indignari facit, 176C. — In oculis apparet, 187C. — Per illam fit homo diaboli servus, 249D'. — Quomodo compescatur, 495A.

Superbus quomodo apud Græcos interpretetur, 56B'. — Superbi, plus quam ceteri vitiosi, a Deo odio habentur, 107D', et dejici merentur, 110D, 180B. — De carnis nobilitate gloriantur, 114C'. Proni sunt ad indignationem, 180A, et ad verba contumeliæ, 71C', 90B'.

SUPERIORES. *Vide* Prælati.

SYMMACHUS, Samaritanus, Scripturæ translator, 216A.

SYNAGOGA, Judæorum parens, 11C, Deum sponsum habebat, 49D'. Se ipsam corrupit et violavit, Christum occidendo, 432A'. Nunc juste despecta, ubique dispersa est, 430C'. Per mulierem odiosam designatur, 189D'. — Litteram occidentem sequebatur, 335D', in legalibus cærimoniis spem suam ponebat sine interiori devotione, 335D'. — Irrationabiliter Evangelio contradicit, 408B. —

Digitized by Google

Propinquus Christi adventus aliquibus Synagogæ patribus revelatus est, 348 C, qui piis desideriis Christum attraxerunt, 348 A'. — Ab ea Christus informationem non sumpsit, 430 B, sed ejus legem pro tempore adimplevit, 430 B. — In fine mundi Evangelio credet, Elia et Enoch prædicantibus, 408 B, 430 C'. Contra Antichristum multi Judæi pro fide dimicabunt et peribunt, 408 C'.

SYNODI. In eis Ecclesia frequenter reformationem accepit, 351 D.

T

TABERNACULUM. Cur tabernaculis Cedar assimiletur Sponsa, 302 D', 325 C; quomodo hœdos pascat juxta tabernacula pastorum, 306 C, 318 C, 326 C.

TABULA. Tabulæ cordis, quid, 24 C. Tabula rasa dicitur intellectus in principio, 24 D. — Mystice, quid tabulæ cedrinæ, 435 D', 442 C, 446 B.

TARTARI. Apud eos multum invaluit idololatria, 535 A'. — Christianos afflixerunt, 96 B'.

TEMPERANTIA refrenat bestialia vitia, 359 B. Confertur per sapientiam, 31 B. — Mediocritas in victu commendatur, 113 B.

TEMPLUM Salomonis ad imitationem tabernaculi Moysis constructum est, 507 C. — Ab eo arcebantur eunuchi, 472 C'.

TEMPUS est aliquid continuum, 495 C. Cum cœli motu incepit et deficiet, 495 C. — Cuique rei corruptibili competit certa mensura durationis, 495 D, non tamen invariabilis, 495 A'. — Tempus præteritum in tres ætates distribuitur, 250 B'. Quænam illarum melior fuerit, 250 C', 251 B. Cur tempus evangelicæ legis tempus gratiæ vocetur, 250 C'. — In temporalibus vera quies animæ non invenitur, 226 B. — Quare tempus contemplativis et virtuosis breve videatur, 243 A. — Qualiter tempus malum dicatur, 100 D. — Sapiens tempus pensat, quomodo, 259 D'.

TENEBRÆ, quomodo Ægyptiis immissæ, 550 D', et quare, 552 B'. — Ægypto tantum incubabant, 551 C', et Ægyptios dumtaxat afficiebant, 552 A. — Adeo densæ fuerunt, 551 D, ut nullis faculis depelli potuerint, 549 B'; adeo monstris refertæ, 549 A, D, ut multi præ timore obierint, ex Ægyptiis, 551 A, ac magis, 549 C', et etiam malis Hebræis, 551 B. — Infernalium imago erant tenebrarum, 551 D'. — *Cf.* Ægyptii.

TENTATIO quotuplex sit, 469 B'. — Tentare Deum species est irreligiositatis, 454 C, D. — Ex tentatione interiori seu fomite multa peccata procedunt, 273 C. — Tentationes ab exordio reprimendæ sunt, 343 B', et superioribus revelandæ, 343 C. — An vinci possint per vires naturales, 24 D'.

TEPOR animam dejicit et passionibus tradit, 277 A; *cf.* 101 C.

TERRA. Elementum terræ a Deo immediate factum est, 520 D, non vero ex præjacente materia, 520 A'. In corporibus corruptibilibus dominatur, 286 B'. — Terra est in centro universi, 30 A, fixa, 214 C'. Totaliter corrumpi nequit, 214 C'. — Terræ cardines, quid, 58 C. — In die judicii contra impios pugnabit, quomodo, 484 D.

Terra sancta, cur sic dicta, 524 A. — In medio terræ habitabilis sita est, 524 A'.

TESTIMONIUM falsum, quam damnosum sit, 159 D'. Testis mendax, cur versipellis vocetur, 94 C'. Ad compensanda damna tenetur, 47 C. — Quomodo renum hominis testis sit Deus, 457 A. Nequitiæ parentum testes filii nequam, 475 A', 476 A.

THEODORUS (S.) abbas, quam intrepidus fuerit, 32 A'. (Acta SS. die XIV^a Maii.)

THEOLOGIA ad evadendas hæreticorum fraudes valde confert, 73 A'. — Theologia mystica, est contemplatio profunda, pura ac fervida, in apice intellectus consistens, 340 B. Qui eam experiuntur, medium tenent inter comprehensores et communes viatores, 386 D'. Qualiter per illam Deo conjungamur, 256 B.

Theologi monentur servare modestiam in scrutatione mysteriorum Dei, 161 D, D'. — Multi, auctoris tempore, vitæ detestabilis erant, 222 A'.

THEOPHRASTUS philosophus citatur, 495 C'.

THOMAS (S.) Aquinas, Ord. Præd., passim allegatur, 24 C', 25 C, 39 C', 44 D, etc.

THRONI, angelorum ordo. Per hos Deus sua decernit judicia, 506 B'.

THUS in sacrificiis Deo oblatum, 352 D, mystice orationem et devotionem significat, 352 D, 367 C, 371 B. — Cur ipsi comparetur odor vestimentorum Sponsæ, 371 A, 379 C. — Collis thuris : sic recte dici possunt contemplativi, 367 D, anima fidelis, 377 B', et B. Virgo, 382 B. — *Cf.* Myrrha.

TICHONIUS (Afer) interpretandæ Scripturæ regulas tradidit, 544 C. (Migne *Patrol. lat.* tom. 18, col. 13.)

Digitized by Google

TIGNA cedrina domus Sponsi, quid, 312 A', 320 D', 327 D', 328 A'.

TIMOR. Vani timores de malo futuro, rejiciendi, 280 A'. — Timor mortis reum a mendacio non excusat, 459 A'. — Consideratione Dei in omnibus timor pellitur, 32 B', 488 D'. — Ex timore oriuntur phantasmata et hallucinationes, 549 A, tremor et pallor, 550 D, pusillanimitas et perturbatio, 550 A'.

Timor Domini qualis et quotuplex, 9 C'. — Timor servilis inchoat, filialis perficit sapientiam, 9 B', C'. Timor servilis veniam non meretur, 16 A. Timor filialis utrum in cœlo permaneat, 9 D'; qualiter in Christo fuerit, 10 A; quo pacto a timore initiali differat, 10 B. — Quomodo timor ad sapientiam ducat, 10 D, A', et fructus ejus sit, 19 D. — Deus timendus est, 51 A. Timor est cordis custos et portarius, 37 C'. Præcepta facit implere, 255 A. — Malum odit, 55 C; a peccatis retrahit, 9 B', 94 D', 103 A'; bonam conscientiam et fiduciam in morte producit, 94 D', 95 A; vitam gratiæ conservat, et ab inferno avertit, 95 C; non tamen impeccabilem facit, 255 A. — Est fons omnis boni, 95 C, divitiis præstantior, 100 B'.

Timor carnalis seu mundanus vitium est, 32 A, 180 D; multa peccata parit, 180 A'. In perfectis non invenitur, 32 D. — Hominem timere, quandonam sit licitum, 180 A'.

TORCULARIA animæ sunt potentiæ ejusdem, 26 D'. — Quid cœlestia torcularia, 27 A.

TORQUES, quid ad litteram et mystice, 11 A'.

TRINITAS (SS.) imperscrutabilis est, 256 D. — Tres Personæ, consubstantiales sunt, coæquales, coæternæ, 57 D', infinite perfectæ, 375 D, beatissimæ, 59 A. — Operantur communiter ad extra, 297 C', 507 D. — Quid sit vita Dei, 494 B. Describuntur communicationes Trinitatis ad intra, 375 D. — Pater natura prior est Filio, ab eo personaliter distinctus, 57 D'. Gignit et profert Verbum, seipsum intuendo, 497 B'; bonitatem suam infinitam ei communicat, 497 D'; diligit eum quantum seipsum, 501 A. — In Patre et Filio est una eademque sapientia, 507 A'. — Divinarum Personarum missio non fit variatione loci, sed per effectus, 507 B'. — *Cf.* Christus, Spiritus Sanctus.

TRISMEGISTUS (Hermes) citatur, 532 C'.

TRISTITIA sæcularis, passio vitiosa est, 248 A', vitam abbrevians, 119 B. — Tristitia ordinata, seu compunctio, sapientibus inest, 248 D; gratiæ vitam stabilit, 119 C; quænam sint ejus motiva, 248 D. — Justus non de malo pœnæ sed de malo culpæ tristatur, 82 A', nec publicis adversitatibus dejicitur, 82 B'. — Per tristitiam vultus, refrenatur lingua detrahens, 160 D', 248 B.

TRITICUM. Cur acervo tritici comparetur venter Ecclesiæ, 418 C, animæ, 423 D, et B. Virginis, 426 D'.

TULLIUS (Cicero) allegatur, 33 A, 72 C, 120 D, 136 D'.

TUNICA Sponsæ, quid, 388 A', 395 D', 401 B.

TURCI Christianos afflixerunt, quare, 96 B'.

TURRIS. Cur turri assimilentur Sponsæ collum, 366 A, 377 B, 381 B', 418 D, 427 C, nasus, 418 D', 424 D, 427 B', ubera, 436 A, 442 D, 446 C.

TURTUR, fertur unum conjugium per totam vitam adire, 307 A', 318 B'. — Ecclesiæ figura est, 307 B'. — Quid significet vox turturis, 335 C', 342 B', 348 C. Cur turturi assimilentur genæ Sponsæ, 307 C, 318 D, 326 A'. — *Cf.* Columba.

TYRANNUS, potestate pro jure utitur, voluntate pro ratione, 464 A.

U

UBERA pro mammis et mamillis accipi solent, 299 A'. Viris in corporis ornamentum data sunt, 299 A'. — Cur Sponso adscribantur, 299 D; an ei proprie competant, 299 B'. Quid ubera Christi, 298 C', 299 B, 302 D, 366 B'; cur vino assimilentur, 298 D', 314 B', 322 D'. — Quid ubera Ecclesiæ, 309 C', 366 C', 369 C', animæ, 377 C, 378 C', et B. Virginis, 323 A, 381 D', 383 B; quare conferantur hinnulis, 366 D', 377 D, 381 D', botris, 419 C', 425 B', 428 C, C', turri, 436 A, 442 D, 446 C. — Ubera B. Mariæ, contactu Christi sanctificata, 323 B, 383 C, honoranda sunt, 324 B'.

UBERTINUS (Casalensis), Ord. Min., auctor Vitæ Salvatoris, (Arbor vitæ crucifixæ), 233 C'.

ULRICUS (Argentoratensis), Ord. Præd. theologus, 217 B.

UMBILICUS, in feminis, sedes luxuriæ est, 426 C'. — Per umbilicum se nutrit fetus, 426 C'. — Quid designet mystice, 26 B. — Umbilicus Sponsæ, cur crateri assimiletur, 418 A, 423 B, 426 B'.

UMBRA dicitur contemplatio viatorum, 338 B. — Sedere sub umbra Christi, quid sit, 329 C', 339 D', 345 A'.

Digitized by Google

UNGUENTUM, in Scriptura, devotionis suavitatem signat, 271 C', charismata, 301 D, 370 B, vel virtutum actus, 315 D, 373 B', 379 A. — Unguenta B. Virginis, quam suavia, 383 D. — Quid sit currere in odorem unguentorum Christi, 301 C, 315 A', 324 B. — *Cf.* Muscæ.

UNIO mentis optima cum Deo in hac vita, fit « in caligine », per ignorantiam ejus quantum ad quid est, 316 C'; *cf.* 256 B.

UNIVERSUM a Deo constitutum est in mensura, numero et pondere, qualiter, 521 D. — Ubi sit ejus centrum, 30 B.

URIAS quot filios ex Bethsabee habuerit, 35 A.

USURA, quid et quotuplex, 173 C. Peccatum enorme est et contra naturam, 173 D.

UTERUS B. Virginis fuit speciosissimus Christi hortus, 413 D. — Quamdiu ibi manserit, 491 C', et quomodo aleretur, 399 A'.

UXOR Lot in statuam salis conversa, 511 C', adhuc tempore Josephi perstabat, 512 A.

V

VALERIUS (Maximus) allegatur, 132 B'.

VANITAS universarum creaturarum, unde repetenda, 213 A'. — Vanitas est sibi complacere, inhærere creaturis, et laudes humanas appetere, 185 D'. — Vanum est quod ad finem suum non pervenit, 529 C. — Quinam homines vani, vaniores et vanissimi, 529 D.

VAPOR. Quo sensu Sapientia æterna dicatur vapor virtutis Dei, 497 A'.

VARRO (Terentius) putavit Deum esse animam mundi, 538 A.

VEGETIUS (Flavius Renatus). Liber ejus de Re militari allegatur, 135 B.

VELOCITAS in loquendo vituperanda, 179 A', 237 D; sed in agendo, commendanda, 147 A', B'; et hanc suis dat Deus, 267 C'.

VENTER sæpe pro mente sumitur, 145 B', 388 C'. Quid sint ventris secreta, 136 A', 137 B'. — Venter Sponsi, cur ebori assimiletur, 393 B, venter Sponsæ, acervo tritici, 418 C, 423 D, 426 D'.

VENTUS. Quid sit ventos pascere, 66 A', possidere, 76 D', observare, 280 C. — *Cf.* Aquilo, Auster.

VERBUM, in Scripturis, pro re frequenter ponitur, 257 D'. — Verba oris sunt verborum intellectualium effectus et signa, 68 D, 353 D. — Qualia sint justi et injusti verba, 67 D'. — Quibusnam verbis os inquinetur, 67 A. — Verbis omnibus non temere credendum est, 253 D. — Amoris magnitudine solent verba truncari, 337 B'. Quomodo tunc interpretanda sint, 337 C'. — Non sufficiunt verba sine operibus, 80 D'. — Verba mala et vitiosa, multa damna producunt, 275 C; animas spiritualiter occidunt, 122 B; non sunt repetenda, nisi imminente periculo, 115 B'. — Verba contumeliosa sunt in ore superbi, 71 C', adversus eos qui minus timentur, 72 A. — Sapientium et sacrorum scriptorum verba quam sint potentia, 287 C. Dei verbum scriptum vel auditum quomodo tractandum sit, 37 C, 148 B. — *Adde* Christus, Trinitas.

VERCELLENSIS « venerabilis abbas », (Thomas Gallus, Canon. regul. a S. Victore), libros Areopagitæ in stilum planum redegit, 313 B.

VERITAS quotuplex requiratur, 24 B. — Quam pulchra sit, 257 B. — In Scripturis sæpe justitiam designat, 24 A, 136 C'. — Quomodo emenda sit, et a quibus, 149 D'. — Veritas de necessariis ad salutem, petentibus datur a Deo, 471 A.

VESPÆ ante exercitum Hebræorum missæ, quid, 524 C'.

VESPER pro senio sumitur, 281 C.

VESTIS stragulata, quid sit, 198 D'. — Quandonam vestem fidejussoris auferre licuerit, 134 B'. — Vestimenta animæ et Ecclesiæ sunt virtutes ac dona, 266 D, 370 C', 379 C. — Vestium sacerdotalium et pontificalium mysticæ significationes, 556 B'.

VIA, id est, conversatio hominis, 21 B', 25 C, 38 C, etc., ipsum latet, 136 B, sed Deo patet, 106 B'. Sapientis est eam considerare, 91 A', et corrigere, 142 D, sed Dei, eam dirigere, 108 A', 136 A. — Quid sit via vitæ, 48 D, via sapientiæ, 29 B, D; quid viæ justitiæ, 56 D', viæ prudentiæ, 62 A. — Via salutis, cur arcta videatur, 36 A; quot gradus habeat, 354 A'. — Quantum fugiendæ semitæ impiorum, 36 B, tantum tenenda via trita Sanctorum, 67 D. — *Cf.* Semita.

VICTORIA a Deo principaliter speranda est, 142 C'. — Quomodo obediens loquatur victorias, 142 B.

VICTORINUS martyr, Petavionensis episcopus, citatur, 236 A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 5, col. 281.)

VIGILIA. Quid sit de mane vigilare, 56 D. — Christus voluntarie dormivit, 387 C, sed cor ejus indesinenter vigilabat, 387 D, et vigilat, 395 B'. — Quomodo vigilet cor Ecclesiæ,

Digitized by Google

387 C', et B. Virginis, 400 B'. — *Cf.* Somnus.

VINDICTA injuriarum, pars et effectus justitiæ, 479 C, ad publicam auctoritatem pertinet, 156 A'.

VINEA, quatuor modis præcipue læditur, 304 D. — Vinea spiritualis, quid, 407 D, 413 B, 421 B ; quibusnam lædatur, 304 A' ; quomodo excolenda sit, 342 D'. — Quid vinea Christi, 336 A, 337 D, 342 C', 348 A', 349 B', Ecclesiæ, 303 D', 304 A, C, animæ, 317 D, A', et B. Virginis, 325 C'.

VINUM, « nobilis, vigorosa et utilis creatura », 131 B, remedium est contra dolores, 193 D', et damnatis ad mortem recte dabatur, 193 D'. — Quid in homine operetur, 131 C', et quo pacto de eo delectari licitum sit, 131 C. Inordinatus vini usus sapientiæ valde contrarius est, 131 A'. Cur dicatur luxuriosum, 131 A. — In Cœna vinum lymphatum fuit, 61 A. — Spiritualiter, quid sit vinum, 431 B, 440 A, 445 B, vinum sapientiæ, 61 A, D', vinum Christi, 385 C', 386 B, 400 C. Cur vino comparentur ubera Christi, 298 D', 314 B', vel B. Virginis, 323 A, et guttur Sponsæ, 420 A', 425 C', 429 A.

VIR a virtutum vigore nuncupatur, 136 A. — Hoc nomine dignus homo rarissimus est, 257 C. Plures sunt perfecti viri quam feminæ, 257 D. — Qualiter Deus aut Christus vir dicatur, 50 A.

VIRES naturales, an tentationem vincere possint, 24 D'. In eis confidendum non est, 176 A'.

VIRGA educandis pueris quam necessaria, 89 B', 145 C, 149 C, 178 C'. — *Cf.* Correctio.

VIRGILIUS (Maro) allegatur, 476 D'.

VIRTUS in medio consistit, 38 A'. — Ejus definitio, 525 B. — In virtute summum bonum quærendum est, 117 A'. — Incipientibus laboriosa, 140 D, proficientibus dulcis, 140 A', impiis autem dura videtur, 140 B'. Operose adepta, diligentius custoditur, 87 B. — Rarior est in feminis quam in viris, 257 D. — Quælibet virtus gradum infimum, medium et summum habet, 321 A, 379 C, quibus proportionatur delectatio, 379 D. — Quænam virtutes perficiant intellectum, 409 B', voluntatem, 409 C'. — Virtutis intensio sæpe occasio est immoderantiæ, 340 D'. — Virtus adversis probatur, 113 C', et laudibus, 170 D.

Theologicæ virtutes digniores sunt ceteris, 359 B, 411 C', 502 A, quare, 359 A'. Sunt concatenatæ, 411 D', quanquam unus in ista, alter in alia magis abundet, 412 A. — Virtutes morales parti sensitivæ dominantur, 127 D', 413 B. Quo tendant omnes, 143 D'. — Virtutes cardinales ceteras morales complectuntur, 502 A ; ad salutem valde conferunt, 502 A. — Honorandæ sunt etiam virtutes intellectuales, 162 B. — Virtutum structura in anima, describitur, 358 D'.

VISIO mysticæ theoriæ qualiter rapiat animam, 340 D. — Visio beatifica Dei est finis noster, 268 B'. — Videre, in Scripturis, sæpe pro gustare seu experiri accipitur, 230 A. — Vis visiva ubi sita, 51 C, 284 C. — Visus inter sensus externos nobilior et spiritualior est, 423 C'. Quatenus ad scientiam conferat, 8 B'. — Visus incustoditus incustoditæ mentis signum est, 119 B'.

VITA præsens, instabilis, 482 B, momentum est respectu æternitatis, 70 B, cursus ad mortem, 481 B', et tenebræ, 135 D. — An appetibilis sit, 224 D, et melior quam mors, 246 D', 247 A. — Funis argenteus appellatur, 286 A. — Non est lusus, aut ad temporalia bona congreganda a Deo instituta, 540 B'. — Per philosophiam ordinari debet, 11 A. — Quomodo abbrevietur, 70 A', 254 B', 476 B'.

Vita gratiæ ex cordis puritate procedens, 37 D, sapientia conservatur, 29 B'. — Vita socialis commendatur, 235 C : cœnobitalis securior est quam solitaria, 235 D, quæ non nisi perfectis convenit, 235 D. — Vita Dei, quid sit, 494 B. — Lignum vitæ dicitur Christus, 29 B'. — Vita æterna, quid sit, 39 C; in quo actu consistat, 501 D. In illa, per felicem fruitionem mens Deo unitur, 538 D'.

VITÆ PATRUM allegantur, 32 D, A'. (Migne *Patrol. lat.* tom. 73, 74.)

VITIUM est contra naturam, 139 A'. — Non in rebus, sed in animo sedet, 186 D'. — Angustias et afflictiones habet annexas, 481 C. — Multa vitia speciem virtutis ostendunt, 92 C. — Vitiis carnis major ac evidentior turpitudo inest, 378 B : mentem præcipue excæcant, 455 C, sapientiæ aditum præcludunt, 455 C.

Vitiosi, in Scriptura, stulti vocantur, 10 B'; pejores sunt brutis, 116 C. — Ad docendum alios non possunt licite deputari, 163 C'. — Vitiosi multi, magni juristæ et theologi esse dicuntur, 455 A' : istiusmodi raro convertuntur, 455 B'.

Digitized by Google

VITTA aurea, quid designet, 286 B. — Cur vittæ coccineæ assimilentur labia Sponsæ, 365 B, 376 D.
VOCATIO. Rebus nostræ vocationi extraneis nos non intromittamus, 147 C.
VOLUNTAS, de se cæca, ab intellectu illuminatur, 423 A. Aliis potentiis imperat, 423 A. — Per quas virtutes perficiatur, 409 C'.
VOTUM discretionem, justitiam et veritatem comites habere debet, 82 A, 239 C; sin minus, non adimplendum est, 239 C. — Obligat plus quam juramentum, quare, 239 D; pro tempore opportuno obligat, 239 A. — Fractio voti, quam gravis sit, 136 C, 239 D. — Bonum ex voto factum, multo plus meriti habet, 239 B'.
VOX. Quamnam vocem requirat Christus ab Ecclesia, 337 A, 438 B, ab anima, 343 D, 443 A', et a B. Virgine, 349 A, 447 A. — *Cf.* Turtur.
VULNUS. Quomodo vulneratus sit Christus ab Ecclesia, 369 B, ab anima, 378 D, et a B. Virgine, 382 D'.
VULPES parvulæ, demolientes vineas, quid, 337 C, 343 A', 349 A'.
VULTUS. Intima cordis in vultu relucent, 170 B, 258 A. — Quid sit obfirmare vultum, 142 C. — *Cf.* Facies.

Z

ZELUS verus, magis de anima proximi quam de corpore curat, 133 B; debet esse secundum scientiam et discretionem, 340 C'; animam virtuosam succendit, 439 B', divitias gratiarum illi meretur, 67 A, 440 A; Sponso gratissimus, spiritualem sobolem illi generat, quomodo, 423 A'. — Zelus inducit ad aggrediendum ardua, 433 A', et ad divinum honorem vindicandum, 433 B'.
ZODIACUS est circulus in quo planetæ moventur, 530 C.
ZOROASTER, artium magicarum inventor, nascendo risisse narratur, 492 B.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX GENERALIS

ENARRATIO IN PROVERBIA SALOMONIS.

Præfatio 3
Articulus I. Expositio capituli primi : Parabolæ Salomonis 5
Articulus II. Expositio capituli secundi : Fili mi, si susceperis sermones meos . 18
Articulus III. Expositio capituli tertii : Fili mi, ne obliviscaris legis meæ . . 23
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Audite, filii, disciplinam patris . . . 34
Articulus V. Explanatio capituli quinti : Fili mi, attende sapientiam. 40
Articulus VI. Elucidatio capituli sexti : Fili mi, si spoponderis pro amico tuo. 43
Articulus VII. Explanatio capituli septimi : Fili mi, custodi sermones meos . . . 50
Articulus VIII. Declaratio capituli octavi : Numquid non sapientia clamitat, et prudentia dat vocem suam ? 53
Articulus IX. Declaratio capituli noni : Sapientia ædificavit sibi domum . . . 60
Articulus X. Elucidatio capituli decimi : Parabolæ Salomonis filii David regis Jerusalem 64
Articulus XI. Expositio capituli undecimi : Statera dolosa abominatio est apud Dominum. 71
Articulus XII. Elucidatio capituli duodecimi : Qui diligit disciplinam, diligit scientiam 78
Articulus XIII. Explanatio capituli tertiidecimi : Filius sapiens, doctrina patris. 84
Articulus XIV. Elucidatio capituli quartidecimi : Sapiens mulier ædificat domum suam 90
Articulus XV. Declaratio capituli quintidecimi : Responsio mollis frangit iram. 97
Articulus XVI. Expositio capituli sextidecimi : Hominis est animum præparare; et Domini, gubernare linguam. . . . 105
Articulus XVII. Declaratio capituli septimidecimi : Melior est buccella sicca cum gaudio 113
Articulus XVIII. Elucidatio capituli octavidecimi : Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico 120
Articulus XIX. Declaratio capituli nonidecimi : Melior est pauper qui ambulat, etc. 126
Articulus XX. Elucidatio capituli vicesimi : Luxuriosa res vinum 131
Articulus XXI. Explanatio capituli vicesimi primi : Sicut divisiones aquarum, etc. 137
Articulus XXII. Declaratio capituli vicesimi secundi : Melius est nomen bonum, etc. 143
Articulus XXIII. Expositio capituli vicesimi tertii : Quando sederis ut comedas cum principe, etc. 147
Articulus XXIV. Explanatio capituli vicesimi quarti : Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis. 151
Articulus XXV. Elucidatio capituli vicesimi quinti : Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri, etc. . 157
Articulus XXVI. Expositio capituli vicesimi sexti : Quomodo nix in æstate, et pluviæ in messe, sic indecens est stulto gloria 162
Articulus XXVII. Elucidatio capituli vicesimi septimi : Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies 166
Articulus XXVIII. Explanatio capituli vicesimi octavi : Fugit impius nemine persequente 172
Articulus XXIX. Expositio capituli vicesimi noni : Viro qui corripientem dura cervice contemnit, etc. 176
Articulus XXX. Expositio capituli tricesimi : Visio quam locutus est vir, cum quo est Deus. 181

Digitized by Google

Articulus XXXI. Expositio capituli ultimi : Verba Lamuelis regis. 192
Articulus XXXII. De aliis expositionibus carminis hujus : Mulierem fortem quis inveniet ? 201
Articulus XXXIII. Expositio ejusdem cantici, de gloriosissima Virgine Maria Christifera. 204

ENARRATIO IN LIBRUM ECCLESIASTÆ.

Articulus I. Elucidatio capituli primi : Verba Ecclesiastæ filii David regis Jerusalem 211
Articulus II. Expositio capituli secundi : Dixi ergo in corde meo, etc. 221
Articulus III. Elucidatio capituli tertii : Omnia tempus habent 226
Articulus IV. Elucidatio capituli quarti : Verti me ad alia 232
Articulus V. Declaratio capituli quinti : Ne temere quid loquaris. 237
Articulus VI. Explanatio capituli sexti : Est et aliud malum quod vidi sub sole. 243
Articulus VII. Elucidatio capituli septimi : Quid necesse est homini majora se quærere ? 245
Articulus VIII. Expositio capituli octavi : Ego os regis observo, et præcepta juramenti Dei. 258
Articulus IX. Elucidatio capituli noni : Sunt justi atque sapientes 264
Articulus X. Explanatio capituli decimi : Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti 271
Articulus XI. Explicatio capituli undecimi : Mitte panem tuum super transeuntes aquas. 278
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ 283

ENARRATIO IN CANTICUM CANTICORUM SALOMONIS.

Proœmium. 291
Articulus I. An liber iste ad litteram exponendus sit de Deo et Synagoga, vel potius de Christo et Ecclesia 293
Articulus II. Quales debeant esse lectores et auditores libri istius 295
Articulus III. Expositio capituli primi : Osculetur me osculo oris sui ; de Christo et universali Ecclesia. 296
Articulus IV. Expositio ejusdem capituli primi, de sponsa particulari 312
Articulus V. Declaratio ejusdem capituli primi, de sponsa singulari. 321
Articulus VI. Expositio capituli secundi : Ego flos campi ; de Christo sponso et sponsa ejus universali, quæ est Ecclesia. 328
Articulus VII. Expositio ejusdem capituli secundi, de Christo et sponsa particulari 338
Articulus VIII. Sequitur expositio ejusdem capituli secundi, de sponso et sponsa singulari 344
Articulus IX. Elucidatio capituli tertii : In lectulo meo, etc.; de sponso et sponsa generali 350
Articulus X. Expositio ejusdem capituli tertii, de Christo et sponsa particulari. 356
Articulus XI. Explanatio ejusdem capituli tertii, de Christo et sponsa singulari. 359
Articulus XII. Elucidatio capituli quarti : Quam pulchra es, amica mea ! de Christo et Ecclesia 363
Articulus XIII. Declaratio ejusdem capituli quarti, de Christo et anima virtuosa. 374
Articulus XIV. Explanatio ejusdem capituli quarti, de Christo et sponsa singulari 380
Articulus XV. Elucidatio capituli quinti : Veniat dilectus meus in hortum suum ; de Christo et Ecclesia. 384
Articulus XVI. Explanatio ejusdem capituli quinti, de sponso et anima virtuosa. 394
Articulus XVII. Explanatio ejusdem capituli quinti, de Christo et sponsa singulari 399
Articulus XVIII. Elucidatio capituli sexti : Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? de Christo et Ecclesia . . 402
Articulus XIX. Declaratio ejusdem capituli sexti, de Christo et sponsa particulari 409
Articulus XX. Explanatio ejusdem capituli sexti, de Christo et sponsa singulari. . 413
Articulus XXI. Elucidatio capituli septimi : Quam pulchri sunt gressus tui ! de Christo et Ecclesia. 417
Articulus XXII. Explanatio ejusdem capituli septimi, de Christo et sponsa particulari. 422

Digitized by Google

Articulus XXIII. Declaratio ejusdem capituli septimi, de Christo et sponsa singulari 426
Articulus XXIV. Elucidatio capituli octavi et ultimi : Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ, etc.; de Christo et Ecclesia. 430
Articulus XXV. Declaratio ejusdem capituli octavi, de Christo et sponsa particulari. 438
Articulus XXVI. Elucidatio ejusdem capituli octavi, de Christo et sponsa singulari 444

ENARRATIO IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

Proœmium 451
Articulus I. Expositio capituli primi : Diligite justitiam, qui judicatis terram. 453
Articulus II. Explanatio capituli secundi : Dixerunt impii, cogitantes apud se non recte 462
Articulus III. Declaratio capituli tertii : Justorum autem animæ in manu Dei sunt. 468
Articulus IV. Declaratio capituli quarti : O quam pulchra est casta generatio cum claritate ! 474
Articulus V. Expositio capituli quinti : Tunc stabunt justi in magna constantia. 479
Articulus VI. Elucidatio capituli sexti : Audite ergo, reges, et intelligite . . . 485
Articulus VII. Expositio capituli septimi : Sum quidem et ego mortalis homo . . 491
Articulus VIII. Elucidatio capituli octavi : Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter. 499
Articulus IX. Elucidatio capituli noni : Deus patrum meorum, et Domine misericordiæ. 505
Articulus X. Declaratio capituli decimi : Hæc illum, qui primus formatus est a Deo, etc. 510
Articulus XI. Explanatio capituli undecimi : Iter fecerunt per deserta . . . 517
Articulus XII. Expositio capituli duodecimi : O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus ! 523
Articulus XIII. Declaratio capituli tertiidecimi : Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei. 529
Articulus XIV. Elucidatio capituli quartidecimi : Iterum alius navigare cogitans. 533
Articulus XV. Expositio capituli quintidecimi : Tu autem, Deus noster, suavis et verus es 538
Articulus XVI. Elucidatio capituli sextidecimi : Propter hæc et his similia, etc. 542
Articulus XVII. Elucidatio capituli septimidecimi : Magna enim sunt judicia tua, Domine. 548
Articulus XVIII. Declaratio capituli octavidecimi : Sanctis autem tuis maxima erat lux 552
Articulus XIX. Expositio capituli nonidecimi et ultimi : Impiis autem usque in novissimum, etc. 558
Index locorum S. Scripturæ. 563
Index analyticus 575

EMENDANDA. Pag. 40A, lin. 10 : Pacomio, *lege* Pachomio ; — 212 A, lin. 8 : Blesillæ... Blæsillæ ; — 241D', lin. 10 : quam... quum ; — 268A, lin. 5 : prælati prædicatores... prælati et prædicatores ; — 269C, lin. 12 : heresiarchas... hæresiarchas ; — 345D', lin. 10 et 11 : ab eo... ab ea ; — 442 A lin. 10 : anhelantem... anhelante ; — 445C', lin. 5 : resolvendum... revolvendum ; — 461 A, lin. 7 : a viris perfectis... a jurisperitis.

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Typis Cartusiæ Sanctæ Mariæ de Pratis. Monstrolii.
J. Arnauné typographus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Widener Library
3 2044 079 396 206